SACRARUM CÆREMONIARUM SIVE RITUUM ECCLESIASTICORUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ LIBRI TRES

AB AUGUSTINO PATRICIO ORDINATI,

ET A MARCELLO CORCYRENSI ARCHIEPISCOPO

PRIMUM EDITI

Nunc vero tandem in duos Tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati, & Commentariis aucti

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM

TOMUS I.

Quo Libri primi Ritus, ac Cæremoniæ explicantur, auctoritate Summorum Pontificum, Patrum, Canonum, probatorum Auctorum, Ordinumque Romanorum, & Cæremonialium tum editorum, tum mss. complurium

AUCTORE JOSEPHO CATALANO

ORATORII S. HIERONYMI CARITATIS PRESBYTERO.

Monasterii Benedictoburani.

ROMÆ, MDCCL.

Ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon, in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
REGIA
MATRITENSIS.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

SALUTEM IN DOMINO, ET FELICITATEM PLURIMAM

JOSEPHUS CATALANUS.



Ametsi, BEATISSIME PATER, *anno Jubilæi sub auspiçiis* SANCTITATIS TUÆ *prodire debuisset in lucem Tomus I. Conciliorum Italiæ, quo, ut promiseram, Romanæ Synodi omnes continerentur Notis a me*

il-

Digitized by Google

illuſtratæ: mutato tamen conſilio, & translata ejus Operis editione in aliud tempus, cenſui publici juris facere Cæremoniale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ab Auguſtino Patricio non ſine ſummo labore ordinatum, a Chriſtophoro Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo typis vulgatum, a me vero tandem omnium minimo perpetuis Commentariis auctum. Non enim par erat, ut illuſtrata nuper Capella Regis utriuſque Siciliæ, & aliorum Principum per Virum Cl. Joſephum Carafam Clericum Regularem, Cappella Romani Pontificis Maximi Regiarum Capellarum omnium princeps lateret, ejuſque ſacri Ritus antiquitate, majeſtate, varietate, amplitudine, ceteris præſtantiores jacerent. Novum plane Opus, arduumque, & a nullo adhuc tentatum lubens ſuſcepi, tum præſertim, quod Tu BEATISSIME PATER *in aureis Litteris tuis, Conſtitutionibus, aliiſque tuis Operibus pleroſque obſcuriores Pontificiæ Capellæ Ritus, eorumque originem, & rationem, ubi ſe ſe Tibi dedit occaſio, profunda eruditione, & facilitate mirabili explicuiſti, facemque mibi præbuiſti, ut aliorum originem invenirem. Forte ſervata hæc erat provincia doctiſſimis Cæremoniariis Capellæ Tuæ Pontificiæ, qui Ritus ipſos ex uſu jam callent, & ex praxi prædeceſſorum ſuorum dirigunt, quorum Diaria manu exarata fere innumera penes ſe habent. Fateor equidem, me nulli in hoc adornando Opere moleſtiam facere, nec velle in alie-*

nam

Digitized by Google

nam meſſem irruere, aut varios quorundam agendi modos refellere. Unum hoc mihi præfixi, Pontificios Romanæ Eccleſiæ Ritus adverſus heterodoxos, pſeudoquecatholicos ipſorum irriſores, Canonum, Patrum, Romanorum Ordinum, ac potiſſimum Summorum Pontificum auctoritate communire, & Majorum exemplis comprobare. Fuerunt jam, BEATISIIME PATER, *qui me iterum iterumque urgebant, ut inſigniores ſaltem Pontificios Ritus, quibus Cæremoniale Sanctæ Romanæ Eccleſiæ refertum eſt, Commentariis non modo, ſed & elegantibus, nitidiſque figuris ære inciſis exornarem. Sed duo me ab hoc ſuſcipiendo conſilio quammaxime deterruerunt. Primum, difficultas operis. Alterum vero magni ſumtus, quibus ſuſtinendis vires meæ impares ſunt. Fortaſse non defuiſſent in Urbe omnium principe Mœcenates Optimi bonorum ſtudiorum, ac rerum præſertim ritualium amateres, qui opem indigenti homini, vel nihil unquam petenti ultro attuliſſent; ſed abſurdum tamen putavi, criminoſumque, alienam pecuniam pro exiguis operibus meis in lucem edendis accipere, quæ utilius in præclariſſima aliorum Eruditorum Opera, quibus Urbs abundat, impendi poſſet. Ceterum explicare ſatis nequeo, quantum ſtudii, diligentiæ, atque laboris in hanc novam Cæremonialis Romanæ Eccleſiæ editionem impenderim. Oportuit namque hominem ſacro Hieronyminiani Oratorii miniſterio addi-*

Etum,

Digitized by Google

ctum, assiduumque Sacramenti Pœnitentiæ, ac Verbi Dei ministrum integras fere noctes vigilare, subcesiviſque diei horis huc illucque discurrere, Bibliothecas lustrare, Codicesque pene innumeros tum editos, tum manu exaratos describere, quo Cæremoniale Romanum perpetuis Commentariis illustratum ederetur tandem in lucem. Oportuit varias ejusdem editiones, Venetam scilicet primam anni 1516. *Coloniensem* 1557. *& Romanam* 1560. *simulque conferre, variantes lectiones notare, erroresque plurimos, quibus ipsæ editiones scatebant, corrigere. Præ ceteris editionem Romanam sequutus, Titulos in varios paragraphos legentium commoditati distribui, & quod omnium gravissimum est, patrimonioli mei reditus, quibus sustentor, in coemtionem illorum saltem librorum coactus sum erogare, qui ad tantum conficiendum Opus promtiores mihi essent ad manus, præter alios multos mihi humanissime a Viris doctis commodatos, & apud publicos bibliopolas lectos, atque descriptos. Libentissime autem hoc novum Opus immensum, atque difficile in duo magna Volumina distributum nulli parcens incommodo aggressus sum, quod sperem, Tibi sacrorum studiorum fautori fore gratissimum, ac fortasse etiam S. R. E. Cardinalibus, Prælatisque omnibus Romanæ Curiæ utile, atque Episcopis universis, ad quorum Ecclesias ab Ecclesia Romana omnium Matre, atque*

Digitized by Google

que Magiſtra una cum doctrina Catholica ſacri Ritus manarunt. Ne tandem tua, BEATISSIME PATER, *diutius patientia abuter, tua fretus comitate admirabili, unum Te oro, atque obteſtor, ut tot mearum dedicationum, quibus Tibi Opera mea omnia nuncupavi, tædium feras. Mereri enim hanc a Te gratiam poſſe videor, cum Opera ipſa, quæ tracto, Canonica ſcilicet, Theologica, atque Liturgica me ad Te omnium harum facultatum Doctorem, atque Magiſtrum ſapientiſsimum venire omnino compellant. Faxit Deus Optimus Maximus, ut* SANCTITATEM TUAM *quamdiutiſsime ſoſpitem ſervet, mihique gratiam largiatur, ut multa illa, ac magna Volumina, quibus Concilia omnia Italiæ tum edita, tum manu ſcripta, quotquot reperiri potuerunt, deſcripſi, Notiſque illuſtravi, uni* SANCTITATI TUÆ, *quam impenſe veneror, valeam dedicare.*

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Ferdinandus M. De Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſgerens.

APPROBATIONES CENSORUM.

PRIMA.

INſigne Opus, nempe Pontificiæ Capellæ Cæremoniale a præclariſſimo Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfecto Auguſtino Patricio ordinatum, a Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo vulgatum, nunc vero primum a clariſſimo eruditiſſimoque Viro Joſepho Catalano Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis Presbytero innumeris pene ab erroribus, quibus omnes ipſius Cæremonialis editiones ſcatebant, purgatum, & perpetuis Commentariis auctum, quum mandante Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho Auguſtino Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro perlegerim, nihil prorſus reperi Catholicæ Fidei, aut bonis moribus diſſonum; ſed miratus plane ſum indefeſſum Authoris laborem, atque ſolertiam in inveſtiganda rerum obſcuriorum origine, & Sacrarum Pontificiarum Cæremoniarum diſciplina, veterum non modo Ritualium, & manu ſcriptorum Diariorum, ſed & Conciliorum, ac Patrum auctoritate adverſus hæreticos, impioſque, & pſeudocriticos ipſarum irriſores, qui, ut verbis Apoſtoli Judæ utar, *quæcumque ignorant, blaſphemant*. Cenſeo itaque, edendum quamcitiſsime in lucem hoc perutile novum Opus, in quo quidem, ſicut & in ceteris ejuſdem Authoris Operibus, quibus & Pontificale Romanum, & Cæremoniale Epiſcoporum, & Sacroſancta omnia Concilia Œcumenica ſumma eruditione illuſtravit, exactiſsime diluci-

dantur tum Sacri Canones, tum veteres novique Eccleſiæ Ritus, tum præcipuæ partes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & quod potiſsimum eſt, zelus in eis inſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ubi a primævo ſuo Inſtituto deflexit, ac Pontificiæ Dignitatis, Poteſtatiſque tuendæ, quam perperam Hæretici conantur infringere, ſummopere effulget. Datum Romæ Kalendis Aprilis MDCCL.

Ignatius Reali Apoſtolicis Cæremoniis Præfectus.

SECUNDA.

QUod plerique docti Viri ſacris addicti antiquitatibus diu maxime optarunt, ut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Liber Cæremonialis ſub Chriſtophori Marcelli nomine vulgatus iterum Typis daretur, & a mendis purgatus prodiret; id nuper pro ea, qua ſummopere pollet, ingenii vi, atque indefatigabili ſtudio præſtitit admodum Reverend. Pater Joſephus Catalanus Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis Presbyter, Eccleſiæ Canonum, Sacrorumque Rituum ſcientia apprime excultus, necnon compluribus, iiſque egregiis, id genus Voluminibus jamdudum elucubratis clariſsimus. Is nimirum variis ejuſdem Cæremonialis editionibus, ac mſs. Codicibus, perpetuis inſuper adjectis Commentariis, Textum primigeniæ lectioni multa cura reſtituit, ac plurima eruditione illuſtratum protulit; Opuſque adornavit iis, qui in Sacris Eccleſiæ Ritibus operam navant, perquam commodum: Quod, mandante Reverendiſſimo Patre Auguſtino Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, accurate perlegi, nihilque in eo deprehendi Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus adverſum; ideoque prælo digniſsimum cenſeo. Dat. pridie Idus Junii MDCCL.

Venantius Philippus Pierſanctes Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter.

TER-

Digitized by Google

TERTIA,

POſt conditos, emiſſoſque in vulgus inenarrabili celeritate novem comprehenſos majoris moduli Tomis exquiſitioris eruditionis ſupellectile inſtructos Commentarios in Pontificale Romanum, Cæremoniale Epiſcoporum, & Œcumenica Concilia laſſatum, exhauſtumve plerique exiſtimabant ingenium Cl. Patris Joſephi Catalani Presbyteri Oratorii S. Hieronymi Caritatis. Sed ut vere cogitationes mortalium vanæ ſunt! Ecce Vir ille plane adamantinus, & indeficientis ſapientiæ, vix edito poſtremo commendatorum Operum Tomo, quaſi ex ipſo labore inſtauratis viribus, nova ſuis humeris paria meditatur, aggreditur, imo jam, quod in duos grandioris itidem molis Tomos diſtribuit, atque ita inſcripſit: *Sacrarum Cæremoniarum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Libri tres ab Auguſtino Patricio ordinati, a Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo typis vulgati, nunc vero primum perpetuis Commentariis aucti*, ad prælum depoſcit. Mirum, & portento ſimile, hominem graviſſimis Presbyterii ſui muniis impeditiſſimum, ſine divite Mæcenate manus porrigente adjutrices, ſine parata domi neceſſaria Librorum multitudine, ſine amanuenſi &c. audere tantum, tantum poſſe! Utut vero de his, annuendumne a ſupremis Præſidibus Viro incomparabili occulti hactenus feraciſſimæ mentis fœtus editionem poſtulanti? Cenſoribus ad id declarandum electis peritiſſimis, quæ placitura ſit, neſcio, mihi, cujus etiam judicium qualecumque ſuper hoc exquirere pro ingenita humanitate dignatus eſt Reverendiſſimus P. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, facto examine, ſedet hæc animo ſententia: nec ad modicum tempus dia luce privandum Opus, quod, nedum nihil olet adverſum Catholicis Dogmatibus, & ſanctitati morum, univerſam Eccleſiam, Romanam Sedem, Literariam Rempublicam ſingulari beneficio honeſtabit. Petin quo? Diu eſt, quod plures haud vulgaris doctrinæ, ac pietatis Viri cum gemitu advertunt, detrimentum eſſe non exiguum Eccleſiæ, Romæ, Literis, Codicem Sacrarum Cæremoniarum R. E. Cæremoniale Capellæ Papalis communius dictum, venerabilem alias, cenſendumque plurimi, utpote dirigendis rebus maximi momenti deputatum, typorum opera terras omnes pervaſiſſe. Siquidem, quæ circumferuntur, exemplaria, complectuntur utique reliquias veterum præclariſſimorum, quum Romanæ, tum aliarum Eccleſiarum, Inſtitutorum, liturgicon præſertim; ſed tamquam gemmas in luto jacentes, & poſitas in abſcondito: ſic geſta quædam, & conſuetudines deſcriptas, memorataſve non dubie in argumentum potiſſime decoris, ac amplitudinis Apoſtolicæ Sedis, & ſupremorum Pontificum, exponunt, ut in eorum ludibrium, dedecuſque verti poſſint, & aliquando ſoleant ab oſoribus, invidiſque Romanæ majeſtatis. Ad hæc: ſive Marcelli evulgatoris non magis, quam corruptoris, & plagiarii culpa, ſive oſcitantia typographorum, Romani quoque, ſæpe lectionem ingerunt inſigniter variantem, ſcatentque mendis, interdum fœdiſſimis, talibus ſaltem, quæ a vero ordinatoris Patricii ſenſu minus cautum lectorem enormiter diſtrahant. At geminus, de quo res eſt, Commentariorum Tomus, ubi in apertum eruperit, tantum detrimentum omnino reſarciet. Nam, ad unicam ſinceriorem lectionem compoſitis variis editionis multiplicis textibus, mendiſque, præcipue turpioribus, caſtigatis, eraſiſve, Codicem congruæ puritati reſtituit; omnem ab eo cauſſam eliminat inſultandi Cathedræ Petri, & Apoſtolicorum dignitati, quæ improvide calamo dormitantis quandoque Scriptoris excideruut, vel explicatis prudentiſſime, vel in planiorem veritatis ſemitam magiſtra manu reductis: eo præterea concluſas, velut tamen inter ſordes, ac tenebras, gemmas, fere cujuſque natali ſolo, pretioque, hoc eſt, quamplurium perilluſtrium Eccleſiaſticarum Inſtitutionum origine, uſuque detectis, & demonſtratis, in defœcatiſſimo, ſplendidiſſimoque loco conſpiciendas proponit. Utinam! hujus profecto ſingularis beneficii authorem ſummus, veruſque bonorum Largitor ſoſpitem ſervet, ac valentiſſimum, ſaltem donec, abſoluta, quam poſtulat, evulgatione, ſtatim, quod ad umbilicum deductum audio, volumen Commentariorum in *Rituale Romanum* multo locupletiorum, utiliorumque publicatis dudum a Viro ceteroquin bene de Literis merito; inde, ingenti jam parte digeſtam *Collectionem Conciliorum Italiæ* ampliſſimam eruditis omnibus, piiſque communem reddit. Quot enim iſthinc bona! Certè (ut, intimioribus miſſis, manifeſtius aliquod futurum prænunciem) ſi contigerit primum, ea ſe felicitate, gloriaque donatam prædicabit ætas noſtra, qua proxime ſuperior. Quandoquidem, ſicuti huic revera glorioſiſſimum, fauſtiſſimumque fuit vidiſſe magnum Baronium in Annalibus ſuis ferme totam geſtorum Eccleſiæ notitiam cultoribus;

Digitized by Google

bus, & apologiſtis Catholicæ Religionis apprime neceſſariam duodecim Voluminibus Orbi Chriſtiano exhibentem, illi æque fauſtum erit, glorioſumque vidiſſe alium doctiſſimum Scriptorem, quaſi celeberrimi Cardinalis exemplo, ne dicam vocibus ſuis, adhuc quodammodo per nobilitatum pluries (1) publica laudatorum Annalium recitatione, juſſu, auſpicioque habita SS. Patris Philippi Nerii, Oratorium Hieronymianum reſonantibus, excitarit, offerentem in ſuis Commentariis haud minus neceſſariam ceterarum pene omnium ſanctiorum Eccleſiæ rerum dilucidationem duodecim pariter Voluminibus diſtinctam. Si alterum evenerit, Italia deſinet aliis invidere cultioris Europæ Nationibus, quæ in colligendis, promulgandiſque Synodalibus propriarum Eccleſiarum Conſtitutis promptiores quantum utilitatis, commodive ſuis majorum diſciplinæ regulas, & Fidei ſenſa ignorare nolentibus compararint, jure meritoque optimo jactant. Eadem inſuper uberes, nec hercle ſubſtituras tam cito lacrymas, quibus nuper extinctum luget Ludovicum Antonium Muratorium, ſiſtet illico; quod ſibi divinitus ſervatum; redditumve propemodum in ſapientiſſimo, robuſtiſſimoque Catalano putatura ſit apicem illum Literatorum, ſuarumque rerum illuſtratorem præſtantiſſimum. Dabam Romæ anno Jubilæi MDCCL. menſe Auguſti in Feſto S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris.

Petrus Morettus Canonicus inſignis Baſilicæ S. Mariæ Tranſtyberim.

QUARTA.

VIri Cl. Joſephi Catalani Tomum primum Commentariorum ad Cæremoniale Pontificium Auguſtini Patricii perlegi, mandante Reverendiſſimo Patre Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro. Opus, ut cetera tot & tanta celeberrimi Auctoris, tentatum a nemine, illudque perquam difficile; cum ob rerum multitudinem, ac varietatem, tum ob latentes ſæpe tot actionum, dictorumque origines, cauſaſque hac illac reconditas. Præſtat autem id omne pro ſui more Vir magnus, incredibili ubertate, & diligentia, gravitate, atque ſapientia. Erit certe, cur iſtarum præſertim rerum ſtudioſi, imo & Antiſtites, ipſi habeant magnam gratiam; nec item erit deinceps, cur ſibi ex earundem editione timeat dignitas majeſtaſque Pontificum, quod Paridi de Graſsis viſum eſt olim. Ea enim non modo in tuto ponitur, ſed & illuſtratur inde, confirmaturque mirum in modum. Itaque ut in publicum prodeat, maxime exoptandum cenſeo.

Datum Romæ die IV. Septembris anni MDCCL.

F. Pius Thomas Schiara Ordinis Prædicatorum Caſanatenſi Bibliothecæ Præf.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

PRÆ-

(1) Vide Baronii actionem gratiarum ad B. Philippum Nerium Tom. VIII. Annalium &c.

Digitized by Google

PRÆLOQUIUM

In Cæremoniale Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

CAP. I.

Rituum Romanorum cognitio neceſſaria, & prima Romani Cæremonialis origo.

I. CUm Romana Eccleſia, ut ſcitiſſime notat clariſſimus Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Num. 1. aliarum, maxime Occidentis, Eccleſiarum norma ſit, & exemplar, non parum intereſt Reipublicæ Chriſtianæ, ut ſacri Ritus, quibus ab initio fundatæ Religionis Deum Optimum Maximum coluit, omnibus cogniti, ac perſpecti habeantur. Proxima quippe eſt Fidei Divinæ Religio, quæ quam illa credit, ac ſuſpicit, ſupremam majeſtatem certis ſignis, & cæremoniis communi conſilio inſtitutis, colit, veneraturque. Et quemadmodum a Romana Eccleſia Fidei ſuæ originem repetunt ipſæ præſertim Occidentis Eccleſiæ; ſic etiam ab eadem modum, & formam Divini cultus derivari par eſt. Non immerito itaque Viri pii, ac docti, quod notavit Georgius Caſſander, qui Romanum Ordinem anno MDLXI. Coloniæ primus typis excudi curavit, judicant, *nihil hoc in genere præſtantius inveniri poſſe, quam ipſum Romani Ordinis Libellum, quem omnes, qui de Eccleſiaſticis Ritibus, & Officiis Divinis ſcripſerunt, tanquam principem, & caput agnoſcunt, ſummamque ei auctoritatem deferunt; ſic ut omnia ejus generis ſcripta, nihil aliud ſint, quam hujus Libelli Commentaria.*

II. Ordinem ipſum Romanum poſt Caſſandrum iterum Coloniæ poſt ſeptem annos excudi curavit Melchior Hittorpius una cum aliis antiquis rerum Eccleſiaſticarum Scriptoribus, noviſſime vero, ut alios omittam, memoratus Mabillonius varios ejuſdem Romani Ordinis Libellos in unum collegit, eruditeque prævio Commentario illuſtravit Tomo II. Muſei Italici. Non unum enim, ſed plures olim fuiſſe Libellos ipſius Ordinis, ex Amalario Metenſi addiſcimus, cujus hæc ſunt verba Capite LII. Antiphonarii, ubi agit de Officio hebdomadæ Paſchalis: *Notum ſolemniter eſt, canere Matrem noſtram Romanam Eccleſiam tres Pſalmos ante Hymnum Evangelii, & poſt Hymnum duos per diverſa Altaria diverſorum locorum, ſæpiſſime tamen ad Crucem, & ad fontes, qui continent per diverſos Libellos ordinem Romanum.* Diverſi erant hi Libelli, non modo pro diverſis argumentis, ut Libellus de Miſſa Pontificali, Libellus de Miſſa Epiſcopali ſecundum ritum Eccleſiæ Romanæ, Libellus de Baptiſmo, Libellus de Ordinibus ſacris, & alii de aliis Eccleſiaſticis rebus Libelli, ſed etiam pro uno eodemque argumento. Id quod ex hoc Amalarii loco manifeſtum eſt, ubi diverſos Libellos citat pro uno eodemque Officio hebdomadæ Paſchalis. Hinc eſt, quod Mabillonius veterem ſententiam ſequutus totidem Libellos Ordinis Romani diſtinxit, quot ejuſdem, diverſive de Ritibus Romanis argumenti adducit ſcriptiones. Atque hæc eſt aliorum Scriptorum opinio, quorum loca ſupervacaneum eſt recenſere.

III. Ergo Auctor hic præſtantiſſimus tres omnino vetuſtiſſimos de Miſſa Pontificali Libellos primo loco exhibet, quibus alii duo ſuccedunt de Miſſa Epiſcopali ſecundum Ritum Eccleſiæ Romanæ. Poſt hos ſequuntur Libelli de Ordine Baptiſmi, ac de Ordinationibus ſacris. Quæ omnia ſcripta ſunt ante ſeculum nonum, aut decimum. Succedunt Auctores a Seculo XII. Benedictus Canonicus S. Petri ſub Innocentio II. Cencius de Sabellis Cardinalis ſub Cæleſtino III. Ad hæc Cæremoniale juſſu Gregorii X. editum, Ordinarium Jacobi Gajetani Cardinalis, ac demum Libri Cæremoniarum Petri Amelii Epiſcopi Senogallienſis. Variis ipſis Libellis, quos Romanos Ordines Mabillonius appellat, ſuntque numero XV. varias Admonitiones præfixit idem Auctor ad informandum ſtudioſum Lectorem. Quale vero de his judicium, ac de vulgato Ordine Romano ferendum ſit, nos docet earum rerum peritiſſimus, doctrina, pietate, ac dignitate Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Joſephus Maria Thomaſius inclyti Ordinis Clericorum Regularium Alumnus in Scholiis ad Reſponſorialia: *Ordo Romanus*, inquit, *antiquitus, non eo modo, quo apud nos editus eſt, circumferebatur. Diſcretis namque Libellis continebatur, quibus potiora per annum explicabantur Officia. Ceterum Ordo ille Romanus editus ab Hittorpio, farrago potius eſt diverſorum Rituum ſecundum varias conſuetudines; itaut antiquiores, germanioreſque Ritus in tanta varietate diſcernere ſine eorum Libellorum ope pene ſit impoſſibile.* Sane ipſa laudati Cardinalis Thomaſii Opera in varios Tomos diſtributa elegantiſſima editione, adjunctis aliis ejuſdem Auctoris Opuſculis, illuſtravit, atque egregiis Diſſertationibus, ac Notis exornavit Vir Clariſſimus ejuſdem Ordinis Clericorum Regularium P. D. Franciſcus Vezzoſius.

IV. Venio tandem ad Cæremoniale Romanum, quod Auguſtinus Patricius ex antiquis Romanis Ordinibus, & probatis Romanæ Eccleſiæ uſibus concinnavit, & Innocentio Papæ VIII. dedicavit. Fuit Patricius Apoſtolicus Cæremoniarius, quatuorque annos ſervivit Pio II. Pontifici, a quo Piccolominei cognomen habuit. Eidem adfuit morienti, cujus ſuprema verba refert in ſuo Cæremoniali, quod nos Commentariis illuſtramus, Lib. I. Titulo XIV. Cap. II. Sane ex Magiſtro Cæremoniarum laudati Innocentii Papæ VIII. renunciatus fuit Pientis Epiſcopus anno MCDLXXXIII. obiitque anno Chriſti MCDXCVI. Alexandro VI. Pontifice. Quod adſcriptum legimus in Codice Chigiano, qui Lactantii Opera complectitur; viderique de ea re inter alios poteſt eruditus Ughellus in ſua Italia Sacra in Epiſcopis Pientinis. Dedicatoria Patricii Epiſtola ad Innocentium VIII. noſtro Cæremoniali præfixa, quam nos inferius deſcribemus, & tempus ſcripti Operis præfert, ideſt annum MCDLXXXVIII. Kal. Martii, &

Digitized by Google

ipſum Opus genuino vindicat Auctori, præterea, quæ ex Paride Graſſo inferius referemus. Chriſtophorus enim Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis electus, primum Venetiis in lucem Cæremoniale ipſum emiſerat, hoc inſcripto Titulo: *Rituum Eccleſiaſticorum, ſive ſacrarum Cæremoniarum S. R. E. Libri tres*; & quidem cum Pontificio Privilegio Leonis Papæ X. dato ſub die XVII. Decembris anni MDXVI. extatque in ipſa I. Veneta editione peracta die XXI. menſis Novembris ejuſdem anni MDXVI. dedicatoria Epiſtola ipſius Marcelli ad memoratum Leonem X. Papam, de qua ſuo loco inferius. Sit autem nunc.

CAPUT II.

Auguſtini Patricii Piccolominei Epiſcopi Pientini Epiſtola ad Innocentium VIII. in Librum Sacrarum Cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt.

SAnctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Octavo, univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Auguſtinus Patricius Piccolomineus, indignus Epiſcopus Pientinus, felicitatem. Abſoluta nuper ſatis feliciter divino munere emendatione Libri Pontificalis, explicationem, ordinationemque ſacrarum cæremoniarum, quibus Romani Pontifices uti conſueverunt, tuo juſſu, tuiſque auſpiciis, Beatiſſime Pater, aggredior. Certamen profecto priori laborioſius, longeque difficilius, cum propter incertam ejus rei diſciplinam, lateque per multa capita vagantem, tum etiam ob frequentem cæremoniarum additionem, diminutionem, variationem, ac pro tempore multiplicem mutationem. Cogitavit ſane circumſpectiſſima Beatitudo tua, & recte quidem, plurimum ad divinam clementiam nobis propitiandam pertinere, ſi puris, caſtis, congruiſque cæremoniis illa colatur, nec minus ſpectare ad majeſtatem Apoſtolicam, ſacrique Senatus, auctoritatem, venerationemque præſervandam, atque augendam, ſi ſuo ordine, rituque decenti omnia peragantur; ſi rerum, temporum, perſonarum ratio habeatur; ſi cuique reddantur debitus honor, & propria reverentia, quæ quidem omnia hac una diſciplina continentur, ſuggeruntur, adminiſtranturque. Quanta fuerit apud omnes gentes, apud omnes populos, apud omnes nationes Sacrorum cura, nimis longum eſſet enarrare. Prætermittam Eleuſinæ Cereris vana, atque abdita Sacra; furioſa, pudendaque Dionyſii Orgia; Ægyptiorum irridenda, & portentuoſa minima, & Romanorum ſuperſtitioſam religionem: apud quos nulli Magiſtratus legitimi putabantur, nullæ expeditiones, ſive mari, ſive terra ſuſcipiebantur, nihil a Senatu, populove ſtatuebant, niſi prius juſtis cæremoniis Superum voluntas explorata eſſet. Sacra certe Pentateuci hiſtoria tota fere in tradendis divinis ritibus verſatur; itaut nihil magis Moyſen, immo ipſum Deum curaſſe conſtet, quam ut ſtatutis congruiſque cæremoniis Divina Majeſtas ab hominibus coleretur: ubi eodem tenore ſervari mandantur præcepta, cærimoniæ, atque judicia.

Majores vero noſtri, duces, & doctores Chriſtiani populi, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſacros ritus divino afflati Numine nobis tradiderunt: quos deinde, creſcente Fidelium multitudine, illorum ſucceſſores Romani Pontifices, ſalva rerum ſubſtantia, auxerunt, ornaverunt, atque mirum in modum ampliaverunt, adduntque in dies: mutantur, & variantur permulta, quæ non tam priſcis inſtitutionibus adverſa ſunt, quam tempori, & rebus, quæ aguntur, accomoda, atque decora. Quo fit, ut cum propter rei vetuſtatem pauca admodum ex priorum obſervantiis reperiantur, & quæ deinde a poſteris litteris mandata exſtent, tum propter Romanæ Curiæ crebras apud exteras gentes peregrinationes, tum etiam propter varias confuſaſque ſcribentium ſententias, parum uſui, & utilitati noſtris temporibus eſſe videantur; cæremoniis non tam ſcriptis, quam jam pridem conſuetis hactenus magna ex parte uſi ſumus. Hinc variæ aliquando inter Patres de peragendis Sacris opiniones, hinc contentiones indecentes interdum, inter miniſtros cæremoniarum: cum memoria hominum labilis ſit, & fluxa, ſæpeque aliæ pro aliis ſuccurrant: & quid certi tenendum ſit, fixa regula oſtendi non poſſit. Hæc igitur, ut reor, provide conſiderans Sanctitas Tua, Beatiſſime Pater, cupienſque, ut in rebus omnibus, tam divinis, quam humanis decus, & ordo debite ſervetur; utque ſine tumultu, quiete, tranquille, cum gravitate, & dignitate omnia peragantur: injunxit mihi, ut tam ex Libris majorum, quos ex archiviis Romanæ Eccleſiæ complures deprompſi; quam ex quotidiano uſu Capellæ Apoſtolicæ, in quo annis ſupra viginti non ſine labore aſſiduo verſatus ſum; cæremonias omnes, quibus noſtro tempore uti conſueverunt Romani Pontifices, prætermiſſis ſuperfluis, & antiquatis, in ordinem redigerem. Devitaſſem, recuſaſſemque hoc munus perlibenter, & ſarcinam humeris meis omnino imparem excuſſiſſem, ſi licuiſſet Pontifici Maximo non obtemperare. Sed ſciens, obedientiam victimis præſtantiorem eſſe, & reum eſſe mortis, qui Summo Pontifici non paret: malui rudis, atque ignarus judicari, quam protervus, & inobediens. Erexit, & mirum in modum confirmavit mihi labentem animum in primis ſumma tuæ pietatis in omnes benignitas, atque clementia, quæ non tam ineptitudinem meam, quam optimam mentem, & parendi promptitudinem metietur, tum illorum Reverendiſſimorum Patrum, quos hujus noſtræ lucubrationis recognitores reviſoreſque conſtituiſti, prudentia, diligentia, acerrimum, integrumque judicium, & omnium rerum divinarum, atque humanarum ſumma doctrina, qui profecto nihil admittent, quod gravitati, ac dignitati Apoſtolicæ Sedis, & tanti Senatus non conveniat. Quorum exactiſſimæ cenſuræ hos Libros per multos dies libentiſſime ſubmiſi, ratus, ut ſi a tantis viris approbarentur, fore ut a nemine merito poſſent damnari.

Totum Opus in tres Libros diviſimus. Primus & major ea continebit, quæ ad Summum Pontificem, & Sacrum Senatum pertinent extra ordinem Divini Officii, ut puta electionem, & conſecrationem Romani Pontificis, Cæſaris coronationem, canonizationes Sanctorum, creationes Cardinalium, & cetera hujuſmodi. Secundus ordinem, & ritum celebrandi ſacras ſolemnitates per totum anni circulum complectetur;

Digitized by Google

tur; & quæ ad Divinum Officium ſpectant tam in Veſperis, quam in Miſſis, & aliis horis. Et in hoc quidem Libro ſecundo, quoniam minutiora multa inſunt, quibus ſine continua exercitatione nemo facile meminiſſe poſſet, adhibuimus nobis adjutorem Joannem Burcardum Argentinenſem, Præpoſitum Haſelatenſem, & ſacrarum Cæremoniarum miniſtrum: cujus ſolerti opera etiam uſi ſumus in emendatione Libri Pontificalis, qui omnia, quam diligentiſſime collegit, & accuratiſſime annotavit, ut parvo labore in digerendo Libro opus fuerit. Tertium Librum addimus generalia quædam, normas, atque cujuſque officii ſummarias inſtructiones continentem, præpoſuimuſque cuique Libro capita rerum, quæ in eo continentur: ut facilius quid quiſque deſiderat, invenire queat. Admirabuntur fortaſſe complures diſerti, & latinæ linguæ cenſores, quod vim, proprietatemque verborum latinorum non uſquequaque ſervaverimus: quodque plura admiſcuerimus nova vocabula, quæ latinius dici potuiſſent. Quibus ingenue fatebimur ignorantiam noſtram, & tamen multa ibi eſſe affirmabimus, quæ ſi aliter dicerentur, non facile ab omnibus intelligerentur. Secuti ſumus in his terminos a ſuperioribus harum rerum Scriptoribus uſurpatos, & qui hodie etiam ſunt in uſu apud Sacrorum miniſtros, arbitrati, Sanctitatem Tuam, & Sacrum Senatum non tam verborum lenocinia, quam rerum ordinem, & explicationem a nobis exacturos. Quibus ſi ſatisfecerimus, Deo optimo maximo bonorum omnium largitori, qui unde ſatisfacere poſſemus, clementiſſime tribuit, gratias agimus immortales: ſin minus, ut imbecillitati, ruditatique noſtræ ignoſcas, & obtemperandi ſtudium benigne ſuſcipias, etiam atque etiam ſupplices exoramus. Vale Romæ Kal. Martiis, anno Salutis MCDLXXXVIII.

CAPUT III.

Epiſtola Chriſtophori Marcelli Archiepiſcopi Corcyrenſis ad Leonem X. præfixa Cæremoniali huic a ſe vulgato Venetiis anno 1516.

SANCTISSIMO D. NOSTRO DOMINO LEONI X. PONT. MAXIMO CHRIST. MAR. ARCHIEPISCOPUS CORCIREN. FOELICITATEM.

VEtuſtiſſimam ſacrarum Cæremoniarum obſervationem, Beatiſſime Pater, & una cum ipſa Religione ortam eſſe, conſpicuum eſt. Velut enim hæc mortalibus ſemper optima, ac ſummopere neceſſaria extitit, utpote qua Deos immortales ſuſpicerent, admirarentur, & colerent, ita ſine debito Cæremoniarum ornatu inculta eſt, informis, ac omni pulchritudine vacua. Placet recognitio Principi, benevolentia placet; at multo magis gratum obſequium, ſi & geſtuum veneratione, & compoſitione verborum, & munerum blandimentis afficiatur. Sedet in ſublimi Solio Rex omnium optimus, circumſtant divinæ mentes, quæ certatim ſe illi gratas reddunt, diverſis agitationibus Cæli moventur. Coeunt partim, partim diſſentiunt elementa; quod ſuum eſt, agunt alia, & pro temporis varietate mutantur. Summa denique conſenſione, diſparibus tamen officiis, ſibi ipſi conſonat, ſuoque principio obſequitur Univerſum. Quare Mortales quoque, quos cum Diis mercaturam quandam exercere Plato commemorat, & præcipue nos, qui ſupremi illius ſplendoris facti ſumus divina voluntate participes, candidiſſimæ pietati, puriſſimiſque Sacrificiis delectum Cæremoniarum injunximus, quem pia hæc editio tuo dicata Nomini continet, quæ poſt annos ſub tanto Principe in lucem prodiiſſe lætatur. Ubi non deifica Oracula, neque Thamiræ, aut Orphæi hymnos, quibus ſe adeo jactavit Græcia, non Sybillinos affatus, aut vanam Hebræorum ſuperſtitionem, non mutabilem Caldæorum ignem, neque Ægyptiorum Serapim, aut Perſarum ſolem invenies, ſed Divini Numinis deductionem, preces caſtiſſimas, Cæleſtis Patriæ ſpeciem, ſacratiſſimos Ritus, arcana præfigurata Myſteria. Quid enim aliud Pontificum electio, Conciliorum norma, Divorum adſcriptio, Cardinalium allectio, Pontificalis pompa, admiſſio Principum, aliique Sacrorum uſus, qui in unum totius univerſi Principem Summum conſenſum, Dei providentiam, poteſtatem, ſplendorem, Imperium, liberalitatem oſtendunt? Nobis certe hoc in Diogenis Fano conſtitutis melius quam per has Cæremonias, quibus adeo celebratur Roma, tuaque auctoritas colitur, Divina omnia illucere non poſſent. Hanc itaque lucubrationem accipe Sacratiſſime Pontifex, quæ tantis auſpiciis ſub tuo auguſtiſſimo Principatu vulgari promeruit. Hanc inquam accipe, lætoque animo amplectere, quæ tam pro ſui ipſius dignitate, quam pro tui amplitudine, gratiſſima quidem omnibus futura ſit, & plurimum jucunditatis perpetuis temporibus allatura.

CAPUT IV.

Querimonia Paridis Graſſi adverſus Marcellum electum Archiepiſcopum Corcyrenſem, quod Auguſtini Patricii Cæremoniale ſub ſuo nomine vulgaſſet.

EDitionem Cæremonialis Romanæ Eccleſiæ, quod, uti dictum eſt, ordinavit Auguſtinus Patricius, & deinde publici juris fecit Marcellus electus Corcyrenſis Epiſcopus, graviter tulit Paris de Graſſis Cæremoniarum tunc in Urbe Apoſtolicarum Magiſter ſub Leone Papa X. ratus, arcanos Romanæ Eccleſiæ ritus non eſſe proferendos in vulgus, ne in contemtum tandem veniant. Unde querelas de hac editione depoſuit apud ipſum Pontificem Leonem X. apud quem accuſavit plagii memoratum Corcyrenſem Archiepiſcopum, propterea quod Auguſtini Patricii Piccolominei Opus de ſacris Cæremoniis ſub ſuo nomine vulgaſſet. Porro etſi non omnia, ut ſcite obſervat doctiſſimus Joannes Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum Tomo II. Muſei Italici pag. v 1. & ſequenti, ex Diario laudati Cæremoniarii Paridis, quædam nihilominus ſupplentur, quæ hic paucis delibanda ſunt. Paris audito Librum

Digitized by Google

Cæremonialem Augustini Pientini Episcopi, suppresso veri Auctoris nomine, ab Electo Corcyrensi Venetiis editum esse, rem primo retulit ad Cardinales, ex quibus multi commoti sunt, *quod Cæremonia sacra, & Mysteria eorum divulgata fuerint*. Deinde querelæ ad Pontificem delatæ, qui *primo facie turbatus, dixit, se facturum, quod Cardinalibus placeret. At quia Cardinalis Sanctæ Crucis forsan fuerit causa, quod imprimeretur Liber ille, dixit, non malum esse*. Sed tamen cavit, ne ullum ejus exemplar divenderetur, dum in proximo Consistorio super hoc negotio statutum fuisset. Hæc facta sunt anno MDXVII. die XI. Martii. Mense sequenti post Festum S. Marci, Paris prolixam hac de re Epistolam a se scriptam legit in Consistorio, in qua eorum sententiam refellere conatur, *qui existimant, Religionis Christianæ Cæremonias ad publicam mortalium utilitatem esse divulgandas*; aitque, si hæc semel licentia invaluerit, Summi Pontificis veneration magnopere detractum iri, quem cum ut Deus aliquis in terris ob arcana sacra, *quæ tum rerum magnitudine, tum varietate divinitatem quandam præseferre videantur*, existimetur, & credatur, iis publicatis, mox has opinione cadere necesse sit, reducique in ceterorum mortalium classem. Gravi itaque pœna dignum esse electum illum Corcyrensem, qui Librum Cæremoniarum S. R. E. furto surripuisset, atque in lucem emisisset temere, suppresso etiam veri Auctoris nomine, imo ad mille & supra correptiones admisisset in editis Libris. Ad extremum petiit Paris, *Librum Cæremoniarum nuper impressum omnino comburi simul cum falso Auctore, aut saltem ipsum Auctorem corrigi, & castigari*. Hæc summatim referre visum est, quæ plenius ex ipsa Paridis tum Epistola, tum narratione intelliguntur, quæ sunt hujusmodi, legunturque apud eundem Mabillonium citato Tomo II. Musei Italici pag. 587. & seqq.

Hodie, nempe XI. Martii, anno MDXVII. cum mihi dictum esset, Librum Cæremonialem nostrum, quo Respublica nostra Ecclesiastica regitur, & gubernatur, fuisse Venetiis impressum, & ad Urbem remissum omnibus venalem; dolui vehementer: & priusquam aliquid dicerem Pontifici, super hoc conquestus fui cum Cardinalibus, qui in die creationis annuæ Papalis expectabant Pontificem venturum ad Missam. Et aliqui, immo multi ex eis commoti, scandalizati sunt, quod ceremoniæ sacræ, & mysteria eorum divulgata fuerint: sic ut ceremoniæ nostræ, quæ erant quid sacrum, fiant quid publicum, &c. Et in fine dixerunt Papæ dolentes. Papa autem prima facie turbatus, dixit se facturum quid Cardinalibus placeret. Et quia Cardinalis sanctæ Crucis forsan fuerat causa, quod imprimeretur Liber ille; dixit, non malum esse. Tandem Papa commisit Cardinali de Grassis protectori officii cæremoniarum, ut simul cum Auditore Cameræ provideret, ne amplius aliquod volumen venderetur usque ad diem Consistorii: quia tunc exquisitis votis omnium Cardinalium concluderetur. Et sic factum est.

Deinde cum collatione facta de illo impresso cum nostro, inveniissem, multa fuisse ad libitum addita, & plura similiter cassata; retuli Papæ, præsentibus Cardinalibus in Consistorio sequenti, ac Papa vidit, ac magis commotus est. Et vocato iterum Auditore Cameræ, mandavit, ut omnia volumina impressa apud se habeat, & sic retineat, donec aliud sibi dixerit.

Sicut supra dixi, XI. Martii scripsi, electum Corcyrensem publicasse Librum Cæremonialem contra jus fasque, & Papa mihi commisit, ut ipsum Librum diligenter viderem, ac collationarem cum originali, si quid esset additum, vel imminutum, quod illud signarem, ac referrem. Itaque eo totaliter viso, & signato, feci hanc meam Epistolam, quam præmisi quasi invectivam contra ipsum Corcyrensem temeratorem Libri sacri, & eam Papæ dedi in manibus, & legit & approbavit, mandans mihi, ut in primo Consistorio recitem causas, quibus motus fui; & exaudiret præsente Senatu petitiones meas, quæ sunt, ut ipsa Epistola de verbo ad verbum hic posita, sic videlicet.

Sanctissimo D. N. Leoni Papæ X. Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis Cæremoniarum Magister. Inter sacras, solemnesque Romanæ Ecclesiæ cæremonias, Beatissime Pontifex, a juventute mea versatus tuo, ac tuorum beneficio prædecessorum, illis jam ad XVI. prope annum præfectus, piaculum ingens, & id quidem calumniæ, & ignominiæ plenum, facturus videor, si transeat sub silentio, & conniventibus oculis patiar, illas per Libros sacrorum rituum, nuper sub nomine cujusdam falsi, & temerarii Auctoris impressos, corrumpi, ac in contemptum Apostolicæ Sedis divulgari; atque antecessores meos, qui eisdem præfuere cæremoniis, illasque mihi tamquam per manus dedere suis laboribus, suis vigiliis, ac studiis, contra jura, legesque, defraudare æquo animo feram sub felicissimo Sanctitatis Vestræ Pontificatu, cujus ingenii dotes ita longa experientia omnes didicimus, ut jam non dubitemus eam (si qualia hæc sunt intelligat) pro sua erga Deum pietate, pro Sanctæ Sedis Apostolicæ majestate, ac innata justitia, non solum non passuram, sed, sicut ego ea pro criminis magnitudine sine hac verborum detestatione præterire non possum, ita illam acriter vindicaturam. Nam quemadmodum justi cujusque Principis est curare, ne quisquam suo jure fraudetur: ita, si diligenter inspexerimus, ad quempiam alium non magis spectat, quam ad Romanum Pontificem, ne sacræ suæ cæremoniæ maculentur, neve aliqua in parte alterentur, ac præsertim ne corrumpantur, sed, & quod omnium Principum est, ne prolatæ in vulgus velut prostitutæ Pontificalium sacrorum existimationem minuant, flocci faciant, & contemnantur. Quod si in primis tua, ac sacrosanctæ Sedis Apostolicæ res agitur, B. P. ne pigeat obsecro, hæc, qualiacumque sint, quæ temporis angustia cursim collegimus, perlegere. Inveniet profecto in his, non quæ verborum concontextu auribus grata & jucunda; sed quæ ad rem tuam maxime pertinentia sint & necessaria. Verum antequam ab eo exordiar, quod hæ sacræ cæremoniæ in vulgus minime prodendæ sunt; respondebo illorum opinioni, qui existimant, religionis Christianæ cæremonias ad publicam mortalium utilitatem esse divulgandas, moti forsan, vel eo argumento, quod ipsa divini Numinis deductio, & cetera Ecclesiæ sacramenta, Libris Pontificalibus impressa, & publica-

Digitized by Google

blicata ſunt. Quippe illa ad omnes Eccleſias & ſingulos quoſque ſacerdotes pertinent, nec omnino recondi poterant. Hæc ad Romanam Eccleſiam tantum, ejuſque Summum Pontificem, ſuoſque dumtaxat ad id operis vocatos miniſtros. Sed utinam etiam & illa quæ dixi, ſecretiora forent & magis recondita. Non enim ea quotidie ad profanas manus in Sacerdotii contemptum, nec ad alienas ſectas in noſtræ Religionis irriſionem devenire videremus. At quoniam acta reprehendi magis poſſunt, quam corrigi, revertamur ad rem noſtram integram adhuc, ne hoc malo exemplo & ipſa labefactetur. Novit jam pridem S. T. omnem Romanorum Pontificum auctoritatem, omnem majeſtatem hujus ſacroſanctæ Sedis pendere ex animis opinionibuſque Principum, & Prælatorum. Dum enim illi ſummos Pontifices non tamquam mortales homines, ſed tamquam Deos in terris exiſtimant & credunt; illis ſe ſponte ſua ſubjiciunt, illis parent, illos ſuſpiciunt, ac venerantur, & etiam adorant; incredibilique quadam afficiuntur admiratione, cum aliquando audiunt, aut vident ſupra humanum opus ab illis per eas, de quibus agimus, cæremonias in Sanctorum numerum quempiam referri; Pontifices tanta ſollemnitate, tantaque obſervatione eligi, atque ſanctificari; Imperatores coronari, Reges inungi, Cardinales aſſumi, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcoposque conſecrari, ac cetera effici, quæ tum rerum magnitudine, tum veritate divinitatem quamdam præſeferre videtur. Quod ſi Sacrorum arcana pandantur, & ſacræ publicentur cæremoniæ, ilico futurum eſt, ut omnis opinio minuatur, ut Pontificia auctoritas elangueſcat, neceſſe eſt. Suberit extemplo Summus Pontifex vel uniuſcujuſque plebeii hominis cenſuræ. Alius ritus non recte a majoribus ordinatos redarguet: alius non obſervatas traditiones objiciet: alius morem cultumque Sacrorum perperam interpretabitur: alius geſtus deridebit & ſubſannabit. Et cum anteceſſores tui conſueverint, pro tempore, pro loco, pro neceſſitate cæremonias quandoque mutare; non erunt Summi Pontifices ſui arbitrii, neque ſine vulgi murmuratione id exſequi poterunt, ut cumque res familiari cognitione in contemptum adducent. Quod ne fiat, non minus curandum a nobis, qui vero Fidei lumine illuſtramur, quam curatum ſit olim a gentilibus in ſuis ſuperſtitionibus, quibus quaſi peculiaris mos omnibus arcana cæremoniarum nec velle, nec audere in vulgus edere, aſſerentibus, non licere profanis noſſe deorum myſteria, ſemper fuit: in quibus nulla major quam fides ſilentii deberetur. Quod ut cetera innumerabilia taceam, quæ circa hæc a Macrobio, Apuleio, Valerio, Plutarcho, ac ceteris antiquis Auctoribus referuntur, memoriæ traditum eſt, Tarquinium Regem, M. Tullium, quod Librum ſecreta civilium ſacrorum continentem, cuidam Sabino deſcribendum dediſſet, Colſo inſulam in mare abjici juſſiſſe. Quod ſi apud eos tanto ſupplicio Libri ſola deſcriptio vindicata eſt: qua pœna apud nos erit afficiendus, qui non ſolum Sacra deſcripſerit, ſed etiam deſcripta corruperit, ac corrupta divulgaverit? Adde quod ille triumvir illis eiſdem Sacris præerat, licebatque illi eumdem Librum legere & attrectare: hic noſter ab omnibus cæremoniis alienus ex ſacris penetralibus furto Librum hunc furripuiſſe facile credi poteſt. Nam cum Innocentius VIII. ſumma induſtria collectas in hunc Librum cæremonias, non ignorans quam retinenda & occultanda forent Sacrorum arcana, in Palatii Sacrario ac interiori Bibliotheca magna cum diligentia obſervanda repoſuiſſet, ut inde per illos tantum qui præeſſent, quando opus eſſet, incorrupte haurirentur, idque huc uſque obſervatum fuiſſet; quomodo ad hujus manus pervenerint, non liquet ſatis. Illud certiſſimum eſt, quod hic novus homo, & modo ſacris initiatus, unus inventus eſt, qui quod nemo alius etiam inter ſacras ceremonias educatus umquam auſus fuiſſet, auderet non ſolum Librum hunc in profanas manus edere, ſed etiam multa ſubtrahere, nonnulla addere, & quamplurima immutare, & corrumpere. At dicat ipſe, obſecro, ubinam iſtas cæremonias, quas immutabat, didicerat? quo auctore, quo magiſtro, qua facultate nitebatur? nam ſi Liber ipſe cæremonialis a Sede apoſtolica approbatus jus & legem facit, ut in Clementinis Tit. *De jejurando*, ſancitum eſt, & nulli præterquam Principi licet ea quæ juris ſunt immutare: qua audacia hunc impulſum dicemus, ut cum ſecundum conſtitutiones nomen adhuc ſuum neſciret, (appellavit enim ſe ubique electum Archiepiſcopum, cum electum tantum appellare debuiſſet, nec licebat, ante Pallii aſſumptionem quemquam Archiepiſcopum nominari) hanc Juris mutationem ſibi licere putaret? Deſcribebat prpfecto bonus vir quod minime intelligebat. Si enim eadem non ignoraſſet, neque ambulaſſet in tenebris, non poſuiſſet *ſiniſtram* pro *dextra*, non *fidelem* pro *filialem*, non particulas negativas, aut disjunctivas aliquando omiſiſſet, quæ ſenſum perverterent, aut depravarent: præteriiſſet *fanones*, *vexilla*, *colores*, *collegia*; nec immutaſſet juramenta, benedictiones, unctiones, & cætera, quæ de ſubſtantia ſunt, & characteres imprimunt, quæ nullo pacto immutari debent, aut poſſunt. Sed quid in his moror? ad mille & ſupra, B. P. corruptiones enumeravimus in Libro hoc ſuo nuper impreſſo, dum illum cum exemplari protocollo Plentini Præſulis, veri Auctoris contulimus. Nec verbis noſtris fidem habeat S.V. Librum ipſum quem protuli intueatur. Signata ſunt loca, aut aſteriſco, aut linea, aut litura. Nulla prorſus pagina errore vacat; quæ omnia non minus pro pietate tua erga Deum reprobare, & repellere debet S. T. quam pro tua juſtitia curare, ne defuncto eidem Præſuli Plentino, Viro doctiſſimo, ac de Sede Apoſtolica bene merito, vis, & injuria inferatur, ſuiſque vigiliis, ſuo nomine ſpolietur, ac ſuo honore privetur. Is cum plures annos magiſtratum cæremoniarum egregie, & ſcite exercuiſſet, ab Innocentio VIII. prædeceſſore, & affine tuo, ab hujuſmodi magiſtratu vacatione accepta, eiſdem tamen ſtipendiis Senas, tamquam in ſeceſſum literatorium, ad Romanæ Eccleſiæ cæremonias in librum hunc colligendas miſſus eſt. Laboravit triennio Vir gravis, & ſummæ experientiæ: demum incredibili ſtudio, & exacta diligentia abſolutum librum ejuſdem Pontificis nomini, antepoſitis ſuis epiſtolis, dedicavit, contentus vel eo nomine, quod apud poſteros non Auctor, ſed quaſi collector aut compilator ſacrarum cæremoniarum diceretur. Nec exiſtimavit bonus Pater, aliquem ſuo tan-

Digitized by Google

tantum nomini inviſurum. Sed o mores hominum! non erubuit ſub tuo Pontificatu electus ille Corcyrenſis ejus Patris, cujus debuiſſet potius obſervare memoriam, abradere nomen, & epiſtolas, ac ſuas ita inſerere, ut ſe Libri hujus cæremonialis auctorem credere ſecutura poſteritas crederetur. Quis enim in hoc Libro nuper impreſſo præterquam unus Chriſtophorus Marcellus nominatur? Quodnam Pientini Præſulis auctoris, aut alterius cujuſvis legitur nomen? Quin etiam ſubtraxit iſte, qui tam impudenter alienos ſibi labores vindicat, verba illius optimi Patris, quibus in Capite de Clericis cæremoniarum imperfectionem ſuam excuſabat, dicentis inter alia: Utinam tam bene officium meum ſuſtinere ſciviſſem, cum in eo fui, quam bene imperfectum meum cognoſco. Eat igitur, etſi non dolo, non fraude id feciſſe autumet, dicat ſe ſuas epiſtolas ad ornamentum tantum appoſuiſſe, non ut laudes alienas uſurparet. Sed interrogetur, obſecro, cujuſnam ſit illa lucubratio, quam adeo efficaciſſimis verbis a S.T. accepi, in prima epiſtola efflagitat? utrumve intelligat brevis epiſtolæ ſuæ, an totius operis lucubrationem? interrogetur, inquam, a quo abſoluta maxima pars operis videri poterat, cum tot & tanta priore Libro peregerit, ut ipſa altera epiſtola ampullatum: vel a quo ultimus abſolvitur liber, ut ejus verbis utar. Putabatne ſimplex vir, dum opus alienum ad verbum tranſcribebat, futurum ut nunquam in furto deprehenderetur? an id magis ingenium fortaſſe opinabatur, quam mutum reddere, vel fateri, per quem profeciſſet? An exiſtimabat potius tantum opus, paucis admodum immutatis verbis, & rubricis, ita ſuum fieri, ut veri auctoris nomen penitus aboleretur? Primum ſe omnium hæc ad uſum, & voluptatem communicaſſe, commemorat. O egregium opus! o laborioſam concinnationem! Exſequias juſte emendavit; *albam*, *album*; *genuflexum*, *ſupplicandum*; *officiales*, *magiſtratus*; *pileum*, *galerum* concinnavit. Pro *lignis*, *tignis* ſuppoſuit; pro *cuſino*, *pulvino*; pro *bacili*, *vaſe*, pro *perfectis*, *perfecta*; pro *platea*, *aream*; pro *armis inſignia*; pro *rubeo*, *purpureum* inſeruit. Hæc & hujuſmodi ſunt frivola quidem, & inania, quæ iſte ſuis ſeſquipedalibus verbis ſe concinnaſſe jactat; ac ſi pura nuda, clara & ſimplicia non magis Religio expoſceret, quam iſta verborum lenocinia. At ſi concinnaturus erat, cur non omnia concinnavit? cur non eodem ubique modo, pro *Papa*, *Pontificem*, pro *proceſſionibus ſupplicationes* ſubegerit? Modo eaſdem dictiones reliquit intactas, tamquam pertæſus etiam longam concinnationem eorum librorum, quorum auctor haberi volebat. Quid? quod ubique nomen, & excuſationem, ac epiſtalas auctoris deleviſſet. Non delevit etiam *Hoc juramentum Fredericus III. Imperator, qui adhuc regnat, dum Senis eſſet, præſtitit*. Quid & illud intactum reliquit? *Ceremonias in coronandis Regibus ſervandas in Libro Pontificali, quem nuper emendavimus, plene conſcripſimus*; ut in altero ſcilicet dolus, & mendacium appareret, defuncto jam diu Imperatore: in altero furtum confiteretur; niſi mallet geminare Pontificalem Librum illum, ita ut hos fecit ſibi attribuens. Præteriit ultra hæc multa his non minora, ſive negligentia, ſive ut omnia pariter confunderet. Nam & ſe interfuiſſe coronationi ejuſdem Imperatoris, & vidiſſe Cardinales Nicenum & Atrebatenſem, ac ſerviſſe Pio II. per annos plurimos, & ſuo tempore nullum Romanum Pontificem præter Sixtum IV. conſecratum, ſatis impudenter autumat: ac ſi dicat, nec Pium III. nec te Leonem X. noſtro tempore fuiſſe conſecratos, quæ cuncta ut primo Auctori apprime conveniebant, ita huic ſuppoſititio, & ejus Libro omnem fidem adimunt. Aut enim illa non erant amovenda, aut hæc quoque cum illis abradenda fuerunt, ut concinnatum undequaque opus videretur. Aſt o ſi ipſe Pientinus auctor revertatur, & nunc ſua jura repoſcat! nonne iſte operoſus concinnator, tamquam Horatiana cornicula, alienis omnibus pennis deplumatus, cum ſuis tantum corruptionibus remanſurus eſſet, futuruſque omnibus ludibrio? At putabit forte, ea ſibi licere, ſi epiſtolas ſuas cum a ſe concinnato opere ad S. T. direxiſſet, ejuſque ſacratiſſimo nomine culpam ſuam pertexiſſet, eos imitatus, qui, ut impune furati ſint, furta magiſtratibus elargiuntur. Sed non vidit ingenioſus in alienis operibus auctor, quantum Beatitudinem tuam offenderet, dum, tamquam inanis gloriæ nimis appetentem eam in locum abraſorum nominum ingerit, ſuique criminis participatione coinquinare contendit, non ſolum invidis & malevolis cauſam contra eam invehendi præbet, ſed etiam ejus ſucceſſoribus abradendi Leonis ſanctiſſimum nomen cum tua ignominia, at cum laude ſua auctorum nomina reſtituendi materiam relinquit. Quod ſi his, quæ maxime Sanctitatem tuam movere deberent, non moveris, Sanctiſſime Pontifex, nec afficit te contemptus Apoſtolicæ Sedis, ac Pontificiæ dignitatis, qui ex hac arcanorum invulgatione ilico irrepturus eſt; moveat te quæſo tua erga Deum pietas, nec eam una cum ipſis cæremoniis ab iſto inſolenti jactatore corrumpi patiaris. Moveat te demum Innocentii VIII. prædeceſſoris tui, affiniſque memoria, cui tu tantum debes, ut fortaſſe nemo magis. Is enim ſuum abs te, tum jure affinitatis & gratitudinis, tum æquitatis & juſtitiæ reponi petit. Is Librum ſuum integrum & incorruptum deſiderat, & in arcanis reſervari, ut vivens inſtituit, efflagitat. Obſequere eorum umbris, Beatiſſime Pater, tam juſta, tam pia, tam ſancta poſtulantibus; & quæ tua juſtitia eſt, rejecto & exploſo etiam ſub anathemate iſto impudenti uſurpatore cum ſuis corruptionibus, Libros ſuis auctoribus reſtitue. Futurum eſt enim, ut plus veræ laudis, plus gloriæ adeptura ſit S. T. in eorum nominibus reponendis, quam ſi quodlibet egregium opus a vero auctore ſibi dicaretur.

Hanc epiſtolam cum in manibus Papæ dediſſem, legiſſetque libenter, & avide, & acceptaſſet rationes, & argumenta in ea per me allegata; verſus ad Cardinales aliquos, qui ſibi forte adhærebant, dixit, me rationem habere ſuper petitionibus meis: & librum cæremoniarum nuper impreſſum omnino comburi ſimul cum falſo auctore, ſicut poſtulaſſem, aut ſaltem ipſum auctorem corrigi & coſtigari omnino debere, prout præſentibus videretur. Itaque ad primum Conſiſtorium rem & cauſam differre, ut in ipſo Conſiſtorio proponerem, prout propoſui, audientibus omnibus; & tandem Papa mandavit tribus Cardinalibus, videlicet R. D. Antonio de Monte Tit. S. Praxedis, & D. Petro de

Ac-

Digitized by Google

Accoltis S. Euſebii Anconitano, & D. Achilli de Graſſis S. Sixti Cardinali Bononienſi, Protectori officii Cæremoniarum, fratri meo, ut petitiones meas ad partes plenius intelligerent, & me, prout juris fuerit, ac ſibi videretur, expedirent tam ſuper Libro comburendo, quam Auctore caſtigando, & ad Urbem citando perſonaliter & comparendo. Itaque quid ſequetur, hic etiam ſucceſſive adnotabo.

CAPUT V.

Obſervatio Joannis Mabillonii in ipſam Paridis Graſſi querimoniam, quæ legitur Tomo II. Muſæi Italici pag. VII. & in eum in aliquot animadverſio.

QUod attinet ad Paridis poſtulata, ſane in hoc correptione dignus erat electus ille Corcyrenſis, quod alienum Opus vero, ac genuino detractum Auctori, tribuiſſet ſibi; at tantas iras non merebatur ob vulgatum Librum Cæremoniarum, quaſi reus eſſet violatæ Pontificiæ Majeſtatis. Non enim ex arcanis ejuſmodi Cæremoniis metimur Summi Pontificis venerationem, quicumque in Religione Chriſtiana recte ſapimus; ſed ex eo quod Eccleſiæ Catholicæ Caput ſit, ac Beati Petri in prima Sede Succeſſor, maxime ubi ſupremam illam dignitatem congrua morum ſanctitate, quod in Beatiſſimo Pontifice nunc ſuſpicimus, exornat. Neque ſane Paridis poſtulatio pro ejus votis ſucceſſit; cum neque Liber editus, neque ejus editor ignis pœnam ſuſtinuerint. Cur autem arſiſſent ambo, quos Pontifex privilegio munierat?

Tantæne animis cæleſtibus iræ?

Hactenus Mabillonius, qui tamen in eo cum aliis quibuſdam labi videtur, qui affirmant, in hoc correptione dignum eſſe Marcellum electum Corcyrenſem Epiſcopum, *quod alienum Opus vero, ac genuino detractum auctori, tribuiſſet ſibi*. Non enim Marcellus ait, ipſum fuiſſe Cæremonialis hujus Auctorem, ſed dumtaxat ſe in recitata ſuperius ad Leonem Papam X. Epiſtola editorem ſignificat, eoque ſenſu accepta haud dubie fuit ea Epiſtola ab eodem Pontifice, qui etiam ejus editionem Pontificio privilegio munivit, cui ſubſcripſit Bembus, qui a ſecretis erat ejuſdem Pontificis. Sed nec in decurſu Operis aliquid dicit Marcellus, quo ſe venditare voluerit Auctorem laudati Cæremonialis Eccleſiæ Romanæ.

CAPUT VI.

Recenſentur duo Diplomata, alterum Leonis X. alterum Senatus Conſulti Veneti, quibus Cæremoniale ipſum Romanæ Eccleſiæ a Corcyrenſi editum munitum fuit, leguntur-que in prima illius editione Veneta anni 1516.

ANtequam ipſa deſcribamus Diplomata, operæ pretium ducimus ea recenſere, quæ in fronte memoratæ primæ Venetæ editionis leguntur: *Habes*, inquit, *optime Lector Rituum Eccleſiaſticorum, ſive Sacrarum Ceremoniarum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Libros tres. Opus cum non ante formis excuſum, tum vero argumento ſuo, & jucundum tibi, & utile. Nam quæ ratio creandi Pontificis, quæ reliquorum Antiſtitum, qui modus admittendi Imperatoris cum Urbem inviſit, quæ Divorum noſtrorum Apotheoſes; exin qui pietatis ordo dum divinis Pontifex operatur a Kalendis Januariis ad anni finem, poſtremo veluti coronis, oc faſtigium Operis, ſumma ad inſtitutam rem pertinens explicatio perſonarum, ac officiorum, quæ operanti Pontifici adſunt, his Libris continentur. Eſt & in fronte Operis Reverendiſſimi, & doctiſſimi Corcyrenſis Archiepiſcopi Chriſtophori Marcelli ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Leonem X. Epiſtola, cum indice*. Epiſtolam ipſam jam ſupra deſcripſimus Cap. III. Sed nec omittenda quæ in ipſa prima Operis pagina poſt recitatam hactenus ad Lectorem Admonitionem ſequuntur: *Diris Pontificis interdictum, ne non prædictum dicas, anceps librarie, nequis infra quinquennium præter nos excudat. Quare caveas, ne lucri cupiditas tranſverſum te actum, & graviore pœna viventem afficiat, & mortuum barathro æternum addicat*. Poſt hæc recenſentur laudata Diplomata, quorum primum eſt;

LEO PAPA X.

Univerſis & ſingulis, ad quos hæ noſtræ Litteræ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dilecti filii, Antonius, & Silvanus Capelli Cives Veneti Librum Rituum Eccleſiaſticorum edere in manus hominum ſtatuerint, ac propterea in eo imprimendo, non parvos ſumptus fecerint, & labores ſubierint; vereanturque, nequi fructus ex illo percipi poſſent, ii intercipiantur ab aliis, qui nihil impenderint ea in re laboris: Nos adducti eorum precibus, inhibemus, mandamuſque omnibus, & ſingulis, ne per ſpatium quinque annorum jam nunc incipiendorum Librum ipſum imprimere, aut imprimi facere, impreſſumve venundare, aut vendendum tradere ullis in locis audeant, Antonio, & Silvano non permittentibus. Qui contra inhibitionem, mandatumque hoc noſtrum fecerit, admiſerit, cujuſcumque nationis, & dignitatis ſit, is univerſæ Dei Eccleſiæ expers, excommunicatuſque eſto. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVII. Decembris MDXVI. Pont. Noſtri anno IIII.

Bembus.

Exemplum Senatus Conſulti Veneti, quo cavetur, nequis infra decennium Opus hoc imprimat, impreſſumve alibi huc importet ſub multis in eo. Die VII. Junii MDXVI. in Rogatis.

Vadit pars, Quod cum Nobiles Viri Antonius & Silvanus Capelli a Bancho imprimi facere intendunt quoddam Opus Cærimoniarum Eccleſiaſticarum, cautum auctoritate hujus Senatus, & ſtatutum ſit, quod per decennium nemo ipſum Opus imprimi facere poſſit, tam in hac Civitate noſtra Venetiarum, quam in aliquo alio loco Dominio noſtro ſubjecto, aut alibi impreſſum vendere tam Latino, quam materno ſermone, præterquam impreſſum cura, & impenſis ipſorum Nobilium Antonii & Silvani Capello ſub pœna amittendi ipſa volumina, & aureo-

Digitized by Google

reorum decem pro quolibet volumine, qui reperirentur, cujus pœnæ tertia pars sit eorum Judicum, seu Officialium, quibus primum denunciatum fuerit; alia tertia pars detur Hospitali Pietatis, & alia sit Accusatoris, seu inventoris.

Laurentius Quartus.

CAPUT VII.

Qua occasione, quove consilio editum fuerit hoc Opus, a nullo adhuc tentatum, & de ejusdem Operis difficultate, ac utilitate.

QUum non ita pridem & Pontificale Romanum in tres Tomos distributum, & Cæremoniale Episcoporum in duos partitum Tomos Commentariis illustraverim, nefas mihi pene esse putavi Ritus Romanæ Ecclesiæ Ecclesiarum omnium Matris atque Magistræ silentio præterire: tum vero præsertim, quod minime decebat, ut illustrata nuper Capella Regis utriusque Siciliæ, & aliorum Principum per Virum Clarissimum Josephum Carafam Clericum Regularem, Capella Romani Pontificis Maximi, Capellarum omnium princeps lateret, ejusdemque Sacri Ritus antiquitate, majestate, varietate, & amplitudine ceteris prestantiores jacerent. Aggressus sum, fateor, Opus arduum, & difficillimum, & forte Apostolicis Cæremoniariis servatum, qui Pontificios Ritus ex usu jam callent, uti jam dixi in Epistola dedicatoria ad feliciter regnantem BENEDICTUM XIV. Pontificem Maximum. Sed quum vidissem, & diu quidem, eorum calamos altiori premi silentio, malui ego novo huic labori, & magnæ impensæ succumbere, quam rem tanti momenti penitus præteriri. Jam diu anceps fui, an aggredi hoc Opus immensum, longum, perplexumque, & plurimi otii, quo indigebam, debuissem, Opus inquam ingentis studii, & lectionis, ut e ruderibus antiquitatis in lucem innumeri pene, ac varii Sacri Ritus proferrentur, qui cum profundis tenebris sepulti sint, quædam dumtaxat tenuissima eorum vestigia apud priscos Scriptores inveniuntur, uti jam notavit doctissimus æque ac religiosissimus Joannes Cardinalis Bona in sua ad Res Liturgicas Præfatione.

Quamquam vero terrori mihi fuerint inextricabiles difficultates in singulis Ritibus Romanæ Ecclesiæ explicandis, & in eorum origine, quantum fieri potuit, investiganda, quicquid obstabat, patientia, ac studii pertinacia vincere tentans, Bibliothecas lustravi, ac multa volumina evolvi tum edita, tum manu exarata, quæ extant in celeberrima Casanatensi Bibliotheca, præter illa, quæ mihi humanissime commodarunt duo primi Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, Ignatius Reali, & Venantius Philippus Piersanctes, eorumque ope multa inveni, quæ ad ipsorum Sacrorum Ecclesiæ Romanæ Rituum originem spectant. Plurimum vero profuit notitia Conciliorum, Sanctorum Patrum, ceterorumque Ecclesiasticorum Scriptorum, ex quibus non pauca delibavi quæ ad eam rem quammaxime pertinebant. Summo demum mihi fuere adjumento Regnantis Summi Pontificis BENEDICTI XIV. aurea Volumina, in quibus varios obscuriores Pontificiæ Capellæ Ritus profunda eruditione, & facilitate mirabili, ubi se se illi dedit occasio, explicuit, facemque mihi præbuit, ut aliorum originem, & rationem invenirem.

Quantum vero utilitatis sit meum hoc Opus, & nova hæc Cæremonialis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ editio, ingenue fatebuntur, & qui illud diu apud bibliopolas frustra quæsierunt (rarissime enim apud ipsos invenitur, inventumque magno pretio redimi oportebat) & qui illud in sua Bibliotheca retinent; omnes siquidem illius editiones, ac Romana præsertim, summa typographorum oscitantia sæpe lectionem ingerunt insigniter variantem, scatentque mendis interdum fœdissimis, quæ nos, in unum collatis editionibus, diligenter correximus, Codicemque Augustini Patricii, qui Cæremoniale ipsum ordinavit, congruæ restituimus puritati. Fuit Patricius celeberrimus suo tempore Cæremoniarum Magister, operamque suam per plures annos in eo munere apud Pium II. a quo, uti alias dictum fuit, Piccolominei cognomen accepit, aliosque Summos Pontifices, summo studio, ac diligentia, & magna cum laude præstitit, ac demum ob ejus merita Episcopus Pientinus effectus est, de eoque videri possunt quæ scripsit Ughellus in sua Italia Sacra in Episcopis Pientinis. Oratione quidem, ut est Apostolicorum Cæremoniariorum mos usus est, simplici, & nuda, styli blanditias consulto aspernatus, nempe cum res ipsa omnem verborum ornatum respuat, nec commode secus explicari possit, ut scite docet Franciscus Mucantius in Epistola dedicatoria ad Othonem Truchses S. R. E. Cardinalem prefixa Operi Paridis Crassi, quod inscriptum est: *De Cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum in eorum Dioceſibus*.

In Commentariis nostris, quibus Cæremoniale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illustravimus, potissimum usi sumus mss. Diariis laudati Paridis Crassi, quippe qui per plures & ipse annos Julio II. Leoni X. aliisque Pontificibus Maximis sedulo in Cæremoniarii Apostolici munere inservivit, meruitque ob operam suam eisdem fideliter præstitam Episcopatum Pisaurien-sem. Quamobrem mirari non debet humanissimus Lector, si nos in explicandis Pontificiis Ritibus planum, ac simplicem stylum adhibuerimus, contemtis omnino delicatulorum quorundam pseudocriticorum nostri hujus ævi dicteriis, qui perperam Scriptores Cæremoniarum deridٍent, & carpunt, quod vocibus minus Latinis utantur. Fuit nuper, qui Auctorem eximium carpebat, quod Librum hoc Titulo inscripserit: *De Capella Regis &c.* volebat enim inscribi: *De Sacello Regis &c.* At vero carpendi potius, ac ridendi omnino hujusmodi homines, qui vix in Calepino versati, vetera Ecclesiæ monumenta, antiqua Pontificum Diplomata, Conciliorum Canones, & res Ecclesiasticas penitus ignorant. Extat Libro III. Decretalium Titulus XXXVII. qui inscriptus est: *De Capellis Monachorum*, eaque vox *Capella*, unde dicti etiam sunt *Capellani*, passim occurrit in Actis Conciliorum, Summorum Pontificum Constitutionibus, & apud Scriptores rerum liturgicarum passim. Legendus Thomassinus in sua veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina; præ ceteris vero eruditissimus Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario.

Sed

Digitized by Google

Sed hiſce omiſſis, præteriri ad rem noſtram illud non debet, mutatum nempe nonnihil videri hodie ab antiquis ritibus illis, quos ordinavit Patricius in ſuo Cæremoniali, Quod tamen mirum videri non debet, cum idipſum in omnium fere ampliatione variari videamus. Multiplicata ſiquidem, ut verbis utar Paridis Craſſi in citato ſuperius Opere *De Cæremoniis &c.* Cap. 1. in dies devotione, etiam Cæremoniæ multiplicatæ, & ſalva rerum ſubſtantia, reformatæ fuerunt; quæ etiam noſtro quoque tempore, tam pro rei ſacræ reverentia, quam pro Apoſtolicæ Sedis ornamento, ac Sacri Senatus auctoritate, cum ordinum, ac temporum, & locorum omnium ratione penſata, prout cujuſque merito, & uſui, rationique convenit, ornantur, & ſucceſſive mirum in modum ampliantur, non quidem, ut priſcis adverſentur inſtitutis, quia nimirum plura reperiuntur, quæ nobis probanda ſunt, quam quæ repudianda, ſed ut temporibus, ac locis, & actibus in dies emergentibus magis accommodentur. Non itaque cæremoniæ ipſæ, ut arbitrariæ, aut temere confictæ repudiandæ ſunt, verum ut ſacræ, & rerum ſacrarum ſacris uſibus convenientiſſime dicatæ, omni cura ſtudioque reverenter ſuſcipiendæ; quia profecto nos mortale genus præcipue ad propriam Divinæ Majeſtati venerationem tribuendam, ipſamque piis ſupplicationibus excolendam, ac ad honorem hominibus a Deo præelectis impendendum inducunt, Statum etiam utriuſque profeſſionis Principum maxime exornant, rudes inſtruunt, diſcolos compeſcunt, & quicquid Divinitatis, humanitatiſque, & honoris, ac honeſtatis eſt, indicant, & demonſtrant.

Reliquum eſt, ut iterum iterumque Lectorem admoneam, ut quæcumque ſcilicet a me in his Commentariis explicabuntur, non ea quidem ex meo ipſius arbitrio præſumta, nec a me temere effutita, ſed de ipſo vetuſtiorum, recentiorumque Romanæ Eccleſiæ Cæremonialium fonte, deque frequentiſſima Papalium actionum obſervantia excerpta fuiſſe. Verumtamen ſiqua ſorte pro hujus Operis abſolutione ſuperaddenda videbuntur, id, ut libuerit cuique, per me liceat. Non enim cuncta, ut ſcitiſſime idem Craſſus ſubjicit, & univerſa præcepta, quæ vaſtitas hujus ſcientiæ continet, ſed multa me dicturum polliceor. Namque, ſicut periti prodiderunt, in uno homine ſcientia perfecta eſſe non poteſt, nec ars, aut diſciplina ulla ſingulari ingenio conſummari. Quod ſi corrigere potius placuerit, libere quiſque id per me poſſit, dummodo, qui nos correxerit, potius corrector benignus ſit emendando, quam latrator invidus detrahendo. Quod iccirco dixi, quia ſunt hodieque non pauci, qui cum nihil valeant, nihil ſciant, ut docti videantur, & eruditi, alienos Libros lacerant, Auctoribuſque imponunt, quod nunquam illis venit in mentem, ut alios ſileam, qui ſanctioris diſciplinæ cultores, probatoſque illorum Libros a legitimis Magiſtratibus, & Cenſoribus, ſi non labe, certe ſuſpicione Janſeniſtarum infectos appellitare, & etiam ſcribere non erubeſcunt.

Unum adhuc addiderim, quod alias ſuperius innui, ſcripſiſſe me ſcilicet quæ in antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis, & probatis Auctoribus inveni, præſertim vero in mſs. Apoſtolicorum Diariis, ut ex his poſteri in ſimilibus caſibus judicare valeant, quid magis deceat; *quamquam illorum aliqui*, ut verbis utar eruditiſſimi Franciſci Mucantii Apoſtolici Cæremoniarii ſub Pontificatu Gregorii XIII. cujus etiam geſta enarravit, in ſuo ms. Diario, *multa præter rem ſuis ſcriptis admiſcuerint, ſæpe etiam quæ fuerant memoranda tacuerint, nonnunquam plures annos, & integros Pontificatus ſilentio præterierint, aut per eos aride nimis, & ſicco pede pertranſierint; unde ſæpius diverſimode iidem actus celebrati ſunt, cum exempla deficerent, ſeu potius oblivioni tradita eſſent, nec certi quidquam appareret, pugnantibus inter ſe Patrum ſententiis, quod gravitati, Majeſtatique tantæ Sedis parum convenire videtur; quippe conſentaneum eſt, illam tanquam Orbis totius Magiſtram, a qua univerſæ Eccleſiæ exemplum, & normam ſumere debent, uniformem regulam in ſuis Ritibus, & Cæremoniis, conſtanter, quoad ejus fieri poſſit, ſervare, nec hodie improbare id quod olim approbavit, aut contra, niſi cauſa plene cognita, & per Viros peritos, atque auctoritate Apoſtolica delectos mutare diſcuſſa.* Ita Mucantius Apoſtolicarum Cæremoniarum peritiſſimus, & Magiſter, qui etiam ſtatim ſubjicit, quod, *licet ipſi Romani Pontifices pro eorum arbitrio Cæremonias ipſas, quæ præſertim exteriorem cultum reſpiciunt, innovare, vel etiam in totum mutare poſſint, prout aliquando fecerunt: attamen dubitandum non eſt, ea, quæ ſemel conſilio adhibito recte ſtatuta fuere, facilius duratura eſſe, & inconcuſſa fore, ſi ſcriptis firmata erunt, & decenter explicata; eo enim facto diſputationi locus auferetur.*

Atque hæc ſunt, quæ deſcribenda cenſui in propylæo, ut ita loquar, noſtri hujus novi Operis, quod quidem ea fiducia aggreſſus ſum, quod ſperem gratum fore primum Regnanti Summo Pontifici BENEDICTO XIV. Viro omnium ſapientiſſimo, ac de re Litteraria, & præſertim Rituali optime merito, itemque S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Epiſcopis, ceteriſque Sacrarum Cæremoniarum ſtudioſis, tum potiſſimum, quod non pauca in hoc adornando Opere eruerim, quæ in mſs. Codicibus latebant. Ceterum ſi in toto hoc Opere, quid exciderit Catholicæ Fidei minus conſonum, indictum penitus volo, atque ejuro. Sum enim filius Eccleſiæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis obſequentiſſimus, cujus cenſuræ cuncta quæ ſcripſi, ſcribamque inpoſterum, libens ſubjicio.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

PRIMI LIBRI CÆREMONIALIS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ.

De Conclavi, & Electione Papæ. Titulus I. pag. 1.
De Ordinatione, & Consecratione novi Pontificis. Titulus II. 85.
De convivio solemni Pontificis cum Cardinalibus, & Prælatis. Titulus III. 146.
Quæ mutantur, si Coronatio Pontificis fiat extra Urbem. Titulus IV. 161.
De adventu, & Coronatione Electi in Imperatorem Romanum, Titulus V. 165.
De Canonizatione unius Sancti. Titulus VI. 220.
De pluribus Benedictionibus. Titulus VII. 248.
De creatione novorum Cardinalium. Titulus VIII. 290.
De Consistorio publico, ac loco, & ordine Consistorii. Titulus IX. 330.
De provisione Ecclesiarum. Titulus X. 335.
De publicationibus solemnibus. Titulus XI. 346.
Ordo, quomodo Papa equitat in Pontificalibus. Titulus XII. 350.
De receptione Principum. Titulus XIII. 358.
De Concilio Generali. Titulus XIV. 371.
De morte, & exequiis Reverendissimorum Cardinalium, & Papæ. Titulus XV. 386.

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis Cæremoniis Domus Domini, & de cunctis legibus ejus.
Ezechielis Cap. XLIV.

Digitized by Google



SACRARUM CÆREMONIARUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

LIBER I.

DE CONCLAVI ET ELECTIONE PAPÆ

TITULUS I.

De loco Conclavis primum deligendo.

§. I.

Sacras Apoſtolicæ Sedis, Romanique (1) Pontificis Cæremonias, & obſervationes, quibus Summi Pontifices uti conſueverunt, collecturi, congruum arbitramur ab ipſa Romani Antiſtitis electione inchoare: ſi prius locum, in quo electio ipſa celebranda eſt, deſcripſerimus. Et quamvis Romani Pontificis electio ubicumque Pontifex deceſſerit, (2) ex Gregorii X. Clementis V. Decretis, & inſtitutis celebrari debeat; tamen quia frequenter Romæ, ubi (3) plerumque agit, & Auditores cauſarum Pontifice abſente (4) linqui conſuevere, & in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum haberi ſolet, utpote in peculiari, & propria Sede (ita enim hodie appellant, ubi Patres pro electione includuntur) in ipſo Apoſtolico Palatio deſignabimus. Is locus continet Aulas ſuperiores duas, ſive tres, & Sacella duo, & ita undique firmis repagulis, muroque clauditur, ut oſtia nulla, feneſtræ nullæ, niſi altiſſimæ, exitus nullus, introitus tantum unus ſuperſit.

COMMENTARIUS.

I.  N eligendis Eccleſiarum Prælatis, quibus & humana, & divina miniſteria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, teſtantur paſſim & Generalium Conciliorum Decreta, & ſacratiſſimæ, ac repetitæ Summorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones, propterea quod, uti recte docet Pius Papa IV. in ſua Conſtitutione, quam de electione Romani Pontificis anno MDLXII. edidit, a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, Eccleſiaſtica diſciplina, denique animarum eis commiſſarum ſalus proficiſceretur; a malis vero contra, nonniſi mala, nempe avaritia, negligentia, faſtus, & animarum periculum poſſit expectari. Quod ſi in quibuslibet Eccleſiarum Paſtoribus tantopere providendum eſt, nequis aſſumatur indignus, majorem certe, & perſpicaciorem diligentiam in Romano Pontifice Maximo eligendo, qui ceteris Paſtoribus eſt præfuturus, & totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi. Atque hinc plane, ut nempe Summorum Pontificum electiones libere, & recte, & mature fierent, variæ ab ipſis editæ ſunt Conſtitutiones, quas recenſuimus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem 1. Concilii III. Lateranenſis, & Tomo IV. in Commentario ad Canonem II. Concilii II. Lugdunenſis.

II. Præ ceteris autem labente Seculo V. Symmachus in Apoſtolica Sede conſtitutus Pontifex

(1) Ita legitur in prima omnium editione Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1557. in Romana vero anno 1560. legitur, *Præſulis*. (2) In ipſa Romana, *ſecundum Gregorii X. Clementis V. Decreta & ordinationes*. (3) In eadem Romana, *Pontifex plerumque reſidet*. (4) Ibidem, *itinerante*.

Digitized by Google

Maximus, anno quadringenteſimo nonageſimo nono Kalendis Martii Synodum I. Romæ coegit, in qua actum eſt de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis, & de præcludenda Schiſmaticis via. Decretumque primum fuit, ut cujuſvis Ordinis Clerici, qui, Papa incolumi, ſuffragium alicui in proxima futura Romani Pontificis electione polliciti fuiſſent, aut ſacramento ſe in alicujus gratiam obſtrinxiſſent, loci ſui dignitate, & communione privarentur. Decretum alterum fuit, ut poſt obitum Papæ ille Apoſtolicæ Sedis conſecraretur Epiſcopus, qui conſentientibus totius Ordinis Eccleſiaſtici ſuffragiis electus eſſet; vel ſi ſtudia eſſent diverſa, vinceret ſententia plurimorum, ſic tamen ut careret Sacerdotio, qui captus promiſſione, non recto judicio de electione decreviſſet. Decretum eſt tandem, ut ſiquis ad Eccleſiaſticam pertulerit notitiam conſilia eorum, qui contra hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione convicerit, particeps hujuſmodi actionis, non ſolum purgatus ab omni culpa ſit, ſed etiam remuneratione, quæ non indigna ſit, ſublevetur. Porro Decretis his edendis occaſionem dedit ſchiſma Laurentii adverſus electionem Symmachi: duo enim eadem die ordinati fuerant Romani Pontifices, Symmachus quidem in Baſilica Conſtantiniana, Laurentius vero a quibuſdam pecunia corruptis in Baſilica S. Mariæ: *Et a majori quidem parte ordinatus eſt Symmachus unus ex Diaconis; ab aliis vero Laurentius*, inquit Theodorus Lector Lib. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, qui addit, ex duplici illa electione cædes, rapinas, & alia innumera mala perpetrata eſſe. Ceterum memorata Romana Synodus, non a Theodorico Rege, ut habet Theodorus Lector loco laudato, ſed a Symmacho convocata fuit, ut habet Liber Pontificalis, & legitur in principio Actorum Synodi: quam quidem celebratam Kalendis Martii anni CDXCIX. habent vulgatæ editiones, in quibus legitur: *Poſt Conſulatum Paulini V. C. Kalendis Martii in Baſilica Beati Petri Apoſtoli, Synodo Præſidente Beatiſſimo Symmacho &c.* Conſulatus autem Paulini incidit in annum CDXCVIII. ut notat Pagius in Symmachi Vita, Num. IV. ubi etiam ait, Synodo huic Epiſcopos LXXII. interfuiſſe.

III. Tum ante, tum poſt memorata Synodi Romanæ ſub Symmacho Decreta vix ullam rem aliam fuiſſe tot tantiſque mutationibus obnoxiam, quam fuit Romani Pontificis creatio, jam fuſe oſtendimus nos citato Tomo III. Conciliorum in Commentario ad laudatum Canonem I. Concilii III. Lateranenſis, Alexandro Papa III. anno MCLXXIX. celebrati, quo edicitur, ut a ſolis S. R. E. Cardinalibus (quod Nicolaus II. jam ante Alexandrum in ſuo Romano Concilio anni MLIX. Can. I. ſtatuerat, ſed obtinere nequiverat) Romanus Pontifex eligeretur, ita tamen ut ex tribus duæ partes in unum conſpirarent. Alexandri III. ſive Concilii III. Lateranenſis ſanctionem confirmavit poſtea, novoque muniit robore Gregorius Papa X. in Concilio Lugdunenſi II. anni MCCLXXIV. Can. II. ubi occurrens prolixis Romanæ Eccleſiæ vacationibus, gravibuſque diſpendiis, atque periculis celebrem illam Conſtitutionem edidit de ritu in electione Papæ ſervando; de erectione, & clauſura Conclavis eligentium Cardinalium; de interdicta quacumque privata ſive per litteras, ſive per internuncios communicatione; de omnimoda pactionum, conventionum, pollicitationum, juramentorum, quæcumque circa futuram electionem intervenerint, diremtione. Sane obſervat Gloſſa in ipſam Conſtitutionem relatam a Bonifacio Papa VIII. in Capite, *Ubi periculum*, III. *De electione &c.* in Sexto, *illam potius ſumere vigorem ex renovatione Cæleſtini V. & hac approbatione, & conſervatione, quam ex primæva approbatione Gregorii, ex eo quia revocata fuerat per Hadrianum V. & per Joannem XXI. & pro revocata habebatur, nec olim inter Gregorianas legebatur*. Addit mox Gloſſa, non æquum fuiſſe, ut Conſtitutio iſta tam utilis approbatione tanti Concilii edita abſque requiſitione Concilii revocata fuerit, quia, ut habet Regula Juris, *omnis res per quaſcumqae cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Verum recte & illud ſubdit, probatque, potuiſſe ipſam Conſtitutionem licet in Generali Concilio editam, a ſolo Papa revocari: *De plenitudine tamen poteſtatis id facere potuerat, cum ſit Papa ſupra omnia Concilia.*

IV. Porro modum præſcripſit in ea Conſtitutione Gregorius X. Pontifex ad celerem Romani Pontificis electionem faiendam. Multa enim mala ex longa Romanæ Eccleſiæ vacatione accidere ſolebant, ut eadem Conſtitutio non obſcure innuit; idque præcipue contigerat poſt mortem Clementis IV. cum Interpontificium uſque ad memorati Gregorii electionem trium fere fuerit annorum. Cardinales ſiquidem numero XVII. qui Viterbii ubi mortuus & ſepultus eſt Clemens IV. in Curia Romana præſentes erant, in creatione futuri Pontificis diſſentire cœperunt, electioque adeo diſcordiis agitata eſt, ut a die XXIX. Novembris anni MCCLXVIII. quo obiit Clemens IV. protracta quidem fuerit ad diem I. menſis Septembris anni MCCLXXI. quo electus eſt Gregorius X. ejus ſucceſſor. Sæpius ſiquidem congregati Cardinales negotium conficere nulla ratione valuere. Eo enim tempore, ut tradit Panvinius in Adnotatione ad Vitam Gregorii X. a Platina ſcriptam, nequaquam, ut nunc conſuetudo eſt, Cardinales in Conclavi recludebantur, ſed ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ erant, Laterani, vel in Baſilica S. Petri, vel alibi, prout occaſio ſe ſe offerebat; ſin autem extra Urbem, in Eccleſia Cathedrali illius Civitatis, in qua tunc commorabantur, una conveniebant, perinde ac noſtro tempore faciunt, cum congregationem ſunt habituri de Romani Pontificis electione tractantes.

V. Quinam ritus Seculo XI. ſervari ſolitus fuerit in electione ipſa Summi Pontificis, docet jam nos antiquus Ritualis Codex ante annum MCXCII. in Romana Eccleſia uſurpatus, a Cencio Cardinale, & Camerario Eccleſiæ Romanæ, Libro, *De cenſibus*, inſertus, eſtque is Ordo Romanus XII. a Mabillonio una cum aliis editus Tomo II. Muſæi Italici. In ipſo autem Ordine Capite XLVIII. hic ritus præſcribitur: *Mortuo Romano Pontifice, & ſepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur ſecundum antiquam conſuetudinem. Secunda vero die conveniunt in Eccleſia, & Miſſa mortuorum cantata, omnes ſimiliter ſecundum conſuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in Eccleſia congregati, Miſſa Sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione, & perſcrutata omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de*

Digitized by Google

de ipsis, in quem major, & melior pars convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipsum de Pluviali rubro ammantat, & eidem Electo Nomen imponit, ipsumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant usque ad Altare, ubi prostratus adorat, Primicerio cum Schola Cantorum, & Cardinalibus cantantibus, Te Deum laudamus. *Quo finito, ab Episcopis Cardinalibus ad Sedem ducitur post Altare, & in ea, ut dignum est, collocatur. In qua dum sedet electus, recipit omnes Episcopos, & Cardinales, & quos sibi placuerit, ad pedes, postmodum ad osculum pacis.* Hucusque laudatus Ordo.

VI. Nulla in hoc Ordine Conclavis mentio. Gregorius enim Papa X. fuit primus, qui illud sua Constitutione in Generali II. Lugdunensi Concilio edita præscripsit. Usitatum tamen primum Viterbii post Clementis IV. Papæ obitum, cui idem Gregorius in Pontificatu successit, docent nonnulli Auctores ex Diplomate a Cardinalibus ibidem in Conclavi inclusis emisso, quo petebant Henricum Cardinalem Ostiensem inde extrahi. Diploma autem ipsum ex Viterbiensi Archivio editum legere est apud Macrum in Hierolexico, verbo *Conclave*, & apud Oldoinum in nova ad Ciaconium editione, quod etiam, quia breve est, lubet hoc loco describere. *Nos miseratione divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales infirmitati Venerabilis Fratris nostri N.* (Henrici) *Ostiensis & Velletrensis Episcopi, fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Montebono Potestati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbinsi te geris, & communi Viterbien. tenore præsentium sub debito fidelitatis, quo nobis, & Ecclesiæ Romanæ teneminí, districte præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Episcopus juri & voto sibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciaverit coram nobis, quantum ad præsentem vacationem dumtaxat, volens, ut non obstante ejus absentia, sine ipso hac vice libere procedamus ad providendum Romanæ Ecclesiæ de Pastore, ratam habiturus, & gratam electionem, seu provisionem, quam de Romano Pontifice, absque ipso, & ejus requisitione duxerimus faciendam; ac instantia petierit, vobis mandari, ut de Palatio, in quo sumus inclusi, ipsum permitteritis exire, eundem Episcopum de ipso Palatio statim egredi libere permittatis, nec ipsum de cetero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbii in Palatio discooperto Episcopatus Viterbiensis vi. Idus Junii, anno Domini MCCLXX. Apostolica Sede vacante.* Sigilla decem & septem in cera rubra pendentia cum diversorum Sanctorum Imaginibus in Diplomate ipso cernuntur; totidemque in ipso Conclavi fuisse Cardinales, Panvinius, Ciaconius, & alii docent. Fortasse autem, uti autumat Macrus, Sancti illi in sigillis impressi erant Cardinalatus cujusque Tituli secundum morem illius seculi.

VII. Puto autem, labi Auctores, qui ajunt, Viterbii primum cœptum fuisse Conclave, in quo Cardinales inclusi Gregorium Papam X. elegerunt. Longe enim ante, & quidem complures id in aliis Romanorum Pontificum electionibus factum est, teste Glossa in Cap. *Licet, De evitanda*, §. *Nullatenus, De electione &c.* ubi ait, discordantes Cardinales inclusos fuisse in electione Honorii III. Gregorii IX. Cœlestini IV. & Innocentii IV. Certe in Vita Honorii III. scribit Ciaconius, Innocentio III. mortuo, cum res Christiana non solum propter Asiaticum bellum, sed & propter civiles Italicas dissentiones, gravissimis esset expositа periculis, & cum in novo Pontifice eligendo dissentire cœpissent, ne Sedis Apostolicæ vacatio in longum progrederetur, illico Cardinales in Comitio se recluisse, & Summum Pontificem elegisse. Tum vero hæc habet: *Hinc cœptus mos laudabilis fuit inclusionis Cardinalium, ut citius Papam crearent, neque moras necterent, & cibus in dies parcior, & imminutior, fieret stimulus celeriter electionem Pontificis maturandi, ut cavetur in Capite,* Ubi periculum, De electione, *in Sexto.* Electus fuit Honorius ipse Pontifex Maximus Perusii die XVIII. mensis Junii anni MCCXVI. cum cessasset *Papatus per unum diem*, ut scribit Martinus Polonus in suo Chronico, & Bernardus Guido in Speculo historico Romanorum Pontificum, ubi etiam causam tam festinæ electionis perspicue docet fuisse arctam Cardinalium inclusionem: *Vacavit Sedes*, inquit, *per unum tantummodo diem, Perusinis causa electionis Papæ strictissime arctantibus Cardinales.* Idem tradit Blondus Lib. VII. Decade II. ubi ait coactum fuisse in Conclavi Collegium Cardinalium; sed falsum tamen est, cum scribit, cibum eis per singulos dies fuisse imminutum, cum die XVI. Junii, mortuo Innocentio, & die sequenti sepulto, recluси Cardinales die XVIII. ejusdem mensis Papam elegerint.

VIII. Sed ut alia omittam exempla Romanorum Pontificum, qui ante Gregorium X. a Cardinalibus in Conclavi reclusis electi fuere, ita certe electus fuit anno MCCLIV. Alexander IV. Neapoli, ubi ejus Prædecessor Innocentius IV. diem suum extremum clauserat. Testatur id quidem Nicolaus de Curbio in Vita ejusdem Innocentii, Capite ultimo; postquam enim dixit, nuntiata Innocentii morte Guillelmo Cardinali Legato Ariani existenti, hunc Neapolim properasse ad ipsius sepulturam, ita mox subdit: *Ubi cum aliquandiu oravisset, Neapolitani Cives eum cum dolore tamen, & lacrymis ad Domum, ubi Papa decesserat, ubi etiam alios concluserant Cardinales, curialiter deduxerunt.* Flavius Blondus, qui claruit anno MCDXL. Lib. II. Decade VII. ait Cardinales ea conditione Conclave ingressos, ut, omni postposita longiori debito mora, rebus Ecclesiæ, Mamfredi violentia insidiisque periclitaturis, per novi Pontificis creationem providerent, atque Bartolinum Tavernarium Equitem Parmensem, quem Innocentius IV. sororium suum Neapoli Prætorem imposuerat Virum prudentem, honesta vi adhibita, illos, cibo per singulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent, impulisse potius, quam hortatum esse. Sane falsum & illud videtur, quod de imminutione cibi per singulos dies ait Blondus; nam ut inter alios Scriptores notat Pagius in Vita Alexandri IV. Num. II. die tantum x. Decembris anni MCDLIV. recluси Cardinales fuerunt, & die XII. ejusdem mensis novum elegerunt Summum Romanum Pontificem.

IX. Quicquid de ea re sit, certum illud est, antiquiorem esse Viterbiensi Conclavi, Cardinalium reclusionem in electionibus Summorum Pontificum, uti hactenus probatum fuit. Non eo tamen insicias, quin Gregorius Papa X. celebri sua Constitutione in Concilio II. Lugdunensi

Digitized by Google

edita Can. II. inter alia, quæ de electione Papæ statuit, certam formam Conclavis præscripserit. Ante enim ipsum Gregorium licet Cardinales aliquando in memoratis electionibus recludi solerent, nullo id tamen jure cautum fuerat. Imo Glossa, quæ ante Gregorii Constitutionem scripsit, in Capite, *Licet de evitanda, De electione &c.* ubi varia exempla prædictæ reclusionis recenset, expresse ait: *Tamen id de Jure faciendum non est*. Ergo Gregorius X. celebrem sanctionem de electione Romani Pontificis edidit plures continentem leges, quæ processu temporis paululum variatæ, in hanc propemodum formam ex usu redactæ sunt juxta Panvinium in Notis adPlatinam, ubi agit de Vita Gregorii X.

1. Ut novi Pontificis Comitia habeantur loco idoneo, ubi Pontifex præcedens cum sua Curia residens, Causarumque, & Litterarum Apostolicarum Audientiam habens mortuus fuerit. Quod si in Villa, Pago, aut Oppido obierit, & propterea commode ibidem Comitia haberi nequiverint, in Urbe, in cujus Diœcesi Villa, Pagus, vel Oppidum fuerint, habeantur, nisi interdicta sit. Quo casu in proximiori Urbe non interdicta ipsa electio fieri debet. Si vero Audientia alio loco fuerit, tunc non ubi Papa obierit, sed ubi eadem Audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur.

2. Ut mortuo Pontifice Comitia non habeantur, nisi ad minus decem dierum spatio interjecto, quo tempore & Cardinales absentes expectari, & Novendialia demortui Pontificis per Cardinales præsentes celebrari debent.

3. Ut Cardinales omnes quavis ratione a Conclavi absentes, nullum ferendorum suffragiorum jus habere possint.

4. Ut non solum Cardinales absentes, sed & omnes cujusvis ordinis, & conditionis homines in Romanum Pontificem creari possint.

5. Ut finitis Novendialibus, Sacrisque die x. rite Spiritui Sancto factis, omnes Cardinales, qui adsunt, sive absentes venerint, sive non, in Palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto, undique clauso, & optime custodito, quod *Conclave* vocant, concludantur cum duobus tantum, vel si ægritudine laborent, ut nunc consuetudo est, tribus, aut quatuor famulis, qui eis necessaria subministrent in loco Comitiorum. Nec alicui præterea fas sit locum ingredi, vel egredi, nisi infirmitatis causa, certisque quibusdam hominibus, quorum opera in Conclavi existentibus maxime est necessaria. Is porro locus Conclavis nullum intermedium parietem habeat, sed omnes Cardinales in cellulis suis laneis distinctis pannis ipsum inhabitent in communi.

6. Ut locus, & portæ Conclavis diligentissime custodiantur: si Romæ electio habeatur, primum a Prætorianis, deinde a Regulis Romanis, & Oratoribus Principum sacramento prius obstrictis, demum in loco, ostio Conclavis proximiore, ab Episcopis, & Conservatoribus Urbis. Si autem extra Urbem Comitia hæc habeantur, a loci ejusdem Dominis temporalibus eodem juramento fidelitatis obligatis. Quorum munus est Conclave custodire, & diligenter cavere, nequid Conclavi inferatur, seu exportetur, quo minus legitima suffragia ferri possent, atque singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos, & providere, nequid detrimenti patiantur Cardinales, omnibusque ipsorum nutibus præsto esse. Milites vero Prætoriani, ac Reguli Romani Conclave ab omni impressione tutum reddere debeant.

7. Ut Cardinales Conclavi egredi nulla ratione possint, nisi Romano Pontifice creato.

8. Ut Cardinalibus venientibus post ingressum Conclavis, & ante Papæ creationem potestas sit Conclave ingredi, ac cum ceteris suffragia ferre; nullusque Cardinalis quavis occasione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus ab electione ipsa arceri possit.

9. Ut post triduum ingressus Conclavis, nisi Pontifex renunciatus fuerit, Episcopi cum Regulis Romanis, & his, qui Conclavis custodiæ præsunt, maximam in epulis, & cibis, quæ Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis nonnisi ferculum unum inferri permittant.

10. Ut in Comitiis habendis sub anathematis pœna nulli fas sit, aut largitione uti, aut quidpiam polliceri, aut prensare, sive ambiendo, animos Cardinalium sibi in nova creatione devincire. Quo interim tempore Cardinalibus nulli alii negotio vacando jus, potestasque sit, quo electio maturetur.

11. Ut nemo Romanus Pontifex renunciari possit, nisi duarum partium ex tribus Cardinalium in Conclavi præsentium integra suffragia tulerit.

12. Ut mortuo Romano Pontifice omnes Ecclesiastici Magistratus, & officia statim cessent, atque a muneribus suis vacent, præter Pœnitentiarium majorem, minoresque, & Camerarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorum munera etiam mortuo Papa perdurant.

X. Hæc sunt, quæ docet Panvinius ex dicto Capite, *Ubi periculum, De electione &c.* in Sexto, & ex Clementina Constitutione, *Ne Romani*, Titulo eodem. Ex quibus patet, mitigatam esse memoratam Gregorii X. seu Concilii Lugdunensis II. de Conclavi Constitutionem, in qua inter alia statutum fuerat, ut quilibet Cardinalis uno tantum famulo, vel Clerico, vel laico contentus esset, & quibus patens necessitas id suggerebat, duos tantum habere permittebatur. Præterea eadem Constitutione fuerat statutum, ut si electio non fieret intra tres dies ab ingressu Conclavis, per quindecim dies sequentes tam in prandio, quam in cœna Cardinales uno solo ferculo essent contenti. Quibus diebus decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministrarentur eisdem Cardinalibus. Unde ab Hadriano V. qui electus est Papa anno MCCLXXVI. suspensa ea Constitutio fuit, ut testatur Jordanus auctor coævus apud Raynaldum ad ipsum annum, Numero XXVI. *Hic statim post suam creationem Constitutionem Gregorii de restrictione Cardinalium in electione Papæ suspendit, intendens eam aliter ordinare, sed morte præventus non potuit, nec Sacerdos ordinatus est*. Nempe ex Cardinali Diacono Tituli S. Hadriani electus est Papa, & cum nec Presbyter, nec Pontifex consecratus fuisset, supremum diem obiit, *cum sedisset a die suæ creationis usque ad diem obitus, mensem unum, & dies novem*, ut ait Bernardus Guido, & ex eo Pagius in ipsius Vita, Num. II.

XI. Porro quum Hadrianus V. Gregorii X. Constitutionem de Cardinalium in Conclavi reclusione post sepulturam Pontificis verbo tenus, & non scripto suspendisset, idque Cardinalium cœ-

Digitized by Google

cœtus promulgandum censuisset per Archiepiscopum Corinthiensem, hic non solum male habitus est, sed etiam a pluribus Romanæ Ecclesiæ Officialibus vis Purpuratis Patribus illata: ab ipsis etiam Viterbiensibus Sacrum Collegium in duriorem, atque arctiorem custodiam compactum fuit, quod Cardinalium assertioni nulla fides adhiberetur. Hæc Raynaldus eruit quidem ex Diplomate, quo Joannes XX. dictus XXI. Gregorii Constitutionem ad tempus abrogavit, & ex alio, quo Sacrum Tribunal instituit, cui injunxit, ut animadverteret in eos, qui prædicta facinora perpetrarant. Primum Diploma, quo Joannes ipse XXI. Constitutionem a Gregorio X. latam, atque ab Hadriano V. suspensam ad tempus revocavit, data est Viterbii II. Kalendas Octobris anno I. Pontificatus, Christi autem anno MCCLXXVI. ejusque verba hæc sunt: *Suspensionem ipsam ab eodem Prædecessore Hadriano factam fuisse, ut præmittitur, præsentium tenore testamur; ac ipsam nihilominus ratificantes, & ratam haberi volentes, revocatione prædicta* (aliquos enim asseruisse, Hadrianum in lecto ægritudinis decumbentem, suspensionem revocasse prædictam, jam dixerat laudatus Joannes Papa) *non obstante, Constitutionem eandem quoad omnem suum effectum de Fratrum ipsorum consilio decrevimus esse suspensam*. Revocasse Joannem Constitutionem ipsam Gregorii X. consilio Joannis Gajetani, scribit in Chronico suo Ptolomæus Lucensis, sic inquiens: *Hic statim Constitutionem per Gregorium X. de reclusione Cardinalium suspensam per Hadrianum revocavit consilio, ut fertur, Joannis Gajetani, cujus nutu multa faciebat, eo quod principalis auctor fuerat suæ promotionis*.

XII. Quum vero Joannes XXI. aliique duo præsertim Prædecessores Pontifices Innocentius V. qui Gregorio X. successit, eique deinde Hadrianus V. & huic, ut quidam Scriptores contendunt, Vicedominus, ob Pontificatus brevitatem, paucos, vel nullos Cardinales creassent, octo, qui remanserant post Joannis XXI. obitum, elapsis duobus integris mensibus, post varias controversias inter se exortas, quod Galli, & Itali suæ Nationis Pontificem creare contenderent, ac libertas ob solutam Gregorii X. de Conclavi Constitutionem, discordiam augeret, a Viterbiensibus, apud quos Joannes ipse anno MCCLXXVII. die XVI. Maji obiit, tantæ moræ impatientibus, Prætorio Civitatis inclusi, desolato Orbi Patrem dare coacti sunt, ut scribit Raynaldus ex Epistola I. Lib. I. Nicolai III. Pontifex tamen creatus non est, nisi postquam vacasset Sedes menses sex, & dies octo; cum Nicolaus hujus nominis III. electus fuerit die tantum XXV. mensis Novembris memorati anni MCCLXXVII. Ptolomæus Lucensis in suo Chronico scribit quidem, tunc vacasse Ecclesiam *per sex menses, videlicet ab hebdomada Pentecostes usque ad Festum Catharinæ anno MCCLXXVII.* Sed recte notat Pagius in Vita ipsius Nicolai III. neglexisse Ptolomæum eos dies, qui ultra illos sex menses supersunt. Eundem diem Nicolai III. Papæ electioni assignant Jordanus, atque Bernardus Guido apud memoratum Pagium; eamque rem extra dubium ponit ipsemet Nicolaus Pontifex in Litteris encyclicis, quas post suam Coronationem dedit *Romæ apud S. Petrum* XVIII. *Kal. Februarii anno* I. in quibus declarat, se esse electum *in die B. Catharinæ*, quæ occurrit in die XXV. Novembris. Litteras autem ipsas legere est apud Raynaldum ad prædictum annum MCCLXXVII. Num. LVIII. & seq.

XIII. Mortuo Nicolao III. in Castro Suriani septimo a Viterbio lapide die XVII. Augusti anni MCCLXXX. pro electione novi Pontificis Conclave quidem Viterbii coactum est, cujus tamen libertas violata a Viterbiensibus fuit; quippe qui Richardi impulsu, qui Conclavi præerat, in ipsum Conclave irrumpentes, duos Cardinales Nicolai III. propinquos, Matthæum scilicet Tituli S. Mariæ in Porticu, & Jordanum Tituli Sancti Eustachii Diaconos per vim abstractos in vincula conjecerunt, uti ex variis Auctoribus refert Pagius in Vita Martini IV. quem, prædictis Cardinalibus in custodiam datis, reliqui post sex mensium vacationem in una sententiam coeuntes in Festo Cathedræ S. Petri, seu VIII. Kalendas Martii anni MCCLXXXI. in Summum Pontificem elegerunt. Mortuo Martino die XXVIII. mensis Martii anni MCCLXXXV. neglecta penitus fuit in novi Pontificis electione Constitutio Gregorii X. Papæ de Conclavi. Exequiis enim Martini per tres tantum dies celebratis, die I. mensis Aprilis memorati anni MCCLXXXV. Cardinales *libere, nulla inclusionis coactione præambula*, convenerunt de Successoris electione tractari, & *tandem in crastinum scrutinii via electa*, concorditer elegerunt Jacobum Sabellum Cardinalem Diaconum Tituli S. Mariæ in Cosmedin, fuitque Honorius IV. ut ipsemet asserit in Litteris encyclicis de sua electione datis, quæ extant apud Raynaldum ad prædictum annum MCCLXXXV. Numero XVII. & seqq.

XIV. Obiit Honorius die III. Aprilis anni MCCLXXXVII. apud S. Sabinam in Monte Aventino, ubi continuam residentiam fecerat. Cum autem Gregorius X. sua Constitutione edixisset, ut novi Pontificis Comitia haberentur, ubi Pontifex cum sua Curia residens, Cæsarumque, & Litterarum Apostolicarum Audientiam habens, mortuus fuisset, hinc est, quod sacer Cardinalium Senatus in Palatio Pontificio apud eandem Sanctam Sabinam coactus est. Verum cum plures ex Cardinalibus adversa valetudine tentati essent, ac nonnulli morbi gravitati succubuissent ob aeris intemperiem, Mons enim Aventinus magna ex parte noxiis austri flatibus expositus est, ad colligendas puriores auras Cardinales superstites discesserunt, & electionem distulerunt ad tempus magis salubre, ut inter alios tradit Ptolomæus Lucensis; ex quo etiam habemus, vacasse tunc Sedem decem & amplius menses, a die scilicet III. Aprilis, quæ anno MCCLXXXVII. concurrebat cum die Cœnæ Domini, usque ad diem XXII. mensis Februarii anni proxime sequentis MCCLXXXVIII. *Vacavit*, inquit, *tunc Ecclesia a Cœna Domini, quia tunc mortuus est Honorius, usque ad Cathedram S. Petri, in qua electus est Nicolaus*, Pontifex scilicet hujus Nominis IV. Porro sedata hyemis frigoribus epidimia, reversi Cardinales ad locum prædictum, conspirantibus omnium votis, Nicolaum ipsum elegere ibidem, teste laudato Pagio in Nicolai Papæ IV. Vita Numero II.

XV. Refert Raynaldus ad annum MCCLXXXIX. laudati Nicolai IV. Epistolam, in qua revocavit Constitutionem a Gregorio X. editam de inclusione Cardinalium in Conclavi pro electione Romani Pontificis quoad omnium illius capitum ob

Digitized by Google

obſervationem, ac Litteras a Joanne XXI. de ea re Viterbii pridie Kalendas Octobris primo ſui Pontificatus anno exaratas confirmavit, non ſine tamen ſummo publicæ & Chriſtianæ rei detrimento ob diuturnum ab ejus morte Interpontificium, ut idem Raynaldus notat. Verum ut obſervat Pagius in Nicolai IV. Vita, Num. xxi. non tenuis eſt ſuſpicio falſitatis ejus revocationis factæ per ipſum Nicolaum Pontificem, ex lectione trium Diplomatum Cæleſtini Papæ V. ejus immediati ſucceſſoris, extantque apud eundem Raynaldum in Addendis ad Tomum III. in quorum duobus prioribus Cæleſtinus ipſe V. aſſerit quidem, Gregorii X. Conſtitutionem, ab Hadriano V. & a Joanne XXI. fuiſſe ſuſpenſam; in tertio vero eam etiam per eundem Joannem XXI. fuiſſe revocatam, nulla in his omnibus Nicolai IV. revocationis mentione facta, quam certe non ſiluiſſet, ſi re vera Sanctus hic Pontifex eam Conſtitutionem quoad omnium illius capitum obſervationem revocaſſet, ut ſupponit Raynal- ex citata ejus Epiſtola, quam referre ad literam debuiſſet, cum tot alias ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem parum neceſſarias, & quæ paſſim apud alios Scriptores leguntur, retulerit, licet iſtius nec locum, nec tempus, nec motiva ulla repræſentet.

XVI. Certum plane illud eſt, poſt Nicolai IV. obitum, qui contigit die IV. Aprilis anno Chriſti MCCXCII. Cardinalium reclusionem in Conclavi a Gregorio X. præſcriptam ſervatam minime fuiſſe. Poſt diuturnam enim, & pernicioſam Cardinalium diſſenſionem, qua annis duobus, menſibus tribus, & die uno, Romana Sedes vacavit, electus tandem fuit nutu potius Divino, quam eorum voluntate die V. Julii anno MCCXCIV. S. Cæleſtinus V. abſens, & extra Collegium Carpinalium, Eremita quippe erat, ſeu Monachus, de Murrhone cognominatus a Monte Murrhonis, quem ex ſolitudinis, & pacatioris vitæ deſiderio inhabitabat, duobus paſſuum millibus a Sulmone Civitate diſtante. Is Pontifex vel initio ſui Pontificatus arctam de Conclavi cogendo, Sede Apoſtolica vacante, Gregorii X. Conſtitutionem renovavit, Diplomate dato X. Kal. Octobris Aquilæ, ubi conſecratus fuerat die XXIX. Auguſti, quod extat apud memoratum Raynaldum in Addendis ad Tomum III. Cum autem advertiſſet idem Pontifex, vim hujus Edicti eludi poſſe a Cardinalibus, qui Sede vacante ob Nicolai IV. obitum Peruſii exiſtentes Carolum Siciliæ Regem ſacramento adſtrinxerant, ipſum Cardinales non detenturum, ſi Pontifex in Regno Neapolitano obiret, vim illius ſacramenti convulſit, & a Carolo Cardinales eo caſu in Conclave adigendos ſanxit, Diplomate dato *apud S. Germanum XVI. Kal. Novembris*, apud eundem Raynaldum loco citato. Denique Diplomate dato *Neapoli IV. Idus Decembris*, Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem iterum confirmavit, ea adjecta lege, ſive Pontificis obitu, ſive voluntaria abdicatione, ſive quavis alia ratione Sedes vacaret. De hujus legis innovatione a S. Cæleſtino Papa V. facta ita canit Jacobus Gajetanus in ſuo Poemate.

. . . . . *Sed primitus arctam*
Gregorii Legem ſtatuit, qua clauſtra ſubire
Cardineos apices juſſit, Paſtore vacante
Eccleſia. Quando lex illa timenda receſſit
Concilii, ſuſpenſa prius, renovata per iſtum.
Quam licet aſſiduo laudent vulgaria plauſu,
Certa tamen rerum docet experientia, grandes
Vrgenteſque metus, infandaque crimina, nondũ
Antiquis congeſta malis, incumbere ſponſæ.
Heu dolor, heu lacrymæ! patimur ſine murmure ſævum
Quid loquimur vulnus, vulnus miſerabile vulnus.

Verum hæc ſcripſit Jacobus Cardinalis animo exulcerato propter illius Conſtitutionis renovationem. Nam alias non incluſis, ut mos poſtea tulit, in Conclavi Cardinalibus, diuturna Interpontificia magno Eccleſiaſticæ rei detrimento conſequuta, experientia compertum eſt, uti ſcite notat idem Pagius in Vita S. Cæleſtini Papæ V. Numero XI.

XVII. Quod olim ſtatuit Gregorius X. de incluſione Cardinalium in Conclavi poſt dies X. a morte Pontificis, & quod edixit S. Cæleſtinus V. ut ſive Pontificis obitu, ſive quavis alia ratione Sedes Apoſtolica vacaret, locum ipſa Conſtitutio haberet, obſervari profecto cœptum eſt in electione Bonifacii Papæ VIII. Poſt abdicatum ſiquidem a laudato Cæleſtino die XIII. Decembris anni MCCXCIV. Pontificatum, quem menſibus V. & diebus VIII. tenuit, Cardinales Neapoli, ubi ea abdicatio facta eſt, *die Jovis, X. Kal. Januarii*, ſeu die XXIII. ejuſdem Decembris ſe in Conclavi *apud Caſtrum novum Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem Frater Petrus*, ſeu Cæleſtinus V. *cum ſua reſidebat familia, incluſerunt*, ut de electione novi Romani Pontificis tractarent, inquit Bonifacius ipſe VIII. in Litteris encyclicis, quas ſcripſit de ſua Promotione, extantque apud Raynaldum ad annum MCCXCV. Num. VIII. Tum itaque, ideſt in electione Bonifacii VIII. uti notat Pagius in ejuſdem Bonifacii Vita, Num. I. non vero, ut inquit Papebrochius in ſuo Conatu, in electione Benedicti Papæ XI. ejus Succeſſoris obſervari cœpta eſt Lex Gregorii X. de Novendio interponendo inter Pontificis prioris mortem, & conventionem ad Conclave pro Succeſſoris electione. Id diſertis verbis confirmat Jacobus Cardinalis Stefaneſcus Cæleſtino V. & Bonifacio VIII. coævus, & familiaris in Papatu Lib. I. de electione & coronatione Bonifacii VIII. Summi Pontificis, Cap. I. ſic inquiens.

Jam veneranda Ducum, Cleri ſtipata catervis
Turba novum lectura Patrem convenerat aulã
Regis, & excuſſo bis quino lumine Phœbi
Lege dato, Proceres obductis marmore valvis
Carcere clauduntur.

XVIII. Laudatam toties Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem novo haud dubie muniit robore Bonifacius Papa VIII. ubi eam in Sextum Decretalium retulit Lib. I. Titulo V. Capite III. Atque hinc eſt, quod eo e vivis erepto die XI. menſis Octobris anni MCCCIII. Cardinales Novendialibus primum expletis, Sacriſque die X. nempe XXI. ejuſdem menſis rite Spiritui Sancto factis, juxta Conſtitutionem ipſam Gregorii X. Romæ in Palatio Vaticano, in quo Bonifacius obierat, Conclave ingreſſi ſunt, in eoque poſtridie, ſcilicet XXII. ejuſdem menſis Nicolaum Bocaſinum Ordinis Prædicatorum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, Tarviſii in Lombardia natum in Summum Romanum Pontificem elegerunt, *unico facto, ac publicato ſcrutinio*, ut ipſemet Pontifex Benedictus XI. appellatus aſ-

Digitized by Google

afferit in Litteris encyclicis de ſua promotione datis Kalendis Novembris poſt ſuam Coronationem, quæ, ut legitur in ms. Codice apud Papebrochium, facta eſt Dominica proxima ſequenti, nempe die XXVII. Octobris. Servatam quoque fuiſſe eandem de Conclavi Conſtitutionem in electione Clementis V. in ejuſdem Vita Pagius docet, & ante eum varii Scriptores. Benedicto enim XI. die V. Julii anni MCCCIV. Perufii mortuo, dieque X. Miſſa de Spiritu Sancto dicta, Cardinales in Conclavi ſe recluſerunt ad Succeſſorem ei ſufficiendum, ſuffectuſque eſt Nonis Junii anni MCCCV. abſens extra Collegium Cardinalium Bertrandus de Gotgo Archiepiſcopus Burdigalenſis, qui fuit Clemens V.

XIX. Is Pontifex jam non modo Comitiorum Pontificalium Conſtitutionem a Gregorio Papa X. editam confirmavit, & quidem in Generali Concilio Viennenſi, ſed & nonnulla addidit, ſeu ſupplevit, quæ legi poſſunt in ejuſdem Clementinis Lib. I. Titulo III. *De electione &c.* Cap. II. ubi inter alia ſtatuit, Cardinales per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, ab electione non repelli: *Ceterum, ut circa electionem prædictam eo magis vitentur diſſenſiones & ſchiſmata, quo minus eligentibus aderit diſſidendi facultas, decernimus, ut nullus Cardinalium cujuslibet excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti prætextu, a dicta valeat electione repelli: juribus aliis circa electionem eandem hactenus editis plene in ſuo robore duraturis.* Obiit Clemens V. anno MCCCXIV. ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis, XII. *Kal. Maji in quodam Caſtro Regis Franciæ, quod dicitur Rochamaura.* Cum vero Conſtitutione Gregorii Papæ X. ab ipſo Clemente confirmata cautum eſſet, ut Cardinales ad eligendum Romanum Pontificem Comitia haberent ubi Papa cum ſua Curia reſidens, cauſarumque, & Litterarum Apoſtolicarum Audientiam habens mortuus fuerit; defuncto Clemente apud Roccam mauram, Carpentoractę convenerunt, quia ſcilicet tunc Curia ea in Civitate reſidebat.

XX. Teſtatur id quidem Bernardus Guido in Chronico Romanorum Pontificum; ſed tamen Conclave ibidem coactum, diſſolutum fuit, quod nempe Cardinales Vaſcones non valentes eligere Papam Vaſconem, & multa præterea in ea incluſione incommoda patientes, eo quod cibaria eis ſubtraherentur, & domus eorum diſſiparentur, poſt trium circiter menſium incluſionem hæc non ferentes, die XXIV. Julii, ut ſcribunt Cardinales Italici in Epiſtola encyclica de incendio Urbis Carpentoractis, Valentiæ die VIII. Septembris data apud Baluzium Tomo II. Pag. 286. ignem in Palatio Carpentoractenſi, ubi conſtitutum fuerat Conclave, poſuerunt, quo incenſa eſt magna pars Civitatis, ſicque ad diverſa loca diſperſi ſunt; tandemque anno Chriſti MCCCXVI. poſt multas diſſenſiones, Conclavi in Lugdunenſi Civitate coacto, ibidem die VII. Auguſti, concorditer, & unanimiter Jacobum de Oſſa, ſeu potius de Euſa in Romanum Pontificem elegerunt, qui dictus eſt Joannes XXII. uti videre eſt apud ejuſdem Pontificis Vitæ Scriptores. Porro poſt Joannis obitum, qui contigit die IV. Decembris anni MCCCXXXIV. celebratis de more Novendialibus, Cardinales numero XXIV. Idibus Decembris a Comite Novalio Roberti Siciliæ Regis Seneſcallo, hoc eſt, Præfecto Provinciæ, in Palatio Avenionenſi, in quo Joannes deceſſerat, incluſi, Jacobum Furnerium Cardinalem Tituli S. Priſcæ die XX. Decembris anni ejuſdem MCCCXXXIV. Romanum Pontificem renunciarunt, fuitque is Benedictus XII. Atque hæc conſtant ex tertia hujus Pontificis Vita apud Baluzium, & apud Villanium, Lib. XI. Cap. XXI. errantque Bzovius, Ciaconius, & Spondanus, qui eum electum ſcribunt in Cœnobio Dominicanorum, ex eo decepti, quod in ipſo Cœnobio coronatus fuerit, uti notat Pagius in ejuſdem Pontificis Vita.

XXI. Diem ſuum clauſit extremum Benedictus Avenione die XXV. Aprilis anni MCCCXLII. celebratiſque de more Novendialibus, ibidem, ubi mortuus eſt, Conclavi coacto, die V. Maji Cardinales in eo recluſi, die VII. ejuſdem menbs ante Vigiliam Aſcenſionis concordia mirabili Petrum Rogerium Presbyterum S. R. E. Cardinalem SS. Nerei & Achillei Titulo Faſciolæ in Summum Pontificem elegerunt, qui Nomen ſibi Clementis VI. aſſumſit. Hic Pontifex Gregorii X. Conſtitutionem aliquantum laxavit, nova edita Conſtitutione, quam infra hoc Titulo legere eſt in §. XIII. quamque nos in ejuſdem Commentario fuſe enarrabimus. Ceterum licet obeunte Romæ Pontifice, *in Apoſtolico Palatio*, ut ait noſter §. Conclave ſit conſtruendum, conſtat nihilominus, tum Eugenium Papam IV. anno Chriſti MCDXXXI. tum ejus Succeſſorem Nicolaum V. anno MCDXLVII. electos fuiſſe in Conclavi, quod paratum fuerat Romæ in Cœnobio Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum, uti videre eſt apud Ciaconium, & apud alios paſſim Scriptores, qui Vitas laudatorum Pontificum narrant. Extantque hodie electiones ipſæ pictura expreſſæ ſupra interiorem Sacrarii portam ejuſdem Cœnobii cum hujuſmodi inſcriptione.

MEMORIÆ CREATIONIS HIC HABITÆ
SUMMORUM PONTIFICUM
EUGENII IV. ET NICOLAI V.

Porro quod electionem Eugenii IV. Papæ ſpectat, rem ita narrat in ejus Vita Ciaconius: *Miſſa Spiritus Sancti ab Epiſcopo Albano cantata, Cardinales XIV. qui tunc in Urbe erant, Conclave ingreſſi ſunt paratum in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum. Fuit ſepta platea ſuper Minervam uſque ad plateam Rotundæ.* Præter Ciaconium etiam Spondanus, aliique ajunt, electum fuiſſe Eugenium a XIV. Cardinalibus, ſed, ut notat Oldoinus ad ipſum Ciaconium, rectius tradit Panvinius, renunciatum fuiſſe Eugenium Romanum Pontificem a tredecim Cardinalibus. Ciaconius enim inter alios Cardinales Electores recenſebat Fr. Angelum de Anna Epiſcopum Cardinalem Prænestinum, qui tamen duobus fere annis ante jam e vivis exceſſerat, ut idem Oldoinus in Vita ejuſdem Cardinalis refert.

XXII. Sed hoc obiter notato, anno ipſo MCDXLVII. quo obiit Eugenius IV. *decima poſt ejus obitum die, quæ fuit Sabbati, quarta Martii, Cardinales duodeviginti*, ut docet doctiſſimus Georgius in Vita Nicolai V. *a Vaticana Baſilica in Ædes Fratrum Ordinis Prædicatorum ad S. Mariæ ſupra Minervam Sacra Comitia celebraturi proceſſerunt*; ibique paulo poſt elegerunt in Summum Pontificem Thomam de Sarzana Oppido Lunenſis agri exiguis parentibus na-

Digitized by Google

natum ab Eugenio IV. Cardinalem creatum Tituli S. Suſannæ Virum doctrina & omni ferme ſcientiarum, ac Chriſtianarum virtutum genere inſignem, qui Nomen Nicolai V. ſuſcepit ob memoriam præclariſſimi S. R. E. Cardinalis Tituli S. Crucis Nicolai Albergati, cujus acta ac geſta egregia in lucem edidit amicus noſter præſtantiſſimus Conſtantinus Rugerius Bibliothecæ Imperiali Præfectus; fuerat enim Nicolaus V. dum eſſet adoleſcens inter Albergati domeſticos, a quo etiam prædictionem aliquando Pontificatus Summi acceperat, ut docet Spondanus ad annum MCDXLVII. Num. II, aliique varii ejus Vitæ Scriptores.

XXIII. Ceterum cum ex variis Apoſtolicis Romanorum Pontificum Decretis, ut ſupra in hoc Commentario oſtendimus, ubi Pontifex Romanus moritur, ibi Comitia fieri debeant, ſiquis forte ſciſcitetur, cur Cardinales in electione Eugenii IV. & Nicolai V. creatione Minervitanum Cœnobium Ordinis Prædicatorum elegerint; id plane ex Ænea Sylvio, qui fuit poſtea Pius Papa II. in Oratione ad Fridericum III. diſcimus: *Quia nimirum*, ut ex memorato Auctore laudatus Georgius docet in ipſius Nicolai V. Vita, anno Domini MCDXLVII. Num. II. *tunc Vaticanæ Pontificum Ædes minus tutæ ob Procerum Romanorum, plebiſque motus videbantur. Itaque ab eorum inſidiis Cardinales cavendum rati, nequa vis fieret, & nequa ideo ſuſpicio ob ſchiſmaticorum proterviam de legitima electione ſuboriretur, alio Comitia celebranda, tutioremque locum deligendum curarunt. Comitium ingreſſi, in illud ſtatim incluſi ſunt, ac oſtium primum quatuor Antiſtitibus cuſtodiendum traditum, oſtium ſecundum Oratoribus Regum, inter quos erat ipſemet Æneas Sylvius, tum Friderici Cæſaris Ablegatus, ut ipſe tradit.* Scite mox illud idem Georgius ſubdit, id mirum quidem non eſſe, nam mos erat, uti nos inferius dicemus ex noſtro hoc Cæremoniali, & aliis veteribus monumentis, ut oſtii ſecundi cuſtodia Oratoribus Principum demandaretur.

XXIV. Reliquum eſt, ut ea enarremus, quæ de Conclavi noſter hic primus §. docet in fine: *Is locus*, inquit, *continet Aulas ſuperiores duas, ſive tres, & Sacella duo, & ita undique firmis repagulis, muroque clauditur, ut oſtia nulla, feneſtræ nullæ, niſi altiſſimæ, exitus nullus, introitus tantum unus ſuperſit*. Certe Gregorius X. in ſua Conſtitutione, quam de Conclavi edidit Canone II. Concilii II. Œcumenici Lugdunenſis, inter alia edixit, ita illud claudendum *undique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire*; itemque, ut *nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecrete loquendi cum eis &c.* Antiquum morem clauſuræ ipſius Conclavis diſerte enarrat in Ordine XV. Romano, Cap. CXLIX. Petrus Amelius, ubi inter alia edicit, ut *caveat bene Camerarius, quod portæ murentur, & omnes feneſtræ, quæ ſunt baſſæ prope terram, vel ſolarium ad minus ad quatuor cannas, & omnia foramina quæcumque parva, vel modica expenſis Cameræ*. De Sacellis in Conclavi juxta §. noſtri præſcriptum erigendis teſtis eſt idem Amelius, qui tamen citato loco longe antequam noſtrum hoc Cæremoniale ordinaretur ab Auguſtino Patricio, ita de unius Sacelli, ſeu Capellæ, meminit, inquiens: *Item ſit una Capella, cujus portæ & feneſtræ omnes ſint clauſæ de bono muro, demta porta, quæ itur ad Conclave, & feneſtris, quæ intra Conclave reſpiciunt, quæ apertæ remaneant.*

XXV. Pergit Amelius, aliaque de ipſa Capella recenſet, quæ hic deſcribere operæ pretium duximus: *In hac Capella*, inquit, *omni die Cardinales Miſſam debent audire omnes inſimul, non tamen cantando, ſed baſſe. Item ſi non ſit Capella, quæ Conclave contingat, fiat infra Conclave in aliquo angulo, vel pro Conclavi unum Altare portatile, & ibi audiunt omni die Miſſam; & in eadem Capella poſſunt convenire ad eligendum, & faciendum Concilium, vel ubi placebit eis melius.* Tum etiam mox: *Item in dicta Capella ſemper debet eſſe Corpus Chriſti cum candela accenſa ad omnem eventum, quam ſolvit Camera, & omnes alias, candelas ſcilicet cereas, quæ in dictis Miſſis conſumuntur ibidem Sede vacante.* Sed nec omittendum quod deinde inferius tradit de ipſa Capella, & Clerico eidem inſerviente, ſic inquiens: *In Conclavi autem unus Clericus audientiæ, qui ſervit Capellæ, in Capella dicens Epiſtolas, intret, & ſcribat omnia, quæ fiunt de die in diem, & ordinet omni die de Miſſa dicenda coram Cardinalibus, & teneat unam lampadem accenſam in Capella, & aliam in medio Conclavis, & cuſtodiat paramenta, Calicem, Librum, & Chlamidem S. Petri cum Mitra Conſiſtoriali.*

XXVI. Porro in Palatio Vaticano, ubi ex antiquo more Conclave conſtrui ſolet, duo extant Sacella, quorum alterum Sixtinum a Sixto Papa IV. qui illud conſtrui fecit, dictum eſt, alterum vero Paulinum, *quod olim Nicolai Papæ, nunc Paulinum a Paulo Papa III. qui illud inſtauravit, vocant*, ut inquit Apoſtolicus Cæremoniarius Franciſcus Mucantius in ſuo ms. Diario, ubi enarrat geſta Gregorii Papæ XIII. qui S. Pio Papæ V. ſucceſſit anno MDLXXII. Sacellorum Sixtini, & Paulini meminit in Diario ſuo ms. Joannes Paulus Mucantius enarrans acta Sedis vacantis poſt obitum Sixti V. aitque, Cardinalem Geſualdum ſupplentem vices Cardinalis S. Georgii Decani adhuc convaleſcentis, & debilis propter infirmitatem, *in dicto Sacello Paulino celebraviſſe Miſſam lectam de Spiritu Sancto, in qua Communionem præbuit omnibus Cardinalibus; fere*, inquit, *nam hac die*, VIII. ſcilicet Septembris, *nonnulli Cardinales Presbyteri devotionis cauſa Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis celebraverunt in Sacello Sixti IV. in quo ultra Altare ſolitum quatuor alia Altaria ad commoditatem, & uſum Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, & Conclaviſtarum celebrare volentium erecta fuerunt.* Addit deinde, majorem Cardinalium partem e manibus Cardinalis prædicti celebrantis Communionem ſumſiſſe, Presbyteros *cum Croceis, & Stola deſuper a collo pendente*; Diaconos vero *cum Stola a collo pendente, ſed ſuper humerum ſiniſtrum more Diaconali*. Sed de his dicemus fuſius infra opportuniori loco. De ipſa autem Capella Paulina, ita dicta, quod, uti jam notavimus, Paulus Papa III. eam inſtauravit, fuſe diſſerit inter alios eruditus Auguſtinus Taja Senenſis in Opere ſuo poſthumo Italico idiomate ſcripto, cui Titulus Latinitate donatus, eſt, *Deſcriptio Palatii Apoſtolici Vaticani*, pag. 66. & pluribus ſeqq. editumque eſt Opus ipſum Romæ hoc anno MDCCL. penes Palearinos.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Descriptio Romani Conclavis.

Dum igitur Pontifici defuncto justa peraguntur, Camerarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & qui (1) Apostolicæ Cameræ præsunt, curam instruendi, ornandique locum (2) Conclavis diligenter gerant: ad quem adscensum, aditumque unum tantum dimittant, qua ad S. Petrum per januam in principio primæ Aulæ meridiem versus descenditur. In ipsa prima Aula, quæ Regia appellatur, eo quod ibi publica Consistoria pro Regibus, Regiisque Legatis suscipiendis celebrari solent, fenestræ, portæque omnes muro, calceque (3) firmentur, præter illas, quibus ad Sacella, & ad secundam Aulam itur. Porta prima in principio Aulæ ferreis vectibus, & seris (4) quatuor muniatur. In medio porticulum habeat, quo esculenta, & poculenta clausis Patribus (5) ministrentur. In angulo ad sinistram intranti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullum exitum, nullamque habeant fenestram: in ea sedulo ardeant lampades, ibique Cæremoniarum Ministri dormiant. In Sacello, sive Capella minori ad dexteram, quæ (6) Divo Nicolao dicata est, conveniant Patres ad Divina peragenda, & ad electionem celebrandam. In majori Capella ad sinistram parentur cellulæ pro Patribus tot quot sunt numero Cardinales electioni interfuturi. In capite hujus Capellæ ad (7) sinistram intranti Cameræ sunt, in quibus Sacrista Palatii Apostolici habitat: harum prima pars, quæ latrinas habet, pro Conclavi reservetur; cetera omnia muro claudantur, itaut tenebrosa fiat pars illa; & ideo, ut de prima camerula diximus, lampadibus accensis continue illustretur. Cellulæ in ipsa Capella majori hinc inde constituantur non muro, aut materia distinctæ, sed cortinis lineis, aut laneis tenuioribus separatæ. Eriguntur namque ipsæ cellulæ (8) lignis quaternis a superiori parte, a quibus cortinæ dependent, firmanturque ipsa tigna aliis tignis transversis itaut locus non maculetur; & inter cellulam, & cellulam spatium dimittitur palmi, vel circa. Famuli Cardinalium, ut primum distributio cellularum facta est, illas ornare properent, quæ per literas alphabeti signantur. Inde non ordine, sed sorte Patribus distribuantur pridie, quam ingrediantur Conclave; ut cortinis, lectis, & opportuna supellectile in tempore possint ornari. Locus ipse Conclavis ita undique claudendus, ac muniendus est, ut aditum nullum, nisi unum tantum, ut diximus, (9) habeat, nemoque inclusos alloqui, videre, seu quippiam ad eos clam mittere queat. Sed advertendum est maxime, ne supra, aut infra, sive a lateribus habitationum Conclavis ire, stare, habitare quispiam possit, ne voce, signo, sono, aut aliquo alio ingenio perscrutari quæ intus fiunt (10) valeat.

COMMENTARIUS.

I. PLura sunt, quæ in hoc §. statuuntur, ac primo quidem, ut *dum Pontifici defuncto justa peraguntur, Camerarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & qui Apostolicæ Cameræ præsunt, curam instruendi, ornandique locum Conclavis diligenter gerant*. Camerarius antiqua Dignitas est in Palatiis Regum, cui Cameræ Regiæ, idest, Thesauri, seu Cimeliorum Regis cura incumbebat. Ejus apud Galliæ Reges munus sic describit Hincmarus Remensis de ordine Palatii, Cap. XXII. *De honestate vero Palatii, seu specialiter ornamento regali, necnon & de donis annuis militum, absque cibo, & potu, vel equis, ad Reginam præcipue, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat; & secundum cujusque rei qualitatem, ipsorum solicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, nequid, dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum legationum, ad Camerarium respiciebat, nisi forte jubente jubente Rege tale aliquid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret*. Meminit ejus officii jam longe ante Hincmarum Gregorius Turonensis Lib. IV. *Historiæ Francorum*, Cap. XXVI. ubi loquens de Hariberto Rege, qui Hemerium a Leontio Episcopatu dejectum restituit, sic inter alia inquit: *Et statim directis V.ris Religiosis, Episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis a Leontio Episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent Episcopos*. Hinc patet, apud Francos non unicum fuisse in Palatio Camerarium, sed plures, nisi illi fuerint Camerarii Provinciarum, quos etiam Franci Nuncios Cameræ appellabant, uti pluribus docet Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario.

(1) Ita in editione Romana hujus Cæremonialis anni 1560. in Veneta vero anni 1516. & Colonienſi anni 1557. deest, *Apostolicæ*. (2) Ita quoque in dicta Romana editione, deest tamen in aliis citatis. (3) Ita in Veneta, & Colonienſi, in Romana legitur, *ac cemento*. (4) In Romana legitur, *& clausuris*. (5) Ibidem, *subministrentur*. (6) Ibidem ita legitur: *quæ Paulina appellata est*. (7) Ibidem legitur, *ad dexteram*. (8) Ibid. *lignis*. (9) Ibidem legitur, *habere possit*. (10) *valeat* deest in editione Romana.

Digitized by Google

II. Fuerunt & olim in Regno Siculo, & Neapolitano Camerarii Provinciarum, qui Fiscalium reddituum curam habebant, qui in Cameram, seu Fiscum inferebantur. Hinc legere est apud Hugonem Falcandum *Camerarios Calabriæ, Apuliæ, &c.* testisque est Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in Chronicis suis ad annum MCXLIII. quod *Rex Rogerius in Regno suo perfectæ pacis tranquillitate potitus, pro conservanda pace Camerarios, & Justitiarios per totam Terram instituit*. Teste eodem Falcando, *inde redemtionis onus importabile, quæ totam Apuliam, Terramque laboris ultima jam desperatione concusserat, omnino censuit amovendum; scripsitque Magistris Camerariis, ut a nemine deinceps quicquam nomine redemtionis exigerent*. Meminit & Petrus Diaconus Lib. IV. Cap. CIV. *Canzolini Capuani Principatus Camerarii*; viderique præterea possunt Constitutiones Siculæ, Lib. I. Titulo XVII. XXXVI. XLI. & aliis sequentibus, itemque Historia Longobardorum Camilli Peregrini, pag. 254. ubi plura de Officio Camerarii, seu Magistri Camerarii tradit. Porro, ut idem Dufresne adnotavit, Camerarii ejusmodi iidem videntur, qui sub secunda Regum Francorum Stirpe *Nuntii Cameræ* appellabantur, quibus Provinciarum, & Urbium, quæ ad Fiscum Regium, *Cameram* dictum proprie spectabant, cura demandabatur, erantque veluti Procuratores Fisci in iis Provinciis, & Urbibus, eorumque cum Ducibus æquata habebatur potestas: sic appellati, quod a Camera Regia, seu Camerario Regio in Provincias mitterentur, essentque quasi *Missi Cameræ*.

III. Rursus fuit antiquitus Camerarii dignitas non modo in Ecclesiis Cathedralibus, uti nos docent Statuta Ecclesiæ Londinensis in Monastico Anglicano Tomo III. pag. 340. sed officium quoque Monasticum fuit, cujus meminit eruditus Altaserra Lib. IX. *Originum rei Monasticæ*, Cap. X. Describitur autem officium ipsum in Libro Ordinis S. Victoris Parisiensis, Cap. X. his verbis: *Ad officium Camerarii pertinent omnes census, & reditus Monasterii, sive de villis, sive de terris, sive de molendinis, sive de aliis rebus quibuslibet, ut ipse eos tempore statuto & perquirat, & recipiat. Horrea etiam, & aratra, & terræ arabiles, & ceteræ culturæ Monasterii, necnon & pecora, & omnes nutrituræ communes ad ejus curam spectant, ut ipse provideat, quæ in his omnibus instaurandis, & exercendis, sive conservandis necessaria sunt &c.* Teste Lanfranco in Decretis pro Ordine S. Benedicti, cujus verba affert in citato Glossario landatus Dufresne, *Camerarii est, procurare omnia vestimenta, & calceamenta, & lectos, & stramenta lectorum &c.* His adde Statuta antiqua Abbatiæ Corbejensis Lib. II. Cap. I. antiqua Statuta Cluniacensium, in quibus Hugo Abbas inter alia statuit, *ut unaquæque Provincia unum, aut duos habeat Provisores, quos Camerarios appellamus*. Nec omittenda sunt quæ de iisdem Camerariis habent Udalricus in Consuetudinibus Cluniacensibus, Lib. III. Cap. XI. Eckehardus junior de casibus S. Galli, Cap. V. Petrus Venerabilis Lib. II. *De miraculis*, Cap. XXV. Monasticum Anglicanum Tomo I. pag. 148. Browerus in Annalibus Fuldensibus, Lib. I. Cap. XI. & alii, qui etiam & Subcamerarii mentionem faciunt, cui scilicet in Monasteriis Camerarii, eo absente, fungi munere incumbebat, ut & custodia cellarii, granarii, & horrei, & stabuli, atque illi observire, ut est in Libro Ordinis S. Victoris Parisiensis, Cap. X.

IV. Quod Camerarium Apostolicum spectat, seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de quo loquitur nostrum Cæremoniale, ille dicitur, qui pecuniarum, & thesauri Ecclesiæ Romanæ curam gerit. Id officii institutum fuisse sub S. Gregorio VII. qui anno Christi MLXXIII. Summus Pontifex renunciatus fuit, Archidiaconi extincto nomine, tradit eruditissimus Panvinius, aliique Auctores, quos citat, ac sequitur Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. XXXIX. Committi consueviſſe vel olim Camerarii munus in Romana Ecclesia Cardinali, addiscere plane licet ex Epistola Decretali Innocentii Papæ III. relata in Capite, *Ad audientiam* XIII. *De præscriptionibus*, ubi ita inquit: *Considerantes etiam Librum Censualem, quem non suspectum habuimus, licet non in nostra, sed in Cardinalis Sancti Hadriani Camera sit inventus, qui eum quando Camerarius fuerat, de Camera Beati Petri suscepit*. Inter S. R. E. Camerarios celebris extat memoria Cencii Sabelli, qui uti ex ejus Actis apud Ciaconium, & aliis Scriptoribus constat, munere Camerarii S. R. E. functus sub Cælestino Papa III. ab eodem Diaconus Cardinalis Titulo S. Luciæ in Silice creatus est, ac deinde ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli Titulo Pammachii; defuncto autem Innocentio, eidem in Pontificatu successit anno MCCXVI. dictusque est Honorius III. de quo ita scribit in suo Chronico Abbas Urspergensis: *Successit Honorius III. qui prius fuerat Cencius nominatus, fueratque Camerarius Cardinalium, & pecunias ipsis collatas inter eos fideliter, & provide distribuebat*. Hic porro ob egregiam in Camerarii officio navatam operam appellatus jam passim a Scriptoribus fuit Cencius Camerarius, qui etiam, ut post Panvinium testatur Baronius ad annum MCXCII. rebus temporalibus Romanæ Ecclesiæ consulturus, aggressus est opus valde utile, & census, qui tunc Romanæ Ecclesiæ a diversis persolvebantur, cum singulorum publicis instrumentis in unum corpus redegit, quod Liber Censuum inscribitur; ac Librum quoque Ritualem, seu Cæremonialem descripsit, *in quo*, ut ait Panvinius, *sanctæ illius, & venerandæ vetustatis puritas, & sinceritas, atque Romanæ Ecclesiæ in tractandis Sacris, & re divina celebranda, summa cura, & observantia inspicitur*. Atque hunc Librum una cum aliis Romanæ Ecclesiæ Ritualibus inseruit doctissimus Mabillonius Tomo II. Musei Italici, estque Ordo Romanus XII.

V. His obiter notatis, post extinctam alias magnæ potestatis dignitatem Cardinalis Archidiaconi, cum Papa occupatus in cognitione causarum Consistorialium, ac etiam aliarum, quas in Capella cum Capellanis cognoscebat, vacare non posset administrationi ejus Cameræ, seu Fisci, & cognitioni causarum Fiscalium, quam cum aliquibus Clericis habere solebat: hinc, uti post alios notat Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Discursu XI. ejusdem Cameræ administrationem, seu præsidentiam una cum dictis Clericis commisit Cardinali, qui Camerarius proinde appellari consuevit. Verum paulatim iste Officialis juxta rerum, ac temporum contingentias ob Papæ commissiones antiquam

Digitized by Google

tiquam Archidiaconi potestatem pene in omnibus reassumsit, præsertim circa temporale regimen immediatum Urbis, atque Districtus; ac etiam circa mediatum regimen Ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici in causis appellationum, vel recursuum: quinimo ejus auctoritatem extendere cœpit etiam in cognitione causarum profanarum Fori Ecclesiastici in gradu appellationis, vel recursus ab Ordinariis Locorum, & a Metropolitanis, quas Papa in Consistorio, vel respective in sua Capella, cognoscere nolebat, utpote leviores, vel criminales, in quibus ipse Camerarius speciem Vicarii Papæ gerere videbatur; cumque omnibus per se ipsum vacare non posset, hinc aliquos deputare cœpit Adjutores, & Officiales subordinatos, & præsertim pro cognitione causarum appellationum, vel recursuum undique etiam extra temporalem Ecclesiæ Ditionem venientium, habebatque Auditorem, qui dicebatur Cameræ, idest, hujus Cardinalis Camerarii Auditor; itemque pro immediato regimine temporali Urbis, ejusque Districtus, alium habebat Ministrum, seu Adjutorem, cui ad differentiam Auditoris dabatur nomen Vicecamerarii, & Gubernatoris Urbis, quod adhuc hodie retinet; prout etiam pro conservatione pecuniarum Cameræ, & administratione negotiorum ejusdem, sive pro quibus Clericorum judicium, seu votum exquirere non videbatur adeo necessarium, Ministrum quoque alium habebat, cui dabatur Thesaurarii nomen, quod hodieque retinet, aliosque habebat Ministros, & Officiales; quinimo, ut nonnulla antiqua mss. Diaria docent, idem ipse Camerarius officium quoque Datarii quandoque exercere consuevit.

VI. Verum eadem ratione, qua dignitas Archidiaconi suppressa fuit, quia scilicet sua potestate abutebatur juxta notata a nobis Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem IV. Concilii III. Lateranensis, Camerarii quoque auctoritas paulatim diminui cœpit. Pontifex siquidem manus appossuit in deputatione Officialium Camerario subordinatorum, nempe Auditoris, Gubernatoris, & Thesaurarii, qui utpote independentes ab ipso Camerario Tribunalia propria erigere cœperunt, cum Papa immediate communicando ea, quæ in gravioribus negotiis occurrebant, adeo ut a Camerario minime dependerent. Atque hinc sequutum est, ut tractu temporis ejus auctoritas restricta sit ad quandam potius honorificam præfecturam Cameræ Apostolicæ, seu Fisci utriusque Principatus, Ecclesiastici, & temporalis, dum actualis administratio juxta hodiernam praxim residet penes prædictum Thesaurarium, & penes ipsum Collegium, seu Tribunal memoratorum Clericorum, de cujus origine, sicut & de aliorum Officialium, qui ad Romanam Curiam spectant, fuse differit laudatus Cardinalis de Luca citata Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Discursu XXXIII. & seqq. Ceterum licet in pluribus arctata jam sit Cardinalis Camerarii antiqua auctoritas, multæ nihilominus sunt ejus hodieque facultates, quas inter alios recensent idem Cardinalis de Luca in ipsa Relatione Curiæ Romanæ, Parte II. Discursu XI. & Jacobus Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. XXXIX. ubi inter alia notat, quod alias Cæremoniale præscribit, Conclavis, ubi Pontificis electio celebranda est, construendi, & ornandi curam penes Camerarium esse. Pertinere ad ipsum Camerarium munus construendi Conclavis præ ceteris docuit antiquus Ordo Romanus XV. Petri Amelii, qui claruit Seculo XIV. Cap. CXLIX. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici: *De Conclavi vero dicendum est*, inquit Amelius, *Primo ordinatione, ac dispositione loci caveat bene Camerarius, quod portæ murentur, & omnes fenestræ, quæ sunt bassæ prope terram, vel solarium ad minus ad quatuor cannas, & omnia foramina quæcumque parva, vel modica, expensis Cameræ.*

VII. Ad Conclave quod attinet, jam non ea hodie adamussim servatur structura a nostro Cæremoniali præscripta; non enim idem illud est Vaticanum Palatium, quod olim erat tempore Augustini Patricii, qui Cæremoniale hoc ordinavit, tametsi quod substantiam, ut ajunt, Conclavis spectat, omnia fere hodieque in ejus structura servantur, quæ jam & antiquitus vel ante Patricium in usu erant, ut liquet ex laudato antiquo Romano Ordine XV. Petri Amelii, qui inter alia ait, ut in ipso Conclavi *sit una Capella, cujus portæ, & fenestræ omnes sint clausæ de bono muro, demta porta, qua itur ad Conclave, & fenestris, quæ in Conclavi respiciunt, quæ aperta remaneant.* Sed hæc jam supra explicuimus. Describendum hoc loco censemus, quod primum de Conclavi, atque ad ipsum aditu tradit Grassus in suo ms. Diario, ubi enarrat Acta Sedis vacantis post obitum Julii Papæ II. sic enim inquit: *Circa diem secundum, aut tertium exequiarum inoepi designare Conclave, & custodias, & aditum. Primo autem cognovi, tutius esse, quod aditus ad Conclave haberetur per scalas strictiores, quibus a camera plumbi ascenditur ad Aulas Papales, quam si per latiores scalas, quibus itur ad Paradisum, & inde ad S. Petrum, namque illæ sunt strictiores, & secretiores pro omni casu, quam istæ, quæ sunt latiores, & placuit omnibus, quod ego facerem quicquid mihi placeret, prout factum est.*

VIII. Quod primam portam Conclavis spectat in principio Aulæ positam, mandat nostrum Cæremoniale in hoc præsenti §. ut *ferreis vectibus, & seris quatuor muniatur*; additque mox, ut *in medio porticulum habeat, quo esculenta, & poculenta clausis Patribus ministrentur.* De ferreis vectibus istis, ac seris opportunius dicemus inferius; quoad vero porticulum, quod fieri olim in medio portæ primæ Conclavis solitum fuit, testatur in suo ms. Diario laudatus Grassus, proposuisse se Cardinalibus, Sede vacante ob Julii II. Papæ obitum, *quod propter multas fraudes, quæ committuntur in aperitione portellæ, quando intro feruntur fercula, bonum esset, quod una Rota apud portam in angulo fieret more Monialium, quod placuit omnibus, & commiserunt, quod fieret omnino cum duabus portis hinc inde, & Custodes unam clavem haberent, & alii Magistri cæremoniarum tenerent.* Sed audiamus iterum eundem Cæremoniarium Apostolicum Grassum, qui ipsum Conclave post laudati Papæ Julii constructum direxit, ita de eadem re loquentem, ubi agit de Conclavi, & ad ipsum aditu: *Ante ipsam portam Conclavis posui unam mensam transversam, super qua ponerentur cibaria pro Conclavistis, & nemo ex servitoribus portantibus posset accedere proximior ad portam ipsam. Sed profecto, quantum ego ex usu, & arte co-*

gnoſco, bonum eſſet de cetero, quod nulla fieret portella in ipſa porta Conclavis propter multas fraudes, tam verbales, quam actuales, & reales, quæ ibimet ab ipſis Cuſtodibus patrantur, ſed quod in angulo aliquo ibi proximo fiat una Rota, ſicut habent Moniales in clauſuris ſuis, ex qua cibaria inferantur, abſque eo quod aliqui ſe hinc inde mutuo conſpicere poſſunt; & etiam quod fiat aliquod repagulum, quod parapectum dicitur, non ex tela linea, ſeu ex panno, ſed omnino ex ligneis tabulis altis, & fortibus, ut nullus ex his, qui intus ſunt, accedere ad locum portæ, ſive Rotæ, aut videre deſuper poſſet, niſi Magiſtri Cæremoniarum cum ſuis famulis. Ita Graſſus ex quo originem Rotæ habemus, quæ hodieque fieri in Conclavi ſolet inſtar Rotæ Monaſteriorum Monialium,

IX. Mandat præterea noſter §. ut *in angula* prædictæ ſcilicet Aulæ, *ad ſiniſtram intranti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullum exitum, nullamque habeant feneſtram; in ea ſedulo ardeant lampades; ibique cæremoniarum Miniſtri dormiant.* Latrina locus eſt privatarum ſordium & ad exonerandum ventrem accommodatus a latendo dictus, ſive potius a lavando, ut docet Varro Lib. II. *De analogia*. Latrinarum Conclavis meminit quidem in ſuo Cæremoniali Burchardus §. xxxv. itemque noſtrum Cæremoniale in hoc eodem §, paulo inferius, ubi loquitur de Capella majore, in quo cellulæ pro Cardinalibus parabantur: *In capite hujus Capellæ*, inquit, *ad ſiniſtram intranti cameræ ſunt, in quibus Sacriſta Palatii Apoſtolici habitat; harum prima pars, quæ latrinas habet, pro Conclavi reſervetur; cetera omnia muro claudantur, itaut tenebroſa fiat pars illa; & ideo, ut de prima camerula diximus, lampadibus accenſis continue illuſtretur.* Sed audiamus Burchardum citato §. xxxv. ſic ajentem: *Item prima auletta, & camera prædicta parva Sacriſtæ, in qua paramenta, & Libri Capellæ ſunt repoſiti, dimiſſa ſunt libere pro Conclavi, & latrinæ in dicta camera exiſtentes, quas Sacriſta clauſas tenere ſolebat, apertæ ſunt pro uſu Cardinalium; omnes aliæ portæ, & feneſtræ ibidem fuerunt muratæ.* Tum etiam ſubdit: *Item in angulo magnæ Aulæ ad ſiniſtram intrantis ruptus eſt murus pro introitu per cameram ibidem, quam Mediçus Papæ inhabitare ſolebat ad latrinas in cameris ibidem exiſtentes.* Hinc ſane, quamquam ex præſcripto noſtri Cæremonialis, cujus Auctor eſt Auguſtinus Patricius ſub variis Pontificibus Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus, in ipſis latrinis Conclavis dormire deberent ipſi Cæremoniarum Miniſtri, teſtatur nihilominus in ſuo ms. Diario Paris de Graſſis, in Conclavi poſt obitum Julii II, conſtructo parare ſe quidem feciſſe antiquo more latrinas, in iiſque manſiſſe Medicum cum lecto ſuo: *Latrinas*, inquit, *more antiquo parare feci, ubi unicus Medicus manſit cum ſua lectica.* Addit tum etiam illud, quod nempe *deinceps melius, curatiuſque cuſtodiantur, & obſerventur, nam poſtea intellexi, ibi multos Conclaviſtas habuiſſe ſecreta colloquia cum diverſis extrinſecus manentibus.*

X. Docet hæc in citato ſuo ms. Diario Paris de Graſſis, qui etiam locum ſuæ habitationis, ubi cum ſocio ſuo Cæremoniario manſit, ita deſcribit: *Nos duo*, Magiſtri ſcilicet Cæremoniarum, *habuimus cameram Officialium portæ ferreæ, ubi dormivimus, & manſimus pro quiete, & diverſorio noſtro. Fecimus etiam cortinas ex ſaria violatas per longum aulæ ante portam Conclavis, & per tranſverſum capientes tantum ſpatii, quantum eſſet uſque ad portam cameræ noſtræ, intra quod ſpatium erat lectus, ut dixi, & ibi noſtra menſula, ubi comedebamus, & conſervabamus fragmenta eduliorum, & vini in duabus buttis.* Quod ait hic Graſſus de menſula, & de reliquiis cibi, ac vini in duobus vaſis ſervatis, vaſa enim buttæ ſignificant, uti videre eſt apud Dufreſne, ſupervacaneum profecto eſt, in hujuſmodique levitates non ſemel idem Auctor in ſuis mſs. Diariis lapſus eſt, unuſque ipſe ex illis eſſe videtur Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtris, quos in Diario ſuo ms. carpit eruditus Franciſcus Mucantius, Apoſtolicus & ipſe Cæremoniarius ſub Gregorio Papa XIII. referens enim geſta hujus Pontificis dolet primum, quo aliqui ſuorum prædeceſſorum *multa præterrem ſuis ſcriptis admiſcuerint, ſæpe etiam quæ fuerant memoranda, tacuerint, & integros Pontificatus ſilentio præterierint, aut per eos aride nimis & ſicco pede pertranſierint* &c.

XI. Notato hoc obiter, pergit noſtrum Cæremoniale, edicitque in hoc eodem §. ut *in Sacello, ſive Capella minori ad dexteram, quæ Divo Nicolao dicata eſt, conveniant Patres ad Divina peragenda, & ad electionem celebrandam.* Capellam iſtam, ſive Sacellum, olim S. Nicolao dicatum, de quo ſæpe Cæremoniale hoc noſtrum loquitur, fuiſſe deinde dictum *Paulinum, a Paulo III. qui illud inſtauravit*, jam ſupra notavimus, teſtimonio laudati Franciſci Mucantii, qui etiam in citato ſuo ms. Diario ait, ipſum Sacellum dictum fuiſſe *olim Nicolai Papæ*. In ipſo Sacello conſueviſſe Cardinales, ubi ſcilicet Conclave in Palatio Vaticano eſſet conſtructum, & Divina peragere, & electionem novi Pontificis celebrare, & Apoſtolici Cæremoniarii in ſuis mſs. Diariis, & alii Auctores de Conclavibus, electionibuſque Summorum Pontificam tractantes, paſſim affirmant; inter quos Auctor Commentariorum Pii Papæ II. Libro 1. ubi agit de Conclavi in Apoſtolico Vaticano Palatio conſtructo poſt obitum Calliſti III. qui contigit anno MCDLV. poſtquam dixit, duo ibidem fuiſſe Sacella, & in majore cellas, *in queis Cardinales ederent, dormirentque*, ita ſtatim ſubjicit: *Minus, quod S. Nicolai appellatur, conſultationi, electionique Pontificis aſſervaverunt.* Atque huc ſpectat quod in ſuo ms. Diario ſcribit Franciſcus Mucantius de electione Gregorii Papæ XIII: *Eadem die*, nempe XIII. Maji anni MDLXXII. *circa horam* XXIII. *admirabili omnium Patrum conſenſu Reverendiſſimus Dominus Ugo Boncompagnus Bononienſis Presbyter Cardinalis S. Sixti nuncupatus, deductus fuit ad dictum Sacellum Paulinum; quo clauſo, abſque mora cuncti Reverendiſſimi Domini Cardinales unanimes eundem elegerunt in Summum Pontificem.*

XII. Conſtat autem ex recitato loco Commentariorum Pii Papæ II, inſtitutum eſſe antiquum, id quod noſtrum Cæremoniale deinde præſcribit, ut nempe *in majori Capella ad ſiniſtram parentur cellulæ pro Patribus tot quot ſunt numero Cardinales interfuturi.* Aucto Cardinalium, & Conclaviſtarum, ut ajunt, numero, alibi hodie, & in diverſis Palatii Vaticani locis cellulæ ipſæ coſtruuntur, anguſta ſcilicet cubi-

Digitized by Google

cubicula, lignea materia fabrefacta, laneisque vestibus contecta, descripta jam olim ab Ænea Sylvio in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem inter Miscellanea Baluzii Tomo VII. ex quo tamen docemur, nondum eo ævo, anno scilicet MCDXLVII. morem invaluisse construendi cellulas ligno. Sic enim scribit de Conclavi, in quo, anno ipso MCDXLVII. electus fuit Nicolaus Papa V. *Cellulas non ligno, sed panno clausas habent.* Quando primum cellulæ fieri ex lignis cœperint, jam nos alibi abunde explicuimus.

XIII. Quod Cardinalium cellulas spectat in ipso Conclavi construendas, mandat profecto nostrum Cæremoniale, ut *cellulæ in ipsa Capella majori hinc inde constituantur, non muro, aut materia distinctæ, sed cortinis lineis, aut laneis tenuioribus separatæ.* Tum vero etiam mox addit: *Eriguntur namque ipsæ cellulæ lignis quaternis a superiore parte, a quibus cortinæ dependeat, firmaturque ipsa tigna aliis lignis transversis, itaut locus non maculetur, & inter cellulam, & cellulam spatium dimittitur palmi, vel circa.* Plura de his cellulis dicemus mox infra in eodem hoc Commentario, ubi inter alia docebimus, quando primum cellulæ istæ Conclavis fieri cœperint ex tabulis subtilibus. Certe anno MCDXLVII. in Conclavi post obitum Eugenii Papæ IV. in Cœnobio Minervitano erecto, teste Ænea Sylvio in Oratione ad Federicum III. Imperatorem, Cardinales *cellulas non ligno, sed panno clausas habebant. Parietes omnes lanei; audire quicquid inter se agatur, possunt &c.* Porro tigni, ut habet alia editio nomine omne genus materiei, exqua ædificia constant, continetur, ex Ulpiano in Lege 1. ff. *De tigno injuncto*; & in Lege, *Tigni*, ff. *Ad exhibendum*; significat tamen hoc loco trabem qua varie dispositа domuncula extruitur, & proprie cui superponitur tectum, a tegendo nomen deductum. Teste Burchardo in Cæremoniali, ubi agit de Conclavi erecto post obitum Sixti Papæ IV. §. LXXV. *In Capella majori ab una parte erectæ erant cellulæ tredecim pares a muro Altaris ad murum ostii totum comprehendentes totidem ab alia parte ex regulis fortibus, sive trabicellis parvis compositæ. Inter cellulam erat palmus & semis, vel minus, & in medio deambulatorium latitudinis duarum cannarum, vel circa ab ostio Capellæ usque ad Altare majus. Portæ cancelli intermedii amotæ fuerunt, & subtus Altare majus ejusdem Capellæ repositæ. In qualibet camera erecta fuit lectica una ex tabulis novis conclavata altitudinis quatuor palmorum, latitudinis septem, & longitudinis undecim, vel circa, & una banca.* Lectica hic idem est, ac lectus, de eaque voce videri potest Dufresne in suo Glossario. Sed perspicuum est, quod scribit Grassus in suo ms. Diario: *Posuimus*, inquit, *in angulo apud portam unam lecticam, ubi dormiebat ipse meus coadjutor supernumerarius cum duobus famulis nostris.*

XIV. Rursus eodem teste Burchardo loco citato, *cellulas hujusmodi, sive cameras, ut supra dictum est, Cardinalibus distributas servitores singulorum singulas ornaverunt ab extra circumcirca, & supra ex sargia quidam rubea, alii viridi, alii alba, alii mixta, & in eis, quæ pro usu Reverendissimorum Dominorum Cardinalium suorum necessaria, & opportuna erant.., portari fecerunt.* Sargia genus panni est, de quo idem Dufresne in suo Glossario plura adnotavit. Sed vocibus hisce omissis, audiamus nunc Paridem Grassum, qui de cellulis ipsis multa nos docet, ubi in suo ms. Diario enarrat Conclave post Julii II. Papæ obitum erectum, Capite inscripto, *De structura & forma cellularum.* Sic autem inquit: *Longitudo omnium illarum fuit æqualis, videlicet hinc inde a parietibus usque ad listas albas marmoreas, quæ ab ostio magno ducuntur usque ad cancellos; latitudo fuit æqualis, itaut unaquæque esset palmorum undecim cum una quasi parte alterius; altitudo fuit judicio meo nimis brevis, cum potuerit esse multo amplior, ex quo nemini præjudicialis; sed erat in tecto singulorum quasi una fenestra, quæ funiculo aperiebatur, ut lumen reciperetur; ab una ad aliam erat quasi limes vacuus quatuor digitorum, nec plus, & ostia singulorum cellarum ab utraque parte sic posita, ut non essent oppositа, ne cum unus ex cella hinc exiret, posset videri ab alio, qui ex cella hinc exiret. Retro versus parietem cellarum ab utroque latere tantum spatii ultra cortinas dimittebatur, ut ibi esset locus latrinæ, & locus dormiendi pro Conclavistis, & locus supellectilium.*

XV. Præterea, ut idem Grassus nos docet, *cooperturæ cellarum erant pro consanguineis Pontificis defuncti, & pro palatinis, & alumnis ejus ex colore volaceo, pro aliis vero Cardinalibus viridi, & omnes ex saria unius qualitatis, nec una precisior quam alia.* Puto equidem, ab hoc Conclavi post Julii II. Papæ obitum constituto, cœpisse primum variari colorem pannorum, quibus cellæ ipsæ cooperiuntur, ut nimirum propinqui Cardinales defuncti Papæ, aliique ab eo creati colore violaceo, alii viridi uterentur; nam alias, ut ex recitato superius testimonio Burchardi constat, in Conclavi ubi electus fuit Innocentius VIII. anno scilicet MCDLXXXIV. varii colores a Cardinalibus in cellis vestiendis adhibiti fuere, nempe rubeus, viridis, albus, ac mixtus. Conclave autem ob mortem Julii II. constructum est anno MDXIII. in quo forte primum inventa est ea colorum viridis, ac violacei distinctio. Antea siquidem Cardinales in vestiendis cellis suis quoad colorem suo quisque arbitrio utebatur, uti non modo liquet ex allato testimonio Burchardi, verum etiam Æneæ Sylvii, qui in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem loquens de Conclavi, ubi electus fuit anno Christi MCDXLVII. Nicolaus V. antea dictus Cardinalis Bononiensis, ita de cellis inquit: *Loca cellarum sorte deliguntur. Post per se quisque ornat suam, quidam rubeis, quidam viridibus pannis tabernaculum sibi faciunt.* Notat mox inter alia, Cardinalis Bononiensis cellulam *albo colore* vestitam fuisse: *Forsitan*, inquit, *nec purior, nec mundior cujusquam erat mens; nec enim ante illam diem extorquere quisquam ex eo potuit votum ejus.* Porro, ut memoratus etiam Grassus refert, in hoc eodem Conclavi, *ut facilius cellæ dominorum cognoscerentur, apposuerunt*, Cardinalium scilicet famuli, *in liminari frontispicio arma gentilia sua: aliqui fecerunt litteras majusculas*, alphabeti scilicet, quibus cellulæ ipsæ ex antiquo ritu, cujus non modo nostrum Cæremoniale, sed & Burchardus meminit, *signantur.*

XVI. Sane cellularum distributio in Conclavi post obitum Sixti IV. constructo, referente laudato Burchardo in Cæremoniali ejus Sedis vacantis §. XXXIII. ita peracta est: *Eadem die*, nempe XXV. Augusti, *Reverendissimi Domini Car-*

Digitized by Google

Cardinales S. Marci, & S. Georgii, quibus ordinatio Conclavis per Sacrum Collegium commissa fuit, distribuerunt sorte Cameras pro Cardinalibus designatas. Hoc ordine signatæ fuerunt omnes cameræ litteris alphabeti per ordinem, quævis camera una littera, Prima ad sinistrum videlicet cornu Epistolæ Altaris Capellæ majoris, in qua Conclave erat, signata fuit A, *secunda* B, *tertia* C, *& sic de aliis*. Signatas ait fuisse cameras omnes, *quarum numero erant viginti sex, una excepta, videlicet ultima ad sinistram intrantis Capellam, quæ erat prope ostium, quo intratur ad cameram Sacristæ in cornu Evangelii*. Tum vero sic etiam subdit: *Ibidem Reverendissimus Cardinalis S. Georgii*, Camerarius scilicet S. R. E. ut paulo inferius explicat, *fieri fecit viginti quinque schedulas pares, quamlibet una littera alphabeti signatam, & eas singulariter plicatas poni in uno biretto, quem alter tenuit. Reverendissimus Dominus S. Georgii nominavit successive singulos Cardinales, & ille pro quolibet nominato unam schedulam, & quilibet accepit illam cameram, quæ littera in schedula posita signata erat*. Facta hujusmodi distributione, appositum fuisse inquit a tergo cujuslibet schedulæ nomen illius Cardinalis, cui ipsa schedula sorte venerat, & per Cursores de mandato ejusdem Cardinalis S. Georgii Camerarii præfati schedulas ipsas singulis Cardinalibus in domibus ipsorum præsentatas, *ut servitores eorum cameras ipsas juxta Canonum sanctiones parare possent, & alias munire*. Grassus in suo ms. Diario tradit, factas fuisse in Capella majori cellulas XXIX. tam pro præsentibus, quam & pro absentibus venturis; pro iis etiam, qui non venerunt structas fuisse cellulas inquit, *licet non paratæ fuerint, quarum usum Cardinales, qui cellam propinquas habuerunt, tenuerunt*.

XVII. Cautum vero & illud ex nostro Cæremoniali est, ut cellulæ ipsæ *non ordine, sed sorte Patribus*, ideſt, Cardinalibus, *distribuantur pridie quam ingrediantur Conclave, ut cortinis, lectis, & opportuna supellectile in tempore possint ornari*. Fieri debere eam distributionem per sortem, docent passim antiqui Apostolici Cæremoniarii in suis mss. Diariis. Sed tradit tamen Grassus, ubi enarrat Acta Conclavis constructi post obitum Julii Papæ II. fuisse scilicet tunc *ordinatum, & observatum, quod cellæ pro nonnullis Cardinalibus infirmis darentur non per sortem, ut reliquæ omnes, sed exciperentur studiose, videlicet una, quæ esset in angulo apud portam, qua itur ad Sacristiam, nam illa aliquanto amplior ex necessitate structuræ fuit, daretur Vicecancellario infirmo tali infirmitate, ut ire pedibus suis nullatenus posset, nisi ab aliis portaretur, & alia quæ esset ex opposito, daretur Cardinali de Medicis . . . . . nam & ipse Cardinalis de Medicis, qui fuit postea Papa*, nempe Leo X. *erat infirmus*. Addit mox, fuisse tunc etiam ordinatum, *quod cellæ pro Cardinalibus absentibus, tot fierent, quot omnino essent extra Urbem; & quod cella illa, quæ habet chorum Cantorum, daretur absque sorte Cardinali Volaterrano infirmo, & sic factum fuit*. Præter has memoratas diserte asserit, reliquas omnes datas fuisse per sortem: *Aliæ autem omnes per sortem assignatæ*. Quicquid sit de antiquo usu, mandat inter alia Pius IV. in sua Constitutione, quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. spectatque electionem Romani Pontificis, *quod cellæ Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare, aut desuper ædificare, vel illas dilatare, sed quilibet etiam Decanus sit sua sorte contentus*.

XVIII. Ex præscripto denique nostri Cæremonialis, *locus ipse Conclavis ita undique claudendus, & muniendus est, ut aditum nullum, nisi unum tantum, ut diximus, omnino habere possit; nemoque inclusos alloqui, videre, seu quippiam ad eos clam mittere queat*. Edicit plane, quod alias Summi Pontifices pridem statuerant, ac præsertim Gregorius Papa X. in sua illa celebri Constitutione, quam de Conclavi edidit in Concilio Lugdunensi II. Can. II. quem nos fusè explicuimus Tomo IV. Conciliorum, legere est in Cap. *Ubi periculum* III. *De electione &c.* in Sexto. Inter alia autem Gregorius ipse citato loco sic ad rem inquit: *In eodem Palatio unum Conclave, nullo intermedio pariete, seu alio velamine omnes inhabitent in communi, quod, reservato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat, vel exire*. Additque mox: *Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur*. Et statim iterum: *Nulli etiam fas sit, ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nunciam mittere, vel scripturam*. Idipsum statuere & alii sequioris ævi Pontifices, quorum Constitutiones curæ semper fuit Cæremoniariis Apostolicis diligentissime observare, uti ex eorum mss. Diariis addiscimus, viderique præ ceteris potest quid ea re scripserit Petrus Amelius in suo Romano Ordine XV. Cap. CXLIX. quod inscriptum est, *Rubrica de Conclavi*, apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, interque alios laudati superius Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, Joannes Burchardus, Paris de Grassis, Franciscus Mucantius, & alii; quibus omnibus addi præsertim debet Cæremoniale noviſſimum jussu Gregorii XV. Papæ editum, continens ritus electionis Romani Pontificis. Juxta illius enim præscriptum dirigitur hodie Conclave, & Electio Papæ.

§. III.

De loco ubi conveniunt Cardinales Sede vacante ante Conclavis ingressum.

Interea Patres crebro conveniant, vel in Sacristia Ecclesiæ, ubi exequiæ defuncti Pontificis celebrantur, finita Missa, sive in Domo Domini Camerarii, si ea est idonea, & si is est ex numero Cardinalium, nam & extra Collegium potest esse Camerarius. Administratio enim temporalium, & Urbis, ac Romanæ Curiæ gubernatio, vacante Se-

Digitized by Google

Sede, ad Sacrum Collegium, & præcipue ad ipſum Camerarium ſpectat; & ideo apud nullum alium Cardinalem, ſed apud eum tantum, aut apud aliquam Ædem ſacram, ſi magis id libet, convenire ſolent.

COMMENTARIUS.

I. VEtus mos eſt, quem & hic §. confirmat, ut nempe interim cum exequiæ defuncti Pontificis celebrantur, Cardinales crebro conveniant, vel in Sacriſtia Eccleſiæ, ubi ipſæ exequiæ habentur, finita Miſſa, vel in Domo Camerarii, ſi ea eſt idonea, & ſi ipſe Camerarius eſt ex Cardinalium numero; quia ſcilicet, *adminiſtratio temporalium, & Urbis, vacante Sede ad Sacrum Collegium, & præcipue ad ipſum Camerarium ſpectat*. Plura quæ ad hunc §. ſpectant, jam alibi fuſe explicuimus, & Camerarii poteſtatem, & Sacri Collegii circa temporalium adminiſtrationem Sede vacante. Unum hoc loco adnotabimus, quod de poteſtate ipſius Sacri Collegii Sede vacante ſtatuit Pius Pontifex IV. in celebri ſua Conſtitutione, quam de electione Summi Pontificis edidit anno MDLXII. incipitque, *In eligendis*. Statuit enim inter alia Pius, ut *Sedis vacatione durante Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino poteſtatem, aut juriſdictionem habeat, neque gratiam, neque juſtitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum, executioni demandandi, ſed ea omnia futuro Pontifici reſervare teneatur. Neque de ſtatu temporali S. R. E. neque de pecuniis Cameræ Apoſtolicæ, aut Datarii, vel pro ſolutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis cauſa (caſibus infraſcriptis dumtaxat exceptis) quicquam diſponere, nec contra dictam Gregorii*, nempe Papæ X. *Conſtitutionem pro ſe ipſis aliquid percipere, nec æs alienum ultra neceſſarios ſumtus præſentibus comprehenſos contrahere debeat*. Addit & alia Pontifex, quæ deinde ab aliis Pontificibus confirmata, atque explicata luculentius fuere, præſertim vero a ſanctæ memoriæ Clemente XII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Apoſtolatus officium*, edita IV. nonas menſis Octobris anno Chriſti MDCCXXXII.

II. Continet hæc Conſtitutio diverſas ordinationes pro bona directione Conclavis, ac rerum Sede Apoſtolica vacante agendarum. Inter alia vero, quum tempore Sedis vacantis duplex habeatur Cardinalium Congregatio, altera nempe generalis, ſive totius Collegii, & altera particularis conſtans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ſcilicet ex quoque ordine cum Camerario, quorum officium tertia die poſt Conclavis ingreſſum omnino expirat, in eorumque locum tres alii ſequentes in ordine quolibet, tertio die una cum eodem Camerario ſuccedunt; provide ſtatuit Clemens, *ut in dicta Congregatione particulari, ſive ante, ſive poſt cœpta Comitia, levioris dumtaxat momenti, ac in dies, ſeu paſſim occurrentia negotia expediantur; ſiquid vero gravioris momenti, ac indaginis fuerit, id omne ad Congregationem generalem, ſeu Collegium Cardinalium deferatur; ac ulterius, quæ in una Congregatione particulari decreta, reſoluta, vel denegata fuerint, in alia revocari, mutari, aut concedi nequeant, ſed id faciendi jus habeat ipſa tantum Congregatio generalis per pluralitatem ſuffragiorum*. Legenda integra Conſtitutio, edita enim eſt a Pontifice, qui cum Cardinalatus fungebatur officio, ter comitiis ad Pontificem eligendum interfuit, diuque in Romana Curia verſatus, multa noverat, quæ vel confirmatione, vel immutatione, aut additione opus habebant. Fuit plane Clemens vir animi excelſi, juriumque Apoſtolicæ Sedis, ac Romanorum Pontificum vindicator egregius. Porro ſunt & alia in hoc noſtro §. quæ a nobis abunde alias explicata fuere.

§. IV.

De Cuſtodibus Palatii, & Conclavis.

Inter alia ibi conſtituunt quadruplices Cuſtodes futuri Conclavis. Primæ portæ Palatii cuſtodia alicui magno Prælato, vel Nobili potenti, ut primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte diu noctuque Palatium Patreſque tueatur, cui ducenti, ſive trecenti pedites aſſignantur. Secunda cuſtodia eſt in prima porta, qua ad locum Conclavis aſcenditur, & hæc demandatur Conſervatoribus, & Capitibus regionum Urbis, qui adjunctis ſibi aliquibus Nobilibus Civibus portam ipſam cuſtodiant. Tertia cuſtodia in ſecunda porta aliquanto ſuperius demandari ſolet Oratoribus laicis, ſive non Prælatis Regum, aut Principum, aut etiam aliquibus magnis, & potentibus Proceribus numero (1) condecenti. Quarta autem cuſtodia, quæ eſt in ipſo aditu unico Conclavis committi conſuevit Prælatis dignioribus Romanæ Curiæ ſex, aut octo, ſive ſint Oratores, ſive non; & ſi commode fieri poteſt, & (2) alioquin idonei cenſeantur, curandum, ut ex diverſis Nationibus eligantur, ut omnium ſtudiis tractetur, quod ad omnes pertinet. Sed hæc omnia quoad cuſtodiarum diſtinctionem, & Cuſtodum numerum, & qualitatem, in arbitrio ſunt Sacri Senatus, qui pro temporis, & loci

(1) In editione 1. Veneta legitur, *numero ad id idoneo*, & ita etiam in Colonienſi; in Romana vero ut in noſtro §.
(2) Ita in ipſis Veneta & Colonienſi editionibus, in Romana vero, *ut alii &c.*

Digitized by Google

loci commoditate, & conditione opportune providere consuevit. Custodes primæ portæ Palatii cum armatis, ut primum obiit Pontifex, locum servant, alii vero, cum Patres intrant Conclave.

COMMENTARIUS.

I. EST antiquus mos, ut antequam Cardinales intrent Conclave, Custodes constituant, qui Conclave ipsum tueantur, ejusque moris meminit quidem Petrus Amelius in Romano suo Ordine XV. Cap. CXLIX. ubi sic inter alia inquit: *Item sciendum, quod Domini Cardinales tres, prior cum Camerario de consilio aliorum, antequam intrant Conclave, debent eligere quatuor solemnes Viros, qui habent extra custodire Conclave cum gentibus armatis, & caveant bene super hoc, quod tales sint idonei. Poterunt esse duo Prælati, & duo Milites, vel unus Miles, & unus Banderiensis.* Banderenses, seu etiam Bandarenses, & Bandorenses, teste Dufresne in suo Glossario, dicti sunt Romæ eo nomine regionum Capitanei; appellati sunt quoque Bandonarii *a bandis*, seu bannis, pedestris militiæ signis, ut docet eruditissimus Petrus Morettus in suo celebri Opere, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione III. in Nota ad calcem paginæ 221. occurruntque illæ voces passim in antiquis Romanis Ordinibus, & apud Scriptores medii ævi. Quicquid autem de iis sit, pergit Amelius citato loco, muniaque ipsorum Custodum ita mox exponit: *Item dicti Custodes caveant sibi bene sub pœna perjurii, quod bene aperiant semper, & videant quicquid portatur Cardinalibus ad comedendum; etsi pastilla eis portarentur, illa aperiant.* Tum vero addit: *Item sub pœna perjurii nullam litteram eis dent, nec permittant illos accipere, nec ab ipsis etiam recipere, quantumcumque necessitas cogeret, sed quicquid voluerint habere ab extra, dictis Custodibus ore dicant.* Et rursus: *Item quod nullus intret ad eos, quandiu erunt in dicto Concilio, nisi forte aliquis Cardinalis ab extra veniret de sua Legatione, & ille potest intrare solus cum uno Presbytero, & uno Clerico.* Illud quoque subjicit, ut *omni die mane & sero faciant de domibus eorum portari cibaria cocta, & alia vitæ necessaria.* Concludit tandem & ait: *Item in porta Conclavis sint ad minus tres claves cum tribus serraturis: quilibet custodientium habeat suam. Item dicta porta sit clausa bene cum barris, & clavelaturis, & catena; & in medio sit foramen, per quod detur eis ad comedendum, longitudinis unius palmi & semis, & tantum in altitudine, quod etiam cum clavi claudatur.*

II. Hactenus Amelius in citato loco de Custodibus Conclavis, eorumque officio. In Concilio Constantiensi, ubi electus fuit anno MCDXVII. Martinus V. Conclavi parato in Domo Communitatis Constantiensis, deputati fuerunt quidem Custodes Conclavis tam pro parte Cardinalium, quam pro Nationibus quidam Prælati, qui omnes in manibus Joannis Cardinalis Ostiensis prædicti Concilii Præsidis, tactis Cruce, & Evangeliis, juraverunt, se capitula quædam statuta observaturos, ut tradit Pagius in Vita ipsius Martini V. Papæ, Num. 1. Sed omissa hoc loco ista Prælatorum custodia, qui ex variis Nationibus assumebantur, dicemus siquidem de ea inferius loco opportuniori, ex præscripto nostri hujus §. *primæ portæ Palatii custodia alicui magno Prælato, vel nobili potenti, ut primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte, die noctuque Palatium, Patresque tueatur, cui ducenti, sive trecenti pedites assignantur.* Teste Burchardo in suo Diario Sedis vacantis ob Sixti IV. obitum, ubi enarrat Acta Conclavis, in quo electus fuit Innocentius VIII. ad quatuor custodias deputati quidem, & ordinati fuerunt Custodes; *videlicet portæ Palatii ... deputatus fuit Reverendus in Christo Pater D. Joannes ex Comitibus Armaniaci Episcopus Castrensis in Francia, qui sub se habuit quinque pedites, vel circa.* Porro testatur Grassus iu suo ms. Diario agens de Conclavi post mortem Julii Papæ II. constructo, data sibi a Cardinalibus provincia ordinandi ipsum Conclave, primo designasse se *Capitaneum, & Gubernatorem Palatii cum ducentis stipendiariis, & Custodes primæ portæ Palatii*, Gubernatoris Conclavis meminit inter alios Pius IV. in sua Constitutione, quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. spectatque electionem Summi Pontificis, ubi etiam varia ipsius Gubernatoris Conclavis munia recenset.

III. Quod secundam custodiam spectat, erat illa, ut inquit noster §. *in prima porta, qua ad locum Conclavis ascenditur; & hæc demandatur Conservatoribus, & capitibus regionum Urbis, qui adjunctis sibi aliquibus nobilibus Civibus portam ipsam custodiant.* Agit & de hac custodia Burchardus in suo memorato Diario, seu Cæremoniali, §. XXV. sic inquiens: *Ad secundam custodiam, quæ erat in capite scalarum, qua itur ad Cameram Apostolicam, sive in pede scalarum deputati fuerunt Custodes Cameræ Urbis & capita regionum, videlicet quolibet die unus Conservator, & duo capita regionum cum quatuor civibus Romanis nobilibus per eos eligendis.* Paris de Grassis, qui curam habuit ordinandi Conclave post obitum Julii II. Papæ constructum, in suo ms. Diario ita ait: *Secundam custodiam posui non in camera plumbi, ut multi designabant, sed in prima, & in secunda cameris superioribus, quæ sunt in angulo logiæ longæ, & feci ibi poni repagula transversa cum tuitione loci, & ibi fuerunt Conservatores, & Caporiones cum Civibus, & Nobilibus Romanis arbitrio ipsorum Conservatorum eligendis ad numerum XX. itaut essent semper ibi personæ decem.* Teste Ænea Sylvio in Oratione ad Federicum III. Imperatorem in Conclavi quod *in dormitorio Prædicatorum Minervæ constitutum est*, ubi scilicet anno Christi MCDXLVII. electus fuit Nicolaus V. Pontifex Maximus, *ostium primum quatuor Prælatis commissum est, qui quatuor claves habuere, Archiepiscopus Ravennas, Anconitanus, Aquilanus, & Semocensis Episcopi.*

IV. Tertia custodia in secunda porta aliquanto superius, ut idem hic noster §. inquit, *demandari solet Oratoribus laicis, sive non Prælatis Regum, aut Principum, aut etiam aliquibus magnis, & potentioribus Proceribus numero ad id condecenti.* In Conclavi, ubi electus fuit Innocen-

Digitized by Google

nocentius VIII. anno MCDLXXXIV. teſte Burchardo §. XXVI. *ad tertiam cuſtodiam, quæ erat in pede ſcalarum, quibus de Camera Apoſtolica aſcenditur ad Palatium, deputati fuerunt Dominus Marquardus Briſacher Orator Sereniſſimi Imperatoris, D. Aunellus Orator Regis Neapolitani, D. Florius Roverella Orator Regis Ungariæ; tres Oratores alii, unus Ducis Mediolani, alius Dominii Florentinorum, & tertius Dominii Senenſis.* Audiamus nunc, ut ordinavit Graſſus hanc tertiam cuſtodiam in Conclavi poſt mortem Julii II. Pontificis erecto: *Tertiam*, inquit, *cuſtodiam poſui ſuperius plano ſcalarum ante aulam, quæ Imperialis vocatur, & conſignavi cameras duas ex illis, quæ ſunt ibi ſupra logiam longam, & ibi poſui Oratores omnes laicos, qui eſſent in Urbe, ac cum eis diverſarum Nationum Nobiles Curiales eligendos a Cardinalibus Protectoribus diverſorum Regum, ac Principum, & Rerumpublicarum, & fuerunt in totum numero ſexdecim.* Similia docent & alii Apoſtolici Cæremoniarii in ſuis mſs. Diariis, quorum loca ſupervacaneum eſt hic recenſere. Unum vero illud non omittam, quod nempe obſervat eruditiſſimus Dominicus Georgius in Vita Nicolai V. Pontificis Maximi anno MCDXLVII. Numero II. in Conclavi ſcilicet erecto in Cœnobio Minervitano Fratrum Prædicatorum, ubi Nicolaus ipſe electus Summus Pontifex fuit, oſtium ſecundum traditum fuiſſe cuſtodiendum Oratoribus Regum, inter quos erat Æneas Sylvius, tum Friderici Cæſaris Ablegatus, ut ipſemet Sylvius ſcribit. Rectiſſime autem mox Georgius ſubdit, id mirum non videri; *nam mos erat, quemadmodum ex S. R. E. Cæremoniarum Libris monemur, ut oſtii ſecundi cuſtodia Oratoribus Principum demandaretur.* Sed nec omittendum, quod tradit memoratus Burchardus in §. XXVII. ubi poſtquam in præcedentibus de tribus cuſtodiis dixit, ita ſubjicit: *Ordinatum fuit, quod in ſingulis cuſtodiis hujuſmodi, ubi portæ ſunt, fuerunt claves opportunæ tradendæ Cuſtodibus prædictis.*

V. Quarta demum cuſtodia, quæ, ut habet noſter §. erat *in ipſo aditu unico Conclavis, committi conſuevit Prælatis dignioribus Romanæ Curiæ ſex, aut octo, ſive ſint Oratores, ſive non, & ſi commode fieri poteſt, ut alii idonei cenſeantur, curandum, ut ex diverſis Nationibus eligantur.* Servatum fuiſſe hunc morem in Conclavi, ubi electus fuit Martinus V. ut ſcilicet adhiberentur Cuſtodes tam pro parte Cardinalium, quam pro Nationibus, jam ſupra notavimus; confirmaturque hic mos teſtimonio Burchardi, qui in citato ſuo Cæremoniali §. XXVIII. ubi de hac quarta cuſtodia loquitur, ita inquit: *Ad quartam cuſtodiam, quæ erat in porta Conclavis, deputati fuerunt pro Natione Germanica D. Petrus Antonius de Clappis Præpoſitus Wormacienſis Orator Reverendiſſimi Domini Bertoldi de Nauberg electi Moguntini Electoris Imperii; Dominus Proſper Camulius Epiſcopus Cathanenſis Orator Illuſtriſſimi Maximiliani Ducis. Pro Natione Italica D. Bonfranciſcus Epiſcopus Reginenſis Orator Ducis Ferrariæ, D. Raynaldus de Urſinis Archiepiſcopus Florentinus, Dominus Leonardus Grifus Archiepiſcopus Beneventanus, D. Urbanus de Fliſco Epiſcopus Forolivienſis, D. Hieronymus de Comitibus Epiſcopus Maſſanenſis, D. Ludovicus de Gonzaga adminiſtrator, ſive electus Mantuanus, qui aſſerens ſe infirmum, non acceptavit onus hujuſmodi ſibi commiſſum, Dominus Franciſcus de Columna, & Jacobus de Sermoneta Sedis Apoſtolicæ Protonotarii. Pro Natione Gallicana D. Euſtachius Archiepiſcopus Arelatenſis, & D. Epiſcopus Petrus Nannetenſis. Pro Natione Hiſpanica D. Gundislaus electus Barchinonenſis; & pro Anglicana D. Joannes Epiſcopus Dunelmenſis Orator Regis Angliæ.* Ita Burchardus, qui etiam mox addit, pro Religione Rhodienenſium deputatum fuiſſe D. Joannem Rendal, itemque Virginium militem Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, Turcopellarium Rhodianum. Turchapellarius, ſeu Turcopolerius, ut habet Macrus in ſuo Hierolexico, dignitas erat Anglicæ Nationis inter Equites Melitenſes, eratque annexa in primario ejuſdem Nationis, atque Turcopolis præerat, qui ſunt levis armaturæ milites; unde manſit adhuc in Melita hoc Turcopoli vocabulum; nam vocantur hodie *Turcopoli* equitantium cohortium Præfecti.

VI. Præſtat nunc Graſſum audire ita de quarta Conclavis cuſtodia, quam & ipſe ordinavit, in ſuo ms. Diario loquentem: *Quartam cuſtodiam feci ante portam Conclavis, cui deſignavi duas cameras, quæ ſunt ibi in angulo apud logias, unde projiciuntur populo palmæ, & candelæ, & deputavi omnes Oratores, Eccleſiaſticos, & cum eis tot Prælatos ex omni ordine Curiæ, ut eſſent in totum numero ſexdecim, qui per vices inter ſe cuſtodirent, videlicet duos Patriarchas, duos Archiepiſcopos, duos Epiſcopos, duos Protonotarios, & duos Auditores Rotæ, ſic ut cum Oratoribus eſſent ſexdecim, qui per vices inter ſe cuſtodirent, ſic ut quatuor ſemper adeſſent, & cuſtodirent juxta formam juramenti, quod præſtiterunt in forma.* Una cum Rotæ Auditoribus ex more pridem recepto aſſiſtit Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter; quod mirum videri non debet, ut enim monet noſtrum hoc Cæremoniale Libro III. §. XXIII. ubi de Magiſtro Sacri Palatii agit, *& ſedet*, inquit, *vel ſtat ſemper poſt primum Auditorem*, Rotæ ſcilicet, *qui adeſt.* Teſte Vincentio Maria Fontana in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici pag. 32. ipſe Palatii Apoſtolici Magiſter *locum in Pontificia Capella poſt Sacræ Rotæ Decanum obtinuit ex Indulto Apoſtolico Eugenii IV.* (quod incipit, *Dum ex pluribus*, datumque eſt anno MCDXXXVI. tertio Kalendas Novembris) *uſque ad annum MDCLV. quo Alexander Papa VII. nunc in Eccleſia Dei feliciter regnans, menſe Octobri, Pontificium Sacellum majori, nobiliorique Prælatorum numero decorare conſtituens, excluſis ab illo minoris notæ Clericis, qui Sacri Palatii Magiſtrum, Rotæ Auditores, atque Apoſtolicæ Cameræ Clericos præcedebant, & his in eandem introductis (nam Clerici Cameræ Apoſtolicæ cauſa præcedentiæ cum Auditoribus Rotæ, neque ad Pontificium Sacellum, neque ad alias publicas functiones conveniebant) locum Magiſtri Sacri Palatii pro tempore, poſt Sacræ Rotæ Auditores immediate ſuper cunctos Cameræ Apoſtolicæ Clericos in perpetuum ſtabilivit.*

VII. Una cum Rotæ Auditore jam ex antiquo more quartæ huic cuſtodiæ aſſiſtit Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter; idque juris firmatum illi fuit etiam cum pari numero ſunt ipſi Sacræ Rotæ Auditores, ut liquet ex Decreto, quod in Conclavi poſt obitum Clementis Papæ XII. die

Digitized by Google

xxx. Martii una cum Camerario ediderunt Cardinales S. R. E. qui tunc erant Ordinum capita. Cui edendo occaſionem dedit ejuſdem Sacræ Rotæ Decanus Carolus Calcagninus, qui contendebat, ipſum Magiſtrum Sacri Palatii non debere cum Rotæ Auditore cuſtodiæ aſſiſtere, cum Auditores ſunt pari numero. Verum merito vicit Magiſter Sacri Palatii, qui tunc erat F. Nicolaus Ridolfi, tum præſertim, quod ejus prædeceſſores in Conclavibus anni MDCLXVII. & anni MDCLXX. cuſtodiæ interfuerunt una cum Rotæ Auditore, licet tunc Auditores Rotæ eſſent numero pari. Conſtant hæc ex Protocollo II. ipſius Nicolai Ridolfi, quod legi apud ejus ſucceſſorem Fr. Joſephum Auguſtinum Orſi, in eoque extat memoratorum Cardinalium Decretum, quod dicit, Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici, una cum Sacræ Rotæ Auditore ad ipſam cuſtodiam etiam cum Auditores Rotæ ſunt pari numero, eſſe admittendum.

VIII. Notandum nunc vero illud quod noſtrum Cæremoniale admonet, nempe *hæc omnia quoad cuſtodiarum diſtinctionem, & Cuſtodum numerum, & qualitatem in arbitrio eſſe Sacri Senatus, qui pro temporis, & loci commoditate, & conditione opportune providere conſuevit.* Tum vero hæc ſubjicit: *Cuſtodes primæ portæ Palatii, cum armatis, ut primum obiit Pontifex, locum ſervant, alii vero, cum Patres intrant Conclave.* Porro tradit Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu III. Num. XIV. & ſeq. duos eſſe fixos, ac principales Conclavis Cuſtodes, Prælatum ſcilicet illum, qui a Sacro Cardinalium Collegio ante ingreſſum electus fuerit, quique Conclavis Gubernator dicitur, & ſecularem alterum, *qui Conclavis Mareſciallus nuncupatur*. Iſtud munus ait, *hæreditario jure, diuturnoque tempore*, obtinuiſſe, ac obtinere illum, *qui primam figuram facit, ſeu, ut dici aſſolet, eſt caput nobilis, ac pervetuſtæ Familiæ Sabellorum, & qui attento præſenti ſtatu, eſt Albani Princeps.* Addit, iſtam prærogativam conceſſam dici prædictæ Sabellorum Familiæ *in præmium adeo proficuæ inventionis Conclavis, quo mediante, praxis non tribuit illas diuturnas, & ſcandaloſas Sedis Apoſtolicæ vacationes, quas Chronicæ narrant.* Tranſit deinde idem laudatus Auctor ad alios Conclavis Cuſtodes, quorum etiam munia recenſet his verbis: *Alii vero Cuſtodes ſunt Prælati, ac etiam reſpective Conſervatores Populi cuſtodientes Rotas, per quas victualia, aliaque neceſſaria trayſmittuntur ad formam clauſuræ Monaſteriorum Monialium; dictique Cuſtodes per turnum deputari ſoliti ſingulis diebus, invigilant, ne Apoſtolicis Conſtitutionibus contraveniatur circa alloquutiones, vel litterarum tranſmiſſionem. Dicti vero Cuſtodes principales retinent claves portæ majoris, per quam habetur ingreſſus, & egreſſus ad prædictorum Monaſteriorum formam.* Ita ille.

IX. Quicquid autem ſit de ceteris Cuſtodibus, & de Gubernatore Conclavis, de quibus inter Apoſtolicos Cæremoniarios Paris de Graſſis, in ſuo ms. Diario, & inter Summos Pontifices Pius IV. in citata ſua Conſtitutione, *In eligendis*, loquuntur; quod Mareſciallum, ut ajunt, Conclavis ſpectat, ipſum munus *hæreditario jure diuturnoque tempore*, Sabellorum Familiæ caput obtinuiſſe, ait quidem Cardinalis de Luca, probarique ejus dictum poteſt teſtimonio aliorum Auctorum recentiorum, inter quos Auguſtinus Oldoinus in ſuis ad Ciaconium Additionibus Tomo II. ubi enarrat Vitam Gregorii X. Papæ Col. 184. ait præfectum fuiſſe cuſtodiæ Viterbienſis Conclavis anno MCCLXXII. Lucam Sabellum, idque conſtare *ex Diplomatibus Pontificiis*. Teſte Eranciſco Mucantio Apoſtolico Cæremoniario in ſuo ms Diario apud eruditiſſimum Apoſtolicum Cæremoniarium Venantium Philippum Pierſanctem, Conclavi, ubi electus fuit Pius Papa V. præfuit Flaminius Sabellus, qui etiam, mortuo in ipſo Conclavi Franciſco Gonzaga S. R. E. Cardinali, res ipſius defuncti veluti ex antiquo privilegio ſuæ familiæ conceſſo prætendebat, ſed ejus tamen prætentione a Sacro Collegio rejecta, ordinatum Gubernatori fuit, ut huic negotio ſilentium imponeretur. Ceterum quamvis conſtet cuſtodiæ Conclavium præſertim ubi illa extra Urbem conſtructa fuerunt, varios potentiores Viros præfectos fuiſſe, jam non inficior, Sabellos Romanos Principes eo Mareſciallatus munere aliquando functos fuiſſe; defuncto enim tandem ultimo ex ipſa perilluſtri familia Julio Principe, Clemens XI. Pontifex Maximus anno MDCCXII. ipſum Officium Mareſciallatus commiſit uni ex primariis Romanis Principibus Auguſto Chiſio Principi Terræ Farneſii, uti liquet ex Apoſtolico Diplomate, quod lubet ad calcem hujus Commentarii deſcribere, eſtque hujuſmodi.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecto Filio Nobili Viro Auguſto Chiſio Principi Terræ Farneſii Aquæpenden. Diœceſis.

Dilecte Fili Nobilis Vir ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ fidei, ac ſingularis devotionis affectus, quem erga Nos, & Sedem Apoſtolicam gerere comprobaris; necnon eximia Majorum tuorum in eamdem Sedem merita Nos adducunt, ut ea, per quæ honorum tibi fiat acceſſio, libenter tibi concedamus, quæque Nobis maxime cordi ſunt, & eſſe debent, tuæ curæ, ac fidei alacri animo committamus. Cum itaque Officium Mareſciallatus S. R. E. olim Curiæ de Sabellis nuncupatæ, cui cuſtodia Conclavis, Sede præfata pro tempore vacante, ac ſpeciatim retinendi penes ſe omnes claves exteriores illius januæ commiſſa reperitur, per obitum q. Julii Principis Sabelli nuper apud eamdem Sedem defuncti, qui illud, dum viveret, ex conceſſione Apoſtolica ad ſui vitam obtinebat, vacaverit, & vacet ad præſens: Nos te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tibi Officium Mareſciallatus hujuſmodi, ut præfertur, vel alias quomodolibet vacans, cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, oneribus, & emolumentis, necnon privilegiis, facultatibus, & indultis Officio hujuſmodi quomodolibet conceſſis, ſervata tamen in omnibus, & per omnia perpetua ſuppreſſione il-

Digitized by Google

illius Curiæ præfatæ, ejuſque Officialium a fel. rec. Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro per ſuum Chirographum die VII. Aprilis MDCLII. editum, facta, tenore præſentium ad tui vitam concedimus, & aſſignamus: Mandantes propterea dilectis Filiis noſtro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, & Præſidentibus Clericis Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut te ad dictum Mareſciallatus S. R. E. Officium, ejuſque liberum exercitium, juxta tenorem præſentium recipiant, & admittant, tibique reſpective faveant, pareant, & aſſiſtant, ac de ſalariis, & emolumentis ſolitis, & conſuetis debito tempore cum effectu reſponderi curent, & faciant. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac Almæ Urbis Noſtræ, nec non Cameræ Apoſtolicæ præfatæ, aliiſve etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut tu de eodem Mareſciallatus Officio recte, & fideliter erga Nos, & Sedem Apoſtolicam exercendo, ac da non recipiendo allquod genus muneris, præter eſculenta, & poculenta, quæ triduo conſumi poſſint, juxta formam Juris Communis, in manibus ejuſdem Camerarii debitum præſtes in forma ſolita juramentum.Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Martii MDCCXII. Pontificatus noſtri anno XII.

X. Hactenus Diploma Apoſtolicum, juxta cujus præſcriptum die I. Aprilis ejuſdem anni MDCCXII. idem Illuſtriſſimus, atque Excellentiſſimus Dominus D. Auguſtus Chiſius Farneſii Princeps coram Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali, & Camerario Joanne Baptiſta Spinula conſtitutus flexis genibus juramentum præſtitit, ipſæque Apoſtolicæ Litteræ in Libro Signaturarum, ut ajunt, ſub folio 28. regiſtratæ fuerunt, ut docet Aſtulphus Galloppi Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Secretarius, & Cancellarius. Porro ex recitatis Pontificis litteris addiſcere licet, quale ſit Mareſcialli munus in Conclavi. Ceterum cum ipſum munus ad vitam duntaxat duraturum conceſſum eſſet laudato Principi Auguſto Chiſio, BENEDICTUS XIV. feliciter regnans, ac ſanctiſſime Romanam, atque univerſam Eccleſiam regens, eidem Auguſto in prædicto Officio Mareſciallatus coadjutorem dedit ejus ſapientiſſimum filium Auguſtinum, ut nempe, mortuo patre, poſſet is & ad ſui vitam duraturum idem munus obire, ut docent nos Apoſtolicæ laudati Pontificis Litteræ datæ die I. Septembris anno MDCCXL. quæ ſunt hujuſmodi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DIlecte Fili Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ fidei, ac ſingularis devotionis affectus, quem erga Nos, & Sedem Apoſtolicam gerere comprobaris, necnon eximia Majorum tuorum in eamdem Sedem merita Nos adducunt, ut ea, per quæ honorum tibi fiat acceſſio, libenter tibi concedamus, quæque Nobis maxime cordi ſunt, & eſſe debeant, tuæ curæ, ac fidei alacri animo committamus. Cum itaque, ſicut dilectus filius Nobilis Vir Auguſtus Chiſius Princeps Terræ Farneſii Aquependen. Diœceſis genitor tuus Nobis nuper exponi fecit, quod ipſe Officium Mareſciallatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ olim Curiæ de Sabellis nuncupatæ,cui cuſtodia Conclavis Sede prima pro tempore vacante, ac ſpeciatim retinendi penes ſe omnes claves exteriores illius januæ commiſſa reperitur,in quatuor Conclavibus exercuerit; nunc vero, attenta ſenili ætate ſua, te ſibi in Coadjutorem cum futura ad tui favorem in Officio hujuſmodi ſucceſſione, a Nobis deputari ſummopere deſideret. Nos te, ac dictum Auguſtum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac veſtrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes: Supplicationibus ipſius Auguſti nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, te eidem Auguſto Coadjutorem cum futura ad tui favorem in Officio Mareſciallatus hujuſmodi ſucceſſione, itaut quandocumque eidem Auguſto placuerit, & non alias in dicto Officio Coadjutoris te ingerere, & immiſcere libere, & licite poſſis, & valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium conſtituimus, & deputamus: ac tibi Officium Mareſciallatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ hujuſmodi, quandocumque illud per ceſſum, vel deceſſum dicti Auguſti, aut alias quomodolibet ex illius perſona vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & e contra cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, oneribus, & emolumentis, necnon prjvilegiis, facultatibus, & indultis Officio hujuſmodi quomodolibet conceſſis, præſertim, quibus dictus Auguſtus in vim Motus proprii fel. rec. Benedicti Papæ XIII. Prædeceſſoris noſtri ſub datum X. Decembris MDCXXIV. editi, de præſenti gaudet, ſervata tamen in omnibus, & per omnia perpetua ſuppreſſione illius Curiæ præfatæ, ejuſque Officialium a piæ mem. Innocentio Papa X. etiam Prædeceſſore noſtro per ſuum Chirographum die VII. Aprilis MDCLII. editum facta, alias ſolitis, & conſuetis, itaut liceat tibi ſtatim ſecuto obitu dicti Auguſti, aut ipſo Officium præfatum cedente, vel dimittente, ſeu Officio hujuſmodi ex ejus perſona quomodolibet vacante, dicti Officii poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem apprehendere, & retinere, ipſumque Officium libere exercere, auctoritate, & tenore præſentis ad tui vitam concedimus, & aſſignamus, teque in locum ejuſdem Auguſti quoad Mareſciallatus hujuſmodi ex nunc prout ex tunc ſubſtituimus, & ſubrogamus. Mandantes propterea dilectis filiis noſtro, & S. R. E. præfatæ Camerario. ac Præſidentibus Clericis Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut te ad dictum Officium Mareſciallatus S. R. E. hujuſmodi, ejuſque liberum exercitium juxta tenorem præſentium recipiant, & admittant, ac præſentis gratiæ commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere ſinant, & faciant, nec te deſuper a quoquam quavis auctoritate, quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari permit-

Digitized by Google

mittant; tibique reſpective faveant, pareant, & aſſiſtant, ac de ſalariis, ac emolumentis ſolitis, & conſuetis debito tempore cum effectu reſponderi curent. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac almæ Urbis noſtræ, necnon Cameræ Apoſtolicæ præfatæ, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habemus, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut tu, antequam Officium Mareſciallatus hujuſmodi exercere incipias, de eodem Mareſciallatus Officio recte, & fideliter erga Nos, & Sedem Apoſtolicam exercendo, ac de non recipiendo aliquod genus muneris, præter eſculenta, & poculenta, quæ triduo conſumi poſſint, juxta formam Juris communis, in manibus ejuſdem Camerarii debitum præſtes in forma ſolita juramentum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Septembris MDCCXL. Pontificatus noſtri anno I.

XI. Hucuſque BENEDICTI XIV. Papæ Apoſtolicæ Litteræ. Ceterum *die* IX. *Decembris anni MDCCXL. ſupraſcriptus Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus D. Auguſtinus Chiſius Princeps Campaneani juramentum de bene & fideliter exercendo dictum Officium Mareſcialatus S. R. E. in manibus Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Annibalis miſeratione divina Epiſcopi Sabinen. Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarii juxta formam in ſupraſcriptis Litteris expreſſam, tactis Sacroſanctis Dei Evangeliis, flexis genibus præſtitit*, ut fidem facit Gregorius Caſtellani Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Secretarius, qui etiam ait, fuiſſe ipſas Litteras recenſitas in Libro Signaturarum ſub folio 137. anni MDCCXL. Porro unum ego hic tandem addiderim, tametſi Mareſcialli Conclavis nomen in antiquis Cæremonialibus, & Diariis mſs. minime inveniatur, ex quo tamen Conclavia fieri cœperunt, extitiſſe ſemper prænobiles Viros, atque potentes, qui cuſtodiæ Conclavis præfecti fuerunt, tum ad ſollicitandam electionem novi Pontificis, tum vero potiſſimum ad inſolentiam eorum coercendam, qui vim Cardinalibus Conclavi incluſis inferrent.

§. V.

De ultima porta Conclavis, & ejus clavibus.

Et hæc quidem porta Conclavis quatuor, ut diximus (1) clauſuris munitur, ab extra una, ſupra porticulum duabus, infra porticulum ipſum etiam una; & ſimiliter (2) ab intus infra porticulum una. Cuſtodes ipſius loci claves duas portæ, & clavem porticuli retinent; Clerici Cæremoniarum aliam portæ clavem, & clavem porticuli (3) ab intus, itaut neque porta, neque porticulum aperiri poſſit ſine conſenſu illorum, qui ſunt intus, & qui ſunt extra. Aulæ ſive duæ ſint, ſive tres, reſervantur pro deambulatione Patrum.

COMMENTARIUS.

I. AGit hic noſtrum Cæremoniale de ultima porta Conclavis, & ejus clavibus, *& hæc quidem porta*, inquit, *quatuor, ut diximus, clauſuris munitur &c.* De clauſura ipſius portæ Conclavis notabile eſt plane illud, quod docet in ſuo Ordine XV. Cap. CXLIX. Petrus Amelius, cujus verba licet alias a nobis deſcripta fuerint, opportunum tamen eſt, ac operæ pretium, ut ea iterum hoc loco recenſeamus: *In porta Conclavis*, inquit, *ſint ad minus tres claves cum tribus ſerraturis; quilibet cuſtodientium habeat ſuam; item dicta porta ſit clauſa bene cum barris, & clavelaturis, & catena; & in medio ſit foramen, per quod detur eis ad comedendum, longitudinis unius palmi, & tantum in altitudine, quod etiam cum clavi claudatur.* Portam Conclavis intus, & extra muniri ſeris, pervetuſtus plane eſt mos, cujus paſſim mentionem faciunt in ſuis mſs. Diariis Apoſtolici Cæremoniarii. Retineri a principalibus Conclavis Cuſtodibus claves, quibus porta major ejuſdem Conclavis clauditur, notavit Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu III. Num. XV. Juxta præſcriptum noſtri hujus §. *Cuſtodes ipſius loci claves duas portæ, & clavem porticuli retinent, Clerici Cæremoniarum aliam portæ clavem, & clavem porticuli ab intus, itaut neque porta, neque porticulum aperiri poſſit ſine conſenſu illorum, qui ſunt intus, & qui ſunt extra.* Meminit hujus ſui officii Apoſtolicus Cæremoniarum Magiſter Paris de Graſſis in ſuo ms. Diario, ubi enarrat Conclave poſt obitum Julii Papæ II. erectum, ſic inquiens: *Nos duo Magiſtri Cæremoniarum cum meo Coadjutore, & duobus noſtris famulis fuimus intus ſic in totum quinque cuſtodientes intrinſecus ipſum Conclave, & poſuimus in angulo apud portam unam lecticam, ubi dormiebat ipſe meus Coadjutor ſupernumerarius cum duobus famulis noſtris, non tamen ipſi retinebant claves; nam ſocius meus ſemper illas apud ſe retinuit, & ſemper aperuit, & clauſit, dum opus fuit. Curam ſibi ego dimiſi alimentorum intro ferendorum, & portæ cuſtodiendæ: nam ego curam obſervandæ portæ habui illius Aulæ, in qua Reverendiſſimi Domini Cardinales utplurimum erant congregati*; ut nimirum ibi-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. & in aliis legitur, *ferris*. (2) In eadem Veneta editione, *interiore parte*. (3) Ibidem, *interioris*.

Digitized by Google

ibidem quædam aliqua ſtatuerent, quæ tamen ad Pontificis electionem minime pertinerent, ut docet noſter ſequens §. ac etiam ipſi Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis.

§. VI.

Quæ liceat Cardinalibus tractare in Conclavi præter electionem.

Et in una ex eis remotiori ſcilicet ſolent aliquando ſimul convenire ad ea ſtatuenda, quæ ſunt præter electionem Pontificis. Quamquam ſecundum Sacrorum Canonum conſtitutiones fas non ſit Patribus aliud tractare in Conclavi, niſi de providendo manifeſto, & urgenti periculo Terris Eccleſiæ, & de ſubſtituendo pro tempore Pœnitentiario Summo, & Camerario Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſi interea vacarent; non eſt tamen inconveniens, & a Majoribus noſtris frequentatum eſt, tractare aliqua, quæ etſi ipſum actum electionis præciſe non reſpiciant, tamen laudabile regimen futuri Pontificis concernunt, & ipſius (1) Pontificis religioſam adminiſtrationem honeſtiori quodam vinculo temperant.

COMMENTARIUS.

I. DOcet hic noſter §. quæ liceat Cardinalibus tractare in Conclavi præter electionem: *Et in una ex eis,* Aulis, *remotiori ſcilicet ſolent aliquando ſimul convenire ad ea ſtatuenda, quæ ſunt præter electionem Pontificis*; ſed quæ tamen, ut idem noſter §. in fine ſubjicit, *regimen futuri Pontificis concernunt, & ipſius Pontificis religioſam adminiſtrationem honeſtiori quodam vinculo temperant*. Quicquid ſit, certum illud eſt, quod noſter ipſe §. docet, ſecundum Canonum conſtitutiones, fas non eſſe Cardinalibus aliud tractare in Conclavi, niſi de providendo manifeſto, & urgenti periculo Terris Eccleſiæ, & de ſubſtituendo pro tempore Pœnitentiario, & Camerario S. R. E. ſi interea vacarent. Id plane præ ceteris jam olim ſtatuit Gregorius X. in celeberrima illa ſua Conſtitutione, quam de Conclavi edidit in Generali II. Concilio Lugdunenſi, Canone II. relato in Capite, *Ubi periculum, De electione &c.* in Sexto. Sic enim ille inter alia inquit: *Idem quoque Cardinales acceleranda proviſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo urgens incideret, quo eos oporteret de Terra ipſius Eccleſiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere; vel niſi aliquod tam grande, & tam evidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum*. Novo ſuo muniit robore hanc Gregorii Conſtitutionem Clemens V. ubi de eadem re Conſtitutionem edidit in Concilio Viennenſi, quæ legitur in Clementinis, Capite, *Ne Romani* II. *De electione &c.* ubi inter alia edicit, deficiente Romanæ Eccleſiæ Camerario, vel Pœnitentiario, poſſe Cœtum Cardinalium pro tempore vacationis alios ſubrogare. Sed de his jam alibi fuſius diximus.

§. VII.

Quæ curanda, ſi extra Urbem electio habenda eſſet.

Ceterum ſi aliquando contingeret, ut alibi celebranda eſſet Pontificis electio, hinc eſſet ſumendum exemplum, & curandum in primis, ut locus ipſe idoneus, & tutus, & fideli militum manu munitus ſit; deinde ut aditus ad Conclave triplici cuſtodia firmari poſſit; tum aulam quandam ita capacem habeat, ut in ea cellulæ omnes pro Cardinalibus commode conſtituantur. Præterea ut Sacellum contineat pro re Divina, & electione celebranda idoneum; demum aulas aliquas pro deambulatione, & latrinas ad partes; & ita claudendum eſt ipſum Conclave, ut nemo incluſos videre, nemo cum eis (2) colloqui, aut ad eos quidpiam latenter tranſmittere, jacereve ullo modo queat.

COMMENTARIUS.

I. COntigit jam ſæpe, ut Conclave extra Urbem fuerit conſtructum, in iis ſcilicet locis, in quibus diem ſuum extremum Romani Summi Pontifices clauſerint, idque variis exemplis comprobatur, jam a nobis ſuperius allatis. Ceterum ſi deinceps contingeret, ut alibi celebranda eſſet Pontificis electio, ſtatuit hic noſter §. *hinc eſſe ſumendum exemplum, & curandum in primis, ut locus ipſe idoneus & tutus & fideli militum manu munitus ſit &c.* Licet autem electio novi Pontificis juxta præſcriptum Sacrorum Canonum in eo loco debeat celebrari, ubi Pontifex diem ſuum extremum clauſerit, conſueverunt tamen Romani Pontifices, ab

(1) Ita in Veneta 1. editione, in Romana vero, *Pontificatus*. Veneta vero 1. anni 1516. & Colonienſi anni 1557. *eos alloqui*.

(2) Ita in Romana editione anni 1560. in

Digitized by Google

ab Urbe ad alia loca proficiscentes, si ante reditum in iis morerentur, Conclavis locum declarare in Urbe pro novo eligendo Pontifice. Certe Clemens VII. Bononiam profecturus, ut Carolum V. Imperiali Diademate decoraret, si ante suum ad Urbem reditum ex hac luce migrasset, Conclavis locum pro novo Pontifice eligendo declaravit in Urbe, nisi Urbs tunc Interdicto subjaceret, vel esset aperte rebellis, aut inibi de impressione dubitaretur; super quo majoris partis Cardinalium decisioni standum esse voluit; & tunc in Civitate Castellana, seu Urbevetana, vel Perusina, dummodo Ecclesiastico Interdicto subjectæ, seu rebelles non essent, novi Pontificis electionem celebrandam esse sancivit, Constitutione edita pridie Nonas Octobris anno MDXXIX. quæ incipit: *Cum charissimus*, legiturque in Romano Bullario. Quod ipsum etiam postea confirmavit, cum eundum fuit Massiliam anno MDXXXIII. ad congressum cum Francisco Rege Galliæ, ut ex eodem Bullario tradit Spondanus ad prædictum annum MDXXIX. Numero v. Incipit autem alia Constitutio data anno MDXXXIII. tertio Nonas Septembris, *Licet variæ*. Edidit similes declarationes nostro hoc ævo Benedictus XIII. qui tametsi Pontifex Maximus esset, sequutus tamen plurium prædecessorum exempla, Beneventanam Ecclesiam, quam rexerat in minoribus constitutus, retinuit, eamque bis invisit.

§. VIII.

Quæ in Conclave convehenda.

In eum locum supellex opportuna convehenda est pro Cardinalibus, & eorum famulis; esculenta, & poculenta nulla, præter aquam, & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent. Quæ vero ad cibum, & potum attinent, portantur vespere, & mane singulis diebus. Descripta summarie loci, in quo electio celebrari debet, convenienti forma, nunc ad ipsam electionem deveniendum est, cujus modum, & originem, altius aliquantulum repetere (1) non incongruit.

COMMENTARIUS.

I. MOdica olim supellectile usos fuisse Cardinales in Conclavi, addiscimus plane ex Ordine Romano XV. auctore Petro Amelio Cap. CXLIX. ubi ita inter alia inquit: *Item ipsi Domini*, Cardinales nempe, *faciant parari Cameras suas cum cortinis suis & lectisterniis sine palea, nisi esset in frigoribus; item mensam, scamnum, non tamen capsam, nisi esset aperta totaliter desuper; item vas ad tenendum aquam, vinum, & alia utensilia lignea &c.* Tum etiam paulo post subdit: *Item omni die mane & sero faciant de domibus eorum portari cibaria cocta, & alia vitæ necessaria*; quia scilicet in Conclavi, ut juxta receptum morem tradit hic noster §. *esculenta, & poculenta nulla, præter aquam, & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent*, teneri possunt. Quo ritu quave pompa deferrentur olim cibi ad Cardinales in Conclavi existentes ab eorum familiaribus, dicemus alias suo loco.

§. IX.

Ordo eligendi Pontificis, & ratio.

Jus itaque eligendi Summi Pontificis a Christo Domino derivatum est. Ipse enim Christus primum denominatione Successorem instituit, dicens Petro: *Pasce oves meas*. Et ea ratione Petrus Clementem etiam nominavit: quod tamen ita creditur, si a Senatu Ecclesiæ Romanæ admitteretur. Senatus autem Romanæ Ecclesiæ a Petro Divina inspiratione institutus est, cum quo omnia ardua Ecclesiæ negocia explicaret; ad quemve referret, videlicet Collegium XXIV. Senatorum ex Presbyteris, & Diaconibus Romanæ Urbis instar XXIV. Seniorum, quos Agnus Dei Christus Salvator in Apocalypsi Joannis adstantes habere perhibetur. Hos enim Petrus loco assistentium Apostolorum post eorum per Orbem divisionem elegerat, & designarat, ac Consiliarios Romanæ Ecclesiæ, Coadjutoresque, atque Romani Pontificis electores instituit. Cognoscentes igitur, hujusmodi denominationis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, Senatores non Clementem acceperunt, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum Pontificatui Romano præesse voluerunt: quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino, & Cleto, ab ipso Senatu electus fuerit. Hic autem mos post Petrum longo tempore fuit observatus, ut videlicet Senatores Romanæ Ecclesiæ Summum Pontificem eligerent. Ipsi autem Senatores, Presbyteri scilicet, & Diacones Urbis temporibus Sylvestri Primi Papæ sunt appellati S. R. E. Cardinales, Principes videlicet in Ecclesia: qui postea tempore Innocentii Papæ IV. quod ille in Concilio Lugdunensi cavit,

(1) Ita in ipsa Veneta, & Colonienſi, in Romana vero, *aliquantulum repetamus*.

Digitized by Google

vit, pro insigni Aristocratiæ, & Majestatis in Ecclesia, Pileum rubrum susceperе. Interea vero orientibus, ut assolet, in rebus humanis, scandalis, & scissuris inter eosdem Senatores, reliquus Clerus Romanus, & Populus ad præsentiam solummodo exhibendam in electione Pontificis, & ejus corroborationem adjunctus est. Inde, ut plerumque fit, inducta violentia, aut aliter quomodocumque, alii etiam a Senatoribus ipsis ad ipsum actum, & jus electionis active tantum cœperunt intervenire, licet passive priscis illis temporibus, solis ipsis Senatoribus, ideſt, Presbyteris, & Diaconibus S. R. E. jus electionis in Summum Pontificem conveniret, prout patet ex Concilio Stephani Papæ; & habetur in Decretis, LXXIX. Distinctione, Canone, *Oportebat*, cum duobus sequentibus Capitibus. Unde satis liquet, a Petro de Presbyteris, & Diaconibus S. R. E. in Summos Pontifices eligendis, qui semper fuerunt Senatores Ecclesiæ, & hodie, & Stephani temporibus Cardinales nominati. Procedente autem tempore, ad sedandas majores contentiones, & tumultus, qui ob eam rem sæpe oriebantur, Romani (1) Imperatores manus ita (2) apposuerunt, ut nemo in Pontificem Canonice electus diceretur, nisi Principis Decreto esset confirmatus. (3) Unde cum Pelagius II. injussu Mauritii Imperatoris ad Pontificatum assumtus esset, Divum Gregorium Diaconum, qui ei postea successit in Pontificatu, ad se super ea repurgandum, Constantinopolim misit. Liberata post hæc tempora Italia, ac Romana Ecclesia a Longobardorum durissimo jugo erepta, Hadrianus Primus, ut LXIII. Distinctione, Can. *Hadrianus*, sive Leo III. ut alii volunt, Romanum Imperium ex Græcis in Germanos transtulit, Carolumque Magnum Augustum declaravit; cui electionem Romani Pontificis, & jus ordinandæ Romanæ Ecclesiæ concessit. Nec multo post Leo Octavus (4) Imperium Othoni Alemanorum Regi ex Saxonum prosapia primo confirmavit, LXIII. Distinctione, Can. *In Synodo*. Sed postea pientissimi Imperatores quum experientia didicissent, aliis forsan non ita piis Principibus succedentibus, hujusmodi auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ perniciosam fore, præsertim quoniam Romanus Pontifex a Christo institutus est, ut Imperatorem, & omnes oves pasceret, purgaret, atque spiritualiter judicaret, illa se potestate abdicarunt, jusque integrum ad Senatum Ecclesiæ, & Romanum Clerum, & Populum rediit, Ludovico præsertim Imperatore statuente, atque volente, LXIII. Distinctione, Can. *Ego Ludovicus*. Ex quo pro vera Romani Pontificis suprema Monarchia satius ostendenda ad id res deducta est, ut Gregorius Quintus, Othone III. consentiente, Imperatores de cetero a nonnullis Principibus Spiritualibus, & Secularibus fore eligendos sanxerit, & sic ad Summum Pontificem Dei vices gerentem in terris, tanquam ad eum, per quem Reges regnant, supremum Christianæ Monarchiæ Principem Romani Imperii moderationem pertinere significaverit.

COMMENTARIUS.

I. DE varia eligendi Summi Romani Pontificis forma, quæ pro temporum ratione in Ecclesia viguit, actum abunde a nobis jam fuit Tomo III. Conciliorum, in Commentario ad Canonem I. Concilii III. Œcumenici Lateranensis. Sed operæ pretium est, ut alia quædam nunc notemus, quæ in recitata hujus §. narratione continentur: *Jus*, inquit, *eligendi Summi Pontificis a Christo Domino derivatum est; ipse enim Christus primum denominatione Successorem instituit, dicens Petro*, Joannis Cap. ultimo, *Pasce oves meas*. His verbis S. Petrum fuisse creatum a Christo Summum Ecclesiæ Pastorem, & Pontificem, Sancti Patres tum Græci, tum Latini affirmant, inter quos S. Chrysostomus in aureo Tractatu, *De Sacerdotio*, quem nos in Libros, & Capita partitum Notis auximus, Lib. II. Cap. I. sic inter alia inquit: *Quanam item de causa idem ille*, Christus nempe, *Sanguinem effudit suum? Certe ut oves eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat*; & S. Gregorius Libro IV. Epistola XXXII. ad Mauritium Imperatorem data ita locum ipsum, ac alia Christi Domini exponit: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur*: Petre amas me? Pasce oves meas. *Ipsi dicitur*: Ecce Satanas expetit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. *Ipsi dicitur*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque

(1) Ita in Veneta I. & Colon. editionibus, in Romana vero, *Principes*. (2) Ita quoque in ipsis Veneta, & Colonienſi, in Romana deest *ita*, legiturque, *manus apposuerunt, nemoque Canonice electus putabatur, nisi &c.*

(3) Verba illa, *Unde cum Pelagius &c.* usque ad *misit*, leguntur in editione Romana, sed desunt in Veneta I. & Colon.

(4) Ita in ipsis Veneta, & Colonienſi, in Romana vero legitur, *Clero & populo benevolente idem confirmavit Otboni I. & ejus Imperio Romano succesſoribus*. Deinde quoque etiam variat, nam inquit: *Sed piissimi deinde Principes cum experientia didicissent, hujusmodi potestatem Romanæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ perniciosam fore, illa se abdicarunt; rursumque ad Clerum, & populum res rediit &c.*

Digitized by Google

que ligaveris super Terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis. *Ecce claves Regni Cælestis accipit: potestas ei ligandi, & solvendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.* Eadem & alii Patres tam Latini, quam Græci docent, quorum loca recenset inter alios insigniores Theologos Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De Romano Pontifice.*

II. Pergit nostrum Cæremoniale, aitque, eadem ratione, qua Christus Petrum Pontificem constituit, *Petrum Clementem etiam nominasse: quod tamen ita creditur, si a Senatu Ecclesiæ Romanæ admitteretur.* Linus ne, an Clemens proximus post Petrum Pontifex fuerit, discrepat inter veteres Scriptores. Tertullianus in Libro, *De præscriptionibus adversus hæreticos*, Capite XXXII. *Clementem a Petro ordinatum*, ex vetustis monumentis tradit. Consentit S. Hieronymus tum Lib. I. adversus Jovinianum, Cap. VII. tum Commentario in Isaiam, Cap. LII. fuitque hæc sententia Patrum Latinorum usque ad Seculum IV. quamquam laudatus Hieronymus in Libro, *De Viris illustribus*, Cap. XV. ubi de Clemente loquitur, eum affirmet *quartum post Petrum Romanum Episcopum fuisse, secundum Linum, & tertium Cletum.* Proximus igitur, ut inter alios in Lini Vita observat Antonius Sandinus, Petri successor est Linus ex S. Hieronymo, cujus opinio testimoniis confirmatur S. Irenæi Lib. III. adversus hæreses, Cap. III. Eusebii Lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. II. & Lib. V. Cap. VI. S. Epiphanii Hæresi XXVII. Optati Milevitani Lib. II. S. Augustini Epistola LIII. & Theodoreti in secundam Pauli Epistolam ad Timotheum, Cap. IV. Lino ex eorundem Scriptorum auctoritate subjiciendus Cletus, quem omnes, si Epiphanium, & Hieronymum excipias, Anacletum vocant. Optatus vero, & Augustinus non Lino, sed Clementi sufficiunt, ut in memorati Lini Vita idem Sandinus notavit.

III. Magnus Annalium Parens Cardinalis Baronius, cujus sententiam præ ceteris probant Natalis Alexander, Bollandus, Cotelerius, Tillemontius, aliique Viri docti, & critici, ad annum LXIX. Num. XLIII. sequutus Epiphanium in citata Hæresi XXII. §. VI. scribit S. Clementem accepisse quidem a S. Petro Episcopatum, sed cedentem juri suo, collatam sibi dignitatem recusasse, ut Linus, & Cletus Petri ipsius in Episcopali munere adjutores, alius post alium electus per suffragia Cleri Romanam Ecclesiam gubernarent. Qua ex re componitur controversia, quæ intercedit inter Scriptores memoratos, quorum alii Linum, alii Clementem proximum post Petrum Pontificem fuisse contendunt. Quemadmodum enim, qui Linum Petro suggerunt, ii Clementem a S. Petro Ecclesiæ Episcopum constitutum non negant, ita qui dicunt, Clementem Petri adhuc superstitis Successorem designatum, non inficiantur, illum vivo Lino, & Cleto, constanter recusasse delatum sibi a Petro honorem Pontificatus. Legendi hanc in rem Cotelerius in Constitutiones Apostolicas Lib. VII. Cap. XLVI. & Petrus Constant in illa sua celebri Dissertatione, *De proximis B. Petri successoribus*, quam præfixit suo Tomo I. Epistolarum Romanorum Pontificum.

IV. Sponte itaque sua recusavit Clemens delatum sibi a S. Petro Pontificatum, labique videtur Augustinus Patricius in hoc §. ubi inquit, Senatum Romanæ Ecclesiæ, seu electores Pontificis jam ab ipso Petro institutos, *cognoscentes hujusmodi denominationis formam, graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem* accepisse, *sed Linum* elegisse, *& illum post Petrum Pontificatui Romano præesse* voluisse, *quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino & Cleto, ab ipso Senatu electus fuerit.* Quicquid autem de ea re sit, fuit certe aliquando mos, ut Episcopi sibi Successorem designarent, eoque jure recte ac sapienter usi sunt complures antiqui Antistites, *cum quos sanctissimos scirent, eos ad Episcopale munus deligerent*, ut prodit Baronius ad annum CDXXVI. Num. XIII. variisque exemplis ostendit Thomassinus, Parte II. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. LV. & sequenti. Ceterum Hilarus Papa vetuit id quidem in suo Romano Concilio, quod anno CDLXV. celebravit in Basilica Sanctæ Mariæ die XVI. Kalendarum Decembris, ut habent Acta, quæ correctiora edita sunt, quam antea fuerant, a Christiano Lupo in fine Tomi I. Epistolarum Casinensium. Quinque editi sunt in eo Concilio Canones ad constituendam Ecclesiæ disciplinam, atque horum postremo cautum est, nequis Episcopatus sibi eligeret Successorem, uti notat Pagius in memorati Hilari Pontificis Vita, Numero VII.

V. Ante Hilarum Papam prohibuit jam inter alias Antiochena Synodus anni CCCXLI. Canone XXIII. juxta interpretationem Dionysii Exigui, ne Episcopi suos sibi Successores adsciscant, jubetque, ut defunctis suo fato Episcopis, tum vera electio a Synodo Provinciæ celebretur: *Episcopo non licere pro se alterum Successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi est constitutum. Servetur autem Jus Ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis, potestatem habent eum, qui dignus extiterit, promovere.* Notat Thomassinus citato loco, Num. VI. non damnari hoc Canone quorundam Episcoporum sanctissimorum libertatem, qui ostenderant, quos optarent, quos optimos judicarent fore Successores: non eligi fecerant, non ordinaverant: totum Concilio Provinciali permiserant, ut factam a se designationem ratam, irritamve faceret. Ea porro vox *constituere* id sonat, ut non ostendatur tantum, & proponatur Successor, sed ut instituatur, & mittatur in possessionem; adeout pervertatur, irriteturque, & Cleri Populique electio, & Concilii Provincialis auctoritas, & aliquo saltem temporis puncto duo sint Episcopi unius Ecclesiæ contra Statutum Niceni I. Concilii, Can. VIII. quo cautum est, ne in una Civitate duo sint Episcopi. Tenendum plane illud est, ea designatione Successorum facta a quibusdam sanctissimis Episcopis nihil detractum fuisse libertati suffragiorum Populi, Cleri, & Episcoporum Provinciæ, a quibus olim Successoris Canonica celebrabatur electio; poterant isti alium præferre designato Successori.

VI. Quod Romanos Pontifices spectat, jam non desunt Auctores relati a Fagnano in Capite, *Accepimus*, v. *De pactis*, qui censent, posse Papam sibi Successorem substituere, suamque ipsorum opinionem variis argumentis firmare conantur, quæ tamen idem Fagnanus citato loco egregie

Digitized by Google

gie confutat contrariam opinionem propugnans. Ajunt Chriſtum Dominum ſuo arbitrio Petrum ſibi Succeſſorem inſtituiſſe, cum poſt reſurrectionem ei dixit, Joannis Cap. XXI. *Paſce oves meas*. Sed ineptum eſt hoc argumentum, nam Chriſtus uti ſupremus Dominus potuit de re ſua, ideſt Eccleſia, quam ſuo Sanguine fundavit, abſolute diſponere; non ſic autem alii Pontifices, qui non Domini, ſed diſpenſatores exiſtunt, uti docet Cardinalis Turrecremata in Summa, *De Eccleſia*, Lib. II. Cap. LI. Præterea, ut ſcite inquit Auguſtinus Triumphus in Libro, *De poteſtate Eccleſiæ*, Queſtione II. Articulo II. *Chriſtus fuit Deus, & homo, ideoque in ſuo judicio non potuit falli, neque fallere; ſed quia judicium humanum eſt fallibile, quia purus homo poteſt falli, & fallere, ideo conveniens fuit poſt Chriſti aſcenſionem, & poſt mortem illius, qui immediate a Chriſto electus fuit, ut promotio cujuslibet alterius Summi Pontificis fieret per electionem, ut ex collatione, & concordia plurium talis electio careret errore, & mereretur ſuſcipere divinam inſpirationem*. Hactenus Auguſtinus Triumphus.

VII. Ineptum quoque eſt argumentum, quod adverſarii opponunt, Petrum ſibi elegiſſe Succeſſorem in Pontificatu Clementem. Nam primo, uti quidam reſpondent, non eſt trahendum in exemplum, factum S. Petri ſucceſſorem ſibi Clementem ſubſtituentis; moveri ſiquidem potuit ille inſpiratione Divina. Secundo caruit & illa effectu ſuo ſubſtitutio, utpote quam minime S. Vir acceptavit, ſed Petro immediate ſucceſſit Linus, & Lino Cletus, Cleto autem deinde Clemens, uti ſupra ex Sanctis Patribus, aliiſque priſcis Scriptoribus dictum eſt, conſtatque ex Martyrologio Romano, Breviario item Romano, & Canone Miſſæ, ubi poſt Linum, Cleti, & deinde Clementis fit commemoratio, licet non deſint, qui proximum Petri ſucceſſorem Clementem ſtatuerint; unde Gloſſa in Can. 1. Cauſa VIII. Quæſtione 1. recitat verſum.

Diſputat hic Mūdus, quartus, fueritve ſecūdus?

Etenim, ut inquit Gloſſa ibidem, poſt S. Petrum animadvertens Clemens pernicioſum fore exemplo, ut aliquis ſibi eligeret Succeſſorem, renuntiavit Papatui, in manibus ſcilicet Sacerdotum, qui tunc Romæ aderant. Ceterum ex communi eruditorum ſententia, ſuppoſititia eſt illa Clementis Epiſtola ad Jacobum Fratrem Domini ſcripta, in qua de ſua ſubſtitutione in Romanum Pontificem a S. Petro in fine vitæ facta ita inquit: *Simon Petrus in ipſis diebus, quibus vitæ finem ſibi præſenſit, apprehenſa manu mea, repente conſurgens, in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba: Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado*.

VIII. Perperam præterea factum Bonifacii II. Papæ objicitur, quod ſibi Vigilium Succeſſorem elegerit; ex ipſo quippe facto magis magiſque contraria ſententia confirmatur. Duas ſub Bonifacio ipſo Pontifice Romanas Synodos ex Anaſtaſio explicat ad annum DXXXI. Baronius, in quarum prima congregata in Baſilica S. Petri Bonifacius, ut occurreret licentiæ Regum Gothorum in deſignandis Pontificibus, de qua diximus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem 1. Concilii III. Lateranenſis, *fecit Conſtitutum, ut ſibi Succeſſorem ordinaret: quo Conſtituto cum Chirographis Sacerdotum, & jurejurando ante Confeſſionem Beati Petri Diaconum Vigilium conſtituit*, ideſt Succeſſorem in Pontificatu. Baronius ſcribit, quod cum ipſi Gothorum Reges impie ſibi uſurpaſſent Romani Pontificis electionem, ad hujuſmodi uſurpatam licentiam ex Gothorum manibus extorquendam, Bonifacius Eccleſiæ conſultum eſſe judicaverit, ut nullo relicto Sedi vacanti loco, Succeſſorem ſibi eligeret. Quod licet ſpeciem quandam juſtitiæ præſeferret, poſtea tamen ab omnibus eſt reprobatum, atque reſciſſum. Nam ut ſubdit idem Anaſtaſius in Bonifacii II. Papæ Vita, *eodem tempore*, ſeu non multo poſt, *facta iterum Synodo, hoc cenſuerunt*, caſſaverunt, *Sacerdotes omnes propter reverentiam Sanctæ Sedis, & quia contra Canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum*, ideſt Bonifacium, *reſpiciebat, ut Succeſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt majeſtatis, quod Diaconum Vigilium ſui ſubſcriptione Chirographi, & ante Confeſſionem Beati Petri Succeſſorem conſtituiſſet, ac ipſum Conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio conſumſit*. Idem Baronius ait, Bonifacium reum majeſtatis ex ea parte Gothis videri potuiſſe, quod contra Regis voluntatem, ad quem Romani Pontificis electionem ſpectare Theodoricus ſtatuerat, Succeſſorem ſibi inſtituiſſet. Sed quod addit illud conſtitutum in priori Synodo Romana fuiſſe a Bonifacio ambitione, & conſilio Vigilii, conſtare ex Decreto anathematis Silverii Papæ in Vigilium, ſubſiſtere non poteſt, cum Decretum illud ſit ſuppoſititium, ut in Vita Silverii Pontificis docet Pagius, Numero VII.

IX. Haud tamen negaverim, quin multa exempla in Romanorum Pontificum Vitis occurrant, quibus docemur, Pontifices ſibi Succeſſores ſubſtituiſſe. Verum ſi accurate conſiderentur, jam illæ non fuerunt ſubſtitutiones Succeſſorum, ſed potius deſignationes, uti obſervat Pagnanus in citato Capite, *Accepimus, De pactis*. Pontifices enim a Cardinalibus rogati indicabant quem dignum putarent Cathedra Petri, ſalvis Cardinalium ſuffragiis. Ideoque nullus ex deſignatis poſt obitum Pontificis deſignantis geſſit ſe pro Papa, niſi poſt ſubſequutam Cardinalium electionem. Sic S. Gregorius VII. Salerni ante tertiam diem ſui obitus rogatus ab Epiſcopis, & Cardinalibus, qui tunc aderant, ut de Romanæ Sedis poſt obitum ſuum ordinatione juberet, hortatus eſt, ut Deſiderium, ex Principibus Beneventanis primum Monachum, deinde Abbatem Caſinenſem, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tituli S. Cæciliæ Pontificem facerent, aut Lugdunenſem Epiſcopum Hugonem, aut Ottonem Oſtienſem Epiſcopum, aut denique Lucenſem eligere quantocius ſe defuncto ſtuderent. Sicque poſt ejus mortem reluctans electus fuit anno MLXXXVI. a Cardinalibus Deſiderius ipſe, & Victor III. dictus. Idem Victor poſt duorum annorum Pontificatum e vita diſceſſurus teſte Leone Oſtienſi in Caſinenſi Chronico, Lib. III. Cap. LXIV. convocatis Epiſcopis, & Cardinalibus, monuit & ipſe, ut juxta laudatum Gregorii VII. Papæ ſtatutum Ottonem Epiſcopum Oſtienſem ibi tunc præſentem eligerent quamprimum Pontificem; electuſque is fuit anno MLXXXVIII. & vocatus eſt Urbanus II.

Digitized by Google

Ceterum obſervandum eſt, quod in ejuſdem Urbani Vita notat Pagius, Victorem ſcilicet Papam, quod de Succeſſore ſibi eligendo decrevit, non imperando feciſſe, ſed ſicut deceſſor ejus Gregorius fecerat, admonendo, & exhortando, quod id ejus ævi iniquitas poſtularet. Unde ii, ad quos pertinebat electio, ſcientes non poſſe, nec debere a morientibus Pontificibus Succeſſores eligi, non ſine conſueti collatione ſuffragii nominatum ab ipſo Victore III. evexerunt in Apoſtolicum Thronum, uti rem fuſe narrat idem Pagius in Urbani II. Vita.

X. Omiſſis id genus exemplis, ex perve-tuſta, & coæva Chriſtianæ Religioni diſciplina ſpectat profecto Præſulum electio ad Senatum cujuſque Eccleſiæ. Teſte auctore hujus Cæremonialis Auguſtino Patricio, *Senatus Romanæ Eccleſiæ a Petro divina inſpiratione inſtitutus eſt, cum quo omnia ardua Eccleſiæ negotia explicaret*. Senatus Eccleſiæ dictus eſt Clerus, ac præſertim Cœtus Presbyterorum, ejuſque meminit non uno in loco S. Hieronymus, præſertim in Epiſtola ad Ruſticum relata in Can. *Eccleſia*, XVI. Quæſtione I. *Eccleſia*, inquit, *habet Senatum, Cœtum Presbyterorum*. Idem in Iſaiam Cap. III. *Et nos*, inquit, *habemus in Eccleſia Senatum noſtrum, Cœtum Presbyterorum*. Longe ante S. Hieronymum S. Ignatius in Epiſtola ad Trallianos, Senatum ipſum vocat *Sacrum Cœtum, Concilium, & aſſeſſores Epiſcopi*. Cui concinit antiquus Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum Libro II. Cap. XXVIII. ubi appellantur, *Conſiliarii Epiſcopi, & Corona Eccleſiæ, Conſilium, & Senatus Eccleſiæ*. Morem autem fuiſſe Eccleſiæ antiquiſſimum, ut ſine conſenſu, & conſilio Cleri nihil Epiſcopus perageret, teſtem habemus S. Cyprianum in Epiſtola ſua XXVIII. ad Presbyteros, & Diaconos ita ſcribentem: *Deſideraſtis quoque, ut de Philumeno, & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolytho, qui medio tempore receſſerunt, & tunc venerunt, quid mihi videatur, reſcribam. Cui rei non potui me ſolum Judicem dare, cum multi adhuc de Clero abſentes ſint*. Idipſum & in aliis Epiſtolis ſuis idem Cyprianus affirmat, eademque erat aliarum priſca Eccleſiarum diſciplina, quam enarrat Thomaſſinus Parte II. Lib. III. Cap. VII.

XI. Ad Romanam Eccleſiam quod attinet, non addubito, quin ea ibidem a S. Petro ſtatuta fuerit diſciplina, ut cum ipſius Eccleſiæ Senatu, ſeu Clero Pontifex *omnia ardua Eccleſiæ negotia explicaret*. Auctor eſt S. Epiphanius Hæreſi XLII. Marcionem veniſſe Romam ſub Hygino, qui electus fuit Papa anno CXXXVII. conatumque per præſtigias neſcio quas illaqueare Presbyteros, qui eam regebant Eccleſiam, & cum Apoſtolis verſati fuerant: *Eo ſtatim ac Marcion pervenit, Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut in communionem admitteretur, ab iis fruſtra petiit*. Juxta veterem vel Romanæ Eccleſiæ diſciplinam Siricius Papa, qui ad Apoſtolicam Sedem evectus fuit anno CCCLXXXIV. confixit Jovinianum, novellamque ejus hæreſim in Synodo Presbyterorum, & Diaconorum, cui Presbyterium nomen erat, uti ex ejuſdem Pontificis Epiſtola II. liquet: *Facto ergo Presbyterio conſtitit, Chriſtianæ Legi eſſe contraria*, quæ docebat Jovinianus. *Omnium noſtrum tam Presbyterorum, quam Diaconorum, quam etiam totius Cleri una ſuſcitata fuit ſententia*. Hoc Papæ Decretum accepit S. Ambroſius, illudque in Synodo ſuæ Provinciæ Epiſcoporum confirmavit, unde & ad eum ita reſcripſit: *Quos Sanctitas tua damnavit, ſcias, apud nos quoque ſecundum judicium tuum eſſe damnatos*. Tandem, ut alios omittam Romanos Pontifices, Felix III. ordinatus Papa anno CDLXXXIII. depoſitionis ſententiam in pſeudoepiſcopum Antiochenum Petrum Cnapheum contorquens, eandem ſuo, & eorum nomine promulgavit, qui una ſecum Apoſtolicum Thronum regerent, hoc eſt, Presbyterorum, & Diaconorum Eccleſiæ Romanæ, ut ex illius Epiſtola IV. addiſcimus: *Firma ſit hæc tua depoſitio a me, & ab his, qui una mecum Apoſtolicum Thronum regunt*.

XII. Quod de Siricio, & Felice attigimus, perſpicue demonſtrat, quod fuſe explicat Thomaſſinus citato loco, Presbyteros, Diaconoſque Romanos Romanis Conciliis intereſſe ſolitos cum Epiſcopis, qui forte tum Romæ reperiebantur, & una cum Pontifice cognoviſſe de cauſis omnibus, quæ ad primariam principemque Eccleſiam toto ex Orbe referebantur. Hæc erat & aliarum omnium forma Eccleſiarum, ſeu Metropolitanarum, ſeu Cathedralium. Cauſæ omnes ibi, ſeu temporales, ſeu ſpirituales, Cleri ſuperioris conſpiratione, & judicio terminabantur, hoc eſt Presbyterorum, & Diaconorum cum Epiſcopo. Atque ex his ſplendet Capitulorum antiquitas, dignitaſque ſumma, Collegii ſcilicet Presbyterorum, & Diaconorum Epiſcopo adunatorum in tractandis negotiis Eccleſiæ Cathedralis, imo & Throni Romæ Apoſtolici. Eorum enim cum Epiſcopo unus erat Senatus, unum Conſilium, unum Eccleſiæ totius regimen, cujus ab imperio Clerus, populuſque reliquus pendebat. Romæ ab ipſis Presbyteris Diaconiſque non eæ tantum res tractabantur, quæ ad Diœceſin, ſed etiam quæ ad Metropolim Romanam ſpectarent, ad earumque diſceptationem, ac judicium vocabantur Presbyteri ipſi, atque Diaconi Cleri Romani. Ut intelligas Clerum ſuperiorem Metropolitani, Primatis, Patriarchæ, adeoque Summi Pontificis, illum eſſe Senatum, ad quem referantur cauſæ omnes, quæ ad ipſum Præſulem perferuntur, quocumque ſe exporrigat ejus poteſtas. Certe Concilio III. Romano ſub Felice Papa III. Presbyteri omnes Romani ſubſcribunt, nec ſiletur adſtantium Diaconorum præſentia: *Adſtantibus quoque Diaconibus*.

XIII. Perinde eſt de Concilio Romano ſub Hilaro Pontifice, ubi actum eſt de transferendo Epiſcopo ab Eccleſia Hiſpaniæ una ad alteram. Præter Papam, & Epiſcopos adfuere Presbyteri, Diaconique Eccleſiæ Romanæ, Presbyteri ſedentes, Diaconi ſtantes: *Reſidentibus etiam univerſis Presbyteris, adſtantibus quoque Diaconibus*. Applauſus, & acclamationes etiam ab Epiſcopis, & Presbyteris fiebant, ſive ad confirmandam Papæ ſententiam, ſive ad proſperam illi, longævamque vitam imprecandam: *Ab univerſis Epiſcopis, & Presbyteris acclamatum eſt, ut diſciplina ſervetur, ut Canones cuſtodiantur, rogamus. Hilaro vita &c.* Applaudunt quoque, & acclamant ſimiliter Presbyteri cum Diaconis in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa I. & quod magis magiſque notandum eſt, compluribus in Romanis hiſce Conciliis lites dirimebantur, aliis ex Provinciis, imo & a Patriarchatibus aliis ad Papam devolutæ, nec alibi primum, quam in ejus

Digitized by Google

ejus Senatu, seu Consistorio Presbyterorum, & Diaconorum disceptandæ, quod olim Romæ *Præsbyterium* dicebatur. Ex his itaque manifestissime patet, vel primis Ecclesiæ adolescentis temporibus Clerum superiorem Romanæ præsertim Ecclesiæ, qui ex Presbyteris, ac Diaconis constabat, in Consilium, & Senatum Pontificis coaluisse, & tum spiritualem, tum etiam temporalem administrationem Ecclesiæ capessiviſſe, cum eoque Pontificem, vel omnia ardua Ecclesiæ negotia explicuisse, idque ex S. Petri institutione, ut docet Auctor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius.

XIV. Eodem teste Patricio, *ipsi Senatores, Presbyteri scilicet, & Diacones Vrbis, temporibus Silvestri Primi Papæ sunt appellati S. R. E. Cardinales, Principes videlicet in Ecclesia*. Cardinalis, si vocis significatum spectes, idem est, quod principalis, nam olim virtutes quædam a S. Ambrosio Lib. I. *De Officiis*, Cap. XXIV. aliisque Patribus vocatæ sunt cardinales, quasi principales, & a Physicis venti cardinales, atque ab Ecclesiasticis Scriptoribus Presbyteri, vel Diaconi Cardinales. Complures Auctores ejus vocis originem ad Romanum Concilium anni CCCXXIV. sub S. Silvestro celebratum referunt, ubi Canone VI. legitur, in Ecclesia Romana septem fuisse *Diaconos Cardinales*; eamque sententiam sequutus est inter alios Patricius. Verum supposititia est Synodus ipsa, quæ in ejusdem S. Silvestri Actis tertio Kalendas Junii post baptizatum Constantinum Imperatorem, eo præsente collecta dicitur, Hincmaro Remensi, Petro de Marca, Labbeo, Lupo, aliisque Viris eruditis testibus. Quomodo enim die trigesima mensis Maji anni CCCXXIV. Synodus illa celebrari potuit præsente Constautino, qui toto illo anno bello Liciniano occupatus, in Oriente versatus est, ut videre est in Critica Baroniana ab erudito Pagio scripta. Ejus Synodi plurima supposititia capita retulit Schelstratius in secunda parte antiquitatis illustratæ, Dissertatione III. Cap. VIII. Legendus autem Natalis Alexander in Historiam Ecclesiasticam Seculi IV.

XV. Quicquid sit de ea S.Silvestri Papæ Synodo, notissimum plane fuit vel a primis seculis Cardinalium in Ecclesia nomen, sed diversorum tamen ab iis, qui recentioribus seculis S.R.E. Cardinales dicuntur. Episcopus quippe Cardinalis antiquitus dictus fuit omnis ille Episcopus, qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus, sive incardinatus, idest proprius illius Ecclesiæ Episcopus. Similiter quoque Presbyter, aut Diaconus Cardinalis vocatus est, qui alicui Ecclesiæ, aut loco pio tanquam ordinarius, & proprius Presbyter, aut Diaconus, intitulatus, sive incardinatus erat; eoque nomine appellabantur, quia sicut cardo fixus est, & immobilis, ac circa illum valvæ volvuntur; ita quoque circa ipsos Epiſcopos, Presbyteros, Diaconosque, tanquam fixos, & proprios Ecclesiarum cardines populus eorum curæ commissus in Ecclesiastico regimine, & animarum cura quodammodo volveretur. Tradit hæc Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo XXII. Capite I. ubi etiam scite subdit, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales in hoc unice ab aliis non Crdinalibus distingui olim consueviſſe, *quod illi tanquam proprii, & quasi fixi, ac immobiles Ministri, Ecclesiis suis essent intitulati: hi vero tanquam adventitii, & subsidiarii alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem Cardinalium nomenclaturam hodierni Parochi vere dicerentur Presbyteri Cardinales: Vicepastores vero non Cardinales*. Hoc quidem sensu Gelasius I. in Litteris ad Cælestinum Episcopum apud Gratianum Can. IV. Distinctione XXIV. Pontificem Cardinalem opponit Pontifici, seu Episcopo Visitatori, qui scilicet dumtaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tanquam Visitator invigilat.

XVI. Crebrum est in Epistolis S. Gregorii Magni Cardinalis nomen, sed nequaquam Ecclesiæ Romanæ proprium, sed ad omnes prorsus Ecclesias pertinebat, ut variis exemplis ostendit Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. XV. & sequenti; additque Vanespen loco citato, etiam Seculo XI. Presbyteros Ecclesiarum Parochialium dictos fuisse Cardinales. Atque hoc sensu intelliguntur Sacerdotes Cardinales in Cap. II. *De officio Archipresbyteri*, quos etiam antiquus Glossographus vocat *principales*, & in Corpore Juris Canonici correcto editionis Antuerpiensis anni MDCXLVIII. ad marginem notatur ex Antonio Augustino: *Cardinales Sacerdotes hoc loco non Vrbis tantum Romæ, sed aliarum etiam Civitatum primos interpretamur, quibus tituli, ideſt, Parochiæ committuntur*. Auctor quidem dictæ Decretalis dicitur *Leo Papa* absque expressione ulteriori; sed laudatus Antonius Augustinus eruditissimus monet, Leonem IX. appellari a quibusdam ex veteribus Libris. Si ea itaque inscriptio vera sit, vel ex hac Decretali habemus, etiam ætate Leonis IX. idest circa medium Seculi XI. Parochialium Ecclesiarum Rectores fuisse dictos Sacerdotes Cardinales. Ceterum tametsi commune esset Cardinalis vocabulum Presbyteris, Diaconisque aliarum Ecclesiarum, sumnia tamen fuit potestas, dignitasque Cardinalium Ecclesiæ Romanæ tum priscis seculis, uti superius probatum est, tum vero maxime seculis sequioribus, præsertim cum soli ipsi cœpere eligere Romanum Pontificem, uti addiscimus ex S. Petro Damiani, qui Seculo XI. omni virtutum laude florebat. Sic enim ille Libro I. Epistola XX. inquit: *Romanæ Ecclesiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt*.

XVII. Quando soli Cardinales Ecclesiæ Romanæ eligere cœperint Summum Pontificem, notavimus jam nos Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem I. Concilii III. Lateranensis, ubi diximus Alexandrum III. removisse omnino Clerum ab ea electione, *assumtis in Ordinem Cardinalium, qui inter Clericos præcipui erant, vel eorum officiis penitus extinctis &c.* Fuit enim vetus non modo aliarum Ecclesiarum, sed & ipsius Romanæ disciplina per XII. Secula fere servata, ut Pontifices Cleri, populique suffragiis eligerentur, uti passim eruditi Scriptores docent; lapsusque est omnino Patricius, cum ait primum, morem post Petrum longo tempore fuisse observatum, *ut videlicet Senatores Romanæ Ecclesiæ*, quos eo nomine Cardinales appellat, *Summum Pontificem eligerent*; & deinde subjicit, quod *orientibus, ut assolet in rebus humanis, scandalis, & scissuris inter eosdem Senatores, reliquus Clerus Romanus, & Populus*

Digitized by Google

ad præsentiam solummodo exhibendam in electione Pontificis, & ejus corroborationem adjunctus est. Porro evidenter ostendit inter alios Thomassinus Parte II. Lib. II. Cap. I. & seqq. Episcoporum non modo, sed & Romani Pontificis electionem totam fere semper pependisse e Cleri populique suffragiis; eique licet bis terve solum se inseruerint Gothorum Reges, his tamen demum devictis, recuperatoque Romanæ Urbis Principatu, ita eandem sibi vindicasse Justinianum, ac suis transmisisse Successoribus, ut libera Clero & populo relinquerentur suffragia, sola sibi retenta Pontificis electi confirmatione, antequam is ordinari posset.

XVIII. Rursus labitur idem Patricius, quum ait, *priscis temporibus solis ipsis Senatoribus, idest, Presbyteris, & Diaconibus S. R. E. jus electionis* passivæ *in Summum Pontificem convenisse, prout patet ex Concilio Stephani Papæ*, ejus scilicet nominis, III. *& habetur in Decretis*, LXXIX. *Distinctione*, Canone, *Oportebat, cum duobus sequentibus Capitibus*. Ex Anastasio Decretum recitat Gratianus in citata Distinctione Canone III. cujus verba hæc sunt: *Oportebat, ut hæc sacrosancta Domina nostra Romana Ecclesia, juxta quod a Beato Petro, & ejus Successoribus institutum est, rite ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis consecraretur*. Ex quibus verbis colligi videtur, quod & notavit post Pagium eruditus Sandinus in Vita Stephani III. qui electus Pontifex fuit anno DCCLXVIII. ex Decreto quidem Stephani *solis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus Summum Pontificatum fuisse reservatum, cum antea etiam Subdiaconi Pontifices crearentur*. Observat Baronius ad annum DCXIV. Num. I. & Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. XXIII. Num. XX. *Adeodatum, seu Deusdedit primum omnium e Subdiacono contra Leges Ecclesiæ creatum fuisse Papam*. Sed lapsi quoque & hi præstantissimi Auctores sunt; exemplar enim Anastasii, quo usus est Baronius, ita habet: *Deusdedit*, seu Adeodatus, *filius Stephani ex Subdiacono sedit annos tres*. Sed hunc tamen Anastasii locum alii ita restituunt: *Deusdedit ex patre Stephano Subdiacono*; atque ajunt, Deusdedit non fuisse Subdiaconum, sed Subdiaconi filium. Ceterum tametsi præferenda sit ea Anastasii lectio, qua usus est Baronius, lapsus adhuc fuit Auctor hic Eminentissimus, quum ita de Adeodato ad ipsum annum DCXIV. Num. I. scripsit: *Ut autem Subdiaconus Romanus Pontifex crearetur, nunc primum accidit absque Majorum exemplo*. Testatur namque Liberatus Diaconus Silverio Papæ æqualis in suo Breviario Cap. XXII. eundem *Silverium Subdiaconum* creatum fuisse Romanum Pontificem, anno scilicet DXXXVI. ideoque longe ante Adeodatum.

XIX. Licuit itaque Subdiaconos eligere in Summos Romanos Pontifices usque ad Stephanum III. aliis IV. in cujus Synodo Romana anno DCCLXIX. celebrata sub anathemate interdictum est, *ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio Ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad Sacrum Pontificatus honorem promoveri*; ut est apud Anastasium in Vita Stephani III. Atque ex Decreto erui posse videtur, quod notat Pagius in Vita Deusdedit Pontificis, tunc tantum Subdiaconos a Pontificatu exclusos, cum ex Liberato laudato habeamus, Silverium ex eo Ordine ad Pontificatum assumtum, nemine hanc ei incapacitatem objiciente; & ex Anastasio incertum remaneat, an ipse etiam Deusdedit, seu Adeodatus fuerit ante suam electionem solum Subdiaconus; quod probabilius videtur, nam posterior lectio habet quidem, eum fuisse Subdiaconi filium, sed non negat, ipsum etiam fuisse Subdiaconum, quod prior lectio diserte habet. Porro celebravit Stephanus suam Romanam Synodum potissimum adversus Constantinum pseudopontificem, quem adhuc laicum existentem, antequam Paulus Papa I. spiritum exhalaret, frater ejus Toto Dux Nepesinæ Civitatis per vim in Sedem Pontificiam intrusit, fecitque per Georgium Prænestinum Episcopum licet reluctantem in Clericum tonsurari; *alio vero die*, inquit Auctor Vitæ Stephani III. Anastasio vulgo tributæ, *illucescente secunda feria, Subdiaconus, atque Diaconus ab eodem Episcopo contra Sanctorum Canonum instituta consecratus est; sicque universum populum sibi sacramentum præbere fecit, & adveniente Dominico die, rursum cum multitudine armatorum exercituum in Basilicam Beati Petri properans, Pontifex ab eodem Georgio Episcopo Prænestino, & aliis duobus Episcopis, Eustratio Albanense, & Citonato Portuense consecratus est; & per anni spatium, & mensem unum Sedem Apostolicam invasam detinuit*.

XX. Sed hisce omissis, scite illud notat Patricius, *procedente tempore, ad sedandas majores contentiones, & tumultus, qui ob eam rem*, ob electionem scilicet Romani Pontificis, *sæpe oriebantur, Romanos Imperatores manus ita apposuisse, ut nemo in Pontificem Canonice electus diceretur, nisi Principis Decreto confirmatus*. Electionem Romani Pontificis, devictis a se Gothis, recuperatoque Romanæ Urbis principatu, vindicavit sibi quidem Justinianus Imperator, suisque Successoribus transmisit, qui tamen juris istius possessionem ita sibi asseruere, ut quemadmodum supra notatum est, libera Clero, & Populo relinquentes suffragia, solam sibi retinerent Pentificis electi confirmationem, antequam is posset ordinari. Imperatores vero electionem non confirmasse, nisi soluta prius consueta auri quantitate, ex Anastasio in Agathone Papa addiscimus; de eaque nova electionis forma, sicut & de aliis sequioribus, videri plane possunt quæ scripsimus nos in toties laudato Commentario ad Canonem I. Concilii III. Lateranensis, quem legere est nostro Tomo III. Conciliorum, ubi res fuse, ac dilucide a prima sua origine a nobis fuit jam ex veterum Scriptorum monumentis explicata, supervacaneumque censemus actum iterum agere.

XXI. Errat præterea iterum iterumque Patricius, ubi subjicit, quod *liberata Italia, ac Romana Ecclesia a Longobardorum durissimo jugo erepta, Hadrianus Primus, ut* LXIII. *Distinctione, Canone*, Hadrianus, *sive Leo III. ut alii volunt, Romanum Imperium ex Græcis in Germanos transtulit, Carolumque Magnum Augustum declaravit, cui electionem Romani Pontificis, & jus ordinandæ Romanæ Ecclesiæ concessit*. Commentitia profecto est hæc Hadriani Papæ concessio, qua in Romana Syodo CLIII. Episcoporum, Carolum Magnum donasse dicitur

tur jure eligendi Romani Pontificis, & Præsules Ecclesiæ ceteros investiendi. Mentio ejus Synodi habetur quidem in Chronico Sigeberti ad annum DCCLXXIII. eandemque summopere inter alios prædicant Ivo Carnotensis, & Gratianus in citato Canone, *Hadrianus*. Sed cum in editione Sigeberti ab Auberto Miræo curata, & cum exemplaribus mss. collata, hujus Synodi nulla mentio reperiatur, ea alicui interpolatori tribuenda. Sed quid alia memorem, Synodum ipsam ut commentitiam omnes pene docti Scriptores rejiciunt, non modo Baronius, aliique Itali passim, verum & Galli ipsi Auctores, Thomassinus non uno in loco, Petrus de Marca Libro VIII. *De Concordia*, Cap. XII. atque ut alios omittam, Pagius in Vita Hadriani, Numero XIII. & seqq. Quamobrem satis mirari nequeo, quod Joannes Mabillonius Vir alioqui doctissimus, & ut dici assolet, emunctæ naris, memoratam superius commentitiam Synodum, atque concessionem in Commentario suo prævio ad Romanum Ordinem §. XVII. Tomo II. Musæi Italici veluti genuinam, atque sinceram recensere minime veritus fuerit.

XXII. Dubitari illud nequit, quin variæ fuerint vicissitudines libertatis electionum Papalium sub Imperio Caroli Magni, & ejus stirpis. Narrat Patricius, quod *pientissimi Imperatores quum experientia didicissent, aliis forsan non ita piis Principibus succedentibus, hujusmodi auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ perniciosam fore, præsertim quoniam Romanus Pontifex a Christo institutus est, ut Imperatorem, & omnes oves pasceret, purgaret, atque spiritualiter judicaret, illa se potestate abdicarunt, jusque integrum ad Senatum Ecclesiæ, & Romanum Clerum, & Populum rediit, Ludovico præsertim Imperatore statuente, atque volente*, LXIII. *Distinctione*, Canone, *Ego Ludovicus*. Sane in hoc Canone statuit inter alia Ludovicus Pius Imperator, ut mortuo Pontifice Romano, quem omnes Romani elegerint, sine aliqua ambiguitate, & contradictione, more Canonico consecretur: *& cum consecratus fuerit, Legati ad nos*, inquit, *vel ad Successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos, & inter illum amicitiam, & charitatem, & pacem consocient*. Merum id esse commentum contendit Pagius in Vita Paschalis I. Papæ, Numero IV. probatque ex eo, *quod ipso Ludovico Pio vivente, Eugenius II. Papa ad postulationem Lotharii, Ludovici Pii filii, & in Imperio collegæ statuerit, ut Pontifex Romanus non consecraretur, nisi in præsentia Legatorum Imperialium, quod toto seculo nono & ultra in usu positum fuit, absque eo quod Clerus Romanus illam donationem in medium attulerit, licet se se ab ea lege abhorrere non semel ostenderit, imo & Hadrianus III. illam rescinderit*.

XXIII. Partem Constitutionis ab Eugenio II. editæ refert Baronius ad annum DCCCXXIV. Numero XIII. integram, & in novem Capitula distributam Cointius ad eundem annum, & Pagius in Critica Baroniana Num. III. Capite ejus Constitutionis tertio ita statuitur: *In electione autem Romani Pontificis nullus, sive liber, sive servus præsumat aliquod impedimentum facere; sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est Constitutione Sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem*. Sigonius, *De Regno Italiæ*, Lib. IV. ad annum DCCCXXV. post recitatam hujus Constitutionis partem, ita subjicit: *Illud etiam propter tumultus superiores adjectum videtur, ut ad vitanda Comitiorum dissidia, aut Legati Regis, aut Rex ipse, si in Urbe adessent, Consecrationi interessent; sic enim subsequentibus annis est observatum, & postremo nova etiam lege sancitum*. Quod Sigonius hoc loco indicat subobscure, Pagius ad ipsum annum DCCCXXV. Num. XXIX. ponit pro certo, aitque Eugenium, Romæ commorante Lothario, decrevisse, ut Legati Imperatoris interessent Consecrationi Romani Pontificis. Idque eam ob rem, ut animadvertit Pagius junior in ipsius Eugenii Vita Num. VI. quod verebatur, ne jus confirmandi electionem Papæ ab Orientalibus Imperatoribus antea usurpatam Lotharius quoque sibi assumeret, atque vindicaret. Fatetur nihilominus idem Pagius, non fuisse id ab Eugenio factum sine Cleri, aut populi repugnantia, cum Valentinus anno DCCCXXVII. in locum Eugenii subrogatus, non legatur coram Legatis Cæsareis ordinatus. Gregorium IV. ait Valentini successorem videri primum, qui Francis Romæ imperantibus in Legatorum Imperialium præsentia consecratus fuit; eumque morem subinde interruptum, Seculo tandem Christi undecimo fuisse penitus abolitum.

§. X.

De potestate electionis Summi Pontificis tradita Sacro Cardinalium Collegio, & quibusdam in ea servandis.

Verum cum variis, contrariisque vulgi seditionibus, atque studiis, & aliquando Principum violentia in electione Pontificis creberrimi tumultus, contentiones, rixæ, atque etiam cruentissimæ pugnæ committerentur; sæpeque altero per vim dejecto, alter Cathedram occuparet, res Romanæ Ecclesiæ in maximam perniciem devenerat. Nam parvo annorum intervallo decem diversorum meritorum Viri Petri Sedem tenuerunt: Benedictus Nonus, Sylvester Tertius, Gregorius Sextus, Clemens Secundus, Damasus item Secundus, Leo Nonus, Victor etiam Secundus, Stephanus Nonus, Benedictus Decimus; cujus Successor Nicolaus Secundus Pontifex, maximæ prudentiæ, & sanctitatis, ut tantis malis obviaret, anno salutis quinquagesimoprimo supra millesimum in Concilio Lateranensi sacram Legem dedit de electione Romani Pontificis per Sacrum Senatum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium peragenda, quam deinde-

Digitized by Google

deinde (1) in Concilio Senensi Alexander Tertius, & in Lugdunensi Gregorius Decimus, ac Viennensi Clemens Quintus confirmaverunt; cujus quidem Legis observantia Apostolicam Sedem ex maxima calamitate liberavit. Deinde ut schismata tollerentur, Alexander Tertius in Concilio Generali statuit, ut ille demum Canonice electus censeretur, in quem duæ Collegii partes consensissent. Sed vetuit Symmachus, cuipiam licere, Pontifice adhuc superstite, verbo, scripto, vel promissionibus, juramento, aut aliquo alio modo agere de Successore: transgressores dignitate, (2) & communione privans, (3) accusantesque, & conscios impunitate, ac præmio afficiendos censens. Nicolaus insuper præfatus voluit, Romani Pontificis electionem cum deliberatione Prædecessoris fieri debere.

COMMENTARIUS.

I. CErte Seculo ipso XI. quod variis contrariisque vulgi seditionibus, atque studiis, & aliquando Principum violentia in electione Pontificis creberrimi tumultus, contentiones, rixæ, atque etiam cruentissimæ pugnæ committerentur, sepæque altero per vim dejecto, alter Cathedram occuparet, uti Patricius inter alia notavit, *Nicolaus Secundus Pontifex maximæ prudentiæ, & sanctitatis, ut tantis malis obviaret, anno salutis quinquagesimo primo supra millesimum in Concilio Lateranensi sacram legem dedit de electione Romani Pontificis per Sacrum Senatum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ peragenda*. Errat plane hic Patricius, quum ipsum Concilium a Nicolao II. habitum dicit anno MLI. celebratum quippe fuit anno MLIX. uti docet Baronius ad ipsum annum, aliique Scriptores passim, constatque ex initio ejusdem Constitutionis. Nicolai Constitutio, seu Decretum de electione Romani Pontificis Cardinalibus attributa, habetur integra apud Labbeum, Binium, Harduinum, aliosque Conciliorum collectores, & apud Lupum Tomo v. Operum editionis Venetæ. Statuit autem primum in ea Constitutione Pontifex, ut vacante Sede Romana, *Cardinales Episcopi diligentissima simul consideratione tractantes, mox sibi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, & populus ad consensum novæ electionis accedat*. Tum vero paulo post ita subjicit: *Eligant autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si repertus fuerit idoneus; & si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore, & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam ei concessimus, & Successoribus, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint*.

II. Quod attinet ad Decretum in favorem Henrici IV. Germaniæ Regis emissum, & a Gratiano Distinctione XXIII. relatum in eo Canone, qui incipit, *In nomine*, illud jam per surreptionem fuisse obtentum, & Regem Henricum se eo indignum reddidisse, ostendit S. Anselmus Libro II. contra Guibertum antipapam, & sequaces ejus, legiturque Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum, ubi sic inquit: *Sunt item, qui objiciunt, Nicolaum juniorem Decreto Synodali constituisse, ut obeunte Apostolico Pontifice, Successor eligeretur, & electio ejus Regi notificaretur: facta vero electione, &, ut prædictum est, Regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione facti dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem, & Optimates ejus se ea Constitutione indignos fecisse. Primum, quia postea præfatum Nicolaum, Colonienſem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter tulerunt, eumque hujus gratia, quantum in se erant, a Papatu deposuerunt, & Nomen ejusdem in Canone Consecrationis nominari vetuerunt; ideoque Decretum ejus de Jure irritum esse debebit*. Et post pauca contra ipsum Decretum adducta ita subjicit: *Patet, præfatum Decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid virium habuisse; & hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolai, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum sententias Dei spiritu conditas sequendo; homo quippe fuit, eique, ut contra fas ageret, surripi potuit*. Priora Anselmi Lucensis verba refert Baronius ad annum MLIX. Num. XXIX. ex Deusdedit Cardinali, cujus Collectio Canonum, seu Libri IV. de rebus Ecclesiasticis, Anselmo etiam Lucensi attributa extat ms. in Bibliotheca Vaticana.

III. Sed quicquid sit, mortuo Nicolao II. Alexander II. qui eidem successit anno MLXI. electus & consecratus est, insciis Imperatrice & ejus filio Henrico Rege; ideoque Cadolum, seu Cadolaum antipapam eligi procurarunt, a quo multa damna Romana Ecclesia perpessa est, durante Schismate. Quamobrem cum timeretur, ne novum Schisma post Alexandri II. mortem oriretur, Gregorius VII. Alexandro II. immediate succedens anno MLXXIII. suam consecrationem distulit usque ad Regis confirmationem, eoque mortuo omnes postmodum Pontifices ordinati sunt inscio Rege Germaniæ licet Imperiali corona donato; dicique potest, ipsum Gregorium VII. tametsi multa perpessum, Romanam Ecclesiam ab ea servitute liberasse. Ceterum quomodo Rex Henricus, ejusque Optimates eo privilegio se indignos reddiderint, docet, probatque S. Petrus Damiani in Opusculo IV. seu in Disceptatione Synodali inter Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem apud Baronium ad annum MLXII. & apud Pagium in Vita Alexandri II. Papæ. Hæc autem sunt laudati Romanæ Ecclesiæ Defensoris verba: *Rectores Aulæ Regiæ cum nonnullis Teutonici Regni, ut ita loquar, Episcopis conspirantes, contra Romanam Ecclesiam Concilium collegistis, qui Papam*, scilicet Nicolaum II. *quasi per Synodalem sententiam condemnastis, & omnia, quæ ab eo fuerant statuta, cassare incredibili prorsus audacia præsumsistis. In quo nimirum non dicam judicio, sed præ-*

(1) Hæc verba, *quam deinde &c.* atque ad verbum *confirmaverunt*, in Veneta I. editione, & Colonienſi leguntur, & desunt in Romana. (2) In eadem Romana legitur *privavit*. (3) Ibidem *censuit*.

Digitized by Google

præjudicio, idipſum quoque Privilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat, ſi dicere liceat, vacuaſtis. Nam, dum quicquid ille conſtituit, veſtra ſententia decernente deſtruitur; conſequenter etiam id, quod ab eodem Papa Regi præſtitum fuerat, aboletur.

IV. Illud vero hoc loco minime omittendum eſt, quod poſt Pagium ſeniorem adnotavit Pagius alter in Vita Nicolai II. Papæ, Num. VII. ex hoc ferme tempore, quo Cardinalium S.R.E. dignitas longe majori in pretio haberi cœpit, electionem Romani Pontificis ad ſolos ipſos Cardinales, nudam vero electi approbationem ad populum pertinuiſſe. Conſtat id quidem ex Decreto electionis Gregorii VII. his verbis expreſſo: *Nos Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Accolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, ac Monachis, conſentientibus plurimis turbis utriuſque ſexus, diverſique Ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Paſtorem, & Summum Pontificem..... Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodo uſque in ſempiternum, & eſſe, & dici Gregorium Papam, & Apoſtolicum volumus, & approbamus.* Porro docet Panvinius in adnotatione ad Vitam Alexandri III. a Platina ſcriptam, in electione Lucii III. qui creatus fuit anno MCLXXXI. Papæ electionem tunc primum redactam fuiſſe ad ſolos Cardinales, Clero, & omni populo ab electione Pontificis omnino excluſis, Legemque ſalutarem in Generali Concilio Lateranenſi anno MCLXXIX. celebrato latam de duobus tertiis ſuffragiorum Cardinalium, ad evitanda inpoſterum Schiſmata executioni mandatam fuiſſe; additque, ſibi id conſtare ex ejuſdem Pontificis Diplomate apud ſe aſſervato. Id quod docet laudatus Panvinius, jam & alii eruditi Scriptores tradunt, præſertim vero Pagius in Breviario Geſtorum Romanorum Pontificum, Tomo II. in Vita memorati Lucii Papæ III. Num. I. viderique præterea poſſunt quæ idem Auctor notavit in Vita Nicolai II. Papæ, Num. VII. & in Vita Innocentii itidem II. Pontificis, Num. V.

V. Legem de electione Papæ a Cardinalibus S. R. E. peragenda latam a Nicolao Papa II. notante Patricio, *deinde in Concilio Senenſi Alexander Tertius, & in Lugdunenſi Gregorius Decimus, ac Viennenſi Clemens Quintur confirmaverunt.* Concilium Senenſe de electione Papæ ab Alexandro Papa III. celebratum nullum invenio, ideoque in hoc aſſerendo errat Patricius, ſciteque autem mox illud ſubjicit, *ut ſchiſmata tollerentur*, Alexandrum III. in Concilio Generali, Lateranenſi ſcilicet III. habito MCLXXIX. ſtatuiſſe, *ut ille demum Canonice electus cenſeretur, in quem duæ Collegii*, Cardinalium videlicet, *partes conſenſiſſent.* Extat hoc Decretum in Canone I. memorati III. Œcumenici Lateranenſis Concilii, legiturque in Capite, *Licet, De electione.* Itaque, ut adnotavit laudatus Panvinius ad Platinam, *Clero omnino, & Populo a Pontificia electione excluſis, ea ad Cardinales ſolos tunc primum redacta eſt, ad evitanda inpoſterum ſchiſmata*; eamque eligendi rationem, quæ ad hæc uſque tempora ſervatur illæſa, eſſe omnium optimam, probat doctiſſimus Bellarminus Lib. I. *De Clericis*, Cap. IX. Multa autem ſcitu digna de hac re videri poſſunt noſtro Tomo III. Conciliorum in Commentario ad ipſum I. Canonem Lateranenſis III. Concilii.

§. XI.

Gregorii X. Statutum de electione Summi Pontificis.

Poſt hæc autem, ne diutinæ vacationis incommodis Romana Eccleſia premeretur, neve Patres variis ambientium ſtudiis corrumpi poſſent, Gregorius prælibatus ejus nominis Decimus in Concilio Lugdunenſi ſtatuit, Romano Pontifice vita functo, Cardinales præſentes decem tantum dies abſentes expectare (1) debere, moxque cum illis, qui adeſſent, locum Conclavis in Urbe, in qua Pontifex cum ſua Curia reſidebat, ſimul ingredi, cum uno tantum Miniſtro, vel ſi patens neceſſitas fuerit, cum duobus. Conclave ipſum nullo pariete, aut velamine ſeparandum, in communi habitandum, ita claudendum, ut nullus poſtquam convenerit, egredi queat: neminem ad colloquium admittendum, niſi forte re urgente, & ab univerſo Collegio approbatum, & a nemine nuncios, ſive litteras accipiendas: feneſtram, ſive porticulum unum tantum dimittendum, quo ſubminiſtrari poſſint, quæ ad vitam pertinent. Si vero poſtquam Patres intraverint, intra tres dies electionem non perfecerint, per quinque ſequentes dies tam in prandio, quam in cœna uno tantum ferculo contentos eſſe oportere: quibus elapſis, ſi adhuc concordes non fuerint, panis tantum, vinum, & aqua illis adminiſtrentur, quoad Pontificem rite eligant. Interim vero nihil de Camera Apoſtolica a Patribus percipiendum, nihil aliud omnino agendum, niſi communi conſenſu aliquid pro patrimonio Eccleſiæ neceſſario ſit providendum: ſiquis ex Patribus ob adverſam valetudinem egreſſus eſt, aut de novo adveniens ingredi voluerit, re adhuc integra admittendum ea conditione, ut eo utatur, quo alii Patres tunc utuntur. Si extra locum ſuæ Curiæ Pontifex deceſſerit, conveniant Cardinales in Civitate illius Territorii, ubi deceſſit, in Palatio Epiſcopali, vel alio condecenti loco, & omnia ſervent, quæ ſuperius ſunt dicta. Statuit & alia pleraque Gregorius, quæ ad Dominos loci (2) Conclavis, & Patrum tutelam, ac ſecuritatem pertinent:

(1) In editione legitur Romana, *oportere*. (2) deeſt *loci* in Veneta, & Colonienſi, ſed legitur in editione Romana.

Digitized by Google

tinent: hortatur Patres ad electionem rite faciendam pro Dei honore, & publica utilitate, & pactiones, juramenta, obligationesque omnes pro ea re factas damnat, atque irritat.

COMMENTARIUS.

I. Præter Alexandri III. Decretum, quo edicitur, ut is censeatur Canonice electus Pontifex, in quem duæ Cardinalium partes consentiunt, *ne diutinæ vacationis incommodis*, ut notat noster §. *Romana Ecclesia premeretur, neve Patres variis ambientium studiis corrumpi possent, Gregorius prælibatus ejus nominis Decimus, in Concilio Lugdunensi*, scilicet Generali II. Canone II. quem nos fuse explicuimus nostro Tomo IV. Conciliorum, & supra non uno in loco, *statuit, Romano Pontifice vita functo, Cardinales præsentes decem tantum dies absentes expectare debere, moxque cum illis, qui adessent, locum Conclavis in Urbe, in qua Pontifex cum sua Curia residebat, simul ingredi cum uno tantum Ministro, vel si patens necessitas fuerit, cum duobus.* De Conclavi abunde actum jam superius fuit; ejus ordinandi occasionem dedit diutina Apostolicæ Sedis vacatio in annum fere tertium, quo Gregorius ipse X. subrogatus fuit Clementi Papæ IV. Mandat autem inter alia in ipsa sua Constitutione, quæ relata est in Capite, *Ubi periculum* III. *De electione &c.* in VI. ut *Cardinales, qui fuerint in Civitate ipsa præsentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur*; & interim novendialia demortui Pontificis per Cardinales præsentes celebrentur, ut tradit Panvinius in Notis ad Platinam, ubi enarrat Vitam Gregorii X. Novendialia sunt preces, seu Missæ per novem dies continuos pro defuncto Pontifice celebrandæ, de quibus dicemus infra, Titulo XV. ubi agemus de ægrotatione, morte, & exequiis Romani Pontificis.

II. Certum profecto illud est, ante laudati Gregorii Constitutionem nulla lege fuisse adstrictos Cardinales, ut decem dies expectarent absentes ad peragendam electionem novi Pontificis. Constat siquidem vel ex Summorum Pontificum Vitis, qui Seculo ipso XIII. quo Gregorius Papa rexit Ecclesiam, claruerunt, citius non semel peractas fuisse eorum electiones, licet Cencius Camerarius, qui fuit postea Papa Honorius III. in suo Ordine Romano XII. Capite XLVIII. diserte scribat, mortuo Summo Pontifice, tertio tantum die post agi cœptum de Successoris electione. Et quidem eodem die, quo mortuus est Cælestinus III. electum fuisse Innocentium itidem III. nos dubitare non sinunt acta ejus Vitæ edita a Francisco Bosqueto ex veteri Collegii Fuxsensis ms. Codice, & a Pagio descripta in Vita ipsius Innocentii, Num. I. Rursus erepto ex hac vita Innocentio III. die decimasexta mensis Julii anni MCCXVI. & die sequenti sepulto, statim, scilicet die decima octava ejusdem mensis memoratus Cencius, qui in Pontificatu Honorius III. nomen sumsit, electus est Perusii, cum cessasset *Papatus per unum diem*, ut scribit Martinus Polonus in Chronico, & Bernardus Guido in Speculo historico Romanorum Pontificum confirmat, ubi causam tam festinatæ electionis nos docet: *Vacavit Sedes*, inquit, *per unum tantummodo diem, Perusinis causa electionis Papæ strictissime arctantibus Cardinales*. Tandem, ut alios omittam, mortuo Honorio III. die XVIII. Martii, die sequenti XIX. electus atque inthronizatus etiam fuit Gregorius IX. uti ostendit Pagius in ejusdem Gregorii Vita. Sane docet Glossa in citato Capite, *Ubi periculum*, quod ubi decem dies expectati sunt Cardinales absentes, possunt præsentes Cardinales Papam eligere, *etiamsi essent pauciores, quam tertia pars per hanc Constitutionem*.

III. Ergo Romano Pontifice vita functo Cardinales præsentes decem tantummodo diebus juxta laudatam Gregorii X. Constitutionem Cardinales absentes expectare tenentur, & interim solitas novem continuorum dierum exequias omnino peragere, nec ullo prætextu ulterius differre. Id enim expresse mandat Pius Papa IV. in sua Constitutione, quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. volens præterea, ut *si quando per observantiam alicujus magni & præcipui Festi, Cardinalibus videretur officium exequiarum intermitti debere, dies illi sic intermissi in numerum novem dierum nihilominus computari debeant, & impensa, quæ in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur*. Statuit deinde & illud Pius, ut lapsis decem diebus a die obitus Pontificis, ingressus Conclavis nullatenus prorogetur, aut differatur, sed sequenti die Missa de Spiritu Sancto celebrata, sive Cardinales absentes venerint, sive non, qui fuerint præsentes statim Conclave ingredi teneantur, & ingredientes ipsi absque mora aliqua in electionis negotio procedant, & singulis diebus Scrutinium fiat, & in primo Scrutinio etiam accedere liceat; siqui vero forte intrare noluerint, vel ingressi absque manifesta infirmitatis causa, juramento Medicorum, & a majori parte Cardinalium per secreta suffragia approbata exiverint, dictæ Constitutionis Gregorii X. pœnam incurrant. Declarat insuper Pius, quod postquam Cardinales præsentes, aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis, aut alia quacumque etiam publica causa, etiam cum licentia Summi Pontificis absentibus, ulterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum a morte Pontificis, electionem, *sive intra, sive extra Conclave fecerint* electio sic facta, ex itineris, aut alterius etiam probabilis, & notorii ipsorum Cardinalium absentium impedimenti prætextu, impugnari minime valeat, *cum publica utilitas ex matura electione proveniens, cuivis alteri rationi præferri debeat*.

IV. Ex recitatis hactenus verbis notandum illud præsertim est, electionem scilicet Papæ, vel Pii IV. Pontificis tempore, ac etiam deinceps potuisse peragi *sive intra, sive extra Conclave*; docetque Cohellius in sua Notitia Cardinalatus, Cap. XIII. citans Jacobatium, *De Concilio*, Lib. IV. Articulo IV. Num. CLIV. & sequenti, ac Manfredum Decisione CCCXXIV. electionem ipsam tam aperto, quam clauso Conclavi peractam, validam fuisse putatam. Quicquid sit de hac opinione, nulli dubium est, quin hodie ex celeberrima omnium Constitutione, quam

Digitized by Google

quam de electione Summi Pontificis edidit Gregorius XV. anno MDCXXI. incipitque, *Æterni Patris Filius*, ad validitatem electionis requiratur, ut fiat *in Conclavi, & eo clauso*. Ceterum quod super hujusmodi Conclavis clausura accidere quædam possent, ex quibus validitas electionis Papæ in dubium posset revocari, Urbanus Papa VIII. ut omnem dubitandi ansam tolleret, nova sua Constitutione eam Gregorianæ sanctionis partem ita intelligendam esse edixit: *Ut statim post clausum Conclave diligens fiat inquisitio super ipsa clausura, eaque in effectu reperta, publicum fiat documentum per Cæremoniarum Magistrum; quo peracto, etiamsi postea in totum, vel in parte apertum de facto reperiatur Conclave, semper tamen clausum, & pro clauso censendum, & habendum quoad electionis validitatem, donec de consensu duarum partium Cardinalium præsentium per secreta suffragia apertum esse declaretur.*

V. Juxta praxim, quæ a multo tempore invaluit, & Cæremonialis præscriptum, quod continet ritus electionis Romani Pontificis, & jussu Gregorii Papæ XV. editum est, *exequiis defuncti Pontificis completis, & interim Conclavi opportuno præparato, Cardinales in Basilica S. Petri, vel alibi, pro temporis, & loci opportunitate, conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel, eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebretur, & in fine per aliquem Prælatum, aut alium Virum doctum habeatur Oratio, in qua moneatur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ de Pastore sufficienti, & idoneo providere, omni qua possunt brevitate, & diligentia curent, ad Apostolicarum Constitutionum, & Conciliorum præscriptum*. Sane juxta antiquum Romanum Ordinem XII. Auctore Cencio, Cap. XLVIII. cujus supra meminimus, mortuo Romano Pontifice, & sepulto, tertia ejus obitus die congregatis Cardinalibus in Ecclesia, *Missa Sancti Spiritus ibidem primitus* celebrabatur. Introductis Novendialibus, consuevit Missa de Spiritu Sancto celebrari die decima, ejusque ritus meminit in suo Romano Ordine XV. Petrus Amelius, Capite CXLIX. in Rubrica, *De Conclavi*, ubi etiam ait, Cardinales post mortem Gregorii Papæ XI. *voluisse audire in Hospitali Sancti Spiritus Missam de Spiritu Sancto*. Sequenti die post Novenam id factum addit, *quia voluerunt habere consilium cum Romanis, antequam intrarent Conclavim, pro conservatione Conclavis*. Eodem teste Auctore, *post mortem Domini Urbani VI. Domini Cardinales post Missam nonam, & Sermonem voluerunt audire Missam ibidem*, in Hospitali scilicet Sancti Spiritus, *de Spiritu Sancto cum Sermone, quam dixit Dominus Pisanus*. Forte Sermo habitus post Missam nonam fuit in laudem defuncti Pontificis, alter vero dictus post Missam de Spiritu Sancto, fuit de novo eligendo Pontifice.

VI. Re divina peracta, Clericus Cæremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis Cappis violaceis. Crucem præcedunt Familiares Cardinalium, & immediate Cantores Hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes. Post Cardinales sequuntur Prælati, atque ita processionaliter procedentes Conclave ingrediuntur; & cum ad Capellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem, *Deus, qui corda fidelium*. Qua finita, leguntur, & jurantur per Cardinales Constitutiones de Romani Pontificis electione, & una cum eis Constitutio Gregorii XV. Deinde Cardinales post Sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium rite, & recte peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos juxta Constitutionem Pii IV. distributas divertunt; & post prandium omnes rursus simul congregantur, & Officiales Conclavis, & alii præstant Sacro Collegio juramenta consueta.

VII. Ex eodem vero Cæremoniali jussu laudati Gregorii Papæ XV. edito cautum est, ut Cardinales ingressi Conclave non exeant, vespere reversuri, sed in ipso omnino permaneant; ipsumque Conclave post ter jussu Cardinalis Decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secunda circa secundam, & tertia circa tertiam, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves S. R. E. Camerario, ac Magistro Cæremoniarum, & Prælatis Custodibus Conclavis juxta solitum assignentur. Deinde accensis funalibus, tres Cardinales Capita Ordinum, & Camerarius una cum Magistro Cæremoniarum latebras, & angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possunt Familiares Cardinalium, & alii Officiales, & Ministri Conclavis, qui in Constitutione Pii IV. recensentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro Magistris Cæremoniarum, & alius pro Secretario Sacri Collegii, hac tamen conditione adjecta, ut famulus Magistrorum Cæremoniarum actu uni ex illis inserviat, & per sex menses ante fuerit ejus continuus commensalis; quæ conditio in famulo Secretarii similiter exigitur. Omnium autem istorum Conclavistarum post prandium diei sequentis fit recognitio, ne quis inter illos forte esset ex iis, qui in Conclavi esse non possunt; quæ recognitio, ut certius fiat, jubentur Conclavistæ omnes intrare Capellam, & postea singillatim recensentur.

VIII. Statuit præterea de Conclavistis Pius IV. in citata sua Constitutione, ut nimirum, Conclavistæ a Cardinalibus approbentur, & qui Cardinalibus inservituri sunt in Conclavi, continui Commensales ipsorum Cardinalium, *& ab anno ante fuisse, & tunc esse debeant; & non mercatores, Ministri Principum, Domini temporales, & jurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent*. Mandat quoque, ut *de qualitatibus Conclavistarum Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, & eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter providere debeant*. Jubet denique, ut *Conclavistæ & quicumque alii servientes, Conclave ex causa infirmitatis manifestæ, & notabilis a medicis medio juramento probatæ, & de consensu Deputatorum, quorum etiam conscientiam*, inquit Pontifex, *desuper oneramus, & non aliter exituri, nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore, quo infirmi exibunt, ingrediantur*. Porro quod famulorum numerum

Digitized by Google

merum spectat, quos quisque Cardinalis habere in Conclavi pro suo servitio potest, definitus hic primum fuit ex Constitutione Gregorii X. Papæ, quam in hoc §. nostri Cæremonialis recenset Patricius, ubi ait debere Cardinales Conclave *simul ingredi cum uno tantum ministro, vel si patens necessitas fuerit, cum duobus*; quia forte aliquis, ut ait Glossa, *podagras patitur, ita quod necesse habet per servientes sustineri, & portari, vel alia similis causa*. Ceterum statuit quidem in sua Constitutione Pius IV. Pontifex, ut *quilibet Cardinalis in Conclavi duobus servientibus Clericis, vel laicis contentus sit; infirmis autem, & graviter affectis a majori parte Collegii per secreta suffragia tertius ad summum indulgeri possit*.

IX. Præter Conclavistas, quibus Cardinales in Conclavi ad sua propria servitia utuntur, ex ejusdem Pii Papæ IV. Constitutione alii Ministri, & Officiales Conclavis determinati sunt; *Sacrista quoque*, inquit, *cum uno Clerico coadjutore in officio Sacristiæ, duo quoque Magistri Cæremoniarum Conclave ingrediantur, Missis celebrandis, & aliis, quæ ad ipsos pertinent, vacaturi. Adsit præterea unus Religiosus pro Confessionibus audiendis a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus. Unus Collegii Secretarius tantum, duo Medici, unus Chirurgus, unus Aromatarius cum uno, aut duobus servientibus, unus faber lignarius, unus cementarius, duo barbitonsores cum uno aut duobus servientibus. Item octo, aut decem servientes publicæ utilitati, & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclave, & similibus necessariis ministrandis, qui omnes a Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persolvantur*. Addit mox, si ultra præfatas personas in Conclavi aliquis inventus fuerit, expelli illum statim debere; & siquis uspiam se occultasse deprehendatur, ignominiose esse expellendum, & infamia notandum, officiisque, ac Beneficiis privandum: conscios vero sub eadem pœna teneri illos Collegio revelare, præmium reportaturos si indicaverint.

X. Notandum nunc sunt, quæ de ipso Conclavi statuit nostrum Cæremoniale, sive potius Gregorius X. in sua Constitutione: *Conclave ipsum*, ait, *nullo pariete, aut velamine separandum: in communi habitandum*. Permisit tamen postea Clemens VI. Cardinalibus posse habere in Conclavi simplicium cortinarum velamina, ut honestius valerent in suis lectis quiescere: *Liceat etiam eis ex decentia honestatis habere in clausura hujusmodi, cum in lectis quiescendi causa, vel dormiendi, esse voluerint, dumtaxat intermedia, seu velamina simplicium tantummodo cortinarum*. Ex hisce intermediis ortæ sunt deinde cellæ in Conclavi, de quibus loquitur in sua Constitutione Pius Papa IV. mandans, ut *cellæ Conclavis Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis prætextu mutare, aut desuper ædificare, vel illas dilatare, sed quilibet, etiam Decanus, sit sua sorte contentus*. Cellæ istæ sunt veluti cubicula, invaluitque mos, ut ex tabulis fiant, pannoque viridi cooperiantur, cellis tamen illis exceptis, quæ usui sunt Cardinalibus a proximo defuncto Pontifice electis; ipsæ enim cellæ vestiri panno violaceo solent, & quidem a Conclavi post obitum Julii II. ut supra dictum fuit. Porro ex Romano Ordine XV. Petri Amelii Capite CXLIX. cautum fuit, ut Cardinales *faciant parari cameras suas cum cortinis suis, & lectisterniis sine palea, nisi esset in frigoribus*. Mobilia Cardinalium in Conclavi habenda, ab eodem Auctore hæc recensentur, scamnum, non tamen capsa, nisi esset aperta totaliter, vas ad tenendum aquam, vinum, vel carnes, & alia utensilia ligneа, veru, seu barræ, super quibus debent poni cortinæ, & *circumquaque solvit Camera*. Cœpisse primum fieri cellas Conclavis ex tabulis subtilibus anno MDXXI. in Conclavi scilicet post Leonis X. Papæ obitum constructo, ex ms. Diario Paridis Grassi addiscimus, servaturque in celebri Bibliotheca Casanatensi, & continet Acta ab anno MDXIII. usque ad annum MDXXI. De eo itaque laudatus Auctor in fine Codicis agens, sic inter alia inquit: *Fieri feci tabularium super solari, & cooperiri cellas ex tabulis subtilibus, & claudi fenestras cum telaribus, & tela cerata super fenestras vitreas*. Eo quoque tempore, eodem Auctore Grasso Cæremoniarum Romanæ Ecclesiæ Magistro, fieri cœpta est Rota, per quam fercula introducerentur; sic enim mox ipse subjicit: *Item proposui, quod propter multas fraudes, quæ committuntur in aperitione portellæ quando introferuntur fercula, bonum esset, quod una Rota apud portam in angulo fieret more Monialium; quod placuit omnibus, & commiserunt, quod fieret omnino cum duabus portis hinc inde, & Custodes unam clavem haberent, & aliam Magistri cæremoniarum tenerent*.

XI. His jam iterum iterumque explicatis, redeo ad nostrum Cæremoniale, quo statuitur, *neminem in Conclave ad colloquium admittendum, nisi forte re urgente, & universo Collegio approbatum, & a nemine nuncios, sive litteras accipiendas*. Id plane edixit primum Gregorius X. in sua Constitutione ita inquiens: *Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis: neo ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur*. Additque hæc statim: *Nulli etiam fas sit, ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel scripturam; qui vero contrafecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat*. Notat Glossa Canonici Juris in Cap. *Ubi periculum, De electione &c.* in VI. excommunicationem hac Constitutione Gregorii X. minime esse reservatam, ideoque posse ab Ordinario absolvi. Sed sciendum tamen, reservatam deinde fuisse Pii Papæ IV. Constitutione, quæ incipit, *In eligendis*, ubi inter alia ita statuit: *Litteras vero, aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut contra, e Conclavi ad eos, qui foris erunt, nullo modo l'ceat: qui contra fecerint, quacumque dignitate, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, pœnæ excommunicationis latæ sententiæ subjaceant, absolvendi facultate, prætequam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reservata, a quo nihilominus pro qualitate delicti, ultra dictam*

Digitized by Google

ctam excommunicationis pœnam, puniendi erunt.

XII. Edicit præterea noſtrum Cæremoniale, *feneſtram, ſive porticulum unum tantum dimittendum*, in ipſo ſcilicet Conclavi, *quo ſubminiſtrari poſſint, quæ ad vitam pertinent*. Eadem plane & hæc ſunt, quæ ſtatuit Gregorius Pontifex X. in ſua Conſtitutione, ſic dicens: *In Conclavi tamen prædicto aliqua feneſtra competens dimittatur, per quam eiſdem Cardinalibus ad victum commode neceſſaria miniſtrentur; ſed per eam nulli ad ipſos patere poſſit ingreſſus.* Juxta antiquos hujus loci Interpretes, quos citat Gloſſa, debet eſſe ipſa feneſtra *cum rota ad modum Monialium, vel cum barris ferreis circumdata*. Docet autem in ſuo Romano XV. Ordine Petrus Amelius, Cap. CXLIX. debuiſſe fieri hanc feneſtram, ſeu porticulum in porta ipſa Conclavis: *Porta*, inquit, *ſit clauſa bene cum barris, & clavelaturis, & catena; & in medio ſit foramen, per quod detur eis ad comedendum, longitudinis unius palmi, & ſemis, & tantum in altitudine, quod etiam cum clavi claudatur.* Juxta eundem Auctorem munus erat Cuſtodum Conclavis, ut *omni die, mane, & ſero* facerent ad Cardinales *de domibus eorum portari cibaria cocta, & alia vitæ neceſſaria*; cavendumque eiſdem ait, *ſub pœna perjurii, quod bene aperiant ſemper, & videant quicquid portatur Cardinalibus ad comedendum, &, ſi paſtilla eis portarentur, illa aperiant.*

XIII. Confirmat hæc quidem, novoque robore munit Pius Papa IV. ubi in ſua de electione Romani Pontificis Conſtitutione ſtatuit, ut *Prælati quoque ad cuſtodiam Conclavis deputati, ſub pœna perjurii, & ſuſpenſionis a Divinis, maxima, & exquiſita diligentia utantur in inſpiciendis, ac perſcrutandis epulis, & aliis rebus, ac perſonis Conclave intrantibus, & de eo exeuntibus, ne ſub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, vel ſigna aliqua tranſmittantur.* Additque mox etiam, *quod ſi tale quid inventum fuerit, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes, pœnam privationis Officiorum, & Beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta, & obtinenda incurrant; & ulterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde, niſi mandato novi Pontificis, minime relaxandi, ſed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate Collegio Cardinalium in favorem quorumcumque, qui in præmiſſis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.* Solent cibi ad Cardinales Conclavi incluſos ab eorum domibus deferri per Dapiferos, qui eam etiam ob cauſam a recentioribus Pontificibus donati ſunt privilegiis, uti in eorum Conſtitutionibus videre eſt, quæ in Romano Bullario ſæpæ occurrunt.

XIV. Quantum vero ad cibos, quibus veſci in Conclavi Cardinales debent, noſtrum Cæremoniale Conſtitutioni adhærens Gregorii Papæ X. ſtatuit quidem, *ſi poſtquam Patres Conclave intraverint, intra tres dies electionem non perfecerint, per quinque ſequentes dies, tam in prandio, quam in cœna uno tantum ferculo contentos eſſe oportere: quibus elapſis, ſi adhuc concordes non fuerint, panis tantum, vinum, & aqua illis adminiſtrentur, quoad Pontificem rite eligant.* Sed & id poſtea variatum nonnihil fuit a Clemente Papa VI. ut ex ejus Conſtitutione liquet, qua ſtatuit, ut Cardinales in Conclavi congregati, *ſingulis diebus, præter panem, vinum, & aquam, in prandio, & in cœna, unum dumtaxat ferculum carnium unius ſpeciei tantummodo, aut piſcium, ſeu ovorum, cum uno potagio de carnibus, vel piſcibus principaliter non confecto, & decentibus ſalſamentis habere valeant, ultra carnes ſalitas, & herbas crudas, ac caſeum, fructus, ſive electuaria: ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum, niſi ad condimentum fieret, vel ſaporem*; adjecta conditione, *ut nullus eorum de alterius ferculo veſci poſſit.* Atque hæc confirmavit deinde Pius Papa IV. in citata ſua Conſtitutione, *In eligendis*, qua mandat, ut *Cardinales primo ipſo die, quo Conclave ingreſſi fuerint, tam in prandio, quam in cœna, uno ſolo ferculo unius ſpeciei tantum, eoque moderato, & alias juxta Conſtitutionem præfati Clementis VI. qualificato contenti ſint, & eſſe debeant, nec quiſquam in alterius cella, vel de alterius ferculo veſcatur.*

XV. Jubet quoque & illud hic noſter §. quod alias recentiores æque ac priſci Pontifices conſtituerunt, interim ſcilicet dum vacat Sedes, *nihil de Camera Apoſtolica a Patribus percipiendum, nihil aliud omnino agendum, niſi communi conſenſu pro patrimonio Eccleſiæ neceſſario ſit providendum.* Sed audiamus primum de hac re Gregorium X. in Conſtitutione ſua ſic ajentem: *Proviſionis quoque hujuſmodi pedente negotio, dicti Cardinales nihil de Camera Papæ recipiant, nec de aliis eidem Eccleſiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque; ſed omnia, ipſa vacatione durante, ſub ejus, cujus fidei, & diligentiæ Camera eadem eſt commiſſa, cuſtodia maneant, per eum futuri Pontificis diſpoſitioni reſervanda.* Tum etiam ita paulo poſt addit: *Iidem quoque Cardinales accelerandæ proviſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de Terra ipſius Eccleſiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel niſi aliquod tam grande, & tam evidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur, illi celeriter occurrendum.* Confirmat hæc Pius Papa IV. luculentiuſque exponit in ſua Conſtitutione, *In eligendis*, §. *Sedis autem*, ex eoque Cæremoniale Gregorii Papæ XV. juſſu editum, & inter alios Cohellius in notitia Cardinalatus, Cap. XIII.

XVI. Ut aliquid vero de antiqua Romanæ Eccleſiæ diſciplina dicamus circa adminiſtrationem rerum ejuſdem Eccleſiæ Sede vacante; teſte Baronio ad annum DXC. quem citat Sandinus in adnotatione ad Vitam Joannis IV. Archipresbyter, Archidiaconus, & Primicerius Notariorum non tantum vacante Sede, ſed etiam abſente Summo Pontifice, Eccleſiam Romanam adminiſtrabant. Extat in Capite II. Libri Diurni Romanorum Pontificum, Titulo I. formula Litterarum ad Italiæ Exarchum de tranſitu Pontificis ſcribi ſolitarum, in qua hæc leguntur: *Superſcriptio. Domino excellentiſſimo, atque præcellentiſſimo, & a Deo nobis longævitatem in principalibus miniſteriis feliciter conſervando, III. Exconſuli, Patricio, & Exarcho Italiæ, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, Ill. Primicerius Notariorum, ſervantes locum Sedis Apoſtolicæ.* Ubi *Ill.* idem eſt, quod apud nos *N.*, cum ſcilicet locus nominis indicatur. Quo tandem tempore vacante Sede, adminiſtratio tranſ-

Digitized by Google

lata fuerit ad Sacrum Cardinalium Collegium, facile non est divinare. Franciscus Pagius in Prefatione Tomi I. Vitarum Romanorum Pontificum, Num. XIV. conjicit, administrationem ipsam translatam fuisse ad Cardinales non quidem anno MCCXLI. ut ad annum eundem, Numero XXI. insinuat Spondanus, sed anno MLIX. quo Nicolaus II. in Synodo Romana, de qua supra dictum est, tribuit jus eligendi Romani Pontificis solis Cardinalibus. Ab eodem anno MLIX. absente Pontifice, Ecclesiæ regimen fuisse penes aliquot Cardinales a Pontifice designatos, multum verisimile videtur; nam anno MCXVIII. cum Gelasius II. in Galliam secedere decrevisset, Petrum Portuensem Episcopum pro se Vicarium constituit, & Cardinales aliquot ei in auxilium sociavit, ut testatur Pandulphus in ejus Vita.

XVII. Obiter his dictis, devenio ad nostri Cæremonialis præscriptum, in quo statuitur, *siquis ex Patribus ob adversam valetudinem egressus est, aut de novo adveniens ingredi voluerit, re adhuc integra, admittendum ea conditione, ut eo utatur, quo alii Patres tunc utuntur*. Quod hic breviter, subobscureque ait Patricius, fusius jam ante illum, clariusque exposuit Gregorius X. ita inquiens: *Sane si aliquis ex prædictis Cardinalibus Conclave prædictum, ut supra exprimitur, non intraverit, aut intrans, absque manifesta causa infirmitatis, exierit, ipso minime requisito, nec in ejusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente idem Conclave ex eis aliquem exire contingat, poterit ejus suffragio non requisito, ad electionem procedi; sed si ad alios post sanitatem sibi redditam, seu ante redire voluerit, vel etiam si alii absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint, re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiæ sit de Pastore provisum, in eodem negotio in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur, præmissa tam de clausura, quam de servientibus, cibo, ac potu, & reliquis, cum aliis servaturi*. Orta est aliquando quæstio de Cardinali, qui propter infirmitatem nolens manere in Conclavi, voci suæ renunciavit, an hæc renunciatio valeat, & num rediens admittendus sit. Ostiensis quidem, cui, ut notavit Glossa in Cap. *Ubi periculum*, *De electione*, in VI. hoc de facto contigit, discussit hanc quæstionem in Cap. *Nisi cum pridem*, *De renunciatione*, docetque, Cardinalem factæ renunciationis pœnitentem, si redierit, admittendum esse; sed statim tamen addit, Cardinalem ipsum de iis, quæ medio tempore facta sunt, conqueri haud posse. Videri autem possunt & de hac Quæstione Canonici Juris Interpretes in suis ad citatum Textum in Capite, *Ubi periculum*, Commentariis. Præceteris vero legendus doctissimus Passerinus in suo celeberrimo Opere numeris omnibus absoluto, quod inscripsit, *De electione Canonica*.

XVIII. Porro si extra locum suæ Curiæ Pontifex decesserit, cautum est ex nostro Cæremoniali Constitutionibus Gregorii X. & Clementis V. adhærente, ut *conveniant Cardinales in Civitate illius Territorii, ubi decesserit, in Palatio Episcopali, vel alio condecenti loco &c.* Sed & audiamus hic Gregorium ipsum X. Papam, qui ita de ea re statuit: *Si quando Romanum Pontificem extra Civitatem prædictam, in qua erat cum sua Curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in Civitate, in cujus Territorio, seu districtu Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat: quo casu in alia viciniori conveniant, quæ similiter nec Interdicto subjaceat, nec sit, ut prædicitur, aperte rebellis*. Additque mox: *In hac etiam Civitate tam quoad expectationem absentium, quam quoad habitationem communem, clausuram, & cætera omnia in domo Episcopali, vel alia qualibet eisdem Cardinalibus deputanda, eadem observentur, quæ superius, obeunte dicto Pontifice in ea, in qua cum sua Curia residebat, sunt expressa*. Hoc Gregorii Decretum confirmavit deinde, explicuitque luculentius Clemens V. in Clementina sua Constitutione, quam edidit ipse de electione Summi Pontificis, legiturque in Cap. II. *De electione &c.* cum enim juxta prædictam Constitutionem Gregorii, Papa extra Civitatem, in qua cum sua erat Curia, moriente, in Civitate, in cujus districtu, seu territorio moritur, sit regulariter Successoris electio celebranda; *districtus, seu territorii nomine Diœcesim hoc casu intelligendam fore*, censuit Clemens; qui etiam adjecit, *quod si in certo loco Causarum, & Litterarum Apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, sed ubi prædicta fuerit audientia, memorata electio, celebretur, etiamsi eadem audientia tempore mortis hujus vacare noscatur, nisi forte ante mortem eandem ordinatum esset per Papam de Curia transferenda: quo casu servetur provisio Constitutionis prædictæ*; ut scilicet fiat electio in loco, ubi Papa moritur, uti jam Gregorius Papa X. statuerat.

§. XII.

De Clementis V. declaratione, & additione.

Hoc Gregorii Decretum Clemens confirmans declarat, illudque per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vacante Sede, nullo modo immutari posse, nec licere Cardinalibus quicquam potestatis, aut jurisdictionis Pontificalis tunc exercere, nisi Officio Camerarii, & majoris Pœnitentiarii, si forte per id tempus vacarent, pro tempore providere. Pro Territorio autem Diœcesim intelligi voluit hac additione, quod si Audientia Causarum & Litterarum Apostolicarum in aliquo certo loco Pontifice moriente remanserit, electionem ibi, non autem ubi Papa decesserit, esse celebrandam, nisi prius per Papam statutum fuisset de Curia transferenda. Item si electione non completa, Patres de Conclavi simul, vel successive exierint, compellendos esse a Dominis,

Digitized by Google

nis, seu Magistratibus locorum rursus ad Conclave redire, & opus perficere. Demum absolvit, & habilitat (1) omnes Cardinales ad effectum electionis, ab omnibus Censuris, & pœnis.

COMMENTARIUS.

I. STatuit & alia pleraque Gregorius, quæ uti notat hic noster §. ad Dominos Conclavis, & Patrum tutelam, & securitatem pertinent, hortaturque Patres ad electionem rite faciendam pro Dei honore, & publica utilitate, & pactiones, juramenta, obligationesque omnes pro ea re factas damnat, atque irritat. Quæ omnia confirmarunt deinde, novoque robore munierunt & alii Summi Pontifices, præ cæteris autem Clemens Papa V. in citata sua Constitutione in Concilio Viennensi edita, quæ incipit, *Ne Romani*, & relata est inter Clementinas, Cap. II. citato Titulo, *De electione &c.* cujus etiam meminit nostrum Cæremoniale, ubi ait, Gregorii X. Papæ Decretum confirmatum, ac declaratum fuisse a Clemente V. *illudque per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vacante Sede, nullo modo immutari posse; nec licere Cardinalibus quicquam potestatis, aut jurisdictionis Pontificalis tunc exercere, nisi Officio Camerarii, & majoris Pœnitentiarii, si forte per id tempus vacarent, pro tempore providere.* Recitanda hic censeo verba Clementinæ Constitutionis, qua inter alia mandat Clemens Papa V. *quod si ejusdem Ecclesiæ*, Romanæ scilicet, *Camerarium, aut Majorem, vel aliquos alios ex Pœnitentiariis, quorum officium per obitum ejusdem Pontificis nolumus*, inquit, *expirare, per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem Cœtus*, videlicet Cardinalium, *ad tempus vacationis hujusmodi, pro numero deficientium, vel ampliori etiam, quantum ad Pœnitentiarios, si hoc eidem Cœtui concorditer expedire videbitur, alios subrogare.*

II. De Camerario S. R. E. jam superius nonnihil diximus; de Pœnitentiario autem differuimus Tomo III. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum III. Agit de utroque in sua de electione Summi Pontificis Bulla Pius Papa IV. ubi inter alia decernit, & declarat, Camerarii, & Majoris Pœnitentiarii officia, etiam Sede vacante durante, ita durare, ut tamen ea, quæ ipsius Pii Papæ Constitutione prohibentur, & quæ Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus pro ejusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abstinebant, minime usurpent. Sane quod Pœnitentiarium Romanæ ipsius Ecclesiæ spectat, quemadmodum Episcopi jampridem habuerunt Pœnitentiarium Generalem, ad quem tanquam ad ipsum Episcopum pro absolutione gravium criminum recursus haberetur, & quem in perplexis, atque difficilioribus casibus inferiores Confessarii consulerent, uti ostendit Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici*, Titulo XII. Cap. III. ita & Romanus Pontifex jampridem Pœnitentiarium suum habuit. Cum vero labentibus seculis plurium criminum, ac Censurarum absolutiones, necnon votorum, atque Irregularitatum dispensationes, & Canonicorum impedimentorum relaxationes ad Sedem Apostolicam devolutæ sint, ideoque major, & frequentior pro iis obtinendis ad ipsam Apostolicam Sedem accedendi fuerit necessitas, Summus Pontifex, quod ea solus examinare, & decidere minime valeret, omnia Pœnitentiario suo plene commisit; idque primitus, uti in Relatione Romanæ Curiæ Parte II. Discursu XII. notat Cardinalis de Luca, tam in Foro externo, quam interno, adeout pleraque negotia, quæ hodie per Datariam, ut vocant, & Secretariam Brevium expediuntur, concederentur per viam Pœnitentiariæ, itaut tunc temporis minime esset necesse super dispensatione, exempli gratia, Matrimoniali, pro Foro interno recurrere ad Pœnitentiariam, & pro Foro externo ad Datariam, ut fieri hodie solet.

III. Teste eodem Cardinale de Luca, quem citat, ac sequitur laudatus Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici*, Titulo XXII. Cap. III. duravit hæc summa Pœnitentiarii auctoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno MDLXII. Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ edidit, quæ incipit, *In sublimi*, in qua ait primum Pontifex, quod ad Pœnitentiariæ Apostolicæ officium considerationis oculis directis, attenderit, in Pœnitentiariæ officio, in quo morum censura, & animarum salus præcipue vertitur, plures, & diversos abusus, propter superiorum temporum licentiam, & injuriam irrepsisse, ideoque reformationem decrevisse, qua plurimas facultates Pœnitentiario, & ejus Officialibus adimit. Ulterius progressus Pius V. novam plane formam ipsius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata, & abolita, induxit, per suam Constitutionem, quæ incipit, *In omnibus*, mandans inter alia, ut *ipsum Pœnitentiariæ Officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis magis convenerunt, exoneratum, atque expeditum, debinc ea, quæ animarum salutem præcipue concernunt, attentiore studio prosequatur.* Functionibus autem Pœnitentiarii imminutis, consequens erat, ut & Officialium, & Ministrorum quoque numerus diminueretur. Unde in citata Constitutione suppresso, & abolito magno numero ipsorum Officialium, ac Ministrorum, certos ac paucos, qui hoc Tribunal regant, negotiaque ad illud pertinentia expediant, Pontifex designavit: *Illorum autem omnium officiorum in ipso Pœnitentiariæ officio constitutorum*, ait memoratus Pius V. *venditionem, aut quamvis aliam voluntariam, tacitam, vel expressam ea dimittentium dispositionem expresse prohibemus; sed illa omnia probis, & peritis gratis omnino, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcumque acceptione concedantur; quod si secus factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris, vel momenti.*

IV. Ministrorum Pœnitentiariæ Romanæ primus est quidem Pœnitentiarius Apostolicus, qui Pœnitentiarius Major dicitur, isque juxta Constitutionem Pii V. officium suum per seipsum exercere debet, oportetque, ut *sit Presbyter, Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor*; & si causa legitima a Summo Pontifice approbata absens, vel impeditus fuerit, alium S. R. E. Cardinalem prædictis qualitatibus insignitum sibi

(1) Ita legitur in editione Romana; in Veneta deest, *& habilitat*.

Digitized by Google

sibi substituat; qui quidem taliter subrogatus interim per seipsum hoc munus prosequatur, Litterasque non Pœnitentiarii delegantis, sed suo proprio nomine jubeat expediri, Præter Pœnitentiarium majorem sunt insuper in tribus Patriarchalibus Ecclesiis Urbis Pœnitentiarii minores, qui ex diversis Religionibus assumuntur: in Lateranensi Basilica Religiosi Ordinis Minorum Observantium Reformatorum; in Vaticana Societatis Jesu Presbyteri; atque in Liberiana, sive S. Mariæ Majoris Religiosi Ordinis Prædicatorum; iique omnes confessiones excipiunt, & in signum majoris potestatis virgam in manibus tenent, quibus pœnitentes, aliosque ante ipsos genuflexos leviter percutere in capite consueverunt. Hi sane respective in Domo Basilicæ propinqua sub obedientia unius eorum, qui Superior deputatur, regulari modo, tanquam in Claustro vivunt; *atque in pertinentibus ad hoc munus*, ait Cardinalis de Luca, *sunt subjecti Pœnitentiario, ejusque visitationi, & correctioni; in iis vero, quæ concernunt disciplinam Regularem, sunt subjecti Prælato propriæ Religionis.*

V. Habet hic Pœnitentiarius Major & aliam Ministrorum speciem, seu Officialium, qui scilicet regunt Pœnitentiariam per quandam speciem Tribunalis, audiendo nempe supplicationes super petitis absolutionibus, & dispensationibus præcipue Pœnitentium ab Urbe absentium, pro quibus expediendæ sunt Litteræ, ut ajunt, in forma. Juxta hodiernum Curiæ stylum, & præfatam reformationem Pii Papæ V. qui omnia loca Referendariorum, Correctorum, Revisoris, viginti septem Scriptorum exercitia, & octo Procuratorum, quibus Pœnitentiaria olim constabat, suppressit, uti ex Pii Constitutione notat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. LIV. constat Pœnitentiariæ Tribunal Majore Pœnitentiario, Regente, Datario, uno Correctore, uno Theologiæ Magistro, uno Decretorum Doctore, duobus Procuratoribus, duobus Scriptoribus, & uno Sigillatore; primusque post Pœnitentiarium Majorem est ille Officialis, qui vocatur Regens Pœnitentiariæ, debetque ex Constitutione memorati Pii Papæ V. esse *Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, Vir eximia doctrina præstans, casuumque conscientiæ peritus*, uti & alter Officialis, qui Datarius vocatur. Regens vices Majoris Pœnitentiarii gerit, habetque etiam facultatem plures absolutiones, & dispensationes, quæ nimirum negari non solent, concedendi. Has ipse quoque signat, idque per verbum, *Fiat*, quemadmodum ipse Pœnitentiarius Major, sed aliter, quam Papa; hic enim signat hac forma: *Fiat, ut petitur*. Pœnitentiarius vero, aut ejus Regens: *Fiat de speciali*; vel, *Fiat de expresso*; si nimirum facto prius verbo cum Sanctissimo concedatur gratis, uti observat Marcus Leo in Praxi Pœnitentiariæ, Parte I. Cap. I. Num. VIII. Datarius Pœnitentiariæ in calce supplicationum scribit datam diei, mensis, & anni Pontificatus Papæ viventis in hunc modum: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub sigillo Pœnitentiariæ*, si Pontifex in Palatio Vaticano resideat, si vero in Quirinali, *apud Sanctam Mariam Majorem pridie Nonas Novembris Pontificatus Sanctissimi D. N. BENEDICTI Papæ XIV. anno IX.*

VI. Adsunt præterea in hoc Pœnitentiariæ Tribunali, ut asserunt memorati Auctores Marcus Leo, & Cardinalis de Luca, tres Procuratores, quamvis duo dumtaxat assignentur a Pio V. seu Secretarii in hac materia bene periti, qui per turnum, ut inquit Cardinalis de Luca, inter se distribuunt libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo, vel cifera, ut dignoscantur ab iis, qui negotia gerunt; ipsique Procuratores desuper efformant supplicationes juxta stylum Tribunalis, quas postea in Congregatione proponunt. Habet præterea ipsum Tribunal duos Consultores, unum scilicet Theologiæ Magistrum, qui Theologus Pœnitentiariæ vocatur, & alterum Doctorem in Decretis, seu in Jure Canonico. Suum quoque Sigillatorem habet, qui, ut ait Marcus Leo loco citato, Numero XIV. *publicum sigillum Sacræ Pœnitentiariæ apud se retinet, Litteras Majoris Pœnitentiarii expediendas, intus, & extra, Bullas vero intus subscribit tantum post Correctorem, subsequenti forma: Gratis ubique. J. Rospiglioſius.* Hæc ille, cujus tempore Sigillator erat Julius Rospiglioſus. Corrector vero, seu Revisor, est Officialis, qui supplicationes a Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cum necessitas expoſcit, corrigit; & pro adimpleti sui muneris signo notam peculiarem imprimit in extremis supplicationum paginis; Litteras demum omnes in forma Brevis, ac Bullas secundum præscriptam supplicationis formam expediendas & expeditas subscribit. Sunt tres tandem in hoc Tribunali Scriptores, qui, postquam supplicatio signata est, de commissione Procuratorum, Litteras, vel Brevia, juxta formam supplicationis scribunt, ut postmodum subscribantur, & claudantur, ac sigillentur, Oratoribus, vel eorum Agentibus consignandis.

VII. Plura de Summo, seu Majore Pœnitentiario Apostolicæ Sedis, & de Officialibus Sacræ Pœnitentiariæ, deque ejus origine, & stylo scribunt Chassaneus, Gomesius, Vestrius, Gravatius, Mandosius, & alii quos citat laudatus Cohellius, itemque memoratus Marcus Leo, Cardinalis de Luca, Vanespen, & inter alios Vincentius Petra S. R. E. Cardinales Pœnitentiarius Major peculiari Tractatu, quem inscripsit, *De Sacra Pœnitentiaria*. Ceterum, licet Sede vacante, juxta Clementis V. Constitutionem Cardinalium Cœtus *Majorem Pœnitentiarium, vel aliquos alios ex Pœnitentiariis, si per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat* (puta quia incidit in furorem, vel in infirmitatem, quæ impedit executionem officii, aut si recederet, vel nollet officium exercere, uti notat Glossa) *valeat ad tempus vacationis hujusmodi, pro numero deficientium, vel ampliori etiam, quantum ad Pœnitentiarios, si hoc eidem Cœtui concorditer expedire videbitur, alios subrogare*; docet nihilominus Joannes Andreas laudatus a Glossa ibidem, quod ubi nullus ex Pœnitentiariis deficeret, non posset Cardinalium Cœtus, Sede vacante, alios subrogare: *Cum Constitutio sit prohibitoria præter casus permissos, & istud non videtur permissum, nisi cum aliquis deficit*. Sunt & alia, quæ de ipso Majori S. R. E. Cardinale Pœnitentiario dici hic possent, quæ tamen suis locis in decursu hujus Operis, ubi se se nobis opportuna præbebit occasio, ad Tyronum notitiam eruditionemque, ex antiquis mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, aliisque priscis Auctoribus explicabimus.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

De Clementis VI. limitatione.

Extat & Decretum Clementis Sexti circa annum ſalutis quadrageſimum ſupra mille & trecentos editum, per quod ſuperiora Statuta limitantur. Quod, quia ultimum eſt, & in Sacrorum Canonum Codicibus non adhuc deſcriptum, de verbo ad verbum duximus inſerendum.

C L E M E N S &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

Licet in Conſtitutione a felicis recordationis Gregorio Papa X. Prædeceſſore noſtro ſuper electione Romani Pontificis, edita in Concilio Lugdunenſi, inter cetera caveatur expreſſe, quod, ſi eundem Pontificem in Civitate, qua cum ſua Curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales in Palatio, in quo idem Pontifex habitat, omnes conveniant, & in eo ſinguli ſingulis tantummodo, niſi illi, quibus ex patenti neceſſitate duo permittuntur, ſint contenti ſervientibus Clericis, vel laicis, prout elegerint, unum Conclave, nullo inter medio pariete, vel alio velamine, habitent in communi. Et quod diebus certis, non facta proviſione de Paſtore, decurſis, panis, vinum, & aqua tantummodo eiſdem Cardinalibus, donec ſubſequatur proviſio, adminiſtretur. Quia tamen, ſicut frequenti multorum aſſertione, & in Cardinalatu conſtituti percepimus, nonnulli ex Cardinalibus ipſis in obſervatione Conſtitutionis ipſius gravati nimium extiterunt, multique ex ipſis duos in dicto Conclavi habuerunt ſervitores, non abſque ſcrupulo conſcientiæ, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet ex patenti neceſſitate duo permittantur in dicta Conſtitutione, ut præmittitur, contentorum: Nos providere ſuper his cupientes, ex his, & aliis certis cauſis rationabilibus, quæ ad id noſtrum animum induxerunt, rigorem Conſtitutionis ipſius, & ad Fratrum noſtrorum ſupplicationem in hoc providimus temperandum: ſtatuentes, quod Cardinales, poſtquam Conclave hujuſmodi, ſeu clauſuram pro dicta electione celebranda intraverint, ſinguli duos ſervientes tantum Clericos, vel laicos, prout duxerint eligendos, ac inſuper ſingulis diebus, præter panem, vinum, & aquam, in prandio, & in cœna unum dumtaxat ferculum carnium unius ſpeciei tantummodo, aut piſcium, ſeu ovorum cum uno potagio de carnibus, vel piſcibus principaliter non confecto, & decentibus ſalſamentis habere valeant ultra carnes ſalatas, & herbas crudas, ac caſeum, fructus, ſive electuaria. Ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur, niſi ad condimentum fieret, vel ſaporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo veſci poſſit; liceat etiam eis ex decentia honeſtatis habere in clauſura hujuſmodi, cum in lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint, intermedia, ſeu velamina ſimplicium tantummodo cortinarum; & felicis memoriæ Clementis Papæ Quinti Prædeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis, quibus propter hoc in aliis derogari nolumus, non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Avenioni VIII. Idus Decembris, Anno X.

COMMENTARIUS.

I. STatuerat jam inter alia Gregorius Papa X. in celebri ſua Conſtitutione, quam de Conclavi erigendo edidit in Generali II. Lugdunenſi Concilio, cujus iterum iterumque mentionem fecimus, ut Cardinales ſcilicet in Conclavi incluſi pro electione Romani Pontificis, uno tantum famulo, vel Clerico, vel laico, contenti eſſent, & quibus patens neceſſitas id ſuggerebat, duos tantum habere permittebantur. Præterea eadem Conſtitutione ſtatuerat, ut ſi electio non fieret intra tres dies ab ingreſſu Conclavis, per quindecim dies ſequentes, tam in prandio, quam in cœna, uno tantum ferculo eſſent contenti; quibus diebus decurſis, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua miniſtrarentur eiſdem Cardinalibus, donec electio ſubſequeretur. Statuerat inſuper, ut omnes Cardinales in eodem Conclavi, nullo intermedio pariete, aut velamine, in communi habitarent. At vero hanc Gregorii X. Papæ Conſtitutionem laxavit nonnihil, mutavitque Clemens Papa VI. mandans, I. poſſe ipſos Cardinales in Conclavi exiſtentes habere ſecum duos famulos Clericos, vel laicos, prout eis magis placebit. II. elapſis tribus diebus poſt ſuum ad Conclave introitum, concedi eiſdem ultra panem, vinum, & aquam in prandio, & in cœna, fructus, caſeum, & electuaria, & unum ferculum carnium, vel piſcium dumtaxat in prandio, & aliud in cœna. III. licere eiſdem *ex decentia honeſtatis habere in clauſura, cum in lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint, intermedia velamina ſimplicium tantummodo cortinarum*. Edidit de his Clemens Conſtitutionem, quæ

quæ non modo legitur in hoc nostro §. verum etiam reperitur inter Acta Concilii Constantiensis, & data dicitur *Avenione viij. Idus Decembris, anno x.* sui scilicet Pontificatus, ideoque anno Christi MCCCLI. Ceterum de his cortinis videri possunt, quæ supra diximus in Commentario ad §. II. ubi etiam notavimus quando primum introductæ fuerunt ligneæ cellulæ, & distinctiones illæ colorum, violacei scilicet, quo ornantur ædiculæ Cardinalium a proxime defuncto Pontifice creatorum, & viridis, quo reliquorum Cardinalium cellulæ vestiuntur.

§. XIV.

Exhortatio, ut revideantur Majorum Decreta super electione.

Hæc pauca ex Decretis Sanctorum Patrum libavimus pro ingenii nostri imbecillitate, sed hortamur Reverendissimos Dominos Cardinales, ut, cum electionis negotium imminebit, secundum Ostiensis in sua Lectura Consilium, diligenter revideant Pontificum, & Conciliorum Statuta de electione Romani Pontificis edita, & Doctorum super ea re interpretationes. Et quoniam res est maxime ardua, indigetque magna discussione, fiet fortassis super hac re specialis Tractatus.

COMMENTARIUS.

I. VAria de electione Papæ Decreta jamnos explicuimus supra in Commentariis ad §. I. & seqq. Insignes plane sunt Constitutiones editæ ea de re a Summis Pontificibus Nicolao II. in Romano Concilio anni MLIX. ab Alexandro III. in Generali Concilio Lateranensi III. Can. I. a Gregorio X. in Lugdunensi II. Concilio Œcumenico, Can. II. & a Clemente V. Concilio Generali Viennensi, quorum Constitutiones relatæ in Corpore Juris Canonici, leguntur in Titulis, *De electione &c.* & ab innumeris pene Canonici Juris Consultis explicatæ habentur. Præter citatas Constitutiones, aliasque antiquiorum Pontificum, variæ de ipsa Romani Pontificis electione editæ sunt a Pontificibus recentioribus Sanctiones, quæ in unum collectæ præfixæ fuerunt novo Cæremoniali continenti ritus electionis Romani Pontificis Gregorii XV. Papæ jussu edito. Legenda autem editio novissima anni MDCCXL. adjunctam enim habet celebrem Clementis Papæ XII. Constitutionem, quæ incipit, *Apostolatus officium*, & continet diversas ordinationes pro bona directione Conclavis, ac rerum, Sede Apostolica vacante, agendarum. Edita fuit ea Constitutio ab ipso Clemente XII. Pontifice anno MDCCXXXII.

§. XV.

De Missa Spiritus Sancti.

Exequiis igitur defuncti Pontificis per novem dies completis, & Conclavi opportuno præparato, decima die Patres conveniunt in Basilica S. Petri, vel alibi pro temporis, & loci opportunitate, ubi per unum ex eis Missa de Spiritu Sancto celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, seu alium doctum Virum habeatur Sermo, in quo moneantur Patres, ut sepositis omnibus privatis affectibus, Deum tantum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ de Pastore idoneo providere curent. Estque admodum conveniens, ut Decreta Summorum Pontificum pro electione hujusmodi statuta ab ipso Oratore summatim repetantur, & reducantur ad memoriam Dominorum Cardinalium.

COMMENTARIUS.

I. NOvendialia in exequiis Pontificum statuta primum fuisse videntur a Gregorio Papa X. ubi in sua Constitutione edita in Generali Concilio Lugdunensi II. Can. II. & relata in Cap. *Ubi periculum*, III. *De electione &c.* in Sexto, inter alia statuit, ut *Cardinales, qui fuerint in Civitate ipsa præsentes*, in qua scilicet Pontifex obiit, *absentes expectare decem diebus teneantur*. Hinc mortuo Aretii ipso Gregorio die X. Januarii anni MCCLXXVI. juxta legem ab eo latam Cardinales in Conclavi se incluserunt die XX. ejusdem mensis, & anni; & postridie, in Festo videlicet S. Agnetis Virginis, ac Martyris, primo celebrato, & publicato scrutinio, elegerunt in Summum Romanum Pontificem Petrum Tarantasiensem ex Ordine Prædicatorum Episcopum Cardinalem Ostiensem, celebrata jam prius de more Missa Spiritus Sancti, appellatusque est Innocentius V. Id constat ex Litteris encyclicis post suam Coronationem datis, quibus Fideles de adepta dignitate certiores fecit, quas ex Formulario Marini Ebuli refert Raynaldus ad annum ipsum MCCLXXVI. Numero XVII. *Convenimus*, inquit, *in Civitate prædicta*, scilicet Aretii, *& in omni mansuetudine spontanea Palatium, in quo idem Prædessor ha-*

Digitized by Google

habitabat, pridie ante Festum Beatæ Agnetis intrantes, in ipso Festo summo mane Missarum solemniis in honorem Sancti Spiritus celebratis ex more, ipsiusque gratia votis invocata supplicibus, concorditer ad celebrandam electionem instantem scrutinii viam elegimus; & assistente ipso benigno Sapientiæ Spiritu, qui devote se invocantibus, Ecce adsum, *solet dicere invocatus, cujus gratia molimina tarditatis ignorat, primo celebrato, & publicato scrutinio, quod tamen nequaquam aliud, sicut nec oportuit, est sequutum, in humilitatem nostram .... unanimiter concordarunt*. Idem ritus servatus est in sequioribus Romanorum Pontificum electionibus, præsertim ubi a Cælestino V. Clemente V. & Clemente VI. confirmata fuit laudata Gregorii X. Constitutio, ut nimirum expletis Novendialibus defuncti Pontificis, & celebrata Missa Spiritus Sancti, Cardinales ingrederentur Conclave, ibique eligerent novum Pontificem.

II. Ante Gregorii X. Constitutionem tametsi Novendialia ipsa minime in usu essent, consuevit tamen, mortuo, & sepulto Pontifici Missa mortuorum secunda ab ejus obitu die cantari, tertia vero die Missa Spiritus Sancti celebrata, de electione tractari. Hanc fuse antiquam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem docet nos Romanus Ordo XII. auctore Cencio Diacono Cardinali S. Luciæ in Orpheo, & S. R. E. Camerario, sub Cælestino Papa III. qui deinde post Innocentii III. mortem Romanus Pontifex renunciatus, Honorius III. nominatus est. Is ergo Cencius in memorato Ordine, Cap. XLVIII. sic inquit: *Mortuo Romano Pontifice, & sepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur secundum antiquam consuetudinem. Secunda vero die conveniunt in Ecclesia, & Missa mortuorum cantata, omnes similiter secundum antiquam consuetudinem recedunt. Tertia autem die iterum omnes in Ecclesia congregati, Missa Sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione*. Missæ de Spiritu Sancto celebratio in electionibus Summorum Pontificum occurrit passim apud Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, Auctoresque Romanorum Ordinum, inter quos Petrus Amelius in suo Romano Ordine XV. Cap. CXLIX. sic inter alia inquit: *Item sciendum, quod Domini Cardinales post mortem Domini Gregorii Papæ XI. voluerunt audire in Hospitali Sancti Spiritus Missam de Spiritu Sancto. Sequenti die post Novenam fuit*, Novendialia scilicet defuncto Pontifici juxta morem jam introductum celebrata, *quia voluerunt habere consilium cum Romanis, antequam intrarent Conclavim, pro conservatione Conclavis*. Obiit Gregorius XI. die XXVII. Martii anni MCCCLXXVIII. Eundem morem servatum fuisse post mortem Urbani VI. qui Gregorio successit, migravitque e vita die XV. Aprilis anni MCCCLXXXIX. testis est citato loco idem Amelius, ubi ita ait: *Item post mortem Domini Urbani VI. Domini Cardinales post Missam nonam, & Sermonem voluerunt audire Missam ibidem de Spiritu Sancto cum Sermone, quam dixit Dominus Pisanus*.

III. Supremo Novendialium die consuevisse ad Sacri Senatus Patres Conclave ingressuros Sermonem, seu Orationem haberi a Viro docto, imo & quandoque ab uno ex ipsis Patribus, exemplum habemus Thomæ Tituli S. Susannæ Presbyteri Cardinalis, qui ad Summum Pontificatum evectus, Nicolaus V. dictus est. Is enim Eugenio IV. anno MCDXLVII. die XXIII. Februarii e vivis erepto, justisque more Majorum per S. R. E. Cardinales Novendialium spatio rite solutis, postremo illorum die gravem elegantemque ad eosdem ingressuros Conclave de futuro Pontifice eligendo Orationem habuit. Funebrem Orationem Jannottus Manettus in Vita Nicolai V. appellat, & ex eo Raynaldus ad annum Christi MCDXLVII. Num. XIV, Sed aptius de Eugenio, & de eligendo novo Pontifice dixissent, id nos docente Ænea Sylvio, qui tum Romæ versabatur, & omnia diligenter inspiciebat. Æneæ verba in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem inter Miscellanea Baluzii Tomo VII. pag. 548. hæc sunt: *Eugenio duo Sermones facti sunt. Alterum Malatesta quidam ex genere Auditorum, alterum Cardinalis Bononiensis fecit, prima, & ultima exequiarum die. Ille vitam Eugenii commendavit, hic obitum. Ille, qualis fuerit Eugenius, enarravit; hic, qualis eligi deberet Successor, edocuit. Comminatus est extremum judicium Cardinalibus, si amore, si odio, si aliquo affectu indigno in electione uterentur; tantaque vehementia loquutus est, ut Angelum, non hominem sermocinari putares, pluresque sibi Summum Pontificatum augurarentur*. Æneæ Sylvio concinit Poggius Florentinus, qui in sua ad Nicolanm V. Oratione, extremo exequiarum die ab eodem Thoma Cardinali Bononiensi Tituli S. Susannæ Orationem de Pontifice eligendo habitam testatur.

IV. Mirum sane aliquibus videri poterit, si nostri temporis morem cum moribus antiquis metiamur, hujusmodi Orationem a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale habitam, quod hodie, & jam diu in usu non est. At, uti recte observat eruditissimus Dominicus Georgius in Vita Nicolai V. anno MCDXLVII. Num. I. in fine, moris erat interdum, ut non duæ tantum, sed etiam plures Novendialium tempore conciones de Pontificis defuncti laudibus a Cardinalibus, qui Missas de illius obitu ordinatim celebraturi erant, post Missam recitarentur, nisi eas alicui Præsuli, seu Theologo demandarent; ac nona die ab eodem Cardinale, qui Missam celebraret, seu cui ille commisisset, de laudibus defuncti Papæ, deque alio eligendo Oratio habenda erat. Meminit plane ejus ritus Ordo Romanus Petri Amelii Cap. CXLVI. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici: *Sciendum tamen, quod omni die debet esse Missa, quæ debet dici per Cardinales juxta Ordinem suum, & Sermo per eosdem, nisi committant Prælatis, vel Magistris in Theologia, aliis non*. Ritus habendæ Orationis de eligendo Pontifice postremo exequiarum die Papæ defuncto persolutarum mentionem passim faciunt Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis, ex iisque habemus, non modo Sacræ Theologiæ Magistros, verum etiam Jurisconsultos eam ad Cardinales Orationem habuisse. Certe Auctor est Franciscus Mucantius Apostolicus Cæremoniarius in suo ms. Diario ubi enarrat gesta Pontificatus Gregorii XIII. ultimo exequiarum die, quæ celebratæ fuerunt illius Prædecessori S. Pio V. habitam fuisse Orationem de novo scilicet Pontifice eligendo *per Antonium Buccapadulium Jurisconsultum Romanum*.

V. Ceterum ex præscripto nostri §. in ea Oratione, quæ fieri potest *per aliquem Prælatum*,

Digitized by Google

tum, seu alium doctum Virum, admoneri debent Cardinales, *ut sepositis omnibus privatis affectibus, Deum tantum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & universali Ecclesiæ de Pastore idoneo providere curent*. Id plane inculcant passim Summi Pontifices Cardinalibus in suis Constitutionibus, quas de electione Papæ ediderunt, viderique inter alias potest celeberrima de ea re Gregorii X. Constitutio, de qua in superioribus Commentariis diximus. Notanda hic iterum ea Orationis verba, quam post Eugenii IV. obitum ad Cardinales Conclave ingressuros habuit Thomas Cardinalis Bononiensis, quippe qui, ut testatur Æneas Sylvius, *comminatus est extremum judicium Cardinalibus, si amore, si odio, si aliquo affectu indigno in electione uterentur*. Ut alios mittam, profecto ab hisce passionibus alienus penitus fuit S.R.E. Cardinalis S. Carolus Borromeus, utpote qui, ut tradit ejus Vitæ Auctor Carolus a Basilica Petri, Lib. 1. Cap. IX. mortuo illius Avunculo Pio Papa IV. *omne demum studium, curam, operamque in eo posuit, ut Pontifex Ecclesiæ daretur, qui pietate, vitæ sanctitate, doctrinaque plurimum prodesset, qualem inter alios Michaelem Ghislerium Ordinis Dominicani, Cardinalem Alexandrinum cognoverat; nam & eum amavit, & plurimi fecit semper, & de vitæ, atque Ecclesiæ suæ rationibus sæpe consuluit. Itaque nulla habita ratione, quid Carafarum ille causa facere fortasse posset, qui a Paulo IV. Cardinalis esset factus, quodve Pio ejus avunculo parum gratus fuisset: Marco Sittico Cardinali Altempsio secum adnitente, in ejus omni conatu creationem incubuit, Collegis, qui se se ad eum applicaverant, idem persuasit, & eosdem, cum res prope perficeretur, secum retinuit, ne sibi forte quis eriperetur; atque ita quod volebat, celeriter obtinuit. Creatus est vij. Idus Januarii anno MDLXVI. & Pius Quintus appellatus*.

VI. Dignum plane notatu est, quod de ea Missa docet in suo Cæremoniali Sedis vacantis post obitum Sixti IV. Papæ Joannes Burchardus §. XXXVII. *Feria quinta mensis Augusti xxvi. Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Marci in Basilica S. Petri, & Altari ante cancellum & supra parato in ceterorum xxviij Reverendissimorum Dominorum Cardinalium præsentia, ac Prælatorum, & Oratorum in Romana Curia existentium dixit Missam solemnem de Spiritu Sancto cum Oratione convenienti, & Præfatione, omissis verbis*, hodierna die; *etsi bene memini in dicta prima Oratione sub sua conclusione dixit aliam, & bene; debet enim dici pro electione futuri Pontificis, videlicet*: Supplice Domine humilitate deposcimus &c. *& dixit*, Credo, *& alia more solito. Cum iret ante Altare de Faldistorio pro dicenda Confessione, deposita sibi Mitra, retento in capite bireto, fecit profundam Cardinalibus reverentiam, dicens, in hac Missa ita convenire, cum Cardinales tunc Pontificem repræsentent. Idem fecit redeundo, & accedendo ad Altare post Offertorium. Missa finita, ipse celebrans dedit benedictionem cum Mitra, more solito, & non fuerunt datæ Indulgentiæ*. Addit tum paulo post in §. XXXVIII. in hac Missa, & aliis novem exequialibus Prælatos Curiæ interfuisse sine cappis, sed in eorum mantellis cum suis caputiis circa collum transversatis, more solito. Neque vero illud hic omittendum, quod idem Burchardus in superiori §. LXXIII. de Sermone habito post ipsam Missam, & de ritibus tunc ab Oratore servatis docet, sic inquiens: *Interim dictus Guillelmus de Ferreriis Auditor Rotæ Cappa sua consueta, & Rochetto indutus, prout in Capella Auditores uti solent, venit ante Altare, ubi genuflexus aliquantulum oravit; tum surrexit, & accessit ad pulpitum, ubi postquam Cardinalis S. Marci ad locum suum venisset, & aliquantulum quievisset, incœpit, & prosequutus est Orationem suam*.

VII. Finem tandem ut huic Commentario imponam, describam dumtaxat quid de Missa Spiritus Sancti, & de Oratione habenda peractis Novendialibus Papæ defuncti, statuit demum Cæremoniale jussu Gregorii XV. Pontificis editum, ex cujus præscripto, exequiis defuncti Pontificis completis, & interim Conclavi opportuno præparato, Cardinales in Basilica S. Petri, vel alibi, pro temporis & loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Missa de Spiritu Sancto celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, aut alium Virum doctum habetur Oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ de Pastore sufficienti, & idoneo providere, omni qua possunt brevitate, & diligentia curent, ad Apostolicarum Constitutionum, & Sacrorum Conciliorum præscriptum. Eadem plane hæc sunt, quæ jam pridem in nostro §. statuta fuerunt, sed in hoc tamen moderno Gregorii XV. Cæremoniali luculentius explicata.

§. XVI.

De introitu in Conclave.

Re Divina peracta, si placet Patribus tunc intrare Conclave, Clericus Cæremoniarum capiat Crucem Papalem, & procedat, quem Cardinales sequantur, Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Crucem præcedunt Familiares Cardinalium laici, & immediate Cantores cantantes Hymnum, *Veni Creator Spiritus*; & in Conclavi apud Altare prior Cardinalium dicit Orationem: *Deus, qui corda fidelium*. Post Cardinales sequuntur Prælati, & alii Curiales Clerici. Cardinales erunt cum suis Cappis obscuris.

COMMENTARIUS.

I. RItum, quo peractis exequiis defuncti Pontificis, & Sermone jam habito de eligendo novo Pontifice, Cardinales ad Conclave jam ante editionem nostri hujus Cæremonialis procederent, docet Æneas Sylvius in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem, sic in-

Digitized by Google

inter alia inquiens: *Finitis exequiis decima post obitum Eugenii*, nempe Papæ IV. *die Cardinales apud Minervam hora vespertina convenerunt, receptisque juramentis fidelitatis ab Officialibus quibuscumque, Processione, & invocatione Sancti Spiritus, humi deflexis capitibus, atque oculis, Conclave sunt ingressi.* Deferri consuevisse & in hujusmodi processione Crucem, & quidem Papalem a Cæremoniario Apostolico, testis est Burchardus, Cæremoniarius & ipse Apostolicus, in suo Cæremoniali Sedis vacantis ob Sixti Papæ IV. obitum §. XXXIX. ubi ita eam Cardinalium ad Conclave Proeessionem describit: *Sermone finito, accepi ego Crucem Papalem cum suo baculo argenteo juxta Altare prædictum præparatam. Processi versus portam Ecclesiæ prædictæ, & Conclave. Præcedebant Scutiferi Cardinalium, & alii complures. Cardinales me immediate sequebantur. Primi Vicecancellarius, & Neapolitanus. Post illos alii Episcopi, tum Presbyteri, tandem Diaconi Cardinales, omnes bini, & bini, exceptis ultimis Presbytcris, quorum tres simul ibant.*

II. Sed nec silendum quod idem Burchardus mox subjicit, Postquam enim dixit, Cantores Capellæ, & Canonicos, ac Clerum Basilicæ Vaticanæ non interfuisse huic Processioni, nec aliquid fuisse in ea cantatum, hæc habet: *Sed Romani cives, & alii in numero copioso circumdabant quisque suum Protectorem, Amicum, & Dominum Cardinalem, dantes ei supplicationes, & alias petitiones pro officiis, & aliis gratiis a novo Poutifice in Conclavi obtinendis, & impetrandis.* Estque & is etiam modernus mos, sed hoc omisso, præstat hoc loco ritum ejus Processionis describere, quem laudatus Burchardus ita prosequitur: *Figuram in Cruce portavi, ut retro ad Cardinales versam ex eo quod hoc casu Collegium Pontificem repræsentet. Cum pervenissem in primam Aulam Conclavis, in eo jam erant circiter 3000. hominum, qui nos præveneraut. Nam Vicecamerarius ante introitum nostrum non expulerat gentem ibidem existentem, neque viam pro Cardinalibus, & suis Conclave intrare debentibus ordinaverat, vel custodierat, prout ex officio sibi incumbit. Capella tamen major, in qua cellulæ erant paratæ, & Cardinalium munitiones, & res repositæ, clausa erat, & a servitoribus Cardinalium custodita, quæ ipsis aperta fuit.* Addit tum etiam Burchardus, Cardinales processisse *ante Altare majus dictæ majoris Capellæ, quod nudum erat, & nihil penitus desuper positum, ubi absque ulla reverentia, uel genuflexione ipsi Altari facta (& male, debet enim fieri, & cantari Versiculus & Oratio per priorem Episcoporum) fecerunt circulum &c.* Sed audiamus Paridem Grassum, qui ritum ipsum in §. nostro præscriptum narrat in suo ms. Diario, seu Cæremoniali Sedis vacantis ob mortem Julii Papæ II. ubi ita inquit.

III. Finita Missa, Ego Cæremoniста Crucem accepi, quam superpelliciatus portavi ad gradus Altaris versa Cruce ad populum, tunc ut scilicet Cantores videntes Imaginem Crucifixi devotius inchoarent Hymnum, *Veni Creator Spiritus*. Cum vero procedere cœpimus verti Crucifixum ad sequentes post me Cardinales, primo Episcopos, tum Presbyteros, ultimo Diaconos, & sicut dixi tantus fuit populus, ut vix ego Crucifer movere me de loco extra Capellam potuerim, cum tamen multi custodes adhibiti feissent cum Gubernatore Palatii, & aliis stipendiariis. Via nostra fuit ad portam magnam, quæ est in sinistra porticu S. Petri versus ad Palatium, & inde ascendendo ad cortile medium magnum Palatii, itaut transcendimus totum cortile, & venimus ad portam cathanatam ad puteum, & sub columnatu illius cortilis ingressi sumus logias longas, & inde ascendimus scalas ad superiores aulas, ubi paratum erat conclave, ut infra dicetur. Socius meus propter laborem meum Crucis portandæ in tanta via accepit Crucem in medio hujus viæ, & prosequutus est usque ad Altare majoris Capellæ, ubi erant cellulæ Cardinalium; quod Altare fuit paratum cum mantilibus, & duobus candelabris ardentibus absque alia pompa, & Reverendissimus Cardinalis S. Georgii stans in cornu Evangelii cantavit Orationem post versiculos a Cantoribus decantatos, Collegio Reverendissimorum Cardinallum in girum, ut potuit, stante. Quo facto omnes Cardinales depositis Cappis magnis ingressi sunt suas quisque cellas præter nonnullos Palatinos, qui etiam Cappis in aula depositis iverunt prandium ad aulas suas &c.

IV. Hactenus Paris de Grassis, eademque tradunt passim alii Cæremoniarii Apostolici in suis mss. Diariis, ubi eam Processionem referunt. Ut alios omittam, Franciscus Mucantius in ms. Diario, ubi enarrat ritus Sedis vacantis post Pii Papæ V. obitum, qui contigit anno MDLXXII. die 1. Maji, sic ritum ejus Processionis Cardinalium ad Conclave describit: *Post vero habitam Orationem* (de novo scilicet Pontifice eligendo die XII. Maji per Antonium Buccapadulium Jurisconsultum Romanum) *Cornelius Firmanus unus ex Clericis Cæremoniarum, accepta statim Cruce, subsequente se sacra Reverendissimorum Cardinalium Collegio, direxit iter versus Conclave, ubi ingressi fuerunt Sacellum, quod olim Nicolai Papæ, nunc Paulinum a Paulo Papa III. qui illud instauravit, vocant, ibique decantato per Cantores Versiculo*, Emitte Spiritum tuum &c. *Reverendissimus Dominus Cardinalis Augustanus Episcopus Prænestinen. dixit Orationem consuetam de Spiritu Sancto. Quibus expeditis multi ex Cardinalibus exeuntes Conclave diverterunt hinc inde per Palatium, deinde reversi sunt, paucis exceptis, qui ibidem remanserunt.*

V. Ritum antiquum confirmavit denique novum Cæremoniale Ritus electionis Romani Pontificis, jussu Gregorii XV. Papæ editum, cujus hæc sunt de ea re verba: *Re Divina peracta, Clericus Cæremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quem Cardinales sequuntur, Episcopi primum, deinde Presbyteri, postremo Diaconi cum suis Cappis violaceis: Crucem præcedunt familiares Cardinalium, & immediate Cantores Hymnum*, Veni Creator Spiritus, *cantantes. Post Cardinales sequuntur Prælati, atque ita processionaliter procedentes Conclave ingrediuntur, & cum ad Capellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit Orationem*, Deus, qui corda Fidelium; *qua finita leguntur, & jurantur per Cardinale: Constitutiones de Romani Pontificis electione, & una cum eis Constitutio novissima Gregorii XV.* Juxta ejusdem Cæremonialis præscriptum, deinde Cardinales post Sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium

Digitized by Google

gotium rite, & recte peragendum hortatur, ad cellas ſorte inter eos juxta Conſtitutionem Pii IV. de qua ſupra diximus, diſtributas divertunt, & poſt prandium omnes rurſus ſimul congregantur, & Officiales Conclavis, & alii præſtant Sacro Collegio juramenta conſueta. Atque hæc ſunt, quæ de ingreſſu Conclavis ſtatuit demum laudatum novum Cæremoniale editum Gregorii XV. Pontificis juſſu.

VII. Reliquum eſt, ut & illud hoc loco adnotemus, quod docet Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu III. Num. XIII. ſequuto ſcilicet ſolemni Cardinalium ad Conclave ingreſſu, qui non de omnibus præſentibus eſſe ſolet, cum nonnulli privatim ſero ingrediantur, per totam illam diem, liberum patere aditum Principum Oratoribus, ac Magnatibus, & Prælatis, aliiſque omnibus tam nobilibus, quam popularibus, Conclave peragrandi, atque benevolos Cardinales in cellis viſitandi; præſertim vero Principum, & Rerumpublicarum Oratores, ac Magnates totum Collegium Cardinalium viſitant, eiſque obſequia præſtant, atque felices faciunt adulatorias auguratione. Ita quidem Cardinalis de Luca. Eſſe autem antiquum morem, ut Oratores Principum defuncto Pontifice, ipſorum Principum nomine Sacrum Cardinalium Collegium viſitent, eiſque opem ſuam exhibeant, teſtis eſt Æneas Sylvius in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem, ubi inter alia ita inquit: *Eo mortuo*, nempe Eugenio IV. *affueruut mox Oratores Regis Aragonum, qui in hunc modum Cardinales ſunt alloquuti*: Accepit Majeſtas Regia Summi Pontificis obitum, doletque tanto Patre orbatam eſſe Eccleſiam, ſanctumque hortatur Collegium veſtrum, Succeſſorem illi uti dignum ſufficiatis; vicinitatem ſuam nulli ſuſpectam eſſe debere; ſiquid vel juramenti, vel tutamenti ad liberam Pontificis electionem conferre poteſt, in promtu eſt. Quidquid jubetis, lubens faciet. Hucuſque laudatus Auctor.

§. XVII.

Quæ agenda a Dominis Cardinalibus antequam ad Conclave proficiſcantur.

Si vero volunt differre introitum ad Veſperam, conveniant de hora, & vadant domum ad prandium, ubi hora congrua fuerit, antequam diſcedant, ſi prius hoc non fecerint, quod facere convenit. Si poſt Miſſam ſunt ingreſſuri Conclave, convocent familiam ſuam, unuſquiſque moneant, hortentur omnes, primum ad orandum Clementiſſimum Deum, ut Patribus inſpiret ea circa electionem futuri Pontificis agere, quæ ſuæ placita ſunt voluntati, & ſaluti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ profutura; tum, ut domum die, noctuque bene cuſtodiant, Magiſtro domus obediant, pacifice, & quiete inter ſe vivant, & per Urbem non multum vagentur; noctu autem domi ſe omnino contineant; deinde hora præſcripta in Nomine Domini vadant ad Baſilicam S. Petri, ſi Romæ, & in Palatio Apoſtolico ſit Conclave. Sin alibi, ad Eccleſiam Conclavi proximam; & valde honeſtum, imo neceſſarium videtur, ut antequam Conclave ingrediantur Patres, omnes Deo ſe reconcilient, confiteantur peccata ſua, & qui non ſunt celebraturi, communicent, ut ſint capaces gratiæ Spiritus Sancti in tanta re peragenda admodum neceſſariæ. Poſtquam vero omnes convenerint, aſcendant ſimul ad Conclave.

COMMENTARIUS.

I. MOrem fuiſſe aliquando, ut Cardinales veſpere ad Conclave pergerent, exemplum habemus in Sede vacante ob mortem Eugenii IV. teſte enim Æneæ Sylvio in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem, *finitis exequiis decima poſt obitum Eugenii die Cardinales apud Minervam hora veſpertina convenerunt*, in Conclave ſcilicet tunc temporis apud Fratres Dominicanos S. Mariæ ſuper Minervam conſtructum. Quicquid ſit de hujuſmodi exemplis, mandat quidem inter alia Pius IV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. ſeptimo Idus Octobris, ut *Miſſa de Spiritu Sancto celebrata, ſive Cardinales abſentes venerint, ſive non, qui fuerint præſentes ſtatim Conclave ingredi teneantur*. Sed audiendum præ ceteris quid in hac re ſtatuat Cæremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis juſſu Gregorii XV. Papæ editum, cujus verba hæc ſunt: *Cardinales autem ingreſſi Conclave non exeant veſpere reverſuri, ſed in ipſo omnino permaneant; ipſumque Conclave poſter juſſu Cardinalis Decani perſonatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, ſecunda circa ſecundam, & tertia circa tertiam, exclaſis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves S. R. E. Camerario, ac Magiſtro Cæremoniarum, & Prælatis cuſtodibus Conclavis juxta ſolitum aſſignentur*. De clauſura Conclavis jam alibi diſſeruimus; quod vero memoratum Gregorii XV. Cæremoniale mandat, ut *Cardinales ingreſſi Conclave non exeant, veſpere reverſuri, ſed in ipſo omnino permaneant*, antiquum morem corrigere videtur, cujus mentionem facit in ſuo ms. Diario Franciſcus Mucantius, qui enarrans ritus Sedis vacantis poſt Pii V. obitum, ait multos Cardinales poſt ingreſſum Conclavis, & dictam Orationem de Spiritu Sancto, exeuntes Conclave divertiſſe hinc inde per Palatium, ac deinde ad ipſum reverſos fuiſſe, *paucis exceptis, qui ibidem remanſerunt*.

II. Idipſum jam antea acciderat in Conclavi Sedis vacantis poſt Julii II. obitum, teſte in ſuo ms.

Digitized by Google

ms. Diario Paride Graffo: *Postquam Cardinales*, inquit, *ad Conclave pervenerunt, Sacris de more peractis, multi ex eis, qui Palatium inhabitabant, non intra Conclave remanserunt pransuri, sed ad cameras suas proprias accesserunt, & cum eis multi ex aliis Cardinalibus pransi sunt fere omnes reliqui, & per Palatium euntes, depositis Cappis in ipso Conclavi, iverunt induti solis Rochetis, & Caputiis, quod eis licere visum est*, Ait mox Graffus, se id neque improbasse, neque laudasse, sic tamen factum fuisse; tandemque circa horam decimam nonam omnes ad Conclave venisse, & circa vigesimam quartam clausum fuisse, *exquisitis prius omnibus lateribus, & recensitis omnibus Conclavistis, etiam nominatim expressis, & lectis*. Sed de clausura Conclavis, & ritu, quo ea perageretur dicemus infra fusius in Commentario ad §. xx. ubi antiquum non modo morem, sed & recentiorem, narrabimus juxta novissimas Romanorum Pontificum de claudendo Conclavi Sanctiones.

III. Notandum vero hic restat, quod ait noster §. de exhortatione, quam facere debent familiis suis Cardinales Conclave ingressuri; *Convocent*, inquit, *familiam suam, unusquisque moneant, hortentur omnes, primum ad orandum Clementissimum Deum, ut Patribus inspiret ea circa electionem futuri Pontificis agere, quæ suæ placita sunt voluntati, & saluti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque universæ Reipublicæ Christianæ profutura; tum, ut domum die noctuque bene custodiant; Magistro domus obediant; pacifice, & quiete inter se vivant; & per Urbem non multum vagentur; noctu autem domi se omnino contineant*. Optimæ sane instructiones, quæ utinam ab ipsis Cardinalium Familiaribus servarentur, præsertim dum illi Conclavi sunt inclusi. Sed de continenda in officio suo Cardinalium familia notatu digna sunt quæ in generali Concilio v. Lateranensi statuit Leo Papa X. Sessione x. quæque nos explicuimus Tomo IV. Conciliorum. Videri autem præ ceteris possunt quæ de eadem re scripsit in Tractatu, *De Cardinalibus*, doctus æque, ac religiosus Auctor Hieronymus Platus una cum Additionibus, ac Notis ab eruditissimo Archiepiscopo Tyri Joanne Andrea Tria ibidem factis, & Romæ editis anno MDCCXLIX.

IV. Cautum est denique ex nostro hoc §. *ut antequam Conclave ingrediantur Patres, omnes Deo se reconcilient, confiteantur peccata sua, & qui non sunt celebraturi, communicent &c.* Huc facit quod in Epistola sua CLXXX. scripsit olim ad Franciscum Cardinalem Jacobus Cardinalis Papiensis, agens de arduo electionis Papæ negotio. Sic enim inter alia inquit: *Placandus pœnitentia Deus, rogandusque Sacrificio assiduo, ut non secundum merita nostra, nec secundum peccatoris populi iniquitatem, sed secundum suam misericordiam, Pastorem, & Principem det Sanctæ Ecclesiæ, eum videlicet, qui immutata Zachariæ Prophetæ sententia, in terra visitet derelicta, conquirat dispersa, sanet contrita, & quod constat, enutriat, quique nec carnes pinguium comedat, nec ungulas eorum dissolvat; sed, quod Apostolus admonet, seipsum præbeat exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, gravitate, verbo sano irreprobensibilem, ut is qui ex adverso est, vereatur, nil habens malum de nobis dicere; qui demum toto ministerio suo ejusmodi sit, de quo populus Dei exultet*. Legenda integra Epistola a Cardinalibus præsertim cum sunt electuri novum Pontificem, monita enim multa salutaria continet ab ipsis Cardinalibus scitu digna.

§. XVIII.

De juramento exigendo a custodibus.

Et cum ad Altare Conclavis convenerint, prior Episcoporum Cardinalium omnibus aliis adstantibus, & præsente, ac rogato aliquo Notario, exigat corporale juramentum, tactis sacris Evangeliis, a Custodibus Conclavis, & a secundis, ac tertiis Custodibus, quod fideles, & diligentes erunt ad custodiendum Palatium, & Conclave Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, neque permittent, Reverendissimos Dominos Cardinales ullo modo gravari ultra Constitutiones Sanctorum Patrum de electione Romani Pontificis statuentes, & maxime Clementis Papæ Sexti, quas, quantum ad eos pertinet, omni studio, & integritate servabunt, & ab aliis pro viribus facient observari. Quarti vero Custodes, ideſt, portæ ultimæ introitus Conclavis, præter hæc jurabunt, quod non permittent, aliquem appropinquare ad portam Conclavis, aut loqui, sive litteras dare aliquo modo illis, qui sunt intus, nisi de expresso consensu totius Collegii, & scripta, quæ ad Collegium pertinerent. Item quod perscrutabuntur cibaria, & vasa, quæ intromittentur, omni solertia, & fide, introspiciendo epulas, & fercula, ne forsan laterent aliquæ litteræ; vinum & aquam in vasis vitreis portari facient, & Constitutiones præfatas integre observabunt.

COMMENTARIUS.

I. PAuca sunt, quæ in hoc Commentario adnotemus, quum & ea, quæ in hoc præsenti §. continentur, enarraverimus jam fuse in Commentariis superioribus, prout se nobis non uno in loco dedit occasio. Sane juxta præscriptum novi Cæremonialis jussu Gregorii XV. Papæ editi, eodem die, quo Cardinales ingressi sunt Conclave, *post prandium omnes rursus simul congregantur, & Officiales Conclavis, & alii præstant Sacro Collegio juramenta consueta*. Paucos fuisse olim Conclavis Officiales, addiscimus ex Ordine Romano XV. Auctore Pe-

Digitized by Google

Petro Amelio, Cap. CXLIX, ubi inter alia docet, illud ſciendum, *quod Domini Cardinales tres, prior cum Camerario de conſilio aliorum, antequam intrent Conclave, debent eligere quatuor ſolemnes Viros, qui habent extra cuſtodire Conclave cum gentibus armatis, & caveant bene ſuper hoc, quod tales ſint idonei. Poterunt eſſe duo Prælati, & duo Milites, vel unus Miles, & unus Banderenſis.* Vocabulum hoc Banderenſis, vel Bandarenſis, & Bandorenſis, occurrit paſſim in Ordinibus Romanis, & apud mediæ, & infimæ Latinitatis Scriptores, uti videre eſt apud eruditum Dufreſne in ſuo Gloſſario, verbo, *Bandorenſes*, ubi ait, dictos fuiſſe Romæ eo nomine Capitaneos regionum.

II. Quicquid ſit, ex recitato Petri Amelii loco, profecto & illud addiſcimus, non ſemper cuſtodiæ Conclavis præfectos fuiſſe Magnates Nobiles Romanos perilluſtris familiæ Sabellorum, multoque minus a prima Conclavis inſtitutione, munus illud fuiſſe hæreditarium penes ipſam Sabellorum Familiam, ut ait Cardinalis de Luca, uti jam ſupra notavimus in Commentario ad §. IV. Nam præterquamquod, uti apud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores legimus, aliarum familiarum Magnates, Virique potentiores variorum Conclavium cuſtodiæ præfecti fuerunt, præſertim ubi illa extra Urbem in iis locis, in quibus Romani Pontifices obierunt, conſtructa ſunt; diſerte docet laudatus Amelius, in arbitrio eſſe Cardinalium eligere *quatuor ſolemnes Viros, qui habent extra cuſtodire Conclave &c.* Ceterum quod noſtram rem ſpectat, edicit mox idem Amelius recitato loco, ut *dicti Cuſtodes caveant ſibi bene ſub pœna perjurii, quod bene aperiant ſemper, & videant quidquid portatur Cardinalibus ad comedendum, &, ſi paſtilla eis portarentur, illa aperiant.* Additque tum etiam: *Item ſub pœna perjurii nullam Litteram eis dent, nec permittant illos accipere, nec ab ipſis etiam recipere, quantumcumque neceſſitas cogeret, ſed quicquid voluerint habere ab extra, dictis Cuſtodibus ore dicant.* Pœna perjurii jam ſupponit juramentum prius præſtitum ab ipſis Cuſtodibus.

III. Teſte Burchardo in Cæremoniali Sedis vacantis poſt Sixti IV. obitum, §. XXXIX. eadem die, qua Cardinales ingreſſi ſunt Conclave, *vocati ſunt omnes, qui ibidem in Aula, vel circa reperiri potuerunt, ad ſecundam, tertiam, & quartam cuſtodiam Conclavis deputati, quibus coram Cardinalibus, & Collegio prædicto congregatis Reverendiſſimus Dominus Vicecancellarius tanquam prior Cardinalium dixit, eos ad cuſtodiam Conclavis deputatos eſſe, propterea de fideliter cuſtodiendo Conclave ipſum, & Palatium, & non permittere, Cardinalibus aliquam inferri violentiam, ac Canonicas Sanctiones obſervare velle ſuper hoc diſputantes, jurare oportere*: Sic nos Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia; *& accepto per eundem Vicecancellarium Breviario aperto, acceſſerunt ante eum ſinguli Cuſtodes, & ſupra deputati ibidem præſentes, & genuflexi, tactis ſcripturis ejuſdem Breviarii ambabus manibus, præmiſſa ſe obſervaturos jurarunt.* Quo ritu præſtitum fuerit hujuſmodi juramentum in Conclavi Sedis vacantis poſt Julii II. obitum, enarrat in ſuo ms. Diario Paris de Graſſis, cujus verba lubet & in hoc Commentario deſcribere, varia enim ſcitu digna in ejuſdem Graſſi narratione Lector curioſus inveniet. Sic autem inquit in eo Capite, quod inſcripſit, *De juramento per Cuſtodes præſtando, & aliis agendis per eoſdem.*

IV. Indictum fuerat omnibus, qui Conclave cuſtodire in pluribus locis deberent, ne die ipſa ingrederentur, maxime ad præſtandum juramentum, quia Cardinales finita Miſſa de Spiritu Sancto ingreſſi eſſent, & quia hora jam fuit tarda, urgente fame, Cardinales diſtulerunt jurandi tempus in horam vigeſimam; & ſic eadem hora omnes fere Cardinales convenerunt in parva Capella, ubi illis ſedentibus in gyrum, vocavi omnes Cuſtodes quatuor cuſtodiarum, & ego genuflexus ante capita Cardinalium legi primo verbatim formam juramenti, quod præſtare debent Gubernator, & Capitaneus Palatii cum ſuis adjutoribus. Quo lecto, ego poſui Librum in manibus Camerarii ſedentis, & ipſi Gubernator, & Capitaneus venerunt, & genuflexi tactis ſcripturis jurarunt, & Socius meus ſucceſſive ſcribebat nomina ſingulorum. Deinde legi formam juramenti, quod præſtare debent Conſervatores, & Capuriones, ac alii Romani in prima cuſtodia, & ſimiliter ipſi venerunt, & juraverunt, quorum nomina Socius ſcripſit; & tertio legi formam juramenti, quod præſtant Oratores laici ſimul cum Nobilibus diverſarum Nationum, & ſic factum fuit, ut in primis, in ſecundis, & ultimo idem factum fuit de Prælatis Oratoribus, & non Oratoribus.

V. Pergit Graſſus, aitque, juramento præſtito, aliquos ex primoribus ipſorum Cuſtodum tam laicos, quam Eccleſiaſticos *cum aliquali moderamine, & præſtatione reverentiæ* dixiſſe ad Cardinales, *quod ipſi omnes juxta poſſibilitatem cuſtodirent fideliter, & diligenter, verumtamen ſiquid forte faciant, quod eis diſpliceat, ut quia non gratificabunt in omnibus ſicut forte vellent, non indignentur contra illos, quia ipſi faciunt illud, quod ille actus requirit.* Teſtatur quoque idem auctor Graſſus, feciſſe illos *in veritate*, prout actus ille requirit, *diligentiſſime, & ſtudioſiſſime, quantum in eis fuit, tam die, quam nocte vigilantes, nequa fraus fieret.* Teſte Franciſco Mucantio in ſuo ms. Diario Sedis vacantis poſt Pii Papæ V. obitum, *Oratores Principum, ex quibus erant tantummodo præſentes Oratores Cæſaris, & Ducis Urbini, negarunt ſe præſtituros juramenta ſine ſcientia, & conſenſu aliorum Oratorum, qui aberant; ideoque illis omiſſis, fuit delatum juramentum Conſervatoribus, & Officialibus Populi Romani pro tertia cuſtodia Conclavis; pro quarta vero, & quinta, omnibus Prælatis, qui aderant.* Agit Mucantius de prima Cardinalium congregatione facta eodem die, nempe XII. Maji anni MDLXXII. hora XX. *in qua*, ut inquit, *declaratus fuit Capitaneus Generalis cuſtodiæ Urbis Dominus Hieronymus Bonellus nepos Pontificis prædefuncti*, nempe Pii Papæ V. *qui præſtitit juramentum conſuetum.* Addit, poſt eum, Montem Valentium Gubernatorem Urbis, & Epiſcopum Nepeſinum, Legatum Burgi, & Palatii præſtitiſſe juramentum, *licet Nepeſinus ſatis conqueſtus fuerit, fuiſſe prius vocatum Gubernatorem, cum ſe majorem, & digniorem diceret tanquam Legatum, & ſic præferendum.* Agunt de juramento præſtando ab ipſis Conclavis Cuſtodibus Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis ms. Diariis.

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

De exhortatione prioris Episcoporum Cardinalium ad Collegium.

Tum exclusis omnibus aliis, prior Episcoporum Cardinalium ipsos Cardinales verbis convenientibus hortabitur, ut velint cogitare magnitudinem rei, de qua sunt tractaturi, qua nihil (1) in terris excellentius esse potest. Electuri enim sunt Jesu Christi Vicarium, Petri Successorem, Pastorem Dominici gregis, Aulæ Cælestis Clavigerum, & omnium Christianorum Principem, (2) atque Patrem: debere illos memoria repetere formam, atque regulas a Sanctis Patribus traditas in electione servandas, quas sine gravissima Dei offensa, & propriæ salutis discrimine (3) præterire non possunt: proinde dimissis omnibus animi affectibus, solum honorem Dei, salutem Reipublicæ Christianæ, & Romanæ Ecclesiæ ante oculos habeant, & talem eligere curent, qui Ecclesiæ Dei præesse, & prodesse valeat, & sciat.

COMMENTARIUS.

I. ELectionem Romani Pontificis, rem esse magni momenti, Romanæ ipsi Ecclesiæ Præsules æque, ac Patres, & Synodi pari sententia affirmant. Dandus est enim, ut verbis utar Cardinalis Papiensis in Epistola XL. ad Cardinales Sede vacante post Pii II. obitum data, *dandus est*, inquit, *plebi Catholicæ Pastor, instituendus in Ecclesia Dux, qui regat populum suum, qui sanet contrita: opus omnium maximum*. Rectissime inquit noster §. nihil esse posse excellentius in Terris electione ipsa Romani Antistitis; ideoque consuevit vel olim Prior Episcoporum Cardinalium Cardinales Conclave ingressos verbis convenientibus exhortari, ut velint cogitare magnitudinem rei: *electuri enim sunt Jesu Christi Vicarium, Petri Successorem, Pastorem Dominici gregis, Aulæ cælestis Clavigerum, & omnium Christianorum Principem, atque Patrem*. Hæc & alia id genus præclarissima, quæ solum Romanum Pontificem spectant, fuse, egregieque explicat doctissimus Cardinalis Bellarminus in suis, *De Summo Pontifice*, Libris. Nomina autem illa sunt, quibus ipsi Romani Pontifices a Patribus passim, & a Conciliis appellitati fuerunt; supervacaneumque est hoc loco ipsa Patrum, & Synodorum testimonia describere. Unum plane adnotabo, quod scripsit S. Bernardus Lib. II. *De Consideratione*, ad Eugenium III. Pontificem, quodque nostrum hunc §. quammaxime illustrat: *Tu es*, inquit, *cui Claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum Pastores. Habent illi assignatos greges singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum, Tu unus omnium Pastor*. Quod si ita est, quanta erit sarcina, quantum onus, totum, ut ita dicam, Orbem terrarum humeris sustinere? uti scite notat eruditissimus Platus in Tractatu, *De Cardinalis Dignitate, & Officio*, Cap. XXX. Num. XVI.

II. Porro juxta nostri §. præscriptum, prior ipse Episcoporum Cardinalium inter alia Cardinales in sua exhortatione admonebit, *debere illos memoria repetere formam, atque regulas a Sanctis Patribus traditas in electione servanda, quas sine gravissima Dei offensa, & propriæ salutis discrimine præterire non possunt: proinde dimissis omnibus animi affectibus, solum honorem Dei, salutem Reipublicæ Christianæ, & Romanæ Ecclesiæ ante oculos habeant, & talem eligere curent, qui Ecclesiæ Dei præesse, & prodesse valeat, & sciat*. His plane concinunt, quæ in citata Epistola sua XL. scripsit olim laudatus Cardinalis Papiensis: *Abjiciendi*, inquit, *affectus factiones, &*, ut ita dicam, *ultramontanitates: neque Italus Transalpinum horreat, si bonus est, neque Italum Transalpinus indignetur: propter utrosque crucifixus est Dominus: super utrosque oriri facit Solem & Lunam, & pluit; & aliquando per Italum melius administratum, & per eundem magnæ calamitates illatæ. Non amicitiæ, non spes commodorum propriorum, non odia sunt attendenda. Omnia hæc Domino condonanda. Valetudo multum adjicit animo. Multum infirmitas detrahit. Quamquam, ubi vigor naturalis est, non tam est attendenda. An nescitis, imperare caput, non pedes? Vidimus cæcos, claudos gessisse magnas res &c.* Varias id genus Epistolas, quibus docet quæ attendenda sint in eligendo Romano Pontifice, idem Papiensis scripsit, lectu dignas præsertim a S. R. E. Cardinalibus novum Pontificem Sede vacante electuris.

III. Notanda demum potissimum sunt illa nostri hujus §. verba, quibus dicitur, regulas a Sanctis Patribus traditas in electione servandas, præsertim vero Summi Romani Pontificis, *sine gravissima Dei offensa, & propriæ salutis discrimine*, non posse a Cardinalibus præteriri. Ea enim est communis saniorum Theologorum, & Canonistarum sententia, quam pluribus probat memoratus Platus in citato Tractatu, *De Cardinalis Dignitate, & Officio*, Cap. XXXI. non solum scilicet, gravi se scelere Cardinales obstringere, si inepto suffragium suum tribuant, sed etiam si tribuant apto, prætermisso tamen aptiori. Oportet enim, ut eum eligant, qui præter ceteros maxime aptus videatur. Docet hoc ipsum, ut alios omittam, S. Antoninus Theologus æque insignis, ac Canonici Juris Consultus, Parte III. Titulo XXI. Cap. II. ubi hac quæstione his verbis posita, *An teneantur Cardinales eligere meliorem in Pontificem*; diserte respondet, teneri, alioquin peccare mortaliter, & esse personarum acceptionem; sed quid opus est aliorum

(1) Ita in Romana editione; in Veneta vero I. *inter eos*.
(2) In Veneta ipsa deest, *atque Patrem*.
(3) In eadem Veneta legitur, *prætermittere*.

Digitized by Google

rum testimonia referre, cum ipsi Cardinales Pontificem eligentes, antequam schedulam in Calicem mittant, jurejurando, clara, & intelligibili voce idipsum se præstituros affirment per ea verba, quæ præscripta sunt in celebri illa Gregorii XV. Constitione de electione Romani Pontificis, quæ incipit, *Æterni Patris Filius*, edita XVII. Kalendas Decembris MDCXXI. *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo.*

IV. Teste eodem Plato Cap. XXXI. §. unico, observatum est, qui in hoc tanto negotio, quale est illud electionis Papæ, suarum potius utilitatum, quam divini obsequii rationem habere voluerunt, plerumque ita a Deo punitos esse, ut a quibus potissimum omnia sperabant, & quibus hac spe immerito suffragati erant, ab iis non modo nihil præmii referrent, sed male etiam tractarentur. Justo utique Dei judicio, ut & ipsi per quæ peccarent, plecterentur, & alii discerent eorum exemplo, ac tam evidenti, tamque præsenti pœna deterrerentur. Horrendum plane est hac in re Alexandri VI. exemplum, qui cum quorumdam S. R. E. Cardinalium suffragatione suam magis, quam Ecclesiæ utilitatem spectantium ad Pontificatum provectus esset, pro magnis commodis, quæ sibi spoponderant, magnas cuncti ab eo calamitates acceperunt. Ita etenim memoriæ proditum est, omnes, qui illi in dignitate adipiscenda faverant, non multo post alios alia pœna luisse partim exilio, partim teterrimo carcere, partim etiam capite damnatos; quin etiam multos Romanos Proceres, quorum propinqui Cardinales illum extulerant, variis ex causis vel sublatos, vel bonis exutos. Miserabilem istorum historiam justo Dei judicio permissam in eorum exemplum, qui in tam gravi negotio proprium, & non Ecclesiæ commodum respiciunt, per nomina, & cognomina distincta, legere est apud doctissimum Panvinium in Vita ejusdem Alexandri VI.

§. XX.

De claudendo Conclavi, & bis, qui in eo remanent.

His peractis, Reverendissimi Domini Cardinales ad cellulas quisque suas divertunt, & Camerarius, aliique Officiales Cameræ Apostolicæ omnes extra Conclave abire jubent, præter eos, quos remanere oportet, ut infra dicemus. Tum omnibus prædictis expulsis, porta Conclavis cum suo porticulo omnibus clausuris (1) claudatur intus, & extra; assignenturque claves duæ (2) Clericis Cæremoniarum (3) ab intus, & tres Prælatis Custodibus ab extra (4). Deinde accensis funalibus, aliqui jussu Patrum ad hoc deputati latebras, angulosque omnes Conclavis diligenter scrutantur, nequis extra ordinem inter clausos remanere possit. In Conclavi autem ordinarie hi remanent, omnes Reverendissimi Domini Cardinales, & unusquisque illorum pro suo servitio retinent duos servientes tantum. Siquis autem adversa valetudine premeretur, conceditur sibi tertius Minister ex consuetudine, non ex Constitutione. Præterea Sacrista Sacri Palatii, & duo Clerici Cæremoniarum. Servitores Dominorum Cardinalium, quisque hero suo famulatur.

COMMENTARIUS.

I. DE clausura Conclavis disseruimus supra non uno in loco. Celebre est de ea re, quod edicit Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio, Cap. CXLIX. cujus verba licet a nobis jam alias descripta, operæ tamen pretium censemus iterum & hoc loco repetere; *Item in porta Conclavis*, inquit, *sint ad minus tres claves cum tribus serraturis; quilibet custodientium habeat suam. Item dicta porta sit clausa bene cum barris, & clavelaturis, & catena.* Additque mox, foramen ipsum, seu porticulum in medio portæ, per quod introduci solebant olim cibaria, claudendum etiam clavi. Solemnis Conclavis clausura fiebat plane eodem die, quo Cardinales ingressi fuerunt Conclave, & eo quidem ritu quem hic noster §. præscribit; *Accensis funalibus aliqui jussu Patrum ad hoc deputati latebras angulosque omnes Conclavis diligenter scrutantur, nequis extra ordinem inter clausos remanere possit.* Mentionem ejus ritus faciunt passim Cæremoniarii Apostolici in suis Diariis tum editis, tum manu exaratis. Sed præstat describere locum novissimi Cæremonialis jussu Gregorii Papæ XV. editi; *Ipsum Conclave*, inquit, *post ter jussu Cardinalis Decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secunda circa secundam, & tertia circa tertiam, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves S. R. E. Camerario, ac Magistro cæremoniarum, & Prælatis Custodibus Conclavis juxta solitum assignentur.* Tum vero subdit consentanee ad §. nostri præscriptum, ita inquiens; *Deinde accensis funalibus, tres Cardinales capita Ordinum, & Camerarius una cum Magistro Cæremoniarum latebras, & angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, nequis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit.*

II. In Conclavi autem sub ipsa clausura præter Cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet Cardinalis familiares, qui vulgo Conclavistæ nuncupantur, pro eorum servitio, solumque Cardinalibus senioribus, vel infirmis, ac etiam iis, qui de Principum genere sunt, indulge-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta 1. legitur, *ferris*, citata Veneta. (3) In ipsa Veneta, *interioribus*.

(2) Vox *duæ* deest in Romana editione, sed legitur in (4) In eadem Veneta legitur, *exterioribus*.

Digitized by Google

dulgetur tertius familiaris, vel Conclaviſta ratione majoris ſervitii, quo indigere dignoſcatur, uti docet Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu III. Numero XVI. ubi etiam advertit, ab ipſius Sacri Cardinalium Collegii judicio, atque determinatione pendere, an ille, qui tertium Conclaviſtam petit, eo ſit, necne dignus. Ceterum tametſi juxta hujus noſtri §. præſcriptum, præter Cardinales, duoſque illorum familiares, vel tres, uti dictum eſt, remaneant etiam in ipſo Conclavi *Sacriſta Sacri Palatii*, & *duo Clerici Cæremoniarum*, nulla aliorum facta penitus mentione; remanent nihilominus ibidem clauſi alii quoque Officiales, vel Miniſtri, Cæremoniarii non duo tantum, ſed longe plures, Religioſus Sacerdos, qui tam Cardinalibus, quam aliis Conclaviſtis Sacramentum pœnitentiæ adminiſtret, atque etiam aliquas ſtatis temporibus faciat conciones. Remanent quoque aliqui Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, & Barbitonſores, nec non plures inferiores pro vilibus, & ſordidis miniſteriis neceſſarii; qui omnes recenſentur in citata toties Conſtitutione Pii Papæ IV. quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. quoſque inter alios recenſet Paſſerinus in Tractatu, *De electione Canonica*, Quæſtione XI, notatque laudatus Cardinalis de Luca citato loco, *licet praxis doceat admiſſionem majoris numeri miniſtrantium, quam dicta Conſtitutio præcipiat, id provenire, neceſſitate ita exigente, ob excretum numerum Cardinalium ſub Sixto V.*

§. XXI.

De Sacriſta, qui celebrat in communi coram Patribus; & de Cæremoniariorum miniſteriis.

Sacriſta Divina celebrat in communi coram Patribus, & veſtes, ac paramenta futuri Pontificis ſervat, præparatque; Clerici Cæremoniarum Celebranti ſubminiſtrant: ſubſellia pro Dominis Cardinalibus, ubi, & quomodo illis placet, præparant; & in communi omnibus Patribus ſerviunt; conſuevitque aliis ſuperioribus temporibus inſtrumentum de electione Pontificis confici.

COMMENTARIUS.

I. DEbere in Conclavi erigi Sacellum, ſeu Capellam, in qua *Cardinales Miſſam debent audire omnes inſimul, non tamen cantando, ſed baſſe*, edicit Romanus Ordo XV. auctore Petro Amelio Cap. CXLIX. ubi etiam ait, *in dicta Capella debere eſſe Corpus Chriſti cum candela accenſa ad omnem eventum, quam ſolvit Camera, & omnes alias, quæ in dictis Miſſis conſumentur ibidem, Sede vacante*. Juxta noſtrum §. *Sacriſta Divina celebrat in communi coram Patribus*. Fuit hoc plane Sacriſtæ munus ante ordinationem noſtri Cæremonialis ab Auguſtino Patricio factam juſſu Innocentii Papæ VIII. Etenim Burchardus in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt obitum Sixti Papæ IV. qui Innocentium ipſum præceſſit, §. XLIV. poſtquam dixit die XXVII. Auguſti, anni ſcilicet MCDLXXXIV. qui dies primus fuit poſt Cardinalium ad Conclave ingreſſum, ſummo mane Cardinalem Sancti Marci in Altari majori parvæ Capellæ celebraſſe Miſſam pro devotione ſua, miniſtrante ſibi uno ex ſuis Conclaviſtis, idemque poſt eum feciſſe Cardinales Aquenſem, & Matiſconenſem, & quoſdam alios, ita ad rem noſtram mox ſubjicit: *Deinde circa horam ſeptimam Abbas Sancti Sebaſtiani Sacriſta noſter, nobis ſibi miniſtrantibus, dixit Miſſam publicam in paramentis tamen Sacerdotalibus tantum. Interfuerunt omnes Cardinales induti ſuper Rochetum parvis capucinis coloris ipſis Cardinalibus magis placentis, & deſuper Croceis coloris violacei obſcuri, fimbrias duorum palmorum, vel circa, poſt ſe trahentes, ſtantes ad ſcamna ſua more conſueto, Epiſcopi, & Presbyteri in latere Evangelii, & Diaconi ab alio latere, videlicet Epiſtolæ, digniores verſus Altare.*

II. Pergit Burchardus, rituſque explicat in ea Miſſa ſervatos, quos nos ad majorem noſtri hujus §. intelligentiam opportune cenſuimus in hoc Commentario referre: *Dicta*, inquit, *per Celebrantem Oratione*, Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c. *obtuli inſtrumentum pacis oſculandum ipſi Celebranti, deinde ſingulis Cardinalibus, qui genuflexi erant in locis ſuis*. Tum vero mox ſubdit ſequenti §. XLV. *Primo dedi Vicecancellario, poſtea aliis per ordinem, dicens ſingulis*: Pax tecum; *illis reſpondentibus*: Et cum ſpiritu tuo. *In fine Miſſæ ipſe Celebrans ſtans verſus ad Cardinales, illis benedicebat, eos ſignans, & dicens*: Benedicat vos Omnipotens Deus Pa ✠ ter & Fi ✠ lius, & Spi ✠ ritus Sanctus. *Nonnulli tamen aſſerebant, quod ipſe Celebrans verſus Cardinales genuflexus, illis benedicere debebat; quod tamen mihi ſatis abſurdum videbatur, cum benedicens ſemper major ſit benedicendo in eo actu. Miſſam dixit de Spiritu Sancto, cum Oratione*: Deus, qui corda Fidelium &c. *& ſua Præfatione, in quibus omiſit illa verba*, hodierna die. *Primam Orationem dixit ſub ſua concluſione; deinde aliam pro electione, videlicet*: Supplice Domine humilitate depoſcimus &c. *etiam ſub ſua concluſione*; cum Gloria in excelſis, Credo, & Ite Miſſa eſt. *In paramentis rubeis celebravit, prout conveniebat; ſuper Altari erat Crux in medio, & quatuor candelabra, hinc & inde poſita*. Hucuſque Burchardus, ex quo ritum addiſcimus, quo in Conclavi Miſſa publica a Sacriſta celebraretur, cujus Miſſæ ab eodem aliis diebus, Conclavi durante, celebratæ mentionem paſſim idem Auctor facit in citato ſuo Cæremoniali. Ceterum noſtrum hoc Cæremoniale nos docet infra §. XLIX. conſuetudinem olim fuiſſe, *ut duæ Miſſæ ſingulis diebus in Conclavi dicerentur, una de die currenti,*

Digitized by Google

altera propria, quæ Sede vacante dicitur, & scripta in fine hujus voluminis, una per Sacristam, altera per aliquem ex Capellanis Cardinalium, nisi ipsi Cardinales personaliter velint celebrare. Sed de his vide quæ infra dicemus in Commentario ejusdem §.

III. Sane constat ex mss. Diariis, non modo duas, sed & longe plures consueviſſe in Conclavi Missas per Cardinales, eorumque Conclaviſtas Presbyteros celebrari. Publica tamen Missa, cui scilicet Cardinales, aliique non celebrantes intererant, erat illa, quam dicebat Sacrista, cui celebranti, ut ait hic noster §. & testatur memoratus Burchardus, Cæremoniarum Magistri subministrant; est enim magna Sacristæ Pontificii Sacelli dignitas, de qua, sicut & de ejus muniis fuse differit eruditissimus Angelus Rocca Tomo 1. Operum, in Chronistoria, *De Apostolico Sacrario*, ubi inter alias ejusdem functiones, & eas recenset, quæ in hoc nostro Cæremoniali notatæ sunt, præsertim vero illas, quæ in præsenti §. præscribuntur: *Introducitur denique*, loquitur de ipso Sacrista, *in Conclave, ubi pro novo Pontifice eligendo quotidie universo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio rem sacram facit; & pro electo secundum morem vestiendo, nova secum defert, custoditque indumenta: Ecclesiæ item Sacramenta, juxta Cardinalium, & Conclaviſtarum indigentiam, in Conclavi administrat; necnon alias ad res, & quidem gravissimas, nonnunquam, prout occasio se se offert, adhibetur, quippe qui primum Conclaviſtarum tenet locum.*

IV. Teste eodem Rocca, pluribus ab hinc seculis; Præfectura Sacrarii Pontificii donari solent Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini; unusque ex iis fuit Joannes Paulus Bossius Mediolanensis, *Abbas S. Sebastiani*, cujus supra mentionem fecit Burchardus. Is enim a pueris Ordini Eremitarum S. Augustini nomen dedit, & in eo professionem emisit, atque in eodem habitu ad Sacrarii Pontificii munus fuit assumtus. Postremo Abbas S. Sebastiani extra muros Urbis Ordinis Cistercienſis effectus, ad dictum Ordinem translatus fuit, ut Alexander VI. Litteris suis testatur; qui etiam, ne hoc exemplo Eremitarum S. Augustini Ordo jure suo antiquo, ac privilegio dictum Officium obtinendi tempus in posterum frustari posset, peculiari Bulla edita, Sacrarii Pontificii munus a Fratribus prædicti Ordinis perpetuo exercendum esse Motu proprio declaravit. Hæc autem declaratio, ut ex ipsa constat Bulla, cujus memoratus Rocca mentionem facit, facta fuit, dum ipse Bossius Abbas S. Sebastiani, atque Alexandri VI. foret Sacrista. Sed de Sacrista, ejusque Officio dicemus fusius infra Lib. III. sicut & de aliis Ministris, atque Officialibus Curiæ Romanæ juxta ordinem nostri hujus Cæremonialis, quod nos Commentariis illustramus.

V. Unum est tandem, quod hic præteriri nullatenus debet, quod nempe de publica ista Sacristæ Missa tradit idem Burchardus §. CI. ubi ita inquit: *Cum Missa publica per Sacristam dicebatur, omnes Conclaviſtæ, vel qui volebant Missam ipsam audire, extra tamen ostia Capellæ minoris, in qua Missa celebrabatur, ad primam, & secundam aulam Conclavis respondentia, stantes, erant; & interim, cum Missa diceretur, nullus ad ostium Conclavis pulsabat; similiter cum scrutinium fieret Missa finita; ac scabellis pro Cardinalibus cum folio papiri, penna, sive calamo, & incaustro, ac candelis parvis duabus, aut tribus ordinatis, omnes redibant ad Capellam majorem, in qua recludebantur per nos Clericos Cæremoniarum omnes, Cardinalibus in Congregatione existentibus.* Ita ille, cujus loca libenter describo; fuit enim ipse diu Apostolicarum Cæremoniarum Præfectus, & quidem non in sola praxi versatus, sed penitiori earum notitia summe instructus. Ceterum sciendum hic illud est, in Conclavi Sedis vacantis post obitum Pii Papæ V. sequenti die, quo Cardinales ingressi sunt Conclave, idest, die XIII. Maji celebrasse Missam in Sacello Paulino Cardinalem Augustanum *supplendo vices Cardinalis Decani pedum infirmitate detenti*, ut tradit in suo ms. Diario Franciscus Mucantius, qui etiam, postquam dixit celebratam fuisse tunc Missam de Spiritu Sancta, ita de ritibus in ea servatis inquit: *Pax fuit data cum instrumento Capitibus Ordinum tantum, qui deinde successive aliis Reverendissimis Cardinalibus subsequentibus ore & facie subministrabant. In fine Missæ Celebrans juxta ritum præbuit sacram Communionem omnibus Reverendissimis Cardinalibus.* Additque mox idem Mucantius, Missa expleta, Secretarium Sacri Collegii alta voce legisse Litteras Summorum Pontificum Julii II. & Pii IV. super electione novi Pontificis, & reformatione Conclavis ex Libro juramentorum, qui est apud Magistros Cæremoniarum. Hodie præter laudatorum Pontificum Constitutiones legitur inter alias celebris Gregorii XV. Constitutio, de qua superius dictum est.

§. XXII.

Quomodo intromittuntur cibaria.

Cum prandii, seu cœnæ tempore cibaria afferuntur, Familiæ Cardinalium cornutas (ita enim cophinos appellant, quibus illa portantur) usque ad secundam custodiam deducunt. Tum Præfectus Familiæ illius Cardinalis cum duobus, qui cornutam portant, usque ad ultimam custodiam accedunt. Prælati custodes cornutam aperiunt, fercula, & omnia, quæ intus sunt, diligenter perscrutantur, nequid litterarum lateat (1). Tum aperto ab extra (2) porticulo, ab intus (3) aperiri per Clericum Cæremoniarum, vocarique servientes illius Cardinalis, cujus cornuta est advecta, jubent, illique cornutam cum cibis assignant, & vinum, quod est in vitreis phialis allatum. Servitores, qui extra adstant, ad portam Conclavis non accedunt; & qui intus sunt, a Prælatis custo-

(1) Ita in Romana editione; in Veneta vero, *insit*. 1. legitur *extrinsecus*.
(2) Ita quoque in editione Romana, in Veneta vero
(3) Ibidem, *intrinsecus*.

Digitized by Google

custodibus cornutas recipiunt; & qui primum venerint, primum expediuntur. Ante portam intus aliquantulum remote suspenditur cortina quædam, ne per porticulum, cum aperitur, videri possint, qui sint intus; & hoc semper servatur, cum cibaria portantur.

COMMENTARIUS.

I. TEstis est in suo Hierolexico Macrus, verbo, *cornuta*, aliquos Sriptores recentiores scribi maluisse *carnutam*, ab illatis in ea carnibus etymon trahentes. Verum, ut scite idem Auctor docet, *cornuta est capsa quædam, quæ tempore Conclavis ad deferenda comestibilia pro Eminentissimis Cardinalibus inservit, sic appellata a binis cornibus, seu ansis, per quas hasta transacta, commodius defertur a servis*. Cornutarum mentionem, & quidem ad usum Conclavis inter alios non uno in loco facit Æneas Sylvius, potissimum vero Libro II. Historiæ Concilii Basileensis, ita ad rem scribens: *Cibaria comparabant, quæ horis indictis in lignea capsa depicta, quam cornutam appellant, usque ad Conclavis ostium deferebant*; ut ibidem nempe Cornutam ipsam Custodes aperientes, fercula, & omnia, quæ intus erant, diligenter perscrutarentur, nequid litterarum lateret, ut inquit hic noster §. & docet laudatus Æneas Sylvius sua in Oratione ad Fridericum III. Imperatorem anno MCDXLVII. apud Baluzium Tomo VII. Miscellaneorum, ubi enarrat Conclave in Cœnobio Minervitano Fratrum Prædicatorum prædicto anno erectum: *Cibaria*, inquit, *in cornuta feruntur clausa, sed aperiuntur ad ultimum ostium per quatuor Prælatos, inspiciunturque, ne quid litterarum, armorumve feratur*. Certe, ut jam alias notavimus, mandat inter alia Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio, Capite CXLIX. ut *Custodes caveant sibi bene sub pœna perjurii, quod bene aperiant semper, & videant quicquid portatur Cardinalibus ad comedendum, &, si pastilla eis portarentur, illa aperiant*. Est ergo antiquus ritus, ut a Custodibus, qui portæ ultimæ introitus Conclavis præsunt, juramentum vel eam ob causam prius exhibeatur. Legenda inter alias Constitutio Pii Papæ IV. quæ incipit, *In eligendis*, edita anno MDLXII. qua cautum est, ut *Prælati quoque ad custodiam Conclavis deputati, sub pœna perjurii, & suspensionis a Divinis, maxima, & exquisita diligentia utantur in inspiciendis, ac perscrutandis epulis, & aliis rebus &c.*

II. Quod cornutas spectat, de quibus nonnihil jam superius diximus, duo adhuc sunt, quæ hic adnotemus ex memorato Ænea Sylvio in citata Oratione ad Fridericum III. Imperatorem; primo siquidem docet, *cornutarum nomine nihil aliud intelligi, quam cistas ligneas depictas, & armis cujuslibet Cardinalis ornatas*. Describit deinde ritum, qua cornutæ ipsæ, in qua cibaria clausa erant, ad Conclave deferebantur: *Duo Scutiferi*, inquit, *unam perticam suspensam portant. Alii bini præcedunt. Sequuntur in processione Episcopi, ceteriique Clerici de familia ejus Cardinalis, cujus cornuta fertur. Tot funera duci credas, quot cornutæ, Cardinalesque sunt. Usque adeo miseros Curiales adulandi consuetudo illexit, ut cum Cardinalibus nequeant, cornutis assententur, atque illas nihilo minus, quam Cardinales honorant*. Dignam risu hanc cæremoniam dicit, sicut & illam, qua vel *media hyeme sub pyra, quam doloris castrum appellant, quatuor lugubribus induti vestibus, flabellis, quæ non adsunt, muscas expellant, ventulumque non præsenti Pontifici faciunt*. Addit optare se quidem, utrasque cæremonias ab Ecclesia secludi, *sed concedendum est aliquid consuetudini*; ut idem Auctor subjicit. Notato hoc obiter, audiamus nunc Burchardum in Cæremoniali Sedis vacantis post obitum Sixti Papæ IV. qui contigit anno Christi MCDLXXXIV. Idibus Augusti. Sic enim inquit sub die XXVI. Augusti de ordinatione prandii, ac cœnæ deferendæ ad Conclave: *Eadem die circa horam vigesimam secundam redierunt servitores Cardinalium ad ostium Conclavis cum cibariis, & potu pro cœna, quibus restituebantur vasa argentea, quæ prandio apportaverant. Dedi tunc horam singulis, quod Conclavi hujusmodi durante, deinceps singulis diebus circa horam quartodecimam cum prandio, & circa XXIJ. cum cœna Cardinalium advenirent*.

III. Fuse de ipsa cornuta, ac deferendi eam ritu ad Conclave agit idem Burchardus in citato suo Cæremoniali §. XCIX. & seq. cujus locum tametsi longiusculum, lubet tamen integrum describere; multa enim scitu digna continet, & curioso antiquitatis lectori grata. Sic autem inquit de praxi circa eam rem servata in Conclavi Sedis vacantis post Sixti IV. Papæ obitum: *Circa horas prandii, & cœnæ veniebant ex domibus Cardinalium ad loca prædicta magistri domorum, canaparii cum vinis, & aliqui ex Capellanis, & scutiferis, aliis palatia Cardinalium ipsorum custodientibus. Hora deinde adveniente, præcedentibus Scutiferis, binis, & binis, ac Capellanis eodem ordine sequentibus, parafrenarii unus ante alterum retro inter se super spatulis per baculum portabant cornutas, in quibus cibaria, & potus cum pane inclusa erant. Cum essent in porta secundæ custodiæ Palatii, Scutiferi, & Capellani cum Magistro domus ibidem remanebant soli; Parafrenarii cum cornuta ascendebant per secundam, & tertiam usque ad quartam custodiam, ubi extra ostium Conclavis cornutas firmabant*. Pergit Auctor, aitque §. c. cornutam hujusmodi unam clausuram cum duabus clavibus paribus habuisse, quarum unam Magister aulæ, alterum vero Conclavistæ cum Domino Cardinale existentes tenebant; illum vero cum cibaria, & vinum in cornuta posuisset, *facta prius de singulis credentia*, cornutam clavi obseraſſe, & ad Conclave misisse.

IV. Tradit deinde Burchardus, duas fuisse cujusque Cardinalis cornutas, quarum una mittebatur, ut supra, altera vero in Conclavi erat; tum vero mox ita subdit: *Ego, & socius meus Conclavistas illius Cardinalis cujus erat cornuta, vocabamus, quibus cum sua cornuta vacua venientibus aperui sportellum ostii ab intus, & illi de quarta custodia ab extra, & Conclavistæ ipsi clavem cornutæ custodibus porrigebant, qui aperta cornuta singula ex illis contrahentes ponebant super parvam mensam ibidem juxta*

Digitized by Google

oſtium Conclavis præparatam, ubi unus Cuſtodum per alios ad hoc Deputatus perſpiciebat ſingula, movendo pezzam panis per mineſtras, aperiendo pullos, ſcindendo carnes, & panes, ac tortas, ubi ipſi videbatur, ac perſpiciendo vitra, ſive carafas vini. Nam vinum non in flaſchis, aut quocumque alio vaſe, ſed in vitris diſcoopertis mittebatur, ſive portabatur, mineſtræ vero in parvis ollis utplurimum dabantur. Singula per eos bene viſa nobis Clericis Cæremoniarum Cuſtodes ipſi parrigebant per ſportellum oſtii; nos vero illa recipientes, poſuimus ſupra credentiam noſtram magnam, ubi Conclaviſtæ expectabant, & illa recipiebant ponentes in ſua cornuta, quam ibi tenebant paratam, cum qua omnia ad cameras ſuas portabant.

V. Narrat hæc recitato loco Burchardus, nefaſque mihi eſſe puto & illa omittere quæ de cornuta, & cibariis ipſis, ac de uſu reliquiarum mox idem Auctor ſubjicit, ſic inquiens: *Cum in ſero cibaria venirent pro cœna, Conclaviſtæ exponebant vaſa argentea, & vitrea, quæ in mane acceperant ſuper credentiam noſtram in Conclavi, & ego illa reſtituebam Parafrenariis ab extra expectantibus vacua. Panis enim, & vina, & carnes ſalſæ, & alia, quæ poterant conſervari, nos Clerici cæremoniarum in vaſa noſtra, quæ ad hoc in Conclave portavimus repoſuimus. Portaveram enim parvum buticellum pro vino colligendo, & unam capſam magnam pro pane, & hujuſmodi, quæ repoſui in camera Medicorum, per quam ibatur ad latrinas in angulo circa oſtium Conclavis; alia autem, videlicet mineſtram, carnes, ſive piſces creſcentes, & ſimilia extra dedimus Cuſtodibus prædictis. Idem fiebat in mane de vaſis ſero receptis. Parafrenarii, vel alii ſervitores Cardinalium expectabant circa ſecundam cuſtodiam in mane & ſero, qui aviſabantur per nos, & Cuſtodes de hora quando cibaria portanda eſſent, & aviſata portabant, & non prius. Nam hora firma non poterat eis aſſignari ex eo quod Cardinales aliquando citius, aliquando tardius rem ſuam expediebant. Cuſtodes prædicti non ſervabant alium ordinem in recipiendis cibariis prædictis, ſed qui prior veniebat cum cibariis prædictis, illum primo remittebam, ſive primi, ſive ultimi, aut cujuſcumque Cardinalis familiaris eſſet. Ibidem Cuſtodes quartæ cuſtodiæ ſingulis diebus duos inter ſe deputabant, unum pro prandio, & alium pro cœna, qui cibaria inſpiceret.* Atque hæc ſunt quæ in ſuo Cæremoniali refert Burchardus, cujus locum integrum ad majorem noſtri hujus §. intelligentiam placuit deſcribere.

VI. Cautum præterea & illud eſt ex hoc noſtro eodem §. ut *ante portam intus aliquantulum remote ſuſpendatur cortina quædam, ne per porticulum, cum aperitur, videri poſſint qui ſunt intus.* Et hoc ſemper ſervari ait, cum cibaria portantur. Uſum hunc antiquum mutatum fuiſſe in Conclavi Sedis vacantis poſt Julii Papæ II. obitum, anno MDXIII. notavimus jam ſupra in Commentario ad §. II. Num. VIII. ex teſtimonio Paridis Graſſi, qui, ut idem teſtatur, Rotam inſtar Monaſteriorum Monialium introduxit, per quam cibaria inferantur, & cortinæ loco repagulum ex ligneis tabulis altis, & fortibus, ut nullus ex his, qui intus ſunt, accedere ad locum portæ, ſive Rotæ, aut videre deſuper poſſet, niſi Magiſtri Cæremoniarum cum ſuis famulis. Tradit & alia Graſſus, de quibus nos alias.

§. XXIII.

Qui cibi miniſtrentur, & quod unus de alterius ferculo non veſcatur.

Primis tribus diebus miniſtrantur Patribus cibi libere pro eorum voluntate; illis elapſis, panis, vinum, & aqua cum uno ferculo tantum carnium, vel ovorum unius ſpeciei cum ſalſamentis, ſapore, caſeo, herbis crudis, & fructibus. Neque ſecundum Conſtitutionem Clementis VI. licet alicui ex Patribus de ferculo alterius veſci.

COMMENTARIUS.

I. QUid de cibis miniſtrandis Cardinalibus in Conclavi exiſtentibus, primis diebus, ac ſequentibus ſtatuerit primum Gregorius Papa X. ac deinde Clemens VI. jam ſuperius dictum fuit. Ex Conſtitutione Pii Papæ IV. quæ incipit, *In eligendis*, edita VII. Idus Octobris anno MDLXII. cautum eſt, ut *Cardinales primo ipſo die, quo Conclave ingreſſi fuerint, tam in prandio, quam in cœna, uno ſolo ferculo unius ſpeciei tantum, eoque moderato, & alias juxta Conſtitutionem præfati Clementis VI. qualificato contenti ſint, & eſſe debeant, nec quiſquam in alterius cella, vel de alterius ferculo veſcatur.* Idipſum confirmavit Cæremoniale Gregorii XV. Papæ juſſu editum, ubi inter alia ſtatuit, *clauſo conclavi ſervari debere omnia, quæ de colloquiis, litteris, & cibis &c. in Conſtitutione Pii IV. ſancita ſunt.* Atque hæc iis plane concinunt, quæ in noſtro hoc §. præſcripta ſunt. Ceterum quid nomine unius ferculi intelligatur, non eſt ita facile definire, tum præſertim, quod non deſunt Theologi Caſuiſtæ, ac etiam Doctores, qui unum ipſum ferculum de lauto convivio intelligunt.

§. XXIV.

De cortinis, & habitu Cardinalium.

Dum Patres comedunt, aut aliquid aliud in cellulis agunt, cortinæ anteriores, & collaterales apertæ ſemper eſſe debent, niſi cum in lecto interdiu, ſive noctu quieſcunt.

Cum

Digitized by Google

Cum autem collegialiter a Patribus eſt aliquid agendum, utuntur Croceis obſcuris, & ſubtus parvo Caputio ſupra Rocchettum. Eſt autem Crocea genus chlamidis longæ ad terram uſque a parte anteriori aperta a ſummo ad imum circa collare rugoſa, informam Capparum Prælatorum, ſi demas cucullum. Quando autem ſunt in cellis, aut per aulas deambulant, poſſunt eſſe in Rochettis, ſive cum parvis mantellis deſuper, ut magis placet.

COMMENTARIUS.

I. JAm non uno in loco ſupra adnotavimus, Clementem Papam VI. ſua Conſtitutione edita Avenione VIII. Idus Decembris anno MCCCLI. quam ſuperius deſcripſimus §. XIII. Cardinalibus indulſiſſe, ut *liceret eis ex decentia honeſtatis habere in clauſura*, ideſt in Conclavi, *cum in lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint, intermedia, ſeu velamina ſimplicium tantummodo cortinarum*. Antea enim cautum fuerat ex Conſtitutione Gregorii X. promulgata in generali II. Lugdunenſi Concilio, uti etiam ſupra diximus, ut Cardinales novum electuri Pontificem, *unum Conclave nullo intermedio pariete, vel alio velamine, habitarent in communi*. Porro ex intermediis illis, ſeu velaminibus ſimplicium cortinarum ortæ ſunt deinde cellæ in Conclavi, quæ ſunt veluti quædam cubicula, cœperuntque primum fieri ex tabulis ſubtilibus anno MDXXI. in Conclavi ſcilicet poſt Leonis Papæ X. obitum conſtructo, ut nos docet teſtimonium Paridis Graſſi, qui in ſuo ms. Diario, fieri ſe feciſſe inquit in ipſo Conclavi *tabularium ſuper ſolari, & cooperiri cellas ex tabulis ſubtilibus, & claudi feneſtras cum telaribus, & tela cerata ſuper feneſtras vitreas*. Sed de hujuſmodi cellis, earumque ornatu jam ſupra iterum atque iterum diximus.

II. His ergo omiſſis, juxta noſtri hujus §. præſcriptum, *cum collegialiter a Patribus eſt aliquid agendum, utuntur Croceis obſcuris, & ſubtus parvo Caputio ſupra Rochettum*. Quidnam ſit Crocea, definit mox idem hic noſter §. ſic inquiens: *Eſt autem Crocea genus chlamidis longe ad terram uſque a parte anteriori aperta a ſummo ad imum circa collare rugoſa, in formam Capparum Prælatorum, ſi demas cucullum*. Cucullus veſtis eſt nota Scriptoribus, qua ſcilicet caput operiebatur, eoque vocabulo dicta eſt etiam Monachalis, quæ alio nomine cuculla dicitur, indeque Monachi appellati ſunt cucullati, teſte Petro Bleſenſi, qui Lib. VII. Epiſtola XIV. ita ſcribit: *Inde eſt quod Mundus plenus eſt cucullatis, & pene vacuus Monachis*. Plura de ea voce videri poſſunt apud eruditos Dufreſne, & Macrum, quorum alter, quod Croceam ſpectat, ita eam deſcribit: *Crocea eſt Cappa nigri coloris, qua Cardinales utuntur in Conclavi, circa collum criſpata, longa uſque ad terram, & ex parte anteriori aperta, manto Græcorum Epiſcoporum ſimilis ad inſtar illius, quod fertur in Mozzetta.* Eſſe antiquum ritum, ut ipſam veſtem Cardinales in Conclavi adhibeant, teſtem habemus Auctorem Commentariorum Pii II. Papæ Libro II. ubi ita inquit paulo poſt initium: *Mane Patres omnes induti palliis a ſummo deorſum apertis, quas Croceas vocant, in cellam Beati Nicolai, quæ ad dextram primæ aulæ eſt, ſilentio convenere*. Loquitur de Conclavi, in quo electus fuit Paulus II. anno MCDLXIV. & hæc Capella hodie Paulina vocatur, quod eam ſcilicet Paulus Papa III. inſtauraverit, uti diximus ſupra in Commentario ad §. I. Croceæ a Cardinalibus delatæ in Conclavi mentionem faciunt paſſim Cæremoniarii antiqui Apoſtolici, Burchardus, Graſſus, aliique. Juſta præſcriptum Cæremonialis juſſu Gregorii XV. Papæ editi, *non ſolum cum ad electionem Cardinales procedunt, Croceis uti debent, ſed juxta vetus Cæremoniale*, noſtrum ſcilicet, quod Auguſtinus Patricius ordinavit, *cum aliquid collegialiter agendum eſt*. Et quidem tunc uti ea veſte conſueviſſe Cardinales, addiſcere licet ex recitato paulo ſuperius loco Auctoris Commentariorum Pii II. Papæ. Teſte Franciſco Mucantio in ſuo ms. Diario, ubi enarrat ritus Conclavis Sedis vacantis poſt obitum Pii Papæ V. in Congregatione, quam habuerunt Cardinales eodem die, quo Conclave ingreſſi ſunt hora XX. in Sacello Paulino *eorum habitus erat Caputium coloris violacei, quod Mozzettam vocant ſupra Rochettum diſcoopertum*.

III. Porro Cardinales ipſi, ut tandem docet hic noſter §. *quando ſunt in cellis, aut per aulas deambulant, poſſunt eſſe in Rochettis, ſive cum parvis mantellis deſuper, ut magis placet*. Jam non modo in Conclavi, ſed & Novendiali ſpatio magis magiſque, quam alio quovis tempore, reſplendet Cardinalitia dignitas vel circa ipſam habitus formam, quia ſcilicet non modo in Conclavi exiſtentes, uti Rochetto diſcooperto poſſunt, verum etiam prædicto Novendiali ſpatio, cum per Urbem incedunt, eo modo quo in ſignum juriſdictionis incedit Papa per univerſum Orbem Rochetto diſcooperto, & Mozzetta indutus, & Epiſcopus in propria Diœceſi, vel Cardinalis in ſua Eccleſia Titulari; uti inter alios notat Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu III. Num. XII. Cæterum quod Conclaviſtarum habitum ſpectat, ut de eo aliquid notemus, uti hi in Conclavi ſolent veſte talari, quam vulgo zimarram appellant.

§. XXV.

De modeſtia ſervanda in Conclavi, & de lampadibus in locis opportunis.

Caveant diligenter Patres, ne cum Horas Canonicas ſoli, vel cum alio legunt, ſeu quidpiam aliud in cella agunt, moleſtiam, aut impedimentum aliis inferant. Et in pri-

Digitized by Google

primis ne conventicula noctu agitent, neve ambiendo per cellulas, sive per aulas immoderate discurrant. Idque multo magis curent servientes maxime, ne dum Patres quiescunt, sursum, & deorsum discurrendo strepitum faciunt. Noctu locis opportunis ardeant lampades, & assidue in locis tenebrosis apud latrinas.

COMMENTARIUS.

I. CErti juris est, teneri Cardinales ad recitationem Divini Officii, seu Horarum Canonicarum, tum ratione Sacrorum Ordinum, quibus fere omnes sunt insigniti, tum Beneficiorum Ecclesiasticorum ratione, quæ possident. Horæ Canonicæ dicuntur, quod certis quibusdam diei noctisque horis persolvendæ sunt ab iis, qui ad ipsas recitandas tenentur juxta veterem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ disciplinam, uti pluribus probat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. LXXXI. & seqq. Certe refert S. Petrus Damiani, qui claruit Seculo XI. detentum aliquandiu in Purgatorio Sanctum Severinum Colonienſem Episcopum, quod summo mane totum recitaret pensum divinum, quia reliquum diem in Palatio degens Imperatorio, negotiis publicis impendere cogebatur. Vide Baronium ad annum MLXII. Num. LXXXIII.

II. Quicquid sit de variatione hujus disciplinæ, quæ olim vel in privata Divini Officii recitatione servanda erat juxta notata per laudatum Thomassinum loco citato, mandat primum hic noster §. ut *caveant diligenter Patres*, Cardinales scilicet in Conclavi existentes, *ne cum Horas Canonicas soli, vel cum alio legunt, seu quidpiam aliud in cella agunt, molestiam, aut impedimentum aliis inferant*. Est enim Conclave veluti Cœnobium Monachorum, in quo quis non debet alii molestiam inferre orando *voce clamosa*, juxta regulam præscriptam a Patriarcha Occidentalium Monachorum S. Benedicto Cap. LII. & ante S. Benedictum ab Isaaco Abbate apud Cassianum Collatione IX. Cap. XXXV. ubi etiam ejus disciplinæ has rationes docet: *Cum summo orandum est silentio*, inquit, *non solum ne fratres adstantes nostris susurris, vel clamoribus avocemus, & orantium sensibus obstrepemus, sed ut ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maxime insidiantur, lateat nostræ petitionis intentio*. Ceterum si non licet clamosa Divini Officii recitatione molestiam vicinis inferre, multo minus licebit tempus quietis confabulatione, strepitu, susurrisque violare; meritoque noster hic idem §. statuit, ut & ipsi Cardinales caveant, *ne conventicula noctu agitent, neve ambiendo per cellulas, sive per aulas immoderate discurrant; idque multo magis curent servientes maxime, ne dum Patres quiescunt, sursum & deorsum discurrendo strepitum faciant*.

III. Strepitum porro excitant nimium in incessu præcipites præsertim per dormitorium tempore quiescendi. Quidam gressibus adeo gravibus longisque gradiuntur, ut non levem excitent tumultum, vicinaque omnia tremere videantur; quæ insolentia quietos aliorum animos in admirationem, vel aliquam subinde indignationem movet. Huc referre licet frequentiores tusses, excreationes nimias, sternutationes affectatas, oscitationes, singultus, alioque id genus strepitus, quibus vicini affliguntur. Cavendum itaque, ne præsertim noctu dum tempus est quiescendi quocumque sonitu strepitus fiat, ob quem alias innocenter factum legimus, S. Lambertum ex Episcopo Monachum graviter punitum. Quiescentibus enim Fratribus in communi dormitorio, surgenti Lamberto clam ad orationem, ut narrat ejus vitæ Auctor apud Surium die XVII. Septembris, lapsus est calceus alter e manibus, qui feriens pavimentum, turbavit quietem Fratrum, & Abbatem excitavit. Hic nihil scisitatus: *Quisquis*, inquit, *ille fuerit, cujus culpa fraternitas turbata est, pro consuetudine nostra se conferat ad Crucem*. Erat autem Crux pœnitentiæ locus expositus, similis carceri Climaci. Lambertus promte properavit ad Crucem tantum cilicio indutus in nocte gelidissima, & multa glacie, ac nive asperrima. Nec inde discessit, donec revocatus est ab Abbate, qui mane facto circumspiciens ante caminum circumstantes Fratres, animadvertit Episcopum non adesse. Venit splendenti facie, propinquat ad ignem, Abbati petit veniam. Respondet ille: *Nihil in me peccastis, quod ego vobis condonare debeam*.

IV. Cautum est tandem ex hoc eodem nostro §. ut in ipso Conclavi *noctu locis opportunis ardeant lampades, & assidue in locis tenebrosis apud latrinas*. Ut candela noctis tempore *jugiter* in dormitorio ardeat *usque mane*, statuit quidem in sua Regula V. Benedictus Capite XXII. itemque inter alios S. Isidorus, Cap. XIV. ubi ita ait: *Dormientium locum illustret, ut depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis*. Candelæ nomine, cujus meminit S. Benedictus, intelligitur, *vel lampas cum oleo accensa, vel cereus cum cera & lychno, vel etiam sepum in quodam vase aptatum*, inquiunt ejus loci expositores Bernardus Cassinensis, & Nicolaus de Fractura. Licet autem unius dumtaxat candelæ mentionem facere videatur S. Benedictus, duæ tamen, vel plures, ubi non sufficit una toti illustrando dormitorio, debent accendi, *ut clare Fratres in lectis singulis videantur*, ait idem Bernardus Cassinensis, qui loqui videtur de dormitorio, in quo uno, separatis tamen lectis, Monachi veteres dormiebant, ut pluribus docet eruditissimus Martene in Commentario ad citatam S. Benedicti Regulam Commentario, Cap. XXII. Quicquid sit, tradit Boherius, in Cassinensi Monasterio, ubi centum Monachi habitare consueverant, septem lampades tota nocte ardere consuevisse; quod etiam asserit Nicolaus de Fractura. Neque id in dormitorio tantum, sed & *in cella*, ut vocant, *necessariorum*, ad quam Fratres ventris purgandi gratia, pergunt, & in omnibus omnino locis, in quibus Fratres de nocte transire necesse est, *ut tam corporis, quam animæ offendicula vitentur*; ut refert ibidem citatus Martene; & videri etiam possunt quæ idem eruditissimus Auctor de eadem re scribit in suo præclarissimo Opere, quod inscripsit, *De antiquis Monachorum ritibus*, ubi varia recenset ea in re Monachorum statuta.

§. XXVI.

Digitized by Google

§. XXVI.

De ſtatutis fieri ſolitis a Cardinalibus in Conclavi ante electionem per futurum Pontificem ſervandis.

Conſueverunt noſtris temporibus Patres antequam ad electionem deveniant, ſtatuere quædam communi conſenſu, a futuro Pontifice confirmanda, quæ poſtea ſinguli ſubſcribunt, juramentoque adſtringunt ſe obſervaturos, ſi ad Pontificatum aſſumantur. Hæc ubi perfecerunt, de electione agere incipiunt.

COMMENTARIUS.

I. COnfectio ſtatutorum in Conclavi res eſt plena periculi, fuitque in uſu Seculo XIV. ac præſertim poſt obitum Clementis VI. qui contigit die VI. Decembris anni MCCCLII. Sane electuri Cardinales novum Pontificem propoſuerunt eligere Joannem Birellium Ordinis Carthuſianorum Generalem, Virum doctrina, & ſanctimonia inſignem. At vero Joanne rejecto opera Cardinalis Talayrandi, ſeu Petragoricenſi, quia ſcilicet Joannes factus Pontifex Cardinales ambitionem, & mundi faſtum diligentes ad ſtatum revocaturus eſſet antiquum, & pulcri ipſorum equi poſt paucos dies ad carros, plauſtra, & aratra reducendi forent; electus fuit Innocentius VI. uti rem narrat in ſuo Chartuſienſi Chronico Lib. II. Cap. XXII. Petrus Dorlandus, & ex eo Pagius in Vita ipſius Innocentii VI. Pontificis, Numero I.

II. Cum itaque laudatus Birellius majori rejicentium, quam rejecti dedecore, a Pontificatu fuiſſet rejectus, Cardinales privati commodi illecebra deliniti, ad Cardinalitiam dignitatem augendam, quaſdam leges edidere, quas renunciatus ab ipſis Pontifex ſacramento confirmaturus eſſet, quarum hæc ſumma erat. Ut novus Pontifex non creet aliquos Cardinales, donec eorum numerus ad ſexdecim redactus fuerit, & tunc tot aſſumeret, quot ad plus adſcenderent ad numerum viginti, & non ultra, prædictis ſexdecim in eo numero computatis. Quos quidem ab ipſo creandos ordinare deberet de omnium Cardinalium, ſeu duarum partium eorundem conſilio, & conſenſu: hoc tamen ſalvo, quod extante numero, qui tunc erat, ordinet duos Cardinales de conſilio omnium, vel majoris eorum partis. Item quod Papa non procedat ad depoſitionem, ſeu perſonæ captionem alicujus Cardinalis, ſine conſilio, & conſenſu omnium Fratrum, nemine diſcrepante. Item quod Collegium Cardinalium perciperet jure ſuo medietatem omnium fructuum, reddituum, & emolumentorum ad Eccleſiam Romanam ſpectantium, prout in Privilegio Nicolai Papæ IV. continetur. Denique ut hæc & alia quædam in iis legibus contenta jurarent omnes Cardinales ſuperſtites, quod ille, qui ad Papatum aſſumetur, inviolabiliter obſervaret. Atque has pactiones ſe ſervaturos ſacramento ſimpliciter alii ſpopondere, alii cum hac clauſula, *ſi Jure niterentur*.

III. His actis, communibus ſuffragiis die XVIII. ejuſdem menſis Decembris, & anni Chriſti MCCCLII. Stephanus Alberti Oſtienſis Epiſcopus ad Apoſtolicum Solium evectus eſt ſub nomine Innocentii VI. qui anno ſequenti, Pontificatus tamen ſui primo, prædictas leges, ſeu pactiones, a Cardinalibus in Conclavi editas, quas ipſe, & quidam alii ſub hac conditione juraverant, *ſi, & in quantum ſcriptura hujuſmodi de Jure procederet*, reſcidit in cœtu quorundam Cardinalium, ac plurium Doctorum, & Juriſperitorum, quod Conſtitutionibus Gregorii X. & Clementis V. cautum eſſet, Cardinales, Sede vacante, de quibuſcumque negotiis, præterquam de proviſione Romanæ Eccleſiæ facienda, ſe intromittere non poſſe, certis dumtaxat exceptis caſibus, de quibus tamen aliquis contentus in Scriptura hujuſmodi non exiſteret, & quod Scriptura ipſa in diminutionem, & præjudicium plenitudinis poteſtatis a Deo collatæ ſoli dumtaxat Romano Pontifici, redundaret, eſſetque temerarium, & inſanum apud Catholicos aſſerere, *quod Romanus Pontifex Succeſſor Petri, & Vicarius Jeſu Chriſti, non ſit vocatus, & aſſumtus in plenitudinem poteſtatis: quæ profecto apud ipſum non eſſet, ſi ex aliorum conſenſu, arbitrio, vel adminiculo dependeret*. Declaravit itaque, Cardinales contenta in ſcriptura nullatenus facere potuiſſe, ideoque nec Romanum Pontificem, nec Cardinales ipſos ad juramenti obſervantiam fuiſſe, & eſſe quomodolibet obligatos. Diploma Pontificis hanc in rem editum refert Raynaldus ad annum MCCCLIII. Num. XXIX. datum apud Villamnovam Avenionenſis Diœceſis II. Kalend. Julii, anno I. Pontificatus.

IV. Crevit nihilominus magis magiſque Cardinalium audacia imponendi ſcilicet leges futuro Pontifici non modo Avenionenſis ſchiſmatis tempore, quo per quadraginta circiter annos Romana fuit Eccleſia vexata, ſed etiam ubi dari debuit Eccleſiæ pax in Concilio Conſtantienſi. Seſſione ſiquidem XL. celebrata die Sabbati XXX. Octobris anni MCDXVII. decretum eſt, futurum Pontificem cum delegatis ſingularum Nationum, antequam Concilium ipſum diſſolveretur, reformare debere Eccleſiam in capite, & in membris, & Curiam Romanam ſuper articulis ſequentibus: de numero, qualitate, & natione Cardinalium; de reſervationibus Sedis Apoſtolicæ; de annatis, communibus ſervitiis, & minutis; de collationibus Beneficiorum, & gratiis expectativis; de confirmationibus electionum; de cauſis in Romana Curia tractandis, vel non; de appellationibus ad Curiam Romanam; de officiis Pœnitentiariæ, & Cancellariæ; de exemtionibus, & incorporationibus tempore ſchiſmatis factis; de fructibus medii temporis; de non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ; propter quæ, & quomodo Papa poſſit deponi; de extirpatione ſimo-

Digitized by Google

simoniæ; de dispensationibus; de provisione Papæ, & Cardinalium; de Indulgentiis, ac tandem de Decimis. His statutis, & habita deinde Sessione XII. die Lunæ VIII. Novembris ejusdem anni MCDXVII. electus demum fuit in Romanum Pontificem die XI. Odo, seu Otto Columna S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, qui in honorem S. Martini, in cujus Festo creatus fuit, Martinus Papa V. nominari voluit.

V. Martino V. Papa die XX. mensis Februarii anni MCDXXXI. mortuo, celebratisque novem diebus de more exequiis, Cardinales eadem die qua introierunt Conclave, antequam ad electionem procederent novi Pontificis, juxta abusum jam introductum statuerunt inter se, atque jurarunt quosdam articulos, *ad conservandum statum Ecclesiæ Romanæ, & Monarchiam Ecclesiasticam cum Cardinalium dignitate, qui cum sint lumina, & ornamenta prope Papam Sedem Apostolicam illustrantia, & columnæ firmissimæ sustentantes Ecclesiam Dei cum Romano Pontifice, eidem ut membra suo capiti concordia insolubili debent esse conjuncti*. Verba sunt Eugenii IV. electi in eo Conclavi Pontificis in Diplomate confirmationis illorum articulorum, inter quos hi erant. Ut imposterum apponeretur in Litteris Apostolicis, *de consensu Fratrum nostrorum*, non vero solum, ut prius, *de consilio*: ut Papa non posset creare novos Cardinales absque consensu antiquorum; & ut medietas Patrimonii Ecclesiastici esset ipsorum Cardinalium. Sed hos articulos contemsit postea Eugenius, ut ex ejusdem gestis in Pontificatu liquet apud Spondanum, & Raynaldum, Pagium, aliosque Scriptores.

VI. In Conclavi quoque, in quo post obitum Pii Papæ II. electus Pontifex fuit anno Christi MCDLXIV. Paulus II. variæ leges editæ juratæque fuere, quarum quædam non parum injuriosæ erant auctoritati potestatique Pontificiæ, quas deinde jure meritoque idem Paulus abrogandas censuit. Earum legum capita exhibet Jacobus Cardinalis Papiensis Lib. I. Commentariorum, quæ hujusmodi sunt. I. Quisquis Patrum ad Pontificatum esset assumtus inchoatam expeditionem in Turcas, quantum Romanæ Ecclesiæ paterentur opes, continuaret, proventumque aluminis ad eam rem integrum adhiberet. II. lapsos Cardinalium mores ad S. R. E. Patrum disciplinam restringeret. III. porro Curiam ipsam, de Provincia in Provinciam, sine plurium ex Patribus intra Italiam, & extra Italiam, sine omnium assensu, qui subscriptionibus pateret, non transferret. IV. Concilium Generale Christianorum intra triennium cogeret, in quo & Principes seculi ad tuendam Religionis causam accerserentur ægræque partes Ecclesiæ communi medicamento sanitatem reciperent. V. Cardinales non ante crearet, quam ii qui creati jam haberentur, intra XXIV. essent reducti, majoremque hoc numero non pati in Ecclesia esse; neminem quoque assumere, qui non trigesimum annum excederet, quique nón professus esset, vel Pontificium Jus, vel Civile, vel Litteras sacras, nec nisi unum, eumque hujus generis hominem de cognatione sua eligeret; in omnibus autem eligendis, sententias Patrum, non tacitas in aurem, ut ante, sed ex subselliis, ad declinandos errores, palam acciperet. VI. De majoribus insuper commitendis Sacerdotiis, nonnisi in Consistorio, sententiis auditis, decerneret: jus ad ea nominandi nulli omnino promitteret. Diplomata eis non daret, quibus ad alienum arbitrium eadem se collaturum promitteret; si quæ essent antea data uno edicto adimeret. VII. Non deponeret de sede sua Episcopum, Abbatemve postulatione ulla Principum, nisi accusatores ex Juris forma, talionis pœna se prius obligarent, ipsique Rei solemni judicio auditi essent. VIII. Non Cardinalem, remve suam apprehenderet, nisi ex Patrum sententiis; non damnaret etiam, nisi ex Synodali Constitutione, cujus est initium, *Sanctorum Præsul*. IX. Nihil porro ex omni Ecclesiæ patrimonio, quod paulo insignius esset, in quemquam distraheret, aut ejus censum minueret, nisi etiam assenserint Patres, & concessioni subscripserint. X. Iisdem quoque non consulentibus, nulli non subdito bellum inferret, aut ad inferendum fœdus quodquam iniret. XI. Testamenta defunctorum Curialium libera sineret. XII. Portoria nova nulla induceret, nec vetera augeret. XIII. Principi, Potentatuique tributum de Clericis sine ratione nullum concederet. XIV. Arcium Custodes jurejurando, vadimoniisque adigeret de iis, vacante Sede, Collegio reposcenti tradendis; eas quæ essent momenti majoris, solis Clericis, qui tamen suæ non essent cognationis, committeret; eundem vero, & Arcis Custodem, & Præsidem Civitatis non faceret. XV. Præsidibus Provincia decedentibus, administratorum omnium Judices daret. XVI. Ducem Ecclesiastici exercitus ex suo genere non constitueret. XVII. Nihil in Diplomatibus factum diceret ex Fratrum consilio, quod vere consulentibus eis decretum non esset. XVIII. denique primo quoque mensium omnium Consistorio imperaret, has leges ad innovandam memoriam ex scripto præsente se recitari.

VI. Has leges, inquit Cardinalis Papiensis post illas recitatas Libro II. Commentariorum, cum Paulus ante Cardinalis, moxque Pontifex factus subscriptionibus duabus, jurejurando, votoque firmasset, delere nihilominus paulo post aggressus est. Queritur non semel de ea abrogatione Papiensis, Paulumque Pontificem non in Commentariis tantum, atque in suis Litteris ad Theanensem Cardinalem scriptis redarguit, sed etiam in sua Epistola ad ipsum Paulum, quæ est CLXXXI. ubi inter alia ita inquit: *Quid hoc est, Paule? Tenebræ enim mihi sunt. Quid agis, aut quo hæc tentas consilio? Mutata repente sunt omnia, nihil pristinum video; pro charitate tua in nos tua successit duritas, pro blandimentis asperitas, pro læto initio tristis successus. Vovisti Cardinalis, vovisti & Pontifex, servaturum te leges, quæ in Conclavi sunt editæ ad salutem publicam utiles. Voti tui duobus in libellis Chirographum extat. Dixisti, cum scriberes, etiam sine voto servaturum te eas fuisse. Sic quoque scripsisti cupide, ut vindex non servantium videreris futurus. Sperabamus respiraturam Ecclesiam, futurum Pontificatum, qualem a Petro non vidimus. Quid nunc dicam? aut quid non potius dicam?* Reliqua recitare supersedeo, quum obvia sint cuique in Romana Alphonsi Ciaconii anni MDCLXXVII. de Romanorum Pontificum Vitis editione, quæ si acerbiora videantur, & duriora, Christianæ Papiensis severitati, quam in eo adnotavit Jovius in elogiis, sunt condonanda, ut scite inquit nuperus, & eruditus Auctor Vindiciarum quas præmisit Vitæ ipsius Pauli Pa-

Digitized by Google

Papæ II. ex Codice Angelicæ Bibliothecæ Fratrum Ordinis S. Auguſtini deſumtæ, Cap. II.

VIII. Præter binos Conſiliarios, Stephanum ſcilicet Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, & Theodorum Tarviſinæ Eccleſiæ Epiſcopum, quibus in iis abrogandis legibus uſus Pontifex fuit, celebres etiam ad eam rem expendendam Canoniſtas adhibuit. Extat eandem in rem Andreæ Barbatiæ Siculi præſtantiſſimi Juriſconſulti Conſilium docentis, legibus illis etſi promiſſione, juramento, & voto firmatis, Paulum minime ligatum eſſe, quas proinde abſque perjurii, & violati voti culpa infringere valeat, dummodo in Eccleſiæ utilitatem id cedat. Legitur hoc Conſilium in fronte prioris Conſiliorum ejus voluminis, ab eo conſcriptum ex demandata ſibi a Borſio Ferrariæ Duce provincia. Barbatiæ Conſilio adhæſit Alexander Tartagnus Imolenſis, ut patet ex ex Lib. VI. Conſiliorum illius, Conſilio CCXXIV. necnon Franciſcus Burſatus Mantuanus, quod conſtat ex ipſius Conſilio CDXLIII. nec aliter ſentit Dominicus Cardinalis Jacobatius in Tractatu, *De Concilio*, Lib. VII. Articulo V. ubi de Capitulis Conclavis fuſe, & ſolide differit. Sciti ſſime notat laudatus Auctor Vindiciarum Pauli Papæ II. graviſſimis hiſce Pontificii Juris Interpretum Reſponſis ſuffultam Pauli in legibus illis abrogandis ſententiam, immunem fuiſſe a Platinæ cenſura, qui ad carpenda ejus Pontificis geſta vehementer propenſus, quum nullam illius abrogationis mentionem fecerit, eandem viſus eſt haud aptam cenſuiſſe materiam contumeliis ſuis, atque conviciis.

IX. Denique, ut alia omittam Conclavia, in quibus antequam ad novi electionem Pontificis procederetur, condi leges, ac jurari a Cardinalibus ſolitum fuit, ut illæ deinde ab electo Pontifice obſervarentur; irrito profecto conatu hujuſmodi leges editæ poſt mortem Pii Papæ III. fuere, antequam ſcilicet Julius II. ad Pontificatum aſſumptus fuiſſet anno MDIII. *ad cohibendum ejus animi impetum*, ut inquit Spondanus, *ſeu alias ad tranquillum Eccleſiæ, atque Italiæ ſtatum conſervandum*. Legum capita, quæ etiam Julius factus Pontifex novo jurejurando confirmavit, hæc erant. Ne futurus Pontifex cuiquam Regi, aut Principi, Civitative Romanæ Eccleſiæ non obnoxiæ ſine diſerto duarum ex tribus partium Cardinalium conſenſu bellum inferret, aut fœdus ad inferendum alicui bellum faceret. Ut in cauſis majoribus, ac præſertim in creatione Cardinalium, & proceſſu faciendo contra eos, in privationibus, vel translationibus Epiſcoporum, ipſis invitis, in ſocietate, pace, & bello extra Terras Eccleſiæ, ſuffragia Cardinalium dari deberent per calculos albos, & nigros, aliterque data ipſo jure eſſent nulla. Cardinalibus per futurum Pontificem creandis, dummodo ex antiquis eſſent numero viginti, os non aperiretur ad danda ſuffragia in tribus hiſce caſibus, videlicet creatione aliorum Cardinalium, alienatione, ſeu infeudatione Terrarum Eccleſiæ, & in non obſervatione horum Capitulorum. Si vero ex antiquis eſſent pauciores viginti, tunc ex novis impleretur is numerus ſecundum ordinem ſuæ creationis. Qui recens crearentur Cardinales, in hæc ipſa capita jurarent, alioqui Cardinalatus privilegiis, & emolumentis haud fruerentur. Electus Pontifex publicum univerſi Chriſtianiſmi Concilium intra biennium a promotionis die numerandum, in Urbem liberam, ac tutam nec ulli ſuſpectam convocaret: ſi negligentior ea in re deprehenderetur, duæ partes Cardinalium convocandi Concilii poteſtatem haberent; hæcque ſtatuta intelligerentur pro defenſione Catholicæ Fidei, & erectione Eccleſiaſticæ libertatis, pro reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, ac vinculo charitatis inter Summum Pontificem, & Fratres ejus S. R. E. Cardinales confirmando.

X. Legere eſt has leges apud Jacobatium in citato loco, *De Capitulis Conclavis*, & apud Spondanum ad annum MDXI. Num. IX. ubi etiam notat, quod quamvis a Julio electo Pontifice fuerint jurejurando confirmatæ, novis tamen ſupervenientibus caſibus, ab eodem aut mutatæ ſunt, aut dilatæ. Ceterum licet juramento additum eſſet, nec ſeipſum a perjurio, & anathemate, quibus, ſi falleret, ſe ſubjiciebat, abſoluturum, nec abſolutionem alicui commiſſurum; quam tamen hujuſmodi cautiones infirmæ ſint obligationis in eo, qui ſuprema pollet auctoritate, maxime cum novi emergunt caſus alicujuſmodi excuſationis, nemo non intelligit, & exemplis aliorum Pontificum, qui ſe ſimilibus obligationibus ſubjecere, confirmatur: *Poſſunt enim ipſi*, ſubdit citato loco memoratus Spondanus, *ſeipſos ab iis liberare, cum expedire viderint; nec propterea fas eſt Cardinalibus eorum obedientiæ renunciare.*

§. XXVII.

Quæ ſervanda, ne electio poſſit impugnari.

Sed (1) advertant Reverendiſſimi Domini Cardinales, ut in electione ſervent Sanctorum Patrum Canonicas Conſtitutiones, Nicolai II. Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. & VI. & aliorum ſi quæ ſunt, ne impugnari poſſit electio. Sciantque, tam Epiſcopos, quam Presbyteros, ſeu Diacones Cardinales æqualem in eligendo poteſtatem habere, neque fieri relationem meriti ad meritum, neque zeli ad zelum, ſed numeri ad numerum; itaut ille qui a duabus partibus Cardinalium cujuſcumque Ordinis ſit, rite electus, pro vero & indubitato Pontifice habeatur; & Cardinales novos ut primum creati, & publicati fuerint, eandem habere poteſtatem in electione, niſi os fuerit eis clauſum a Pontifice, & non apertum ante mortem, quia tunc non haberent poteſtatem; ſin autem non fuerit eis os clauſum, integra remaneat poteſtas, Poſt mortem Innocentii VI. in electione Succeſſoris, in qua fuit electus Urbanus V.

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero 1. *Sed advertendum eſt per Reverendiſſimos &c.*

Digitized by Google

extra Collegium, tunc Abbas S. Germani Altissiodorensis, (1) & absens: Dominus Andronicus de Rocha Abbas Cluniacensis assumtus in Cardinalem per Innocentium primo venit ad Curiam in die obitus dicti Innocentii, & quamvis installatus non esset in Consistorio, nec haberet Titulum, fuit admissus per alios Cardinales ad Conclave electionis, ut alii, & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commissione Collegii, causa cognita, judicarunt esse faciendum, quia sola assumtio ad Cardinalatum dat (2) jus eligendi, & alia Cardinalibus convenientia, & propterea Papa in tempore clausit os novis, quod prius erat apertum.

COMMENTARIUS.

I. De electione Papæ variis temporibus varii Summi Pontifices varias Constitutiones edidere, præsertim vero Nicolaus II. Alexander III. Gregorius X. Clemens V. & Clemens VI. aliique a nobis superius memorati, & inter ipsos Pius IV, & Gregorius XV. Servandas esse a Cardinalibus ipsas Pontificias Constitutiones, *ne impugnari possit electio*, recte admonet hic noster §. subdens mox etiam, *tam Episcopos, quam Presbyteros, seu Diacones Cardinales æqualem in eligendo potestatem habere &c.* Romani Pontificis electionem a Nicolao Papa II. in Lateranensi Synodo anno MLIX. S. R. E. Cardinalibus attributam, jam & a nobis superius ostensum fuit. Nicolai Decretum novo muniit robore Alexander III. in Generali III. Synodo Lateranensi anni MCLXXIX. Canone I. ubi statuit, ut *si forte inter Cardinales de substituendo Summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus*. Extat hoc Decretum in Cap. *Licet, De electione &c.* notatque Panvinius ad Platinam, Clero omnino, & populo a Pontificis electione exclusis, eam ad Cardinales solos tunc primum redactam esse, ad evitanda posterorum schismata. Atque hanc eligendi formam esse omnium optimam, probat inter alios doctissimus Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De Clericis*, Cap. IX.

II. Quamquam vero Constitutione primum Nicolai II. ac deinde Alexandri III. consensu universalis Ecclesiæ multorum seculorum spatio comprobata ad solos S. R. E. Cardinales electio Romani Pontificis spectet, in Concilio tamen Constantiensi, Sessione XL. celebrata die XXX. Octobris anni MCDXVII. ad tollendum teterrimum schisma, quod diu Christianum Orbem vexaverat, statutum fuit, ut hac dumtaxat vice, & de expresso Cardinalium consensu, Cardinalibus ipsis adjungerentur *sex Prælati, vel aliæ honorabiliores personæ Ecclesiasticæ in Sacris Ordinibus constitutæ de qualibet Natione in eadem Synodo tunc existentes, quos, seu quas quælibet ipsarum Nationum pro se ad hoc infra decem dies elegisset*; utque nemo haberetur pro vero, ac legitimo Pontifice, nisi quem duæ tum Cardinalium, tum Delegatorum partes cooptassent. Quinque Nationes erant, Italica, Gallicana, Germanica, Anglica, & Hispanica, ex iisque deputati sunt triginta Electores, sex pro qualibet Natione; fueruntque Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopi quinque, undecim Episcopi, & unus electus, ac duodecim Abbates, aut alii in dignitatibus Ecclesiasticis constituti. Hi porro Cardinalibus adjuncti, qui erant numero XX. vel, ut aliis placet, XXIII. ex triplici obedientia Gregorii XII. Joannis XXIII. & Benedicti XIII. seu Petri de Luna, Concilio præsentes, Conclave die VIII. Novembris ejusdem anni MCDXVII. ingressi paratum in Domo Communitatis Civitatis Constantiæ, tertio post die, nempe XI. Novembris, concordibus suffragiis in Romanum Pontificem elegerunt Odonem, seu Othonem Columnam ex nobilissima, ac pervetusta Columnensi Romana stirpe, S. Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem, qui Martinus Quintus appellari voluit in honorem Sancti Martini, in cujus Festo electus Pontifex Maximus fuit, uti jam diximus Tomo IV. Conciliorum in Enarratione Sessionis XLI. Concilii Constantiensis.

III. Sed hic casus peculiaris fuit, nam alias, uti dictum est, soli S. R. E. Cardinales Episcopi, Presbyteri, & Diaconi potestatem habent eligendi Romanum Pontificem; fuitque unus ex damnatis Joannis Wiclefi articulis ajentis, electionem Papæ a Cardinalibus, per diabolum esse introductam. Sane autem docet & illud Fagnanus in Capite, *Accepimus, De pactis*, Numero LII. Cardinalium Collegium, quod est honorabilius Ecclesiæ membrum, privari haud posse *jure eligendi Romanum Pontificem, quod habet ex consensu universalis Ecclesiæ, & in cujus possessione per tot secula existit ... idque perquam convenienter, ut solidis rationibus probat Cardinalis Turrecremata in Summa*, De Ecclesia, *Lib. II. Cap. LI. contra stultum errorem Joannis Wicleff, & Augustinus Triumphus, ubi supra*, Quæstione II. Articulo II. & III. Addit mox etiam Fagnanus, repugnare naturali rationi, *ut Cardinales hoc jure sibi quæsito sine justa, & necessaria causa spolientur*; timendumque foret, ne schismata in Ecclesia suscitarentur, ad quæ etiam evitanda, Clemens Papa V. in sua Constitutione II. quæ incipit, *Ne Romani*, legiturque inter Clementinas, *De electione &c.* statuit inter alia, *ut nullus Cardinalium, cujuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu, a dicta valeat electione repelli*. Id quod etiam decreverunt sequioris ævi Summi Pontifices, ac præsertim Pius Papa IV. & Gregorius XV. in memoratis toties Constitutionibus suis, quas de electione Romani Pontificis ediderunt.

IV. Licet autem vel ipsi excommunicati Cardinales juxta laudatorum Pontificum sanctiones, *a Summi Pontificis electione activa, & passiva excludi nullo modo possint*; statuit tamen, & declaravit Pius IV. *quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus Ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat*; eamque sanctionem confirmarunt Sixtus Quin-

(1) In ipsa Veneta ita legitur: *Altisiodorensis de Rocha: Abbas Cluniacensis assumtus &c.* (2) Ibidem, *habet &c.*

Digitized by Google

Quintus in ſua Conſtitutione L. ut notat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. XIII. & deinde Gregorius XV. in ſuo Cæremoniali, *De electione Summi Pontificis*, §. *Porro Capitula*, ubi tamen declarat, excluſionem ipſam habere quidam locum, ubi Cardinalis in Diaconatus Ordine minime conſtitutus, non eſſet Pontificio privilegio munitus. Hæc ejus verba: *Quoniam autem juxta Conſtitutionem Pii IV. Cardinales, qui ſaltem in Ordine Diaconatus conſtituti non ſunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inſpiciendum erit antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus præſentibus Ordine prædicto careant; nam ſi careant, a ſuffragio ferendo excludendi erunt, niſi Privilegio Pontificio muniti ſunt.* Ita Cæremoniale Gregorii XV. Papæ juſſu editum. Ceterum Collegium Cardinalium eſt fere velut Epiſcopi Capitulum, ut notat Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ Diſcurſu III. ubi inter alia docet Num. X. etiam in Cardinalibus pro electione Papæ facienda procedere idem, quod generaliter in Capitulis, & Collegiis Eccleſiaſticis ſtatutum eſt, ut non exiſtentes in Sacris vocem non habeant in Capitulo. Statuit id quidem Tridentina Synodus Seſſione XXII. *De reformatione*, Cap. IV. Sed recte ſubjicit laudatus de Luca, forte nunquam Cardinales licet Sacris minime initiatos ab electione fuiſſe excluſos, ob diſpenſationem ſcilicet, quæ illis a Pontifice concedi ſolet.

V. Certum plane & illud eſt, quod docet & hic noſter §. *Cardinales novos, ut primum creati, & publicati fuerint, eandem habere poteſtatem in electione, niſi os fuerit eis clauſum a Pontifice, & non apertum ante mortem, quia tunc non haberent poteſtatem; ſin autem non fuiſſet eis os clauſum, integra permaneat poteſtas.* Probat id ſtatim exemplo Androini Cardinalis de Rocha, qui ex Cluniacenſi Abbate aſſumtus in Cardinalem per Innocentium VI. *primo venit ad Curiam in die obitus dicti Innocentii, & quamvis inſtallatus non eſſet in Conſiſtorio, nec haberet Titulum, fuit admiſſus per alios Cardinales ad Conclave electionis, ut alii Cardinales antiqui; & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commiſſione Collegii cauſa cognita judicarunt eſſe faciendum, quia ſola aſſumtio ad Cardinalatum dat jus eligendi, & alia Cardinalibus convenientia; & propterea Papa in tempore clauſit os novis, quod prius erat apertum.* Creatus fuit Cardinalis Androinus de Rocha ab Innocentio VI. una cum aliis ſeptem Cardinalibus die XVII. Septembris anni MCCCLXI. quia ſcilicet æſtate illius anni, teſte Villaneo Lib. X. Cap. XLVI. novem obierant Cardinales. Verum graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ, ac Sedis Apoſtolicæ negotiis alibi occupatus Androinus a tempore ſuæ creationis, quæ in ejus abſentia facta fuerat, non acceſſit Avenionem, niſi quando Innocentius laborabat in extremis, obiitque die XII. menſis Septembris anni MCCCLXII. quique propterea licet haberet Pileum rubeum, Titulum tamen non habebat, aut in Conſiſtorio ſedem, quia nondum ei os clauſum, & apertum fuerat; nihilominus de communi conſenſu Cardinalium admiſſus eſt una cum aliis in Conclave, in quo electus fuit Urbanus V. judicantibus illis concorditer, ſolam aſſumtionem, ſeu promotionem ad Cardinalatum tribuere vocem in electione Pontificis; idque expreſſe denotari ritu illo, quo noviter promoto per Papam clauditur os quouſque Titulum acceperit, quando illud ei aperitur, ut in poſterum vocem liberam in omnibus habeat; non autem claudi niſi quod prius apertum eſt; ac proinde cum non fuiſſet os clauſum Androino a Pontifice, utique illud ei apertum, & liberum remanſiſſe.

VI. Conſtant hæc non modo ex laudato Patricio, verum ex Auctore primæ Vitæ Urbani V. notatque Pagius in Vita ejuſdem Urbani V. Papæ, Num. II. eam Cardinalium explicationem *argute* inventam ſcribi a Spondano ad annum MCCCLXII. Num. X. quod contraria de his Decreta ſub Eugenio IV. reperiantur. Verum licet certum ſit, Eugenium IV. ſanctionem edidiſſe, qua promulgavit, eos tantum Cardinalatus jure potituros, qui præſentes Pileum rubeum, Titulum, Anulumque a Pontifice receperint, vel ad quos abſentes Pontifex Galerum rubeum miſerit, neque in renuntiando novo Pontifice, ceteriſve rebus ſuffragia laturos, niſi poſtquam in Conſiſtorio promendæ ſuæ ſententiæ poteſtatem acceperint, ſeu poſtquam eis os clauſum, & apertum fuerit; creditum tamen eſt, id ab eo factum, ut Dominicum Capranicam a Martino V. dictum Cardinalem, dignitate exueret; cum longe ante hæc tempora in uſu poſitum fuerit, ut Cardinales vi ſuæ Nominationis, licet Pileum rubeum non recepiſſent, nec Titulum, nec alia, ad electionem tamen Pontificis fuiſſe admiſſos. Hujus rei inſigne exemplum refert Bernardus Guido in Catalogo Cardinalium aſſumtorum ex Ordine Prædicatorum apud Baluzium, & Pagium citato loco Num. II. ubi narrat creationem Cardinalis Galteri Winkterburni factam a Benedicto Papa XI. anno MCCCIV. in jejuniis Quatuor Temporum poſt Cineres: *Hic*, ait laudatus Guido, *poſt novem menſes a die, qua fuit in Cardinalem nominatus, & poſt quinque fere menſes ab obitu memorati Domini Benedicti Papæ, pervenit ab Anglia Peruſium Civitatem, ubi adhuc Curiæ morabatur, Sede vacante, IV. Kal. Decembris, Sabbato ſcilicet ante Dominicam primam Adventus anno Domini* MCCCIV. *fuitque exhibitus ſibi magnus, & debitus honor a Populo Peruſino, & ſine alio diverticulo declinavit ad Conclave Cardinalium, ubi incluſi propter electionem Summi Pontificis commanebant, a quibus cum magno favore, & honore ſuſceptus eſt, & in ſequenti craſtino S. Andreæ, ſcilicet in Kalendis Decembris, ad ſcrutinium electionis Summi Pontificis tanquam Cardinalis admiſſus, quamvis nondum haberet Titulum, nec Anulum, nec Capellum.* Ex quo, ut obiter notem, quod & obſervavit Pagius, corrigendus eſt Oldoinus, qui cum Wadingo Galterum vocat Cardinalem Sanctæ Sabinæ.

VII. Hinc ſuſcitata Quæſtione in electione Innocentii VIII. vacante tunc Sede per obitum Sixti IV. an nempe Cardinalis, cui nondum clauſum & apertum fuit os, juxta ritum, & cæremonias Pontificias, de quibus erit opportuniori loco ſermo, habeat votum in electione Pontificis; aderat enim in Conclavi Aſcanius Maria Cardinalis Sfortia, qui cum in Vita Pontificis nondum Romam veniſſet, non fuerat illi apertum os in Conſiſtorio. Verum Patres tunc Majorum utique ſequuti exempla decreverunt, ex eo quia non præceſſerat alia cæremonia clau-

Digitized by Google

claudendi os, nec erat illi clauſum, dum Pontifex e vita exceſſit, permiſſum, & licitum eſſe prædicto Cardinali Sfortiæ, ſicut & aliis votum habere, ut refert Joannes Baptiſta Burchardus unus ex Cæremoniarum Pontificiarum Magiſtris, qui tunc aderat in Conclavi, & omnia quæ in illo geſta fuerunt, ſigillatim ſummaque diligentia ſcripſit. Rem ipſam ex laudato Bruchardo narrat in ſua Cardinalatus Notitia Jacobus Cohellius Cap. XIII. Ceterum ritum ipſum claudendi, & aperiendi ora novorum Cardinalium, eiſque Titulum aſſignandi ediderunt inter alios Raynaldus ad annum MCCCXXXVIII. Num. LXXXIII. & Mabillonius Tomo II. Muſei Italici, Pag. 431. de eodemque dicemus nos fuſe inferius, Titulo VIII. qui eſt de creatione novorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & de aliis ad eum ritum ſpectantibus.

§. XXVIII.

In quo caſu electus Pontifex, eique adhærentes ſunt excommunicati.

Et quamvis Romanus Pontifex Canonice inſtitutus nullo humano judicio judicari poſſit, niſi fiat hæreticus; ſi tamen contra formam iſtarum Conſtitutionum, Papatum ſibi uſurpaverit, tam ipſe, quam ei adhærentes ſunt excommunicati, & ſimiliter electus per ſeditionem, impreſſionem, vel quodlibet aliud ingenium, videlicet per calliditatem, & fraudem.

COMMENTARIUS.

I. EX quo cœperunt nonnulli ambitionis ſpiritu inflati contra regulas Canonicæ electionis, Romanam præſertim Eccleſiam invadere, ſtatim anathematis pœna, quam adverſus id genus homines noſter hic §. ſtatuit, perculſi fuere. Certe eam etiam ob cauſam damnatus jam olim fuit a S. Cornelio Papa, Synodo Romæ congregata, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, Presbyteri vero, atque Diaconi multo plures convenerunt, Novatianus Romanus Presbyter, qui primum in Eccleſia Romana ſchiſma excitavit, calumniatuſque ipſum S. Cornelium tanquam vitio creatum Pontificem, inſtigante Novato Presbytero Carthaginenſi, nonnullos ad ſuas traxit partes, ac tribus Epiſcopis ſimplicioribus vi & fraude ad hoc adactis, clandeſtine pſeudopontifex ordinatus eſt; uti rem fuſe narrant Scriptores Vitæ S. Cornelii Papæ, & qui ejuſdem Pontificis geſta litteris conſignarunt.

II. Longum eſſet aliorum pſeudopontificum ſchiſmata hic recenſere, quos variis temporibus intruſos varii Romanæ Eccleſiæ legitimi Præſules non modo diro anathemate perculerunt, verum etiam veluti hæreticos, atque hæreſiarchas damnarunt, uti nos inter alias docent Generalis I. Synodus Lateranenſis Can. VI. & Generalis itidem Lateranenſis Synodus II. Can. XXX. Legendus Canon I. Concilii etiam Generalis III. Lateranenſis, quo ſtatuitur, ut electus in Romanum Pontificem contra jam præſcriptam formam, *tam ipſe, quam qui eum receperint, excommunicationi ſubjaceant, & totius Sacri Ordinis privatione mulctentur, itaut Viatici eis etiam, niſi tantum in ultimis, communio denegetur; & niſi reſipuerint, cum Dathan, & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, accipiant portionem*. Porro ubi noſter §. ait, eum qui *contra formam iſtarum Conſtitutionum, Papatum ſibi uſurpaverit*, tam ipſum, quam & ei adhærentes eſſe excommunicatos, alludit ad Conſtitutiones veterum Pontificum Nicolaii II. Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. & Clementis VI. quas ſuperius memoravit. Pœnas itaque contra uſurpantes malis artibus Papatum legere eſt in laudatorum Pontificum Conſtitutionibus, quibus addendæ & aliæ ſunt ſequioris ævi Pontificum qui poſt Auguſtinum Patricium noſtri hujus Cæremonialis ordinatorem claruerunt, præſertim vero illæ, quas de electione Papæ Pius IV. anno MDLXII. & deinde Gregorius XV. anno Chriſti MDCXXI. ediderunt.

III. Ceterum ut has Conſtitutiones omittam, de quibus alias non uno in loco diximus, poſt ordinatum Cæremoniale a Patricio, Julius II. anno MDV. ut ſimoniæ fœditati, cujus Sedes Apoſtolica vehementer infamabatur, inpoſterum occurreret, Conſtitutionem edidit XIX. Kal. Februarii, qua ſtatuit, ut ſiqua ſimonia in electione Summi Pontificis committatur, vel ab electo, vel ab eligentibus, electio eo ipſo nulla exiſtat, & contra ipſum uti hæreticum agi poſſit, & auxilium brachii ſecularis implorari; tamque ipſe, quam qui eum ſimoniace elegerint, aut eligi quomodocunque procuraverint, privati ſint Cardinalatu, aliiſque omnibus Dignitatibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis, feudis, bonis, honoribus, &c. iique Cardinales, qui ſimoniæ non conſenſerint, electionem alterius Pontificis agere poſſint, & Concilium etiam Generale indicere, & convocare. Hæc Julius II. Pontifex. Sed ſcite ſubdit Spondanus ad ipſum annum MDV. Num. I. *Quod pie cogitatum remedium multis videtur difficultatibus implicatum. Sed forte providit Deus, ne unquam opus fuerit.*

§. XXIX.

De Miſſis in Conclavi celebrandis.

Conſuetudo fuit apud ſuperiores, ut duæ Miſſæ ſingulis diebus in Conclavi dicerentur, una de die currenti, altera propria, quæ Sede vacante dicitur, & ſcripta erit in fine

Digitized by Google

fine hujus voluminis; una per Sacriſtam, altera per aliquem ex Capellanis Cardinalium, niſi ipſi Cardinales perſonaliter velint celebrare.

COMMENTARIUS.

I. DE Miſſa per Sacriſtam in communi coram Cardinalibus celebranda in Conclavi, & de ejus antiquo ritu, jam ſupra diſſeruimus in Commentario ad §. XXI. Miſſæ celebrandæ quotidie in Conclavi, & audiendæ a Cardinalibus ibidem incluſis mentionem facit quidem Romanus Ordo XV. auctore Petro Amelio, Cap. CXLIX. ubi ita inquit: *In Conclavi autem unus Clericus audientiæ, qui ſervit Capellæ, in Capella dicens Epiſtolas, intret, & ſcribat omnia, quæ fiunt de die in diem, & ordinet omni die de Miſſa dicenda coram Cardinalibus, & teneat unam lampadem accenſam in Capella, & aliam in medio Conclavis, & cuſtodiat paramenta, Calicem, Librum, & Chlamidem S. Petri cum Mitra Conſiſtoriali.* Ex præſcripto autem Cæremonialis Gregorii XV. Papæ juſſu editi, *mane ſequenti poſt clauſum præcedenti nocte Conclave, conveniunt Cardinales in eo præſentes, qui infirmitate non ſunt impediti, ad Capellam Paulinam, & ibi celebrata conſueta Miſſa, & facta Cardinalium communione, ſtatim ad negotium electionis procedere debent.* Teſte Joanne Paulo Mucantio in ſuo Diario ms. anni MDXC. ubi enarrantur Acta Sedis vacantis poſt obitum Sixti V. *die viij. Septembris Cardinalis Geſualdus ſupplens vices Cardinalis S. Georgii Decani adhuc convaleſcentis, & debilis propter infirmitatem, in dicto Sacello Paulino celebravit Miſſam lectam de Spiritu Sancto, in qua Communionem præbuit omnibus Cardinalibus, fere, inquam, nam hac die nonnulli Cardinales Presbyteri devotionis cauſa propter Feſtum Nativitatis B. Mariæ Virginis celebraverunt in Sacello Sixti IV. in quo ultra Altare ſolitum, quatuor alia Altaria ad commoditatem, & uſum Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, & Conclaviſtarum celebrare volentium erecta fuerunt. Sed major pars Cardinalium e manibus prædicti Celebrantis Communionem ſumſit, Presbyteri cum Croceis, & Stola deſuper a collo pendente, Diaconi vero cum Stola non a collo pendente, ſed ſuper humerum ſiniſtrum more Diaconali.* Sane ſolitos fuiſſe Cardinales celebrare in parva Capella Conclavis Miſſas, & quidem *ſummo mane*, teſtatur in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt mortem Sixti Papæ IV. Burchardus §. XLVII. ubi ſub die XXVIII. Auguſti anni ſcilicet MCDLXXXIV. quo Sixtus obiit, deinde etiam ſubjicit, *circa horam duodecimam*, Sacriſtam celebraſſe *Miſſam publicam omnibus Cardinalibus præſentibus &c.*

II. Præter Sacriſtæ, Cardinalium, & aliorum Conclaviſtarum Miſſas, quæ in Conclavi quotidie celebrari ſolent, mos etiam ille invaluit, tametſi non ita antiquus, ut Muſici Capellæ in quodam Vaticani Palatii atrio Altari erecto, ibidem Miſſam quotidie de Spiritu Sancto canant uſque ad novi Pontificis electionem. Certe mos ille antiquus eſt, cujus meminiſſe noſtrum hoc Cæremoniale debuerat, ut Clerus Secularis, Regulariſque quotidie mane ad ipſum Atrium Palatii Vaticani proceſſionaliter accedat, invocetque ibidem gratiarum Spiritus Sancti, cantans Hymnum, *Veni Creator Spiritus*. Fuiſſe in uſu hunc morem initio Seculi XV. ubi ſcilicet anno MCDXVII. pro electione novi Pontificis erectum fuit Conclave in Domo Communitatis Conſtantienſis, teſtatur poſt alios Pagius in Vita Martini Papæ V. Num. I. *Facta eſt*, inquit, *omni die Proceſſio circumquaque Conclave*. Ut alia exempla omittam ejus Proceſſionis, quæ in uſu fuit ante editionem noſtri hujus Cæremonialis ab Auguſtino Patricio ordinati, teſtimonium deſcribam Æneæ Sylvii, qui in ſua ad Fridericum III. Imperatorem Oratione, Cæremonias deſcribens in Conclavi ſervatas, ubi anno MCDXLVII. electus fuit Nicolaus Papa V. ſic inter alia ait: *Illud admodum placuit nobis, quoniam ſingulis diebus Proceſſio Sacerdotum circa Conclave fuit, ſummis precibus Spiritus Sancti præſentiam electioni depoſcens. Nec enim abeſſe ſolet cum ſincera mente depoſcitur ille, ſed ultro vocantibus adeſt, opuſque dirigit.* Poſt editionem noſtri hujus Cæremonialis mentionem facit ritus, quem enarramus, in ſuo ms. Diario Franciſcus Mucantius, ubi enarrat electionem Gregorii XIII. Papæ, ita inquiens: *Solent ſingulis diebus ſummo mane omnes Religioſorum Ordines, & Clerus Urbis ad Vaticanum pſallentes, atque obſecrantes Deum pro digna electione novi Pontificis accedere.* Addit etiam, conſueviſſe etiam Clerum ipſum, Religioſoſque Ordines *in Atrio magno Palatii aliquantulum expectare, ſi forte Crux proferatur novæ electionis nuntia.* De hac Crucis oſtenſione, & de publicatione novi electi Pontificis dicemus infra.

§. XXX.

De primo tractatu electionis, ac de triplici eligendi forma, & primum per viam inſpirationis, ſeu Spiritus Sancti.

Cum igitur de electione agere volunt, audita Miſſa, Domini Cardinales ſoli in Capella illa remanent, ſedentque ſuper ſcabella, ſive ſcamna illis parata. Super Altare reſtat Calix vacuus, & Patena. Ante Altare menſa parva rubeo panno cooperta ponitur, & ſuper eam pugillares, & papyrus. Inter quam, (1) & Altare ponuntur ſcabella tria; in quorum medio, Epiſcoporum, a dextris Presbyterorum, & a ſiniſtris Diaconorum Cardinalium Priores ſedent. Sacriſta vero, Familiares Cardinalium, & omnes alii, qui in

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero I. legitur: *inter concavum, & Altare juxta menſam ponuntur &c.*

Digitized by Google

in Conclavi reperiuntur, in Capella majori, ubi cellulæ sunt, claudantur. Soli Clerici Cæremoniarum solent extra portam Capellæ parvæ, ubi Patres clausi de electione tractant, expectare, præsto (1) venturi, si a Patribus pro aliqua re vocarentur. Cum omnes ordine suo consederint, Prior Episcoporum in loco prædicto sedens, commodis verbis hortatur Patres ad providendum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de Viro idoneo, & sufficienti, qui tantum onus utiliter ferre queat. Deinde proponit eis, per quam viam ad electionem procedere placeat, per viam Compromissi, sive per viam Scrutinii. Quod si forte aliquis Patrum diceret in hanc sententiam: *Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute, probitate &c. Reverendissimi Domini N. ego judicarem sine alio processu, ipsum eligendum ad Summum Pontificatum, & ex nunc ego eligo ipsum in Summum Pontificem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Si alii, vel saltim duæ partes istius sententiam sequerentur, & viva voce, simili modo illum talem eligerent, ille esset Canonice electus, & verus Papa; & vocatur per viam Spiritus Sancti talis electio sine cedulis, aut Compromisso; sæpeque apud Majores nostros fuit celebrata hæc via.

COMMENTARIUS.

I. AUdita Missa, acturi de electione Cardinales, *soli in Capella illa remanent, sedentque super scabella, sive scamna illis parata*, juxta ritum, cujus jam ante editionem nostri hujus Cæremonialis ab Augustino Patricio ordinati mentionem fecit in suo Cæremoniali Sedis vacantis post Sixti IV. obitum Joannes Burchardus §. XLVII. ubi ritum ipsum in hoc §. nostro notatum fusius luculentiusque enarrat, sic inquiens: *Finita Missa, locavimus unam parvam mensam longitudinis viij. palmorum, & latitudinis iv. vel circa, consuetæ altitudinis inter parvum ostium, per quod itur ad secundam aulam Palatii prædicti*, nempe Vaticani, *& murum illi oppositum, in medio ibidem quodam panno rosacio, quasi duas cannas habente cooperuimus. Desuper posuimus unum horologium, campanellam, calamare cum inclaustro, pennis, vel calamis, & unum quinternum chartæ. Sacrista vero depositis sacris vestibus, posuit in medio Altari Calicem consecratum vacuum cum Patena desuper posita. Servitores Cardinalium ponebant quisque ante suum Dominum scabellum erectum in modum pulpiti, & desuper calamare cum inclaustro, penna, sive calamo, unam candelam parvam, & unum folium chartæ, in quo per capita scripta erant nomina omnium Cardinalium in Conclavi existentium.* Loquitur deinde de capitulis, seu de statutis per futurum Pontificem servandis, quæ olim fieri solita erant a Cardinalibus antequam de ipsa Pontificis electione tractarent.

II. Egimus jam nos de statutis ipsis supra in Commentario ad §. XXV. Ut alia autem in hoc præsenti §. contenta explicemus, ex ejusdem præscripto, *super Altari restat Calix vacuus, & Patena.* Calix vacuus idem ille profecto erat, cum quo dicta fuit coram Cardinalibus Missa, uti recitato superius loco non obscure innuit laudatus Burchardus, ut in ipsius scilicet Calicem Cardinales schedulas suas immittant, quibus aliquem in Pontificem volunt eligere. Videtur plane introductus hic ritus Seculo XV. ejusque expressa fit mentio Lib. I. Commentariorum Pii II. qui electus Pontifex fuit anno MCDLVIII. *Sequenti die*, inquit, *itum est de more ad rem Divinam; qua peracta, scrutinium incepere. Calix aureus in Ara positus est; & tres Cardinales eum observavere, Ruthenus Episcopus, Rothomagensis Presbyter, & Columnensis Diaconus, nequa fraus intercederet; reliqui Cardinales in suis locis consederunt, & surgentes ex ordine dignitatis, ac senii accedentes ad Altare, schedulas in Calicem mittebant, in quibus nomina eorum scripta erant, quos ad Pontificatum eligebant. Cumque hoc omnes feciissent, mensa in medio Ædis posita est, & tres Cardinales memorati supra eam schedularum Calicem everterunt, schedulasque legentes singulas, alta voce nomina eorum annotaverunt, qui erant in illis conscripti.* Ex ms. Diario Paridis Grassi, ubi enarratur Conclave Sedis vacantis post Julii II. Papæ obitum, die XI. mensis Martii anni MDXIII. *Prior Episcoporum*, idest Cardinalis Decanus, *volutum prius Calicem portavit ad mensam*. Deinde vero, ut ibidem legitur, *Cardinales portaverunt cedulas suas ad Calicem super Altari positum.*

III. Una cum Calice adhibitam vel olim fuisse & Patenam desuper positam, addiscere licet ex recitato superius testimonio Burchardi. Sed audiamus quid de ipso ritu delationis schedulæ in Calicem, & usu Patenæ præscribat Cæremoniale jussu Gregorii XV. Papæ editum: *Quilibet Cardinalis*, inquit, *propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit, & complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, & in quo est Calix magnus ad recipiendas schedulas paratus, & Patena coopertus, ibique genuflectens aliquantulum orabit; deinde surgens, alta, & intelligibili voce jurabit in hanc formam, quæ in tabella super Altari posita descripta habetur*: Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo: *Post hæc schedulam in Patenam ponet, & per Patenam mittet in Calicem; quo facto, inclinabit se ad Altare, & ad suum locum revertetur.* Hæc servanda ait, ubi Cardinalis ad Altare pergere possit, nam si ob infirmam valetudinem non possit, & præsens in Capella sit, ultimus Scrutator discum cum schedulis ad eum deferet, ex quo Cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco suo secrete conficiet, deinde prævio juramento prædicto, schedulam obsignatam, & complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam de-

(1) Ita in ipsa Veneta 1. editione, in editione autem Romana legitur, *futuri*.

Digitized by Google

deferet ad Altare, & ſine oratione, & juramento in Patenam ponet, & per eam in Calicem mittet, in magnum ſcilicet Calicem illum, qui uti dictum eſt, in Altari ad recipiendas ſchedulas paratus extat. Ceterum in citato Gregorii XV. Cæremoniali & alterius Calicis mentio fit, cum nempe facta depoſitione ſchedularum ſeorſum, quæ eſt poſtremus Scrutinii actus, per ultimum Scrutatorem, & finita inſertione ſchedularum in filum, idem Scrutator *capita fili nodo jungit, & ſchedulas omnes ita colligatas in alium Calicem vacuum, vel in menſa ſeorſum ponit*.

IV. Præterea ut ait noſter §. *Sacriſta, familiares Cardinalium, & omnes alii, qui in Conclavi reperiuntur, in Capella majori, ubi cellulæ ſunt, clauduntur; ſoli Clerici Cæremoniarum ſolent extra portam Capellæ parvæ ubi Patres clauſi de electione tractant, expectare, præſto venturi, ſi a Patribus pro aliqua re vocarentur*. Sed audiamus Joannem Burchardum, morem ſuo tempore ſervari ſolitum ita enarrantem in memorato ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt Sixti Papæ IV. obitum §. CI. *Dum ſcrutinium fieret, finita Miſſa, ac ſcabellis pro Cardinalibus cum folio papyri, penna, ſive calamo, & in clauſtro, ac candelis parvis duabus, aut tribus ordinatis, omnes redibant ad Capellam majorem, in qua recludebantur per nos Clericos Cæremoniarum, omnes, Cardinalibus in Congregatione exiſtentibus*. Additque mox: *Ego oſtium primæ aulæ cuſtodiebam, ita quod inter aulam tertiam, in qua Congregationes fiebant, & me erat ſecunda aula media, & dum me vocare volebant, campanellam pulſabat unus*. Similia his docent alii Apoſtolici Cæremoniarii, quorum loca recenſere hic opus non eſt.

V. Tandem juxta præſcriptum noſtri hujus §. audita a Cardinalibus Miſſa, de qua dictum & ſuperius fuit, *cum omnes ordine ſuo conſederint, Prior Epiſcoporum in loco prædicto ſedens, commodis verbis hortatur Patres ad providendum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ de Viro idoneo & ſufficienti, & qui tantum onus utiliter ferre queat. Deinde proponit eis, per quam viam electionis procedere placeat &c.* Refert triplicem formam eligendi Papam a priſcis æque, atque a recentioribus Pontificibus probatam, noviſſime autem a Gregorio XV. uti jam notavimus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem I. Conclii III. Lateranenſis, Num. XXXIX. Triplex autem forma eſt per Scrutinium, per Compromiſſum, per Inſpirationem, quæ omnia egregie nos docet Concilium Generale IV. Lateranenſe, fuſeque explicant Romani antiqui Ordines XIII. & XIV. apud Mabillonium Tom. II. Muſei Italici, ex quorum altero multa Patricius huic Cæremoniali inſeruit, ac præſertim Conpromiſſi formam, quæ, ut inquit Romanus ipſe Ordo XIV, Auctore Jacobo Gajetano, Cap. I. *ſervari conſuevit per Dominos Cardinales, quando inſiſtunt ſuper electione Summi Pontificis, & eligunt per viam procedere Compromiſſi*. Sed de haç forma ſequentes nos ordinem noſtri Cæremonialis, dicemus inferius in Commentario ad §. ſequentem inſcriptum, *De electione per viam Compromiſſi*.

VI. Per Inſpirationem, ſive *per viam Spiritus Sancti*, ut ait hic noſter §. fit electio, *ſi forte aliquis Patrum diceret in hanc ſententiam*: Reverendiſſimi Domini, perſpecta ſingulari virtute, probitate &c. Reverendiſſimi Domini N. ego judicarem ſine alio proceſſu ipſum eligendum ad Summum Pontificatum, & ex nunc *ego* eligo ipſum in Summum Pontificem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: *Si alii, vel ſaltem duæ partes ipſius ſententiam ſequerentur, & viva voce ſimili modo illum talem eligerent, ille eſſet Canonice electus & verus Papa; & vocatur per viam Spiritus Sancti talis electio ſine cedulis, aut Compromiſſo; ſæpeque apud Majores noſtros fuit celebrata hæc via*. Hactenus noſter §. ex quo docemur, electionem hujuſmodi fieri quidem, cum repente nullo inter eligentes ordine ſervato, ſed unus poſt alium per revelationem divinam continuo aliquem eligunt, uti in electione S. Fabiani Papæ contigit, qui ſubrogatus eſt in locum S. Anteri die XI. Januarii anni CCXXXVI, cum enim Clerus & populus conveniſſent pro facienda electione, columba e ſublimi evolans ejus capiti inſedit, & Romanum Pontificem deſignavit, ut tradit Euſebius Lib. VI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXIX. Per Inſpirationem quoque, ſeu per adorationem fit electio, cum Cardinalium duæ partes, nullo facto Scrutinio, omnium conſenſu, & voluntate, aliquem in Romanum Pontificem adorant, & ſalutant, atque ita electi inter alios fuere Clemens VII. anno MDXXIII. Paulus III. anno MDXXXIV. Julius III. anno MDL. Marcellus II. anno MDLIX. Pius IV. anno MDLIX. &, ut alios omittam, Pius V, anno MDLXVI.

§. XXXI.

De electione per viam Compromiſſi.

Si Dominis Cardinalibus placuerit procedere per viam Compromiſſi, oportet, quod omnes concordent ad compromittendum, aliter vero non tenet; niſi forte duæ partes tandiu in ſententia permanerent, quoad Compromiſſarii electum nominarent, illumque compromittentes comprobarent; tuncque ut electus a duabus partibus eſſet Canonice electus. Forma autem talis Compromiſſi eſt hujuſmodi: *In Nomine Domini, Amen. Anno ejuſdem &c. & die &c. Nos Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, omnes, & ſinguli in Conſiſtorio exiſtentes, videlicet T. Oſtienſis, D. Portuenſis*, & ſigillatim omnes alii nominentur, *Cardinales de electione tractantes Summi Pontificis, elegimus, & eligimus per viam procedere Compromiſſi; & unanimiter, & concorditer, nemine diſcrepante, elegimus Compromiſſarios Reverendiſſimos Patres Dominos T. Epiſcopum &c. A. Tituli S. N. Presbyterum, & L. S. Hadriani Diaconum Cardinales, quibus damus plenariam facultatem, & poteſtatem providendi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ de Paſtore ſub hac forma, videlicet, quod duo ex ipſis poſſint eli-*

Digitized by Google

eligere tertium de ſeipſis, & omnes tres concorditer de Collegio, vel extra poſſint Romanæ, & univerſali Eccleſiæ providere, & volumus, quod dicta poteſtas duret uſque ad conſumtionem candelæ inibi ex conſenſu ſingulorum accenſæ, & promittimus, nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem dicti Compromiſſarii in forma prædicta duxerint eligendum &c. Compromiſſarii vero ad partem in aliquo loco ſeparato ſe retrahant, & primum inter ſe proteſtentur, quod per quamcunque prolationem verborum, non intelligunt dare conſenſum ſuum, niſi in ſcriptis illum expreſſe ponant, ut inter ſe poſſint uti verbis humanis, & reverentialibus ſine præjudicio.

COMMENTARIUS.

I. IDem quod hic noſter §. præſcribit de modo, qui ſervari conſuevit per Cardinales, quando inſiſtunt ſuper electione Summi Pontificis, & eligunt per viam procedere Compromiſſi, legere plane eſt in antiquo Romano Ordine XIV. Cap. I. ubi etiam formula ipſi Compromiſſi in hoc noſtro §. deſcripta, iiſdem fere verbis legitur. Fit autem per Compromiſſum electio, quando aliqui Cardinales eliguntur, in quos omnium vice eligendi poteſtas transfunditur cum certis clauſulis, & conditionibus in ipſo Compromiſſo explicatis; eaque forma electi ſunt Gregorius X. anno MCCLXXI. & Clemens V. anno MCCCV. uti videre eſt apud Spondanum, Raynaldum, Ciaconium, alioſque Scriptores, inter quos Pagius in Vita ipſius Gregorii Num. VI. hæc habet: *Cardinales tandem, qui jam tribus ferme annis inter ſe diſſidententes fuerant, ſive timore Dei, ſive pudore ſui, ſeu Principum, aliorumque omnis generis hominum continuis hortationibus, precibus, querelis, forte & minis commoniti, ſeu, ut quidam ajunt, diminutione alimentorum coacti, per viam Compromiſſi in ſex Cardinales facti, ſuadente maxime S. Bonaventura Ordinis Minorum Generali Miniſtro, ut ſcribunt Panvinius, Ciaconius, & Severinus Binius in Gregorio X. Kalendis Septembris anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi primi in Pontificem Maximum renunciarunt Thealdum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, Virum ſanctum, & religioſum extra Collegium Cardinalium, & abſentem &c.* Electum etiam poſt longum Interpontificium fuiſſe a Cardinalibus per Compromiſſum Clementem V. tunc abſentem, & ipſum quoque extra Cardinalium Collegium, poſt alios Scriptores idem Pagius narrat in Vita ejuſdem Pontificis Clementis V. Num. I. & ſeqq.

§. XXXII.

De electione per viam Scrutinii.

Alius modus eſt, & magis tritus, procedendi per viam Scrutinii, qui ſi magis placet, primo deliberandum eſt, an poſt Scrutinium eadem die ſit attendenda via per Acceſsum. Deinde omnibus in locis ſuis in Capella conſedentibus, Prior Epiſcoporum cum cedula ſua in manu accedit ad Altare, & genuflexus aliquantulum orat, tum ſurgit, & cedulam prædictam, quam primo oſculatar, in Calice reponit, priore Diaconorum a ſiniſtra parte Altaris, ubi Epiſtola legitur, ſtante, & Patenam manu ſua elevante. Has cedulas, quæ vota eorum continent, ſcribere ſolent Reverendiſſimi Domini ad partem, quomodo eis placet in hanc formam: *Ego A. Epiſcopus Oſtienſis &c. Cardinalis &c. eligo in Summum Pontificem, Reverendiſſimum Dominum meum D. S. Tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem*; & eodem modo quiſque nominare poteſt duos, aut plures de Collegio in eadem cedula, & aliquem extra Collegium a tergo ipſius cedulæ. Cedulam ipſam bene plicatam ſigillo ſuo annulari ſignat; &, ut diximus, facta prius oratione, illam deoſculatam quiſque in Calicem ponit. Ut autem Prior Epiſcoporum cedulam in Calice poſuit, accedit ad dextrum cornu Altaris, & ibi cum Priore Diaconorum Patenam elevat, dum Patres votorum cedulas Calici (1) immittunt. Qui ordine ſuo omnes ſigillatim Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, eodem modo, ut de Priore Epiſcoporum diximus, cedulas in Calicem mittunt. Cedulis in Calice depoſitis, ſedent Patres, & quiſque ante ſe ſcabellum habet cum papyro, & pugillaribus. In papyro ſcripta ſunt per ordinem Patrum omnium præſentium nomina cum aliqua diſtantia, itaut unum tantum nomen in quolibet verſu contineatur, in hunc ferme modum: *Reverendiſſimus Deminus Nicenus habet. Reverendiſſimus Dominus Rothomagenſis habet*; & ſic de ſingulis. Et ſcribuntur nomina, quibus communiter appellantur, propter brevitatem, & non nomina Titulorum. Tum Prior Epiſcoporum Calice de Altari ſimul cum Diaconorum Priore ſumens, illum ſuper menſam prædictam imponit; deinde & ipſe, & Diaconus ſedent a dextris, Priore Presbyterorum ſedente, ut prædiximus. Prior deinde Epiſcoporum ſedens Calicem manu dextra capiens,

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero I. & Colonienſi editione legitur: *imponunt*.

Digitized by Google

piens, ac ſiniſtra Patenam firmam retinens, Calicem ipſum ſuper Patenam (1) invertit; ita tamen ut nihil effundat, & iterum Calicem erigens ſuper menſam, ut prius erat, illum conſtituit; tum ſiniſtra aliquantulum Patenam elevans, dextra cedulam unam, quæ ſorte ad manus venit, palam digitis duobus extrahit; illamque primo Priori Presbyterorum oſtendens, legendam porrigit Diaconorum Priori, qui eam mox aperit, & voce, qua ab omnibus exaudiri poſſit, diſtincte legit: *Ego N. Cardinalis Papienſis eligo in Summum Pontificem, Reverendiſſimum Dominum meum D. B. Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem &c.* ut ibi ſcriptum invenit. Cardinales omnes, tam ipſi tres priores, quam alii ſuper nomina in cedula nominatorum, eligentium nomina ſcribunt in papyris ſuis, vel ſignum aliquod faciunt, omnibus cedulis perlectis, & votis eligentium deſcriptis. Tres priores vota computant, & alta voce habentes plures voces Diaconus nominat dicendo: *Reverendiſſimus D. A. habet voces decem; & Reverendiſſimus V. habet voces octo; & Reverendiſſimus D. habet voces ſeptem.* Deinde, ſi non poteſt attentari via per Acceſsum, & voces non ſufficiunt, re infecta Patres diſcedunt; neque per totum diem aliud agi poteſt circa actum electionis, quia non fit bis in die Scrutinium. Sequenti die iterum ſummo mane in Capella conveniunt, & re Divina peracta, Scrutinium, ut die præterita, faciunt; cedulas in Calicem mittunt, quæ a prioribus extrahuntur, leguntur, & computantur, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. TErtius tandem modus eligendi eſt, & magis tritus, ut docet hic noſter §. procedendi per viam Scrutinii, de quo jam longe hoc noſtrum Cæremoniale fuſe egit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. III. & ſequenti. Sed attendenda hodie ſunt, quæ in ſua celebri Conſtitutione ſtatuit Gregorius XV. & Cæremoniale juſſu illius editum, quod idcirco Gregorianum appellabimus, continens ritus electionis Romani Pontificit. Ergo, uti ipſum Cæremoniale nos docet, tertius modus, ſeu forma electionis Romani Pontificis eſt, quæ vocatur *per Scrutinium*, *vel per Scrutinium, & Acceſſum*, cujus formæ ritus ſecundum memorati Gregorii XV. Papæ Conſtitutionem, quæ vult non ſolum Scrutinium fieri ſecretum, ſed etiam Acceſſum, continet tres actiones, alteram, quæ *Anteſcrutinium*, alteram quæ *Scrutinium*, & tertiam, quæ *Poſtſcrutinium* appellari poteſt. Anteſcrutinii actus ſunt quinque, videlicet, præparatio ſchedularum Scrutinii, & Acceſſus, Extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum per ſortem, ſcriptio ſchedularum Scrutinii, earumque conplicatio, & obſignatio.

II. Schedularum præparatio ad Magiſtros Cæremoniarum pertinet, qui eas impreſſas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu ſcriptas ſecundum formam in ipſo Gregoriano Cæremoniali deſcriptam accipient tam pro Scrutinio, quam pro Acceſſu, & ponent in duobus diſcis, vulgo *bacili* nuncupatis, quos in menſa ante Altare collocabunt, ut inde poſſint Cardinales, cum opus fuerit, ſchedulas ſumere. Forma autem ſchedulæ Scrutinii, quod ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc eſt plus longa, quam lata; longitudo ejus erit fere unius palmi, latitudo autem dimidii palmi. Quo vero ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari poteſt, tria continere debet; primo in ſuperiori parte ſecundum ejus latitudinem duo hæc verba: *Ego Cardinalis*, cum tanta ab invicem diſtantia, ut inter ipſa nomen proprium Cardinalis eligentis ſcribi poſſit, & paulo inferius duos circulos parvos ad loca ſigillorum indicanda. Secundo in medio continere debet hæc verba: *Eligo in Summum Pontificem, Reverendiſsimum D. meum D. Cardinalem.* Tertio in parte inferiori alios duos parvos circulos ad loca ſigillorum ſimiliter demonſtranda. Forma vero ſchedulæ Acceſſus eadem prorſus eſt quam Scrutinii; niſi quod in medio ejus, loco verborum, *Eligo in Summum Pontificem Reverendiſsimum D. meum D. Cardinalem*, ponuntur hæc verba: *Accedo Reverendiſsimo D. meo D. Cardinali.*

III. In exteriori autem parte ſchedularum tam Scrutinii, quam Acceſſus, quæ tergum nominari poteſt, duo ſunt imprimendi limbi ex illis quos ad ornatum Librorum impreſſores adhibent, & vulgari vocabulo *fregi* nuncupant; quorum primus circa ſui medium continet hoc verbum, *Nomen*, impreſſum ſecundum longitudinem ipſius limbi; alter continet hocce verbum, *ſigna*, ſimiliter impreſſum, ut præcedens. Hi autem limbi excogitati ſunt ad obſcurandum diaphanum paginarum, ne ſcilicet ad lumen nomina, & ſigna eligentium conſpici poſſint; ubi vero impreſſoris copia adfuerit, limborum defectus lineis ſuppleri poterit.

IV. Secundus actus Anteſcrutinii eſt extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum, quæ extractio antequam ad Scrutinium procedatur, ſorte facienda eſt, hoc modo. In uno ſacculo, aut vaſe publice ponantur tot ſchedæ, vel, ſi magis placet, ſpherulæ ligneæ palam numeratæ, quot ſunt Cardinales præſentes in Conclavi cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahuntur primo Scrutatores tres, & poſtea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia *Infirmarii* appellari poſſunt, de quorum omnium Officio infra ſuo loco ſcribetur. Quod ſi in extractione Scrutatorum, & Infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus etiam ſuo loco dicetur, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus prædictis ſatisfacere non poſsint, alii non impediti loco illorum extrahantur. Peracta vero extractione, ſchedæ, ſeu ſpherulæ

(1) Ita in editione Romana, at vero in Veneta, *immittit*.

Digitized by Google

rulæ eorum, qui extracti fuerunt, in ſacculum, ſeu in vas iterum conjiciantur.

V. Tertius actus Anteſcrutinii eſt ſchedularum Scrutinii ſcriptio, quæ fiet hoc modo. Ad duas, vel plures parvas menſas, quæ erunt cum atramento, & calamis paratæ in loco Capellæ apto, ut qui ſcribunt, conſpici poſſint; quid vero ſcribitur, non poſſit; accedent Cardinales per ordinem, incipiendo a Decano, & ibi ſedentes in ſcabellis paratis ſchedulam quiſque ſuam acceptam prius ex diſco, ſcribet hoc modo. Primo in prima parte in ſpatio inter verba, *Ego Cardinalis*, ſcribet proprium nomen; deinde in ſecunda parte nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri poteſt, alterato, ut manus ſcribentis cognoſci non poſſit, & caveat, ne plures in ſchedula ſcribat, quia ſuffragium juxta Gregorianam Conſtitutionem, ideſt Gregorii Papæ XV. eſſet nullum; in tertia vero parte, ſigna, hoc eſt, numerum aliquem, & dictum aliquod Scripturæ, ſeu verbum, aut aliud hujuſmodi.

VI. Quartus actus Anteſcrutinii eſt ſchedularum complicatio, quæ ut expeditius peragi a Cardinalibus valeat, poterit a Cæremoniariis Magiſtris, cum eas præparant, fieri in hunc qui ſequitur modum. Binæ fient plicaturæ ex utraque parte cujuſque ſchedulæ ita ut nomen eligentis, & ſigna, cum fuerint ſcripta, maneant tecta ex utraque parte a limbis; deinde quod reliquum eſt ita complicetur, ut ſchedula fere ad latitudinem pollicis redigatur; prout ex complicata ſchedula, quæ in ipſo Gregoriano Cæremoniali ponitur, conſpici poteſt. Cæterum Magiſtri Cæremoniarum ſchedulas non conplicatas, ut ſupra, ſed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis, ponent in diſcis; & Cardinales poſtquam eas, ut ſupra, ſcripſerint, eo uſque ſolum plicabunt, quo nomen, & ſigna eligentis tegantur; reliquas autem plicaturas tunc facient, cum ſchedulas, ut infra dicetur, obſignaverint.

VII. Quintus & poſtremus actus Anteſcrutinii eſt ſchedularum obſignatio, quæ ab unoquoque Cardinalium facienda erit in tergo ſchedularum cum ſigillo ad hoc parato in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit poſita. Porro ſigillum non debet eſſe ſolitum Cardinalis, ſed aliud, & ſecrete habitum, & ita ſimplex, ut facile notari poſſit, veluti ſi in ſigillo ſculpantur, aut tres numeri, aut tres literæ, & numeri, vel una tantum imago. Et hæc de Anteſcrutinio ſufficiant. Ceterum quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius ſuo loco dicetur.

VIII. Sequitur ſecunda actio, quæ nomine Scrutinii appellata fuit. Octo ſunt hujus actionis actus, videlicet delatio ſchedulæ, juramenti præſtatio, poſitio ſchedulæ in Calicem, ſchedularum mixtio, numeratio illarum, Scrutinii publicatio, Schedularum in filum inſertio, & illarum depoſitio ſeorſum. Delatio ſchedulæ, & duo ſequentes actus, qui melius ſimul deſcribuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam ſchedulam poſtquam illam ſcripſerit, obſignaverit, & complicaverit, duobus primis digitis ſumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod ſtant Scrutatores, & in quo eſt Calix magnus ad accipiendas ſchedulas paratus, & Patena coopertus, ibique genuflectens aliquantulum orabit; deinde ſurgens alta, & intelligibili voce jurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper Altari poſita deſcripta habetur: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicaturus eſt, me eligere, quem ſecundum Deum judico, eligi debere, & quod idem in Acceſſu præſtabo.* Poſt hæc ſchedulam in Patenam ponet, & per Patenam mittet in Calicem; quo facto inclinabit ſe ad Altare, & ad ſuum locum revertetur. Et hæc ſervanda erunt, ſi Cardinalis ad Altare pergere poſſit, nam ſi ob infirmam valetudinem non poſſit, & præſens in Capella ſit, ultimus Scrutator diſcum cum ſchedulis ad eum deferet, ex quo Cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco ſuo ſecrete, ut ſupra dictum eſt, conficiet; deinde prævio juramento prædicto, ſchedulam obſignatam & complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, & ſine oratione, & juramento in Patenam ponet, & per eam in Calicem mittet; quæ omnia obſervanda erunt per ultimum Scrutatorem erga eos Cardinales, qui in Capella præſentes, ob valetudinem ad Altare pergere non poterunt.

IX. Si vero aliqui Cardinales infirmi ſint in ſuis cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut ſupra extracti, ad eos accedent cum capſula altitudinis unius palmi, in cujus ſuperiori parte ſit rima, ſeu foramen ejus magnitudinis, ut per illud ſchedula complicata poſſit per ſuam latitudinem intus capſulam tranſmitti; quam capſulam, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut ceteri Cardinales poſſint eam inanem, & vacuam conſpicere; deinde claudent, & clavem ponent ſuper Altare; deinde Infirmarii cum capſula clauſa, & cum parvo diſco tot ſchedulas continente, quot ſunt infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedent, & infirmi acceptas ex diſco ſchedulas, ſecrete ſcribent, obſignabunt, & complicabunt, & prævio jam dicto juramento, in capſulam per rimam mittent: quod ſi infirmi ſcribere non poſſint, alii eorum arbitrio deligendi, præſtito de ſecreto ſervando in manibus Infirmariorum juramento, prædicta facient; atque hi advertere debent, quod non ſolum juramenti vinculo tenentur ſervare ſecretum, ſed etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, ſi contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Capellam revertentur cum capſula, quam Scrutatores aperient, & ſchedulas in ea contentas palam numerabunt, & tot repertas, quot ſunt infirmi, ponent ſingillatim in Patenam, & per Patenam ſimul omnes in Calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur Scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias ſchedulas poſt Decanum conficere, & in Calicem ponere; deinde dum ceteri Cardinales Scrutinium agunt, ad infirmos pergere, ad accipienda eorum ſuffragia eo modo, quo proxime ante dictum eſt.

X. Quartus actus Scrutinii eſt ſchedularum permixtio, quæ fiet per primum Scrutatorem, Calice, in quo ipſæ ſchedulæ poſitæ fuerunt, Patena cooperto, pluries agitato.

XI. Quintus actus eſt numeratio ſchedularum, quæ palam fiet per ultimum Scrutatorem capiendo ſingillatim unamquamque ſchedulam ex Calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus ſit, Calicem vacuum. Quod ſi numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ ſunt; & iterum, ideſt ſecunda vice, ad ſuffragia ſtatim eſt deveniendum; ſi vero numerus ſchedularum numero Cardinalium reſpondeat, proſequendi ſunt alii actus Scrutinii.

XII. Se-

Digitized by Google

XII. Sextus actus est publicatio Scrutinii, quæ fit per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam, fiet hoc modo. Primus Scrutator accipiet unam schedulam, eamque intactis sigillis explicabit, & viso in ea schedula electi nomine, eam tradet secundo Scrutatori, qui pariter eodem electi nomine perspecto, eandem tradet tertio, qui illam alta, & intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales præsentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium; notabit autem juxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in Calice positis usque ad ultimam. Quod si in Scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus, & idem in utraque electus fuerit, schedulæ prædictæ habebuntur, & notabuntur pro uno suffragio; si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana statuitur de illa schedula, in qua plures nominati sunt. Scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Ceterum suffragia prædicta, finita Scrutinii publicatione, poterunt a Patribus juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel in separato folio notari hoc modo: *Reverendissimus D. Cardinalis A. habet suffragia xx. & Reverendissimus D. Cardinalis B. habet suffragia xv.* & sic de aliis; quod fit, ne Cardinales, cum opus est, cogantur semper numerare suffragia, quæ juxta nomina Cardinalium notarunt.

XIII. Septimus actus Scrutinii est schedularum in filum insertio, quæ, ut schedulæ ipsæ cautius conservari possint, excogitata fuit. Hæc autem insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo schedulam unamquamque, postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato in loco, ubi est verbum, *Eligo*.

XIV. Octavus, & postremus Scrutinii actus est depositio schedularum seorsum, quæ similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui finita insertione omnium schedularum in filum, capita fili nodo junget, & schedulas omnes ita colligatas in alium Calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponet.

XV. Sequitur tertia, atque postrema actio, quæ *Postscrutinium* appellata fuit, cujus actus, si sequuta sit electio per Scrutinium, tres tantum sunt, videlicet numeratio schedularum, recognitio suffragiorum, & schedularum combustio, de quibus inferius suis locis dicetur. Si vero per Scrutinium non sit sequuta electio, actus sunt septem, videlicet, Accessus, sigillorum, atque signorum apertio, eorum annotatio, suffragiorum examen, suffragiorum Scrutinii, vel Scrutinii & Accessus numeratio, eorum recognitio, & schedularum combustio.

XVI. Primus itaque actus est Accessus, qui immediate post Scrutinium, hoc est, post depositas seorsum Scrutinii schedulas fiet, nisi forte in Scrutinio fuerit creatus Papa, tunc enim nullus fieri debet Accessus; in quo quidem Accessu eadem omnia servanda sunt a Cardinalibus, quæ dicta sunt servari debere in Scrutinio peragendo tam in schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione, & positione in Calicem, quam in earum numeratione, publicatione, notatione suffragiorum, & insertione in filum, ac depositione seorsum, exceptis tamen infrascriptis. Primo quod Cardinales schedulas pro Accessu sumere debent ex disco schedularum Accessus. Secundo in schedularum Accessus scriptione, si Cardinalis nemini velit accedere, debet in media schedulæ parte, loco nominis Cardinalis, qui scribendus esset, si ad eum fieret Accessus, scribere, *Nemini*; schedula autem Accessus scribi, & obsignari debet cum eisdem sigillis, & signis schedulæ Scrutinii sub pœna nullitatis suffragii ipsius Accessus. Tertio, quod non potest Accessus fieri ad eum Cardinalem, qui in Scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipsomet Cardinali fuit in Scrutinio nominatus. Quarto, quamvis in Accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in Scrutinio plures eligere, sub pœna nullitatis suffragii tam in Accessu, quam in Scrutinio; nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter a se nominatis in Scrutinio, dummodo ei ab alio aliquod suffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipso Scrutinio datum fuerit. Quinto, quod in Accessu non præstatur juramentum, de quo supra, quia in Scrutinio fuit jam præstitum per illa verba, *Et quod idem in Accessu præstabo*. Sexto denique Infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas Accessus, & simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quæ quisque Cardinalis in Scrutinio nominatus obtinuerit.

XVII. Secundus, tertius, & quartus actus Postscrutinii, sunt sigillorum, & signorum aperitio, eorum annotatio, & suffragiorum examen, qui tunc solum locum habere possunt, quando sequuta est electio per Scrutinium, & Accessum. Fieri autem debent hoc modo. Primus Scrutator schedulas Accessuum, quos obtinuit electus, in ea parte solum, quæ signa continet, aperiet, & inspectis diligenter earum sigillis, & signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas tradet secundo Scrutatori, & secundus eadem inspectione facta, porriget tertio, qui alta, & intelligibili voce sigilla, & signa prædictarum schedularum enunciabit, & annotabit in latere sinistro folii impressi ad hunc effectum parati sub verbis, *Sigilla, & signa Accessuum*; quam etiam annotationem facient ceteri Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso. Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, pro Accessuum prædictorum examine capiet schedulas Scrutinii, & incipiens ab uno capite fili, in quo insertæ sunt, sigillum primæ ejus schedulæ quæret in sigillis Accessuum notatis, ut supra in folio impresso; & si illud in eo non invenerit, omissa prima Scrutinii schedula, capiet secundam, ejusque sigillum similiter quæret; quod si etiam non invenerit, capiet tertiam, & deinde sequentes singillatim, donec sigillum alicujus earum inveniet, eoque invento, Scrutinii schedulam in ea parte, ubi signa sunt, aperiet; & si non invenerit, signa hujus schedulæ concordare cum signis Accessus, schedulam illam omittet, & aliam capiet, sicut paulo ante de schedulis non concordantibus in sigillo dictum est; si vero invenerit, signa concordare, ostendet illa secundo, & tertio Scrutatoribus, qui una cum ipsis post diligens examen super identitate sigillorum, & signorum ambarum schedularum, Scrutinii scilicet, & Accessus, inspiciet,

Digitized by Google

ſpiciet, an idem, vel diverſi in utraque ſchedula ſint nominati; & ſi idem nominatus ſit, ſuffragium Acceſſus nullum cenſebitur; ſi vero diverſi nominati ſint, ſuffragium Acceſſus pro valido habebitur; & hoc caſu tertius Scrutator ſigillum, & ſigna ſchedulæ Scrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur, alta & intelligibili voce enunciabit, & annotabit in latere dextero prædicti folii impreſſi, ſub verbis, *Sigilla, & ſigna Scrutinii reſpondentia Acceſſibus*; notabit autem ea ex adverſo Acceſſus concordantis in ſigillo, & ſignis; quam annotationem ceteri quoque Cardinales, ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo facient. Sed hujuſmodi actus, qui explicatione difficiliores ſunt, quam operatione, exemplo melius percipientur.

Exemplum folii impreſſi, in quo Acceſſus, & Scrutinii, Sigilla, & Signa concordantia annotantur.

Sigilla, ac Signa Acceſſuum.	*Sigilla, & Signa Scrutinii Acceſſibus reſpondentia,*	*Cardinales nominati in Scrutinio,*
ACD. 43. Deus.		
BRF. 32. Bonitas.	BRF. Bonitas,	Cardinalis S. Euſebii.
RGI. 50. Beatitudo,	RGI. Beatitudo.	Cardinalis S. Sixti.
NSP. 26. Gloria.		

XVIII. Quod ſi fortaſſe in iſta inquiſitione contingat, duas, vel plures ſchedulas Scrutinii reperiri cum eiſdem Sigillis, & ſignis alicujus ſchedulæ Acceſſus, tunc ſi in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus ſimiliter inſpicientibus, Scrutinii ſchedulas hujuſmodi, & ſchedulam Acceſſus in ea etiam parte, in qua eſt nomen eligentis, & accedentis, aperiet, ut conſtare poſſit ſecundum Gregorianam Conſtitutionem de validitate, vel invalidate Acceſſus; ſi vero in aliqua hujuſmodi ſchedularum Scrutinii concordantium cum Acceſſu non ſit nominatus electus, debent eæ ſchednlæ omitti, & ad ſubſequentes procedendum erit.

XIX. Quintus actus Poſtſcrutinii eſt numeratio ſuffragiorum vel Scrutinii ſolius, vel Scrutinii & Acceſſus, quæ fiet per Scrutatores ſemper, ſive ſecuta ſit electio, ſive non; & ſi quidem ſecuta non ſit electio, ut ſciatur, quod in eo Scrutinio, vel Scrutinio, atque Acceſſu non habetur Papa; ſi vero ſecuta ſit, ut conſtet de Canonica Pontificis electione. Fiet autem hæc numeratio ſuffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam ſummam redigent ſuffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, ſive in Scrutinio ſolo, ſive in Scrutinio, atque Acceſſu ſimul; & ſi invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes ſuffragiorum perveniſſe, non habetur Papa in illo Scrutinio, ſive Scrutinio & Acceſſu. Si vero invenerint, aliquem ex nominatis duas tantum partes ſuffragiorum obtinuiſſe, aperient electi ſchedulam etiam in ea parte, in qua eſt nomen eligentis; & ſi quidem ex ea apparuerit, electum alii ſuffragatum fuiſſe, electio ejus erit Canonica; ſi vero conſtiterit, ſibi ſuffragium dediſſe, ejus electio ex diſpoſitione Gregorianæ Conſtitutionis nulla erit ob defectum unius ſuffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe, vel etiam ultra duas tertias, tunc in ſuffragiorum paritate, nullus erit electus, in imparitate vero ille eſt Canonicus Papa, qui ſuperat alium etiam in uno ſuffragio.

XX. Sextus actus Poſtſcrutinii eſt recognitio, quæ per Recognitores, ſive ſecuta ſit electio, ſive non, fiet, inſpiciendo tam ſchedulas Scrutinii, atque Acceſſus, quam ſuffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujuſmodi recognitionem conſtare poſſit, an Scrutatores ſincere, & fideliter muneri ſuo ſatisfecerint. Recognitores autem extrahantur ſorte, ut Scrutatores, & Infirmarii, ſtatim quidem poſt Scrutinium, ſi ſecuta ſit in eo electio; ſi vero non ſit ſecuta, poſt Scrutinium, & Acceſſum, cum ſcilicet Scrutatores ſuum impleverint munus per numerationem ſuffragiorum, & hæc extractio fiet, ſive ſecuta ſit electio in Scrutinio & Acceſſu, ſive non.

XXI. Septimus & poſtremus actus Poſtſcrutinii eſt combuſtio omnium ſchedularum, quæ ſemper, & palam per Scrutatores fiet, ac ſtatim poſt recognitionem, ſive electio ſit ſecuta, ſive non. Et hæc omnia, quæ de Scrutinii ritibus ſunt expoſita, ſervanda erunt diligenter a Cardinalibus in omnibus Scrutiniis, ſive fiant mane poſt Miſſam, ſive Veſperi poſt Hymnum, *Veni Creator Spiritus*. Atque hi ſunt Ritus ex præſcripto Conſtitutionis Gregorii XV. in electione Romani Pontificis obſervandi, quos ex Rituali ejuſdem Papæ juſſu editi ad verbum hucuſque deſcripſimus; tum præſertim quod ipſe Gregorius XV. motu proprio, ut ajunt, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula in prædicto Cæremoniali ordinata, & quomodolibet contenta approbavit, confirmavitque, ac inter alia Cæremoniale hujuſmodi in totum vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibuit, ut plenius legere eſt in ejus Diplomate, quod incipit, *Decet Romanum Pontificem*, editum IV. Idus Martii anni MDCXXI, Pontificatus anno II.

§. XXXIII.

De Acceſſu, & quomodo fiat.

Deinde ſi duæ partes in cedulis non conveniunt, procedunt ad electionem per viam Acceſſus. Nam hoc pacto celerius ad finem electionis pervenitur, ad illos accedendo, quos in cedula non nominaverit; & poteſt fieri Acceſſus ad unum, vel plures, ſicut & nominatio in cedulis; ſed ex honeſtate, & decore juniores debent aliquantulum expectare quoad antiquiores Acceſſum incipiant. Illis vero diutius ſuperſedentibus, qui-

Digitized by Google

quilibet poteſt incipere; ſurgit qui vult incipere, & dicit: *Ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum talem*; & ſtatim omnes ſignant ſuper nomen electi nomen accedentis; & ſimili modo & alii qui volunt, accedunt, & ſignantur. Si non concurrunt duæ partes, nihil factum eſt, & ſequenti die ad Scrutinium reverturtur. Si autem voces ſufficiunt, qui ultimus ex neceſſariis vocibus accedit, ſolet dicere: *Et ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum talem, & facio eum Papam*. Et notandum eſt, quod ſi Acceſſus fieret ad plures imperceptibiliter, & inconfuſe; ita ut duo haberent duas partes, nemini jus acquiritur, & pro infecto habetur. Legimus, ſuperioribus temporibus, cum duæ partes in electione concordabant, priorem Diaconorum conſueviſſe induere electum Mantum Papale, dicendo: *Ego inveſtio te de Papatu, ut præſis Urbi, & Orbi*. Sed hodie non ſervatur.

COMMENTARIUS.

I. FUſe jam & de Scrutinio, & de Acceſſu agit antiquum Patricii Cæremoniale, quod nos explicamus. Inter alia autem nos docet, quod ſuo ævo ubi voces eligentium ſufficerent, qui ultimus ex neceſſariis vocibus accederet, dicere ſolitus eſſet: *Et ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum talem, & facio eum Papam*. Ita ſane accidit in electione Æneæ Sylvii Senenſis, qui fuit poſtea Pius II. Pontifex, electus XIV. Kalend. Septembris anni MCDLVIII. Ut enim in ejuſdem Commentariis legitur Lib. 1. pag. 30. prope finem, cum una illi tantum vox deeſſet, duodecim ſiquidem tunc Pontificem efficiebant, id *animadvertens Proſper Cardinalis Columnenſis, eam ſibi gloriam acquirendam putavit, ut Pontificem ipſe pronunciaret; cumque eſſet Æneæ veteri benevolentia conjunctus, verſus ad reliquos Cardinales*, Et ego, *inquit*, Senenſi accedo, eumque Papam facio: *Quo audito, Cardinales univerſi nihil morati, ad pedes Æneæ ſe ſe projecerunt, eumque Pontificem ſalutaverunt*. Ita ille, ſed addit mox etiam Patricius, *ſuperioribus temporibus, cum duæ partes in electione concordabant, priorem Diaconorum conſueviſſe induere electum Mantum Papale, dicendo*, Ego inveſtio te de Papatu, ut præſis Urbi, & Orbi. *Sed hodie non ſervatur*. Plane meminit hujus antiqui Ritus Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite X. quod inſcriptum eſt, *De inveſtitione Papatus fienda per Priorem Diaconorum Cardinalium poſt electionem in Papam electi*. Tum vero paulo poſt initium ita ad rem inquit: *Prior Diaconorum exuit eum Cappa, ſive Chlamyde, qua utitur, & ponit ei, ſi non habet, Albam, Rochetum, Camiſiam, & ornamentum ad modum Presbyteri ſuper humeros, ſi eſt Presbyter, vel ſuper lævam partem, ſi eſt Diaconus, & non in Presbyterii Ordine conſtitutus, & poſtea ponit ei Mantum, & dicit*, Inveſtio te de Papatu Romano, ut præſis Urbi, & Orbi; *& tradit ei etiam anulum, quo uti conſueverunt Prædeceſſores ipſius, & ei Mitram competentem tempori ſuper caput imponit &c.* Ejuſdem quoque ritus, & iiſdem ferme verbis mentionem facit ante Romanum Jacobi Gajetani Ordinem Cæremoniale Romanum Gregorii X. Papæ juſſu editum, ut videre eſt apud Mabillonium Tomo II. Muſæi Italici, pag. 221.

II. Vetuſtum ejus ritus exemplum occorrit quidem in actis electionis Alexandri III. Papæ, qui creatus fuit Pontifex die VII. Septembris anni MCLIX. Octavianus ſiquidem Cardinalis Presbyter Tituli S. Cæciliæ Alexandri æmulus, & poſt ejus electionem nominatus & ipſe Pontifex a duobus dumtaxat Cardinalibus Presbyteris, Joanne Tituli S. Martini, & Guidone Tituli S. Calliſti, ſtatim conductos milites introduxit opera quorundam Senatorum, quos pecunia corruperat, & favore illorum, qui Friderico I. Imperatori adhærebant, Papale Mantum a collo Alexandri violenter abſtulit, ſed cum ab aliis ei ereptum eſſet, ipſe aliud per Capellanum ſuum paratum ſumſit, dictuſque eſt Victor IV. Huic pſeudopontifici Fridericus addictus Conciliabulum apud Papiam indixit anno MCLX. celebrandum, ubi probata electio Victoris fuit, quia ſcilicet inter alios præcipuos ejus electionis ritus, Mantum ei Papale fuerat impoſitum, ut ejuſdem Papienſis Conciliabuli Acta teſtantur apud Friſingenſem Lib. II. *De rebus geſtis Friderici I. Imperatoris*, Cap. LXVII. Sic autem illa inquiunt: *Dominus Octavianus, & nemo alius Romæ in Eccleſia Beati Petri, petitione populi, & conſenſu, ac deſiderio Cleri a Cardinalibus Manto indutus eſt ſolemniter, & præſente Cancellario* (ita appellant Alexandrum, qui in minoribus vocabatur Rolandus, eratque S. R. E. Cancellarius) *& non contradicente, in Cathedra Beati Petri collocatus eſt, & a Cardinalibus, & Clero Romano*, Te Deum laudamus, *ſolemniter ei cantatum eſt, & nomen ei Victor impoſitum eſt. Ibi multitudo Cleri, & Populi Romani venit ad pedes ejus. Tunc Scriniarius ſecundum antiquam Romanorum conſuetudinem aſcendens in altum, voce magna clamavit ad Populum dicens*: Audite Cives Romani, & cœtus Reipublicæ, ſecunda Feria Pater noſter Adrianus mortuus eſt, & proximo ſequenti Sabbato Dominus Octavianus Cardinalis S. Cæciliæ in Romanum Pontificem electus, & immantatus eſt. Placet vobis? *Reſpondit magna voce Clerus, & Populus*: Placet. *Secunda, & tertia vice interrogatus Populus, ſi placeret, clara voce reſpondit*: Placet. *Deinde cum bandis, & aliis Papalibus inſignibus Dominus Papa cum laudibus in Palatium deductus eſt*.

III. Pluribus conantur Acta ipſa Conciliabuli Papienſis probare, legitimam fuiſſe electionem Victoris, longumque Abbatum, & Clericorum, atque Canonicorum Urbis catalogum recenſent, qui Victori ipſi reverentiam, & obedientiam exhibuerunt; ſed nullam tamen fuiſſe illius electionem, legitimam vero electionem Alexandri, diſerte aſſerit S. Ailredus Monaſterii Rievellenſis in Agro Lincolnienſi, & Provincia Cantuarienſi

Digitized by Google

rienſi ſiti Abbas hoc tempore vivens, qui in ſuo Sermone ccxxxi. Conciliabulum Papienſe perſtringens, inter alia proceſſum enarrat utriuſque electionis, & juſtitiam Alexandri Pontificatus ex ipſa narratione deducit, & inquit: *Ecce defuncto Hadriano legitimo Petri Succeſſore, ſtat in Cardinalibus ceterorum Apoſtolorum legitima ſucceſſio. Cogitate nunc conſtitutos in medio eorum Rolandum, & Octavianum, ſic interim nominamus eos quaſi in utero matris ſuæ Eccleſiæ Romanæ jam laborantis in partu. Rogo Fratres mei, nonne partus iſte ſimilis eſt partui Rebeccæ? Ecce, ecce infelix Eſau rufus, & hiſpidus quomodo ipſa viſcera materna contorquet, & ſimplicem illum Jacob, quem totus ille interaneorum omni effectu concentus complectitur, manibus furibundus invadit. Audiſtis enim, quomodo de collo ſanctiſſimi Viri*, nempe Alexandri, *infelix ille*, ſcilicet Octavianus, *Mantum dæmone plenus extraxit; & cum ei non pro voto ceſſiſſet, cum ſummo matris dolore egreſſus de utero, cupiditatis, & ambitionis ſuæ pilis, ſummum cernentibus horrorem incuſſit*. Prolixus eſt Sermo, ejuſque partem non modicam legere eſt apud Pagium in Vita laudati Alexandri, Numero xv. & ſeqq. De legitima autem electione Alexandri videri poſſunt, quæ fuſe diximus nos Tomo iii. Conciliorum in Hiſtoria Concilii Œcumenici iii. Lateranenſis.

IV. Ex hactenus vero enarratis illud profecto addiſcimus, conſueviſſe ſcilicet de Papatu inveſtiri electos Pontifices per Mantum Papale, de quo inter alios differit eruditus Georgius in Opere, *De liturgia Romani Pontificis*. Habitum itaque jam olim fuit Mantum inter præcipuas Summorum Pontificum veſtes, adeout dignitatis inveſtituram per illud acciperent. Erat plane rubea Cappa, & Papale inſigne, ut docet Gerhohus Reicherſp, ubi de Alexandi Papæ III. electione ita inquit: *Oblato ei, ut mos eſt, per Archidiaconum Manto, rubea videlicet illa Cappa, quæ inſigne Papale eſt*. Ita ſi deponebantur, aut ſponte dignitatem abdicabant, Mantum ipſum, ut præcipuum inſigne dimittebant, uti exemplum nos docet Honorii Papæ II. qui quod ante conſtitutum electioni diem violenter potius intruſus, quam legitime electus videbatur, contra Theobaldum Cardinalem Presbyterum S. Anaſtaſiæ, qui ante eum electus, Cæleſtinus dictus fuerat, licet hic eodem quo electus eſt, die ſe abdicaverit, ut conſtat ex Pandulpho in ejuſdem Honorii Vita, Pontificatum dimiſit, *Mitram, & Mantum* deponens, ut ex Codice Vaticano tradit Baronius ad annum mcxxiv. & ex eo Pagius in Vita laudati Honorii, Num. i. *Sed quia electio Honorii minus Canonice proceſſerat, poſt ſeptem dies*, a morte ſcilicet, vel ſepultura Calliſti II. *in conſpectu Fratrum, ſponte Mitram, & Mantum refutavit, atque depoſuit*. Addit mox, libere ac Canonice fuiſſe a Cardinalibus aſſumtum in Romanum Pontificem: *Fratres*, inquit, *tam Epiſcopi, quam Presbyteri, & Diaconi Cardinales, videntes ipſius humilitatem, proſpicientes inpoſterum, ne in Romanam Eccleſiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, & eundem denuo advocantes, ad ejus veſtigia prociderunt, & tanquam Paſtori ſuo, & univerſali Papæ conſuetam obedientiam exhibuerunt*.

V. Sicut Mantum, ita & *immantare*, & *ammantare*, de Summis Pontificibus dictum eſt, & de veſte, qua primum in ſua ipſorum electione induebantur, ut ſuperius probatum eſt, & conſtat etiam ex antiquo Romano Ordine Cencii Camerarii ſub Cæleſtino Papa III. qui claruit labente Seculo Chriſti xii. *Perſcrutata*, inquit ille, *omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipſis, in quem major, & melior pars convenerit Cardinalium, prior Diaconorum ipſum de Pluviali rubeo ammantat*. Immantare verbum occurrit paſſim apud Radevicum Canonicum Friſingenſem Lib. II. *De rebus geſtis Friderici I. Imperatoris*, Cap. lxvii. ubi refert Acta Conciliabuli Papienſis in cauſa electionis Alexandri Papæ III. *Sequenti vero die proxima*, inquit, *Rectores Cleri Romani accedentes ad Dominum Cancellarium, & ad Cardinales, qui cum eo erant, voluerunt cognoſcere, ſi immantatus eſſet, ſicut quidam dicebant, & non invenerunt eum immantatum, neque aliqua ſpecie dignitatis variatum; & habito cum eo, & Cardinalibus ſuis colloquio, cognoverunt ab ore ejus, & ſuorum, quod nunquam fuerit immantatus*. Loquuntur Acta de Alexandro Papa III. qui, uti ſuperius notatum eſt, in minoribus dicebatur Rolandus, eratque S. R. E. Cancellarius. Addunt mox etiam eadem citatæ pſeudoſynodi Acta: *Poſt promotionem Domini Victoris*, Octaviani ſcilicet pſeudopontificis, *Canonici Beati Petri miſerunt ad Rolandum Cancellarium Canonicos ſuos, qui viderent, an eſſet immantatus, ſicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus; unde his miſſi inquiſitores, his retulerunt, eum non eſſe immantatum, nec aliqua promotionis ſpecie variatum*. Sed hæc putida mendacia ſunt; fuit enim legitime electus Alexander Pontifex, & Manto etiam Papali in ſua electione inſignitus, ſcribitque Faſtradus Abbas Clarevallenſis in Epiſtola ad Omnibonum Veronenſem Epiſcopum, *Octaviani nullam fuiſſe electionem, immantationem feciſſe ſibi ipſi, laicali adjutorio Pontificalem occupaſſe Cathedram*.

§. XXXIV.

De concluſione electionis, Nominis mutatione, & impoſitione annuli Piſcatoris.

Convenientibus duabus partibus in unum quempiam, ille verus, & indubitatus eſt Pontifex; tamen conſueverunt & alii accedere; & rurſus Prior Epiſcoporum, omnibus ſedentibus, nomine totius Collegii illum talem eligit in Romanum Pontificem, & ejus aſſenſum requirit. Quo habito, omnes ſurgunt, primo ad congratulandum; deinde eum exuunt Crocea, & Caputio parvo, & ſic cum ſuo Rochetto faciunt illum ſe-

Digitized by Google

ſedere ſuper ornata Sede, quam locant ante menſam, ubi priores ſedebant. Imponunt illi annulum Piſcatoris, & exquirunt, quo nomine velit nuncupari; & tunc ſolet ſubſcribere Conſtitutiones ante electionem firmatas, & juratas, & ſignare aliquas ſupplicationes.

COMMENTARIUS.

I. COnſtat jam ex Romanorum Pontificum Vitis, ſervatam religioſe fuiſſe eam Alexandri III. Conſtitutionem, de qua ſuperius iterum iterumque dictum eſt, ut ille verus, & indubitatus haberetur Pontifex, in quem duæ ſaltem partes Cardinalium convenirent. Hinc, tametſi aliquando non omnes Carnales aliquem vellent Pontificem, ubi tamen noverunt, duas ſacri Collegii partes in ipſum concordaſſe, mutato conſilio prudentiſſime conſueverunt accedere, uti hic noſter §. notat. Concluſa vero electione, ut idem hic noſter §. inquit, *Prior Epiſcoporum, omnibus ſedentibus, nomine totius Collegii illum talem eligit, & ejus aſſenſum requirit.* Non enim ordinari quis debet invitus; licet enim complures olim Viros Sanctos nonniſi renitentes Epiſcopatum ſuſcepiſſe, & prorſus fere coactos, in eorum Vitis, atque in Eccleſiaſtica Hiſtoria legamus; ſed tamen quomodo hæc intelligi debeant, explicat Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ſua CIV. ſic dicens: *Tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Vide Notas noſtras in Opuſculum S. Joannis Chryſoſtomi, *De Sacerdotio*, Lib. I. Cap. III. pag. 8. & 10.

II. Neceſſarium eſſe, ut electio Canonica valeat, electi aſſenſum, docent paſſim Canonici Juris Conſulti ad Titulum, *De electione &c.* viderique inter alios poteſt doctiſſimus Paſſerinus in ſuo abſolutiſſimo Opere, *De electione Canonica*. Hinc ex præſcripto noſtri hujus §. electo Romano Pontifice, & ejus aſſenſu habito, *omnes ſurgunt, primo ad congratulandum, deinde eum exuunt Crocea, & Caputio parvo, & ſic cum ſuo Rochetto faciunt illum ſedere ſuper ornata ſede, quam locant ante menſam, ubi priores ſedebant, imponunt illi annulum Piſcatoris, & exquirunt, quo nomine velit nuncupari, & tunc ſolet ſubſcribere conſtitutiones ante electionem firmatas, & juratas, & ſignare aliquas ſupplicationes.* Quod aſſumtionem novi nominis ſpectat factam in electione Romani Pontificis, ſunt qui tradunt, Sergium II. quod vocaretur *os porci*, ſeu *bucca porci*, primum fuiſſe Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen ſibi mutavit, eo quod nomen indecens tanto Sacerdotio viſus eſſet ſe habere. Verum tradit Baronius ad annum Chriſti DCCCXLIV. Num. I. *id factum in Sergio IV. neque id accidiſſe ob turpitudinem nominis, ſed reverentiæ cauſa; cum enim ille Petrus vocaretur, indignum putavit, eodem ſe vocari nomine, quo Chriſtus primum ejus Sedis Pontificem, Principem Apoſtolorum, ex Simone Petrum nominaverat. Verum id factum primum ab Octaviano, qui vocatus eſt Joannes XII. alii tradunt. Hic enim*, ut ait idem Baronius ad annum Chriſti CMLV. Num. IV. *revera primus inventus, qui mutavit ſibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Joannes.* Sane, ut obſervat Angelus de Nuce in Leonis Oſtienſis Chronico Caſinenſi Lib. III. Cap. LXVI. *Chriſtus novum Eccleſiæ Pontificem Simonem conſtituens, Petrum vocari voluit, ex Auguſtino in Joannem, Cap. I. Tractatu VII. ut inde mos iſte originem derivare potuerit; eo etiam addito, quod nonnulli Pontifices nomina barbara prius haberent, quæ Romanis auribus durum, & ingratum quid ſonabant; ideoque cum ex Germania, & Gallia, Gerebertus, Suidgerus, Poppo, Hildebrandus veniſſent, in Silveſtrum, Clementem, Damaſum, Gregorium mutati ſunt, Hadrianus tamen VI. & Marcellus II. Baptiſmatis nomina in Pontificatu retinuere.* Vide Sandinum in Vitis Romanorum Pontificum, Annotatione II. ad Joannem XII. & Annotatione I. ad Joannem XIV. itemque ejuſdem Auctoris Hiſtoriam Apoſtolicam in S. Petro pag. 69.

III. Juxta antiquum ritum, ut idem Angelus de Nuce obſervat loco citato, non ipſe electus nomen ſibi aſſumebat, ſed ab aliis illi imponebatur. Variis id quidem exemplis probari poſſet, quæ occurrunt paſſim in Romanorum Pontificum Vitis, qui poſt annum Chriſti milleſimum claruerunt, relatis a Platina, Ciaconio, Pagio, & aliis. Quinam illi nomen imponerent, non conſtans fuit ordo. Teſte Leone Oſtienſi Lib. III. Chronici Caſinenſis, Capite LXVI. ubi agitur de Deſiderio Caſinenſi Abbate, & S. R. E. Cardinali electo in Romanum Pontificem Maximum anno MLXXXVI. fuitque Victor III. *Univerſi pariter uno conſenſu, & animo illum capientes invitum, & renitentem attrahunt, & ad Eccleſiam prædictam Chriſti Martyris Luciæ, ibique eum juxta morem Eccleſiæ eligentes, Victoris ei nomen imponunt.* Mortuo Victore, & ſuffecto in ejus locum Ottone Oſtienſi Epiſcopo, Albanenſis Epiſcopus pronunciavit, *Urbanum illum placere vocari*, ut ait idem Chronicon Caſinenſe Lib. IV. Capite II. fuitque hic Pontifex Urbanus II. electus anno MLXXXVIII. Succeſſit deinde Urbano in Pontificatum Rainerius, ſeu Ragingerius Cardinalis Presbyter Tituli S. Clementis anno MXCIX. *cui poſtea Primiſcrinii, & Scribæ Regionarii Paſchalis nomen indidere*; ut ex antiquis Auctoribus ſcribit Platina in Paſchale II. Pontifice, & ex Anonymo Vaticano Baronius ad annum MC. Primiſcrinii autem, ſeu Primiſcriniarii, & Scribæ Regionarii erant Officia Romanæ Eccleſiæ, qui etiam Protoſcriniarii apud Reginonem in Chronico nuncupantur, ut notat Dufreſne in ſuo Gloſſario, viderique de eiſdem poteſt Hierolexicon Macri.

IV. Ut alios tandem omittam Pontifices, ex præſcripto antiqui Romani Ordinis XII. auctore Cencio, Cap. XLVIII. *Prior Diaconorum ipſum*, electum nempe Pontificem, *de Pluviali rubeo ammantat, & eidem electo nomen imponit.* Puto equidem impoſitum ſemper fuiſſe electo novo Pontifici nomen, ſive a Primiſcriniis, ſive a Priore Diaconorum Cardinalium, ſive ab aliis id fieret, ipſius electi arbitrio, juxta præſcriptum non modo noſtri hujus Romani Cæremonialis auctore Auguſtino Patricio, ſed & juxta il-

Digitized by Google

illud quoque, quod juſſu Gregorii Papæ X. editum eſt, diciturque apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, *Ordo Romanus* XIII. Num. II, ubi inter alia inquit, Priorem quidem Diaconorum petere ab electo in Pontificem, *quo nomine vocari velit, & ipſum nomine, quod ei placuerit, vocabunt*. Eadem legere eſt in Ordine XIV. Romano, auctore Jacobo Gajetano, Cap. X. iſque eſt uſus, qui hodieque ſervatur, ſolentque ut plurimum novi Pontifices, vel eorum ſibi nomina imponere, a quibus creati Cardinales fuerunt, vel ab antiquis Romanæ Eccleſiæ Præſulibus, quibus ſanguine juncti ſunt, vel ſi Regulares ſint, ab iis, qui ex eodem Ordine ad Petri Cathedram fuere evecti; ſicque noſtro hoc ſeculo Innocentius XIII. eo nomine appellari voluit, quod Innocentio III. ex nobili genere Comitum Signiæ eſſet ſanguine junctus. Benedictus vero XIII. quod ex inclyto Prædicatorum Ordine, quem profeſſus fuerat, Benedictus XI. Pontifex Maximus prodiiſſet; Clemens tandem XII. & BENEDICTUS XIV. quod alter a Clemente XI. alter vero a Benedicto XIII. Cardinales S. R. E. creati fuiſſent.

V. Vetus etiam fuit mos, ut Epiſcopi ſua aliquando, dum ordinarentur, nomina mutarent, ejuſque ritus meminit Beda in Hiſtoria Gentis Anglorum Lib. v. Cap. XII. ubi loquens de S. Willibrordo Trajecti Epiſcopo, qui obiit anno DCCXXXVI. ut videre eſt apud Surium ad diem VII. menſis Novembris: *Ordinatus eſt autem*, inquit, *in Eccleſia S. Martyris Ceciliæ die natalis ejus, impoſito ſibi a Papa memorato nomine Clementis*. Fuit hic Papa Sergius I. qui eum ordinavit *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſexto*; & quidem *Romæ publice in Eccleſia Beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum*, ut ait Surius, *cum magna dignitate more Apoſtolico eum ordinavit Archiepiſcopum, ac ordinato nomen impoſuit Clemens, veſtimentiſque ſuis Sacerdotalibus induit eum, & ſancto quaſi ſuperhumerali Aaron Pallio dignitatis, & indumenti confirmavit gloria &c.* Teſtantur quoque Annales Fuldenſes ad annum DCCXVII. quod eo ferme tempore Winfrindus, cujus Vitam legere eſt apud laudatum Surium ad diem v. Junii, *cum ordinaretur, Bonifacii nomen accepit*. Fuit hic Bonifacius inſignis ille Germaniæ Apoſtolus, & Martyr, qui etiam quo tempore S. Willibrordus Trajectenſis Eccleſiæ Præſul Chriſtiana doctrina Friſiam erudiebat, ejus ſtudiis mirifice gratulatus, & adhærens, triennio apud illum fuit, ſuam illi navans operam, tam in Idolorum Fanis deſtruendis, quam extruendis Eccleſiis, ceteriſque rebus divinis exequendis. Ceterum ut alios omittam Epiſcopos, quibus nominis mutatio facta eſt in ipſorum ordinatione, nunc ea mutatio penes ſolos Summos Pontifices remanſit, cujus exempla videre eſt apud Rodulphum Glabrum Lib. IV. Cap. I. & in Caſinenſi Chronico, cujus ſupra mentionem fecimus. Idem mos etiam apud Græcos hactenus viget. Sic enim ſcribit Guilius in Epiſtola ad Leonem Allatium: *Solent apud Græcos, qui Epiſcopatum ineunt, mutare nomen, aſſumto quopiam alio Majorum ſuorum ſanctitatis fama inſignium*. Cur Summi Pontifices in ſua ipſorum electione mutent nomen, explicat eruditus Pompeus Sarnelius Vigilienſis Epiſcopus in Epiſtolis ſuis Eccleſiaſticis Tomo II. Epiſtola V.

VI. Electo novo Pontifici *imponunt annulum Piſcatoris*, inquit in hoc Cæremoniali Patricius, concinitque Ordinibus Romanis XIII. & XIV. qui eam annuli impoſitionem recenſent, ſine tamen illo *Piſcatoris* additamento. Annulus Piſcatoris ſigillum eſt, quo Romanorum Pontificum Brevia obſignantur. Tribus autem, ut notat Macrius in ſuo Hierolexico, uti ſolent Pontifices ipſi ſigillis; *Annulo Piſcatoris*, quo Brevia Apoſtolica in cera rubra; *Bulla plumbea*, qua Privilegia, & Litteræ Cancellariæ; & *Signo*, quo Bullæ Conſiſtoriales muniuntur. Annulus Piſcatoris dicitur, quod S. Petri in actu piſcationis imaginem inſculptam habet, erratque vulgus, qui ita illum eſſe dictum cenſet, quod eo S. Petrus, qui piſcator erat, primus uſus fuiſſet. Eſt & ejus ineptæ opinionis Rebuffus in Praxi, Titulo, *De Brevi Apoſtolico*, cui etiam adhærere videtur Georgius Longus in Tractatu, *De annulis ſignatoriis antiquorum*, Cap. IX. in fine. Ea vox annuli Piſcatoris, teſte Dufreſne in ſuo Gloſſario, ante annos CD. minime nota, invaluit porro multum a Seculo XIV. Quicquid autem ſit, ubi electus fuit Pontifex Maximus anno MCDLXXXIV. Innocentius VIII. teſte Burchardo in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt obitum Sixti Papæ IV. §. CIII. *impoſuerunt ſibi annulum felicis recordationis Sixti Papæ IV. quem Sacriſta paratum ad hoc habebat*. Id quod etiam factum legimus in electione Leonis Papæ X. anno MDXIII. teſte Paride Graſſo in ſuo ms. Diario, ubi enarrans Pontificatum laudati Pontificis, ita inquit: *Cardinalis Sancti Georgii Prior Epiſcoporum impoſuit ei annulum, qui fuerat Julii Secundi*. Sed mirum plane videtur, quod annulus Piſcatoris imponeretur Leoni X. ille, quo fuerat uſus Julius II. cum mos ſit in morte Pontificis in præſentia Collegii non modo plumbum rumpi, ſed & annulum Piſcatoris, ut idem Paris de Graſſis teſtatur in fine Diarii anno MDXXI. ubi agit de ipſius Leonis morte inopina, & Sede vacante. Quamobrem dici poteſt, tunc forte primum rumpi cœpiſſe Piſcatoris annulum defuncto Pontifice. Sane invaluit deinde ritus, ut electo novo Pontifici annulus quidem imponatur ſignatus imagine S. Petri Piſcatoris, litteris tamen vacuus, uti addiſcimus ex ms. Diario Apoſtolici Cæremoniarii Philippi Pierſanctis, ubi de electione Benedicti XIII. Pontificis ſic inter alia ait: *Eminentiſſimus Albanus Tituli S. Clementis reddita pariter ſuo loco reverentia, annulum ſignatum imagine S. Petri Piſcatoris, litteris vacuum impoſuit in digito annulari electi, qui illico eum conſignavit Cæremoniarum Magiſtro conſervandum in parvo marſupio*.

VII. Mentio fit etiam in ipſo citato ms. Diario alterius ritus, qui aliquo ex tempore invaluit, ut Major Pœnitentiarius ſupplex petat *pro omnibus abſolutionem a Cenſuris forte contractis ratione Conclavis*. Sed hoc omiſſo, quod noſtrum §. ſpectat, docet nos hic inter alia, quod ubi annulus Piſcatoris novo Pontifici eſt impoſitus, *tunc ſolet ſubſcribere Conſtitutiones ante electionem firmatas, & juratas, & ſignare aliquas ſupplicationes*. De ſubſcriptione conſtitutionum, quas novus Pontifex ante electionem una cum Cardinalibus firmare ac jurare olim ſolitus fuit, diximus ſupra in Commentario ad §. XXVI, confirmarique id iterum poteſt exemplo

Digitized by Google

plo Innocentii VIII. qui ſtatim ac Annulo Piſcatoris fuit ornatus, Capitula ante electionem in Conclavi ſtatuta promiſit, vovit, juravitque obſervare. Rem ita enarrat Burchardus in citato ſuo Cæremoniali §. CIII. & ſequenti: *Quo facto, ſurrexit ipſe, & poſita eſt Sedes ſua prædicta ante menſam prædictam, amotis inde tribus ſcabellis, quæ prius erant, & apportata fuerunt Capitula ſupradicta per omnes Cardinales, Foſcharo excepto, ut ſupra ante primum ſcrutinium dictum eſt, ſubſcripta, quæ poſt ſubſcriptionem ultimi Cardinalis, videlicet Reverendiſſimi Domini Aſcanii, Sanctitas ſua ſubſcripſit in ſingulis ſex quinternis, ſub his verbis, videlicet.* Ego Innocentius electus, & aſſumtus in Summum Pontificem, præmiſſa omnia, & ſingula promitto, voveo, & juro obſervare, & adimplere in omnibus, & per omnia, pure, & ſimpliciter, & bona fide, realiter, & cum effectu ſub pœna perjurii, & anathematis, a quibus nec me ipſum abſolvam, nec abſolutionem alicui committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

VIII. Præter Conſtitutiones ante electionem firmatas, & juratas, ſolitus etiam fuit novus Pontifex, ut inquit noſter §. ſignare aliquas ſupplicationes; teſtemque ejus rei habemus ipſum Innocentium VIII. de quo ita ſcribit idem Burchardus §. CVI. *Subſcriptis per electum Pontificem, ut ſupra, Capitulis, propoſitæ ſibi fuerunt multæ ſupplicationes per Reverendiſſimos Dominos Cardinales, quas omnes Sanctitas Sua indifferenter abſque illarum inſpectione ſignavit.* Laudabile profecto eſt, quod de Leone X. in ms. Diario Paridis Graſſi legitur; Cardinalis ſiquidem Agenenſis, *quod Vicecancellarius podagratus venire non poſſet, impoſuit in manibus Papæ calamum, ſeu pennam ſcriptoriam, & ſimul cum Decano, & cum Priore Presbyterorum, ac Priore Diaconorum, qui jam erat Cardinalis de Farneſio, obtulerunt tanquam Papæ Capitula publica ſimul cum ſupplicattionibus aliquibus ſignandis, quæ ipſe accepit, & ex eis aliqua ſignavit;* quæ ſcilicet juſta cognovit, ut concederentur. Extant hac in re & aliorum Pontificum antiquiorum exempla, ſed illud tamen notabile eſt, quod de Benedicto XII. electo Pontifice anno MCCCXXX. ſcribit in ſuo Chronico ad annum MCCCXXXV. Albertus Argentinenſis: *Petitiones ſibi oblatas primo die poſt Coronationem recipere recuſavit; voluit enim noſſe conditionem perſonæ ſupplicantis, & ſummam redituum, & ſi impetrans ante fuerit beneficiatus.* Poſtridie nihilominus ſuæ electionis, ſeu die XXI. Decembris, in primo ſuo Conſiſtorio ante Coronationem habito, ut ait tertiæ ejus Vitæ Auctor, quem Raynaldus citat ſub nomine Ptolomæi Lucenſis, diſtribuit S. R. E. Cardinalibus centum millia Florenorum ad ſubveniendum eorum neceſſitatibus.

IX. Ceterum mos aliquando fuit, ut concordata electione Pontificis in unum quempiam, is ante publicationem ſupplicationes eidem a Cardinalibus porrectas ſignaret; teſtemque hujus rei habemus Burchardum, qui in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis, ubi agit de electione Innocentii Papæ VIII. ita §. CII. inquit: *Peracto prandio die Sabbati prædicta, vigeſima octava Auguſti factæ ſunt diverſæ practicæ, & tandem ſeptendecim, vel circa, Reverendiſſimorum Cardinalium vota addicta in favorem Cardinalis Melfitenſis, qui in nocte ſequente ante horam ſeptimam noctis incepit in camera ſua ſignare ad inſtantiam quorundam Cardinalium, genuflexus ſuper uno genu ſupplicationes in quodam forcerio ante ſe poſitas ſignabat, Cardinalibus aliquibus circumſtantibus, qui ſignaturas hujuſmodi petebant, & expectabant. Sic pervenit ad hæc Reverendiſſimus Dominus Senenſis, qui hujuſmodi videns ſubridendo dixit:* O pieſto va a roverſcio, il Papa ſta ſegnando in ginocchione, e noi che domandiamo, ſtiamo ritti.

§. XXXV.

Publicatio novi Pontificis.

Interim vero Prior Diaconorum, aperta Sacrarii feneſtrella, qua populus expectans videri poteſt, Crucem profert, alta voce clamans: *Annuncio vobis gaudium magnum. Papam habemus. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis N. electus eſt in Summum Pontificem, & elegit ſibi Nomen N.*

COMMENTARIUS.

I. TAndem, ut docet noſter §. *Prior Diaconorum, aperta Sacrarii feneſtrella, qua populus expectans videri poteſt, Crucem profert, alta voce clamitans; Annuncio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis N. electus eſt in Summum Pontificem, & elegit ſibi Nomen N.* Meminit ejus ritus Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Cajetano Capite I. quod inſcriptum eſt, *De pronunciatione nominis aſſumti per electum in Papam fienda Populo per Priorem Diaconorum Cardinalium, narrando modum electionis.* Tum vero ita inquit: *Cum autem prædictæ Romanæ Eccleſiæ fuerit de Paſtore proviſum, Prior Diaconorum dictam electionem Populo annunciat, dicens:* Si placet, ecce annuncio vobis gaudium magnum, *vel aliud thema, ſicut placebit; & narrat, quomodo concorditer, vel a duabus partibus Cardinalium per viam Scrutinii, Compromiſſi, vel Spiritus Sancti, de Collegio, vel extra Collegium, elegerunt, nominando, & laudando perſonam electi, & pronunciando nomen de novo aſſumtum.* Alia plane fuit antiquitus forma pronunciandi populo novum electum Pontificem, quam recenſet Radevicus Friſingenſis Lib. II. *De rebus geſtis Friderici I. Imperatoris*, Capite LXVII. ubi deſcribit Acta pſeudoconcilii Papienſis, quod Fridericus I. Im-

Digitized by Google

perator congregavit ad constabiliendam electionem pseudopontificis Victoris IV, contra Alexandrum III. legitimum Papam: *Scriniarius*, inquit, *secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamavit ad Populum, dicens*: Audite Cives Romani, & cœtus Reipublicæ, secunda feria Pater noster Hadrianus mortuus est, & proximo sequenti Sabbato Dominus Octavianus Cardinalis S. Ceciliæ in Romanum Pontificem electus, & immantatus est, & in Cathedra Beati Petri collocatus est, & Papa Victor est nominatus. Placet vobis? *Respondit magna voce Clerus, & Populus*: Placet. *Secunda, & tertia vice interrogatus Populus, si placeret, clara voce respondit*: Placet. *Deinde cum bandis, & aliis Papalibus insignibus Dominus Papa cum laudibus in Palatium deductus est.*

II. Quinam ritus servaretur Seculo XV. quo scilicet labente electus fuit Innocentius VIII. Papa, exponit in toties citato Cæremoniali Burchardus Cæremoniarius Apostolicus, ubi ita ait §. CV. *Interim Reverendissimus Dominus Cardinalis Senensis, depositis ex fenestrella Sacristiæ parvæ juxta Altare dictæ Capellæ existentis tegulis, sive materiis, quibus obturata erat, exposuit per eam Crucem populo ibidem in Curia Palatii congregato, & voce potenti exclamavit dicens*: Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reverendissimus Dominus Cardinalis Melfitensis electus est in Summum Pontificem, & elegit sibi nomen, Innocentius Octavus. *His dictis, omnis populus acclamavit, Campanæ Basilicæ Sancti Petri cum magna potentia pulsatæ sunt, & Scoppettarii custodiæ Palatii in triumphum sine intermissione scopettos oneratos emiserunt, quousque electus Pontifex, ex Basilica prædicta ad Palatium rediisset.* Electo quoque Leone X. ut ait in ms. Diario Grassus, & ducto *in parvam mansionem, quæ est latus Capellæ noviter, ac noviter ad hoc ordinatæ, & aperta ejus fenestrella, Cardinalis de Farnesio Crucem protulit, & novi Pontificis electionem indicavit cum tanto plausu, ut credibile vix sit.* Ostensionis Crucis factæ a Priore Diaconorum Cardinalium in proclamatione novi Pontificis, ante Burchardum, Grassumque meminit inter alios Æneas Sylvius in sua ad Fridericum III. Oratione, ubi post relatam Nicolai Papæ V. electionem, ita subjicit: *Exacta jam hora sexta, in nonam ferebatur dies; apertaque Conclavis fenestra, Cardinalis de Columna Prior Diaconorum Crucem Pontificalem emisit, creatumque Papam populo acclamavit.* Curiosum est plane, quod idem Auctor de ea re tradit: *Altus*, inquit, *erat locus, nec Cardinalis de Columna agnosci, nec vox bene exaudiri poterat. Exiit rumor, Cardinalem de Columna creatum Papam. Tum rupti repente cancelli. Ursini arma domi jam recepere, atque ad tuenda sua festinabant. Populus hilaris, quia Romanum habebat Papam, & Columnenses salutationibus, risibus, vocibusque gaudium exprimebant. Alii domum ejus prædæ exposuerunt. Ubi sedatus hic rumor est, Cardinalis quoque Capuani diripiunt domum. Atque inde agnita veritate, Bononiensis bona susceperunt, sed admodum pauca. Hoc pauperi beneficium est, quod pauca potest amittere.*

III. Sed his obiter dictis, quod ritum proclamandi novi Pontificis spectat, ut alia antiqua exempla omittam, teste Joanne Paulo Mucantio in suo ms. Diario anni MDXC. ubi describit Urbani Papæ VII. electionem, *Cardinalis Sfortia Prior Diaconorum Cardinalium in Conclavi existentium, accepta Cruce Pontificia, ascendit scalas, & per fenestellam, quæ respicit in Atrium post ingressum portæ magnæ Palatii, ubi populus, & Clerus tempore Sedis vacantis solet quotidie convenire, & expectare nuncium electionis, populo prædicto ostendit Crucem dicens*: Annuncio vobis gaudium magnum. Reverendissimus D. Joannes Baptista Castaneus Cardinalis S. Marcelli electus est in Summum Pontificem, & elegit sibi nomen: *Urbanus Septimus*. Porro post constructam a Paulo V. Basilicæ Vaticanæ porticum, super qua etiam pars Conclavis construitur, proclamari solet novus Pontifex ex lodia superiori, & eo quidem ritu, quem servari vidi in proclamatione ultimorum Pontificum. Prior siquidem Cardinalium Diaconorum stans in medio ipsius lodiæ bireto tectus, Cæremoniarum Magistro Crucem elevatam a sinistris tenente, multiplici populo adstanti schedulam legens dicit: *Annuntio vobis &c.* prolataque ea verborum formula, schedulam ipsam in populum projicit. Atque hic est ritus, cujus mentionem faciunt ms. recentiorum Cæremoniarum Apostolicarum Præfectorum Diaria. Sed hæc omnibus nota sunt, supervacaneumque est testimonia Auctorum describere. Ipsum autem ritum bis ipsi servatum vidimus, in electione scilicet Clementis XII. & BENEDICTI XIV. quem diu nobis Deus sospitem servet.

§. XXXVI.

De indumentis electi, & prima veneratione a Cardinalibus ei facienda.

His peractis, ducitur electus in Sacrarium, & a Diaconis Cardinalibus exuitur vestimentis communibus, quæ ex antiqua consuetudine cedunt Clericis Cæremoniarum, induiturque Papali habitu, Toga scilicet lanea albi coloris, caligis rubeis, sandaliis rubeis aurea Cruce ornatis, cingulo rubeo cum aureis fibulis, bireto etiam rubeo, & demum mundo, nitidoque Rochetto; deinde imponunt ei Amictum, Albam longam, Cingulum, & Stolam ornatam cum perlis pendentem a collo, si est Presbyter, aut Episcopus. Si autem esset Diaconus, Stola sit super humerum sinistrum in formam Diaconi. Si sit Subdiaconus, vel infra, non ponatur ei Stola; & ita indutum educunt, ac super prædictam Sedem rursus sedere jubent, ibique supplicationes complures signat. Demum, dum Cardinales depositis Croceis, & parvis Caputiis Cappas suas reassumunt, imponunt novo Pontifici Pluviale rubeum pretiosum, & Mitram auro, & gem-

Digitized by Google

& gemmis ornatam, illumque ſedere faciunt ſuper Altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os deoſculantes.

COMMENTARIUS.

I. FActa publicatione novi Pontificis, *ducitur electus in Sacrarium, & a Diaconis Cardinalibus exuitur veſtimentis communibus, quæ ex antiqua conſuetudine cedunt Clericis Cæremoniarum*. Hinc Paris de Graſſis Papalium Cæremoniarum Magiſter, Auctorque ms. Diarii Pontificatus Leonis Papæ X. qui aſſervatur Romæ in celebri Caſinatenſi Bibliotheca, ubi tractat de ejuſdem Pontificis electione, ritibuſque in ea ſervatis, ita ad rem inquit: *Nos ibidem tunc Pontificem Pontificalibus .... paravimus, & vetera veſtimenta ejus pro nobis Magiſtris Cæremoniarum retinuimus, ipſomet Pontifice contra Sacriſtam, qui ea recipere volebat, teſtificante ad nos pertinere, & ſic eadem habuimus*. Jam non modo veſtes Cardinalitias, quibus exuitur novus Pontifex, ſed & illius cellam, hujuſque ornamenta pertinuiſſe vel olim ad Cæremoniarum Magiſtros, tradit Æneas Sylvius in ſua ad Fridericum III. oratione, ubi ita inquit: *Quibus*, ideſt, Cæremoniariis Apoſtolicis, *poſt electionem lucro eſt cella novi Pontificis, & quod illic ornamenti eſt*. Porro docet in ſuo Cæremoniali Burchardus §. CXXIII. & ſequenti, Conclaviſtas electi Pontificis Innocentii VIII. Magiſtris Cæremoniarum, & ceteris Conclaviſtis omnia dimiſiſſe, quæ ad electum in Conclavi ſpectabant; multa tamen fuiſſe abſtracta *per particulares, quæ non fuerunt nobis Conclaviſtarum deputatis conſignata, nam campanellam, & pannum roſaceum, quibus Cardinales in Capella parva utebantur, accepit Abbas Sacriſta noſter invidia plenus, & ea Papæ conſignavit, ultra ea, quæ fuerunt abſtracta infraſcripta: taleæ argenteæ* III. *ſcutellæ argenteæ* V. *ſcutellini argentei* III. *tapetia* III. &c.

II. Exutus Pontifex veſtimentis communibus a Diaconis Cardinalibus, uti dictum eſt, *induitur Papali habitu, Toga ſcilicet lanea albi coloris, caligis rubeis, ſandaliis rubeis aureæ Cruce ornatis, Cingulo rubeo cum aureis fibulis, bireto etiam rubeo, & demum mundo, nitidoque Rochetto*. Munus jam olim fuiſſe Cardinalium Diaconorum induere veſtibus hiſce novum Pontificem, quæ aliquando eædem veſtes fuerunt, quas prædeceſſor Papa geſtaverat, docet nos Joannes Burchardus in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt obitum Sixti IV. Sic enim inquit §. CVI. de veſtibus quibus poſt ſuam electionem Innocentius VIII. immediatus Sixti Succeſſor indutus fuit: *Tum Sanctitas ſua intravit parvam Sacriſtiam, in qua a Diaconis Cardinalibus fuit omnibus ſuis veſtimentis exutus, & veſtibus Prædeceſſoris ſui Sixti Quarti indutus, quæ ibidem per Sacriſtam paratæ erant, videlicet camiſea diploide ex ſetonino albo, veſte ex ſargia alba fina, uno pari caligarum rubearum roſati, calcies ex panno roſato cum Crucibus deſuper in modum ſandaliorum, cingulo cremeſino cum fornimentis ex auro maſſiccio, Rochetto, Amictu, Alba, Cingulo, & Stola rubea pretioſa cum perlis*. De veſtibus hiſce ſupervacaneum eſt hoc loco diſſerere, notæ enim vel ſacrarum rerum tironi ſunt, de iiſque jam diſſeruimus nos Tomo I. Commentariorum in Romanum Pontificale. Siquis autem plura deſideret, legere poteſt Viri Clariſſimi Dominici Georgiis inſigne Opus, *De Liturgia Romani Pontificis*, Tomo I.

III. At vero ceteris veſtibus omiſſis, quod Sandalia Papæ ſpectat Cruce ornata, antiquus profecto eſt ipſorum uſus, uti inter alios pluribus probat eruditus Macrus in ſuo Hierolexico, verbo, *Sandalia*. Certe Romæ adhuc perdurant vetera ejus uſus monumenta, ut in Tribuna S. Praxedis a Paſchali Papa I. muſivo opere conſtructa, ubi ſeipſum pingi fecerat cum Sandaliis juxta illius ſeculi morem Cruciculis nigris in cuſpide eorum ſignatis. Claruit Paſchalis I. initio ſeculi IX. ideſt creatus Pontifex fuit anno DCCCXVII. Sed tamen conſtat, jam longe ante ipſum conſueviſſe Romanos Summos Pontifices geſtare Sandalia Cruce inſignita. Honorius ſiquidem I. creatus Papa anno DCXXV. cum inſtauraſſet Templum S. Agnetis in via Numentana, Cruciculam albam, ut adhuc videtur, in ſua effigie ad pedes impoſuit. Sic in S. Maria ad Fontem, quam Joannes IV. teſte Anaſtaſio extruxerat, adhuc duorum Pontificum effigies conſervantur cum Crucibus in cuſpide Sandaliorum. Electus hic Joannes Pontifex fuit anno DCXL. medioque ante ipſum ſeculo, ideſt anno DXC. quo ad Pontificatum evectus fuit S. Gregorius Magnus, idem in uſu fuiſſe perſpicitur ex effigie ejuſdem Pontificis a Joanne Diacono deſcripta in ejus Vita, & ab eodem Macro allata in citato Herolexico verbo, *Baculus*. Porro, ut alias demonſtrabimus, uſus oſculandi Pontificis pedes antiquiſſimus eſt, & propterea in ſignum humilitatis Crucem apponit Papa in Sandaliis, ad oſtendendam, quod talis reverentiæ actus non ſibi, ſed Cruci Chriſti exhibetur, ut inter alios docet Joſephus Stephanus in Libro, *De oſculo pedum Romani Pontificis*, Cap. XVIII. Forte ad evitandas hæreticorum calumnias, qui eum ritum improbabant apponendi Crucem in Papæ Sandaliis, cujuſmodi ſunt Novatores hodierni, Gelaſius II. qui creatus fuit Pontifex anno MCXVIII. in ſuis Sandaliis non Crucem, ſed tres clavos pingi curavit, ut in ejus effigie videre eſt allata ab eodem Macro, verbo, *Mitra*. Quicquid ſit, jam compluribus ab hinc ſeculis retinetur uſus longa conſuetudine probatus, ut Romani Pontifices Sandalia geſtent aurea Cruce ornata.

IV. Unum ſupereſt, quod de Sandaliis dicamus, mutatam ſcilicet eorum formam fuiſſe. Erat vetuſtus Sandalium uſus, ſicut modo a Regularibus diſcalceatis deferuntur, nimirum ex ſuperiori parte aperta, ut ex Rabano Mauro, *De inſtitutione Clericorum*, Capite XXII. habetur, ubi ita inquit: *Pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram; ideſt*, ita ſenſum ejus formæ myſticum exponit, *ut neque occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur*. Dignum notatu eſt, quod veteris Eccleſiæ diſciplinæ peritiſſimus, ac religioſus Cuſtos S. Carolus

Digitized by Google

rolus Boromæus, Parte IV. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis Parte II. Libro II. *Institutionum supellectilis Ecclesiasticæ*, de Sandaliis Episcopalibus docet: *Sandalia*, ait, *calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missæ Sacrum solemniter faciendum utitur, e solea integra subtus constent, a parte autem superiori decenter ornata: quæ fenestrata etiam superne olim fuisse, non sine mysterii ratione Innocentius III. Pontifex ostendit.* Plura jam nos de Sandaliis ipsis, sicut & de aliis vestibus sacris tum Episcoporum, tum ceterorum Ministrorum Tomo I. Romani Pontificalis, in Prolegomenis, & in decursu ejus Operis, tum etiam in Opusculo, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. diximus de quibus videri quoque possunt varii Scriptores, qui de divinis Officiis, ac ritibus Ecclesiasticis peculiares Tractatus ediderunt; sunt autem ii multi veteres æque ac recentiores.

V. His ergo omissis, ut alia in hoc §. nostro contenta nunc explicemus, induto novo Pontifice vestibus jam explicatis, *Domini Cardinales depositis Croceis, & parvis caputiis, Cappas suas reassumunt*, eas nempe, quæ Cappæ magnæ vocantur, seu longæ cum caputio, quibus non modo Cardinales, & Episcopi, sed & in multis Cathedralibus etiam Canonici, imo Romæ in Ecclesiis Patriarchalibus Beneficiati quoque utuntur, uti notat Macrius in Hierolexico, verbo *Cappa*, ubi etiam subjicit, differre Cappam Canonicalem ab illa Beneficiatorum in colore pelliculæ: *Nam Beneficiatorum est cinericii coloris, Canonicorum vero candidi armellini*. Sed & his omissis, Cardinales induti Cappis *imponunt novo Pontifici Pluviale rubeum pretiosum, & Mitram auro & gemmis ornatam, illumque sedere faciunt super Altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os deosculantes*. Pluviale vestis est Ecclesiastica a sola parte anteriori aperta ab humeris usque ad pedes protensa, eoque nomine appellatur, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius Lib. I. *De re vestiaria*, Cap. XXXIX. suspicatur. Et hinc forte emanavit, ut a parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod Caputium vocamus, cujus etiam quædam forma, seu vestigium in hodiernis Pluvialibus remansit, uti notat Joannes Cardinalis Bona Libro I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Numero XVII. Porro quamvis fileant de hoc indumento veteres Ecclesiasticarum rerum Scriptores, ejus tamen usum antiquitus viguisse Romani antiqui Ordines evincunt, cui suffragantur Lanfrancus Epistola XIII. ad Joannem Normannorum Archiepiscopum, & alii quos refert eruditus Saussajus, Parte I. *Panopliæ Sacerdotalis*, Lib. VI. Capite V.

VI. Adhibitum fuisse Pluviale, & quidem rubei coloris a novo Pontifice statim post suam electionem, ut nempe eo indutus ad Ecclesiam pergeret, ibique Cardinales, alioque ad pedis osculum reciperet, docet nos Romanus Ordo XII. Auctore Cencio Camerario sub Cælestino III. Papa, qui obiit anno MCXCVIII. Sic enim ille in citato ipso Ordine XII. Romano, Cap. XLVIII. de electo novo Pontifice agens ad rem nostram inquit: *Prior Diaconorum*, Cardinalium scilicet, *ipsum*, Pontificem nempe electum, *de Pluviali rubeo ammantat, & eidem electo nomen imponit; ipsumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant usque ad Altare, ubi prostratus adorat, Primicerio cum schola Cantorum, & Cardinalibus cantantibus*, Te Deum laudamus; *quo finito ab Episcopis Cardinalibus ad sedem ducitur post Altare, & in ea, ut dignum est, collocatur. In qua dum sedet electus, recipit omnes Episcopos, & Cardinales, & quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis.* Atque hic est ritus, qui servabatur olim ante Conclavis inventionem, recentiorque videtur esse mos ille, quem Patricii Cæremoniale præscribit, ut nimirum novum Pontificem faciant *sedere super Altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os deosculantes*. Ex citato siquidem Cencii Camerarii Ordine Pontifex jam non super Altare sedebat, sed *ad sedem* ducebatur *post Altare*, in eaque collocatus Cardinales alioque ad pedis osculum, & deinde ad osculum pacis recipiebat.

VII. Post Constitutionem Conclavis, ritus qui ibidem servari debuit ex præscripto Cæremonialis Romani jussu Gregorii Papæ X. estque apud Mabillonium Tomo II. Musæi Italici, Romanus Ordo XIII. Num. II. ubi agit de electo recens Pontifice, hic est: *Prior Diaconorum exuit eum Cappam, seu Chlamydem*, Crocea forte, de qua superius dictum est, *qua utitur, & ponit ei, si non habet, Albam Romanam*, Rochettum scilicet, *Camisiam, & Orarium ad modum Presbyteri super humeros, si est Presbyter; vel super lævam partem, si est Diaconus, & non in Presbyterii Ordine constitutus; & postea ponit ei Mantum, & dicit*, Investio te de Papatu Romano, ut præsis Urbi, & Orbi; *& tradit ei etiam Annulum, quo uti consueverunt Prædecessores ipsius, & ei Mitram competentem ipsi super caput imponit, & petens ab eo, quo nomine vocari velit, & ipsum eo nomine, quo ei placuerit, vocabunt*. Tum vero mox addit: *Quo facto, facit eum sedere in Sede, seu in Faldistorio, & depositis communibus calceis, si habentur rubea calciamenta Papalia, calciantur eidem; & sic Cardinales omnes per ordinem, primo Episcopi, secundo Presbyteri, tertio Diaconi veniunt coram eo flexis genibus; & idem electus ipsos ordinate ad pedem recipit, & ad pacis osculum, necnon & alios omnes Capellanos suos, & ceteros Clericos, & Laicos venientes ad ejus reverentiam, infimos, mediocres, & majores*. Eadem hæc legere est in Ordine Romano XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. X. ubi nec ulla quidem fit ejus ritus mentio sessionis Pontificis super Altare, ubi collocatus Cardinales, alioque reciperet ad osculum pedis, sed ea reverentia exhibebatur tunc temporis novo Pontifici induto quidem Pontificalibus insigniis descriptis, sed tamen sedenti non super Altare, sed *in Sede, seu in Faldistorio*.

VIII. Forte mos ille sedendi in Altari invaluit Seculo XV. Ut enim legitur Lib. I. Commentariorum Pii II. qui electus fuit anno MCDLVIII. electus ipse salutatusque Pontifex Maximus ab omnibus Cardinalibus, qui ejus electioni aderant, *priora exuit indumenta, & Albam Christi Tunicam accepit, & interrogatus, quo nomine vellet vocari*, Pio, *respondit, & mox Pius Secundus appellatus est; & juratis quibusdam Capitulis nudius tertius in Collegio editis, in Altari positus, rursus a Cardinalibus adoratus est, pedes ejus, & manus, & ora osculantibus, at-*

Digitized by Google

atque eo facto, publicata est Populo Pontificis electio ex alta fenestra, acclamatumque Pium Secundum Pontificem haberi, qui fuerat Cardinalis Senensis. Non ergo recens inventum Pontificum est, quod Novatores tantopere improbant, quod nempe Pontifex collocetur in Altari, ibique adoretur, sive, ut ei *Cardinales omnes reverentiam exhibeant per ordinem pedes, manus, & os deosculantes.* Neque enim ea adoratio cultus religiosus est, qui Deo, vel Sanctis exhibetur, ut perperam Protestantes calumniantur, quos egregie confutavit doctissimus Cardinalis Bellarminus Lib. III. *De Summo Pontifice*, Cap. XVIII. & sequentibus.

IX. Nugis hæreticorum calumniisque neglectis, quod nostrum ritum spectat, præter recitatum Æneæ Sylvii locum, jam ante hujus Cæremonialis ordinationem ab Augustino Patricio factam, ritus ipse, de quo agimus, servatus etiam fuit, ut alios omittam, in electione Innocentii VIII. ut testis est in suo Cæremoniali Burchardus §. CXVIII. ubi ita inquit: *Cardinales, depositis Croculis, & Capuccinis, acceperunt suas Cappas consuetas, cum Sanctitas Sua ..... surrexit de Sede prædicta, & impositum sibi fuit Pluviale rubeum simplex, & Mitra cum perlis simplex, non de pretiosioribus, a Cardinalibus positus ad sedendum supra dictum Altare in parva Capella; & eo sic sedente, singuli Cardinales venerunt ad reverentiam, primo Vicecancellarius, deinde alii suo ordine, osculantes primo pedem dextrum, tum manum, & os ipsius electi.* Quamquam juxta præscriptum nostri §. novo electo Pontifici *Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os deosculantes*, jam non ambos ejus pedes, manusque, vel post editionem nostri Cæremonialis deosculati sunt, verum *primo pedem, tum manum nudam, inde faciem ab utroque latere*, ut ait Grassus in suo ms. Diario enarrans electionem Leonis X. ubi etiam addit, multos Prælatos, & Oratores, qui jam eruperant, etiam pedem, & manum deosculatos fuisse. De unius pedis, manusque, ac oris deosculatione mentionem passim faciunt Cæremoniarii Apostolici sequioris ævi in mss. Diariis suis.

§. XXXVII.

Descensus novi electi ad Ecclesiam S. Petri, & ritibus ibidem servandis.

Dum hæc aguntur, portæ Conclavis omnes aperiuntur, repagula, murique ostiorum, & fenestrarum dejiciuntur; pulsantur Campanæ, & signa lætitiæ omnis generis eduntur. Pontifex novus, præcedente Cruce, & Cardinalibus ad Ecclesiam S. Petri descendit, & prostratus ante Altare sine Mitra aliquandiu orat, agitque gratias Deo, & Beatis Apostolis. Tum surgens, a Cardinalibus super Altare ad sedendum constituitur cum Mitra, & Prior Episcoporum genuflexus incipit, *Te Deum laudamus*, quem Hymnum Cantores prosequuntur. Interim Cardinales pedes electi, manus, & os deosculantur, servato ordine; quod & alii, qui adsunt Prælati, & Nobiles faciunt. Finito Hymno, idem Prior Episcoporum stans a cornu sinistro Altaris, ubi Epistola legitur, dicit super Electum, *Pater noster*; deinde, *Et ne nos &c. Sed libera &c.* Versus. *Salvum fac Domine Servum tuum Electum nostrum.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* Versus. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* Versus. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* Versus. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo N. Electo in Summum Pontificem, & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* His servatis descendit Electus de Altari, & versus ad Populum solemniter benedicit dicens: *Sit Nomen Domini benedictum.* Tum eodem ordine revertitur ad Cameram Papalem, & ibi quiescit, & Domini Cardinales revertuntur ad propria.

COMMENTARIUS.

I. DUm in Capella Conclavis veneratio novo Pontifici a Cardinalibus exhibetur, *portæ Conclavis omnes aperiuntur, repagula, murique ostiorum, & fenestrarum dejiciuntur, pulsantur Campanæ, & signa lætitiæ omnis generis eduntur.* Occurruut passim hæc signa lætitiæ in Vitis Romanorum Pontificum, sed non omittendus est tamen hoc loco abusus ille, qui diu viguit, spoliandi scilicet Cardinalis illius cellam in Conclavi, & in Urbe domum, qui electus in Summum Pontificem fuerat. Mentio plane fit hujus abusus in Commentariis Pii II. Libro I. pag. 31. ubi enim publicata est populo laudati Pii II. Papæ electio ex alta fenestra Conclavis, *tum qui erant in Conclavi Ministri Cardinalium, cellulam ejus spoliavere, atque argentum, quamvis erat modicum, & vestes, & libros diripuere, & domum ejus in Urbe vilissima plebs, atque infamis non expilavit tantum, sed disrupit, etiam marmoribus asportatis.* Fuisse addit & alios Cardinales affectos damno: *Nam suspenso in expectatione Populo, cum variæ voces jactarentur, & modo hic Cardinalis, modo ille diceretur electus, procurrere vulgus ad illorum ædes, ac rapinam facere, & Genuensis pro Senensi auditus partem substantiæ amisit.* Hinc teste Joanne Paulo Mucantio Papalium Cæremoniarum Præfecto in

Digitized by Google

in suo Diario ms. anni MDXC, ubi enarrat electionem Urbani VII. licet die xv. mensis Septembris circa horam XIV. concluſa fuiſſet memorati Papæ electio, *non fuit tunc publicata, ut commoditas daretur Conclaviſtis cuſtodiendi, & conſervandi bona Dominorum ſuorum, ne ſtatim publicata electione, fracto Conclavi, milites, & alii ingrederentur, & bona omnium dilapidarentur, ut ſolet evenire in ſimilibus.*

II. Hujuſmodi rapacitas in novi Pontificis electione, antiquus profecto, & frequens abuſus fuit, quem paſſim deplorant in ſuis mſs. Diariis Cæremoniarii Apoſtolici. Teſte Burchardo in ſuo Cæremoniali §. CXXIII. electo Innocentio Papa VIII. anno MCDLXXXIV. *Conclaviſtæ manſerunt in Capella majori*, ubi ſcilicet conſtructæ erant Cardinalium cellæ, *per eos ab intus clauſa, ne per armigeros, & Cuſtodes Palatii ſpoliarentur; & cameras Dominorum deſolarunt, ac bona colligarunt ad domos deportanda.* Ait mox, multa fuiſſe abſtracta de cella electi Pontificis, quæ alias ad ipſos Apoſtolicos Cæremoniarios ſpectabant. Quænam ea fuerint, diximus ſupra in Commentario ad §. XXXVI. Num. I. in fine. Ceterum ſubdit idem Burchardus §. CXXV. ipſum ejuſque ſocium vendidiſſe *totum Conclave, hoc eſt, lecticas, banchos, & ligna, quibus cameræ diviſæ erant, cuidam magiſtro de Petra ſancta Carpentario pro ducatis XIV. qui ſolvit tantum duodecim.* Atque hic nota, quam parva olim eſſet impenſa in conſtruendo Conclavi, cum alias hodie in immenſum excreverit, tum quia hodie majori commoditate, & magnificentia, ac olim res peraguntur, tum etiam quia tunc temporis paucior erat Cardinalium numerus.

III. Aperto Conclavi, & datis lætitiæ ſignis ob electionem novi Pontificis, ex præſcripto noſtri Romani Cæremonialis, *Pontifex novus, præcedente Cruce, & Cardinalibus ad Eccleſiam Sancti Petri deſcendit, & proſtratus ante Altare ſine Mitra aliquandiu orat, agitque gratias Deo, & Beatis Apoſtolis; tum ſurgens a Cardinalibus ſuper Altare ad ſedendum conſtituitur cum Mitra, & Prior Epiſcoporum genuflexus incipit*, Te Deum laudamus, *quem Hymnum Cantores proſequuntur*. Fere hæc concinunt priſco Ritui, quem deſcripſit jam olim Cæremoniale juſſu Gregorii X. Papæ editum, & deinde Romanus Ordo Jacobi Gajetani, Cap. X. ubi poſt narratam venerationem a Cardinalibus, atque ab aliis Papæ novo in Conclavi exhibitam, ita mox ſubjicit: *Quibus expeditis, Cruce præeunte Papali, ducitur proceſſionaliter a Cardinalibus, & a tota Curia ad Cathedralem, vel ad aliam majorem Eccleſiam loci, in quo eſt Curia, ſi locus, in quo eligitur, Civitas non exiſtit: in qua Eccleſia ad Altare ducitur, & ante ipſum Altare proſtratus orat diutius; & dum orat*, Te Deum laudamus, *ab omnibus Clericis ſolemniter decantatur*. Nulla in hiſce Ordinibus ſedendi mentio ſuper Altare, videturque hic primum ritus, uti dictum jam ſuperius fuit, Seculo XV. invaluiſſe; habemuſque ejus exemplum in electione Pii II. de quo illius Commentarii Lib. I. ita inquiunt: *Interim novus Præſul paululum cibo recreatus, in Baſilicam S. Petri ductus eſt, & in Ara majori collocatus, ſub qua jacent Beatorum Apoſtolorum Corpora, & paulo poſt in ſublimi Solio, ipſaque Apoſtolica Cathedra pro conſuetudine ſedit. Quo in loco tum Cardinales, & Epiſcopi, tum multi ex Populo ejus pedes exoſculati ſunt, & in Throno ſedentem Chriſti Vicarium adoraverunt.*

IV. Ritu laudabili conſuetudine comprobato ſolet novus Pontifex e Conclavi ad Baſilicam S. Petri deferri in ſella humeris hominum ſuſtentata, qui iccirco ſellarii dicebantur, ut notat Macrius in ſuo Hierolexico verbo *Sellare*, cujus vox occurrit paſſim in pervetuſtis Ordinibus Romanis a Mabillonio deſcriptis Tomo II. Muſei Italici. Perperam autem eam Novatores improbant, tanquam faſtus, ac ſuperbiæ notam Romani Pontificis. Conſtat enim, vel olim Epiſcopos in ſua ipſorum ordinatione fuiſſe in ſella aurea non jam a laicis, ſed & ab ipſis Epiſcopis deportatos; idque abunde oſtendimus noſtro I. Tomo Romani Pontificalis in Commentario ad §. XLV. Tituli XIII. Fuit hic præſertim Gallicanæ Eccleſiæ ritus, uti addiſcimus ex Eddio in Vita S. Walfridi Eboracenſis Archiepiſcopi, qui in Francia ordinationis munus conſequutus fuerat. Sic enim ille Cap. XII. inquit: *Ibique ſtatim conventio magna facta eſt non minus quam duodecim catholicorum Epiſcoporum, e quibus unus erat Egelberthus Epiſcopus, qui eum propter fidem ſuam indicatam in ſella aurea ſedentem more eorum ſurſum elevaverunt, portantes in manibus ſoli Epiſcopi intra Oratoria, nullo alio attingente, hymnoſque, & cantica in choro canentes.* Atque ut alia antiqua exempla omittam, viguit hic ritus Seculo IX. in Eccleſia Altiſſiodorenſi, ut patet ex Hiſtoria Altiſſiodorentium Epiſcoporum, Cap. XXII. ubi Geraunus delatus dicitur *humeris Religioſorum ad Aulam Primicerii Martyrum Chriſti Stephani.*

V. Laudandus ſane præ ceteris Benedictus XIII. qui, ut ſcribit in ejus Vita Alexander Borgia Archiepiſcopus Firmanus, Numero XVIII. electus Pontifex Maximus die XXIX. menſis Maji anni MDCCXXIV. *cum adveſperaſceret, ad Vaticanum Templum deductus, ubi primum ad ſacræ Baſilicæ limina venit, e geſtatoria ſella deſcendit, pronus oravit, & ſacra Limina non ſine lacrymis oſculatus eſt, ac nonniſi pedes ipſam Baſilicam ingredi voluit, in qua, geſtatoria ſella uti ex veræ humilitatis ſtudio recuſavit.* Idem referunt in ſuis mſs. Diariis Cæremoniarii Apoſtolici, inter quos ita ſcribit Philippus Pierſanctes: *Cum electus hora prima noctis perveniſſet ad portam principalem Eccleſiæ Vaticanæ voluit deſcendere*, e ſella ſcilicet geſtatoria, *ac in limine provolutus in genua, eo oſculato, preces effudit, ac pedibus ſuis ad Sacellum Venerabilis Sacrament reconditi procedens, preces in genuflexorio iteravit, Dominis Cardinalibus genuflexis hinc inde in ſcamnis pariter orantibus. Mox ante Aram maximam in infimo gradu ſupra pulvinare oblongum provolutus in genua ſimiliter oravit.* Digna hæc quidem notatu, ſed longe illa præſtantiora, & a pluribus ſeculis vix audita, quæ de eodem Pontifice in eodem ms. Diario leguntur, & nota alias plurimis ſunt. Non enim, uti mos eſt, Benedictus XIII. in medio Altaris collocari voluit, ad excipiendam aliam Cardinalium reverentiam, ſed *in cornu Evangelii ſupra idem pulvinare*. Atque hunc etiam ritum ſervavit, ubi electus Pontifex in Conclavi primum a Cardinalibus ſalutatus fuit cum deoſculatione pedis, manus, & oris, ſive amplexus: *Aſcendenſque per tres ligneos gradus, ru-*

Digitized by Google

rubro colore depictos, inquit laudatum ms. Diarium Pierſanctianum, *non ad medium Altaris, ut conſuetum eſt, ſed ad cornu Evangelii in eodem pulvinari*, ſupra quod ſcilicet provolutus in genua oraverat, *ſedit, Cardinales exceptuxus ad ſemipublicam venerationem, qui cum magna preſſura accedentes, nec Cappas præ multitudine populi explicare valentes, ante Electum genuflexi, pede, ac manu ſub auriphrigio deoſculatis, ad amplexum fuerunt elevati*.

VI. Extat & de hac re præclariſſimum ejuſdem Benedicti XIII. Pontificis teſtimonium in quadam Epiſtola, quam in modum Diarii de electione ſua ſcripſit, miſitque ad Eccleſiam ſuam Beneventanam, quam XXXVIII. annis rexerat. In ea autem Epiſtola ſic inter alia inquit: *Pontificalibus induti veſtibus in Altari in cornu Evangelii ſedimus. Nos ipſi hanc Altaris partem elegimus, nequid, quod Sanctorum Reliquiis, quæ in illius parte media collocatæ fuerunt, indecorum eſſe videretur, committeremus*. Loquitur de prima reverentia exhibita ſibi a Cardinalibus in Altari Capellæ Conclavis. Tum vero de alia, quam in Baſilica Vaticana excepit, ita ſubdit: *Hic item in Altari, ut factum prius fuerat, ſedimus*, in cornu ſcilicet Evangelii, *Hymnoque*, Te Deum laudamus, *Venerabili Fratre noſtro Cardinali Judice, qui prior erat Cardinalium, intonante, Cardinales omnes ad publicam adorationem excepimus*. Sed nec omittenda ea eximiæ ſuæ pietatis argumenta exibitæ deinde æneo Petri Principis Apoſtolorum ſimulacro: *Seorſum deinde ſacras veſtes exuimus, ac pedibus ad eam Templi partem contendimus, ubi Petri Principis Apoſtolorum ænea ſtatua eſt. Caput illius pedi noſtrum ſubjicimus, atque hunc ea, qua datum eſt, animi reverentia, ac religione oſculati ſumus*. Sed hæc ſatis ſint, tota enim Benedicti Vita, quam nos toto ejus Pontificatus tempore obſervavimus, inſignis ſanctimoniæ indiciis abundavit.

VII. Juxta noſtri Cæremonialis præſcriptum ſedente ſuper Altare, & quidem in ejus medio, ut jam uſus invaluit, novo Pontifice pretioſa Mitra ornato, *Prior Epiſcoporum genuflexus incipit*, Te Deum laudamus, *quem Hymnum Cantores proſequuntur*. Ex præſcripto Cæremonialis Gregorii X. cui concinit Ordo Romanus Jacobi Gajetani, non ſedebat quidem Pontifex ſuper Altare, dum Hymnus ipſe decantabaur, ſed *ante ipſum Altare proſtratus* orabat *diutius*, & dum orabat, Hymnus, *Te Deum laudamus*, decantabatur *ſolemniter ab omnibus Clericis*; videturque manſiſſe electus Pontifex in oratione uſque ad Benedictionem, quam idem poſt Canticum ipſum, & preces a Priore Epiſcoporum Cardinalium dictas, deſcendens de Altari, ut habet noſtrum Cæremoniale, Populo impertitur, dicens: *Sit nomen Domini benedictum &c.* Sic enim inquiunt memoratum Gregorii X. Cæremoniale, & Gajetani Romanus Ordo XIV. *Quo decantato, Prior Epiſcoporum dicit*, Pater noſter, *& ſuffragia conſueta, & orationem*, Omnipotens ſempiterne Deus miſerere Electo noſtro. *Qua finita, idem Electus ſurgit ab Oratione, & dicit*, Sit Nomen Domini benedictum, *& facit benedictionem; qua expleta, reverenter oſculatur Altare, & ut ordinate venit ad Eccleſiam, ſic redit ad cameram ſuam, & ſignando ſemper in eundo, & redeundo*. Ita plane habent citati Romani Ordines, in quibus præter primam factam Papæ a Cardinalibus, atque ab aliis pluribus in Conclavi adorationem, ſtatim ſcilicet poſt ejus electionem, nullius alius adorationis fit mentio in Eccleſia ad quam e Conclavi deſcendit; videturque iccirco introductus novus hic ritus Seculo XV. uti conſtat ex noſtro Cæremoniali, & ex Commentariis Pii II. cujus locum ſupra deſcripſimus. Sane ex noſtri ejuſdem Cæremonialis præſcripto, dum Cantores Hymnum *Te Deum*, proſequuntur, *Cardinales pedes electi, manus, & os deoſculantur, ſervato ordine; quod & alii, qui adſunt Prælati, & Nobiles faciunt*; oſculantes ſcilicet dumtaxat pedem Pontificis, deoſculatio enim manus, & oris illius a ſolis Cardinalibus, & Regibus fit. Facta nihilominus legitur hujuſmodi deoſculatio ab aliis inferioribus in electione Leonis X. de quo ita ſcribit in ſuo ms. Diario Graſſus: *Demum Oratores alii, & Prælati multi, & Familiares, & amici oſculati ſunt pedem, quibus ipſe Pontifex dedit & manum, & faciem*. Agit de reverentia exhibita Leoni ipſi Pontifici in Baſilica Vaticana. Fuitque ea peculiaris laudati Pontificis gratia.

VIII. Ex citatis præterea Romanis Ordinibus XIII. & XIV. *poſtquam redierit*, electus Pontifex, *ad cameram, deponit Pluvialem, & Mitram, & aſſumit rubeum Mantellum, & habere debet caligas de rubeo panno ſine pedulibus, & cum ſtafilibus, & infulam rubeam de ſcarleto, & poſtea parvos calceos de panno eodem, & calceos religioſos uſque ad medium de corio rubeo, & tunicas, & veſtes de ſcarleto, & deſuper pannos albam camiſiam, & erit ſubcinctus cingulo de ſerico rubeo ſuper camiſiam; & ipſa camiſia erit ita longa, quod elevata competenter ſuper ipſum cingulum reflectatur*. Variarum vocum, quæ in recitato hactenus loco occurrunt, explicatio videri poteſt apud Dufreſne in mediæ, & infimæ latinitatis Gloſſario, & apud Macrum in Hierolexico. Ceterum Caligæ, tibialia breviora ſunt, quibus in Pontificalibus utitur Epiſcopus, de iiſque, ac de aliis Epiſcoporum indumentis diximus jam non uno in loco, nempe in Commentariis ad Romanum Pontificale, & in Tractatu, *De Codice Sancti Evangelii &c.* itemque in Commentariis ad Cæmoniale Epiſcoporum, ubi ſe ſe nobis dedit occaſio. Teſte Ivone Carnotenſi in Sermone, *De ſignificatione indumentorum*, Epiſcopus, priuſquam ſandalia pedibus inponantur, *Caligis induitur uſque ad genua protenſis, ibique conſtrictis, quia Prædicator pedibus ſuis rectos debet facere greſſus, & genua debilia roborare*. Erant antiquitus caligæ Epiſcoporum coloris cærulei, ſive cæleſtis, ut tradit in ſuo Rationali Durandus Lib. III. Cap. VIII. At illæ, quibus Summus Romanus Pontifex utebatur, ex panno purpureo erant ſimul cum ſandaliis, in quibus ex corio ſignata erat puſilla Crux ex teſtimonio Cæremonialis Davrantiæ, qui anno MCCCXXV. floruit. Sed de hujuſmodi ſandaliis jam ſupra diſſeruimus, ſicut & de aliis Papæ indumentis in hoc Commentario. Non omittemus tamen, ubi ſe ſe nobis occaſio dederit, de iiſdem differere in decurſu noſtrorum Commentariorum ad hunc primum Cæremonialis Librum, & ad alios duos ſequentes, ut curioſus Rituum ſtudioſus, vel in hoc Opere earum rerum notitiam inveniat.

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

De electo extra Collegium.

Quod si electus esset aliquis extra Collegium, & tamen in Urbe, vel loco vicino, antequam Patres exeant e Conclavi, vocetur nomine Collegii ab aliquibus Prælatis, & introductus in Conclavi a Priore Episcoporum, intimetur ei electio, & requiratur ejus consensus; quo habito, omnia fiant, quæ de electo præsente superius dicta sunt. Si autem non consentiret, iterum ad novam electionem faciendam procedant. Si autem Canonice electus esset absens, ita quod per aliquos dies ejus præsentia haberi non posset; Patres publicata ejus electione, & destinata ad electum idonea Legatione, Conclavi exeant. Legati cum mandatis, & authenticis documentis nominato electionem insinuent, & consensum exquirant; acceptantem, Summum Pontificem salutent, & habitu Pontificali exornent, referantque Patribus; deinde reliqua peraguntur, ut novo electo, & Collegio videbitur. Si autem acceptare noluerit, iterum Domini Cardinales in Conclave revertantur ad novam electionem peragendam.

COMMENTARIUS.

I. TRansit mox nostrum Cæremoniale ad Electum extra Collegium, in Urbe tamen, vel loco vicino, & ait, quod *antequam Patres exeant e Conclavi, vocetur nomine Collegii ab aliquibus Prælatis, & introductus in Conclavi, a Priore Episcoporum intimetur ei electio, & requiratur ejus consensus; quo habito, omnia fiant, quæ de electo præsente superius dicta sunt*. Ubi longe a loco Conclavis abesset electus, jam alius servaretur ritus, fuitque mos olim, ut electionis Decretum ad ipsum electum a Cardinalibus mitteretur per aliquos Episcopos, duosque Apostolicæ Sedis Notarios, cui ille assensum præberet. Ita plane factum est, ubi anno MCCXCIV. ut aliqua exempla describam, post diuturnam, & pernicioſam Cardinalium dissensionem, qua annis duobus, tribusque mensibus, & die uno Ecclesia Summo Pastore orbata fuit, ut ait Pagius, creatus fuit Perusii Cælestinus Papa V. electionis siquidem Decretum ad ipsum Sulmone in Eremo degentem miserunt Cardinales *per Archiepiscopum Lugdunensem, Episcopos duos, duosque Apostolicæ Sedis Notarios*, uti Jacobus Cardinalis Stephanescus scribit in Præfatione ad Acta S. Petri Cælestini, Parte II. Num. XI. rogantes, ut assensum præberet, ac Perusium se conferre dignaretur. Renuit primum Cælestinus fugamque meditatus est; sed tandem precibus, & piis commonitionibus victus Pontificatum assumere acquievit. Aquilam itaque Aprutii Urbem se contulit; scripsitque ad Cardinales Perusii agentes, se ob æstatis fervorem longius progredi, non valente, venirent ut ipsi Aquilam, quod ibidem vellet consecrationis munus accipere: *In dicta Civitate Aquilæ*, inquit Petrus de Alliaco in ejus Vita Lib. II. Cap. XII. *vocato Cardinalium cœtu, Pater Sanctus in Festo Decollationis S. Joannis Baptistæ Coronam, aliaque Apostolica suscepit insignia*.

II. Præscribit quoque & illud noster §. ut *si Canonice electus esset absens, ita quod per aliquos dies ejus præsentia haberi non posset, Patres publicata ejus electione, & destinata ad electum idonea Legatione Conclavi exeant: Legati cum mandatis, & authenticis documentis nominato electionem insinuent, & consensum exquirant; acceptantem, Summum Pontificem salutent, & habitu Pontificali exornent &c.* Ita plane factum est in electione Gregorii Papæ X. anno MCCLXXI. Cardinales siquidem, qui jam tribus ferme annis inter se dissidentes fuerant, ubi tandem Kalendis Septembris memorati anni MCCLXXI. per viam Compromissi elegerunt Viterbii in Summum Pontificem Thealdum, vel Tedaldum, sive, ut alii scribunt, Thebaldum, Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, Virum sanctum, & extra Collegium Cardinalium, atque absentem, tuncque in obsequio Christi in Syria apud Ptolomaidem commorantem cum Eduardo primogenito Regis Anglorum, ubi expectabat tempus opportunum, ut Jerosolymam cum ceteris peregrinis proficisceretur: destinarunt statim Legationem ad ipsum renunciatum Pontificem, qua functi sunt nonnulli Religiosi Prædicatores, & Minores, ut ait Continuator Parisii, electionis litteras deferentes, quibus nunciatum ei voluerunt, delatum sibi Pontificatum, & rogatum, ut quantocyus Viterbium accederet. Legatos, & Cardinalium litteras accepit Thealdus Ptolomaide, ubi Decreto electionis admisso, mense Novembri e Syria navigio recessit, Brunduſiumque pervenit Kalendis Januarii anni MCCLXXII. Beneventum, deinde per Capuam, Marsos, & Sabinos iter faciens, pervenit tandem Viterbium IV. Idus Februarii, ut legitur in Ptolomeo Lucensi. Ceterum non annuisse Pontificem precibus Romanorum Legatorum, qui petebant, ut recto tramite Romam properaret, sed prius Viterbium processisse, constat plane ex ejusdem Litteris *datis Laterani II. Kal. Aprilis* ad Eduardum ipsum primogenitum Regis Anglorum in Syria existentem, apud Raynaldum ad annum MCCLXXII. Num. II.

III. Ceterum post diuturnam, ut dictum est, Cardinalium dissensionem, qua post obitum Nicolai IV. Papæ annis duobus, mensibus tribus, & die uno, Ecclesia mœrore afflicta, & Pastore orbata fuit, ubi demum fessi Cardinales Petrum Eremitam, seu Monachum de Murrhone cognominatum a Monte Murrhonis, quem ex solitu-

Digitized by Google

litudinis, & pacatioris vitæ desiderio inhabitabat, duobus passuum millibus a Sulmone Civitate distante, Romanum Pontificem renunciarunt, qui deinde Cælestinus V. dictus est, ad ipsum mox electionis Decretum miserunt *per Archiepiscopum Lugdunensem, Episcopos duos, duosque Apostolicæ Sedis Notarios*, ut Jacobus Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum aureum scribit in Præfatione ad Acta S. Cælestini, Parte II. Num. XI. rogantes, ut assensum præberet, ac Perusium, ubi electus fuerat, se conferre dignaretur. Franciscus Petrarcha Lib. II. *De vita solitaria*, Sectione III. Capite XVIII. scribit illum fuga se subducere meditatum, sed accurrentium populorum pietate ex ea retractum esse. Certe, ut notat in ejusdem S. Cælestini V. Papæ Vita Pagius, Num. IV. electioni de se factæ acquiescere recusasset, nisi ursissent preces Caroli Siciliæ Regis, & Caroli Martelli ejus filii pariter Hungariæ Regis, qui eo accurrerant, & Cardinalis Latini Sacri Collegii Decani, aliorumque, qui hoc unico remedio diuturnis, & maximis Christiani Orbis incommodis subvenire posse protestabantur, & magnis sacramentis superventurorum malorum rationem, nisi acceptaret a Deo decretum & missum Pontificatum, eum coram Supremo Judice redditurum, instanter inculcabant. Atque his victus precibus, & piis commonitionibus, Petrus Pontificatum demum assumere acquevit, dictusque est Cælestinus V.

IV. Denique, ubi Patres Concilii Basileensis, perperam exauthorato Eugenio Papa IV. die V. Novembris anni MCDXXXIX. renunciarunt Summum Romanum Pontificem Amedeum Sabaudiæ Ducem, qui in Ripalliæ nemore Monasterium construxerat, ibique cum decem aliis nobilibus Viris Eremiticam vitam agebat, uti jam diximus Tomo IV. Conciliorum in Historia Concilii Basileensis, in enarratione Sessionis XXXIX. delegerunt, deinde Legatos viginti quinque, quorum princeps erat Cardinalis Arelatensis, ut Acta Patriciana habent, qui cum Nunciis Civitatis Basileensis, & Nobilibus compluribus ad Amedeum profecti sunt, ut electionem ei præsentarent, illiusque consensum exposcerent juxta formam in Decreto Sessionis XXXVII. ejusdem Concilii statutam. Acquievit porro electioni Amedeus, metuens, ut dicebat, ne sic ad universalis Ecclesiæ, & Reipublicæ ministerium necessitate cogente vocatus, ipsius contradictionis reluctatio Divinam contra se indignationem provocaret. Ergo per laudatum Cardinalem Arelatensem, quo vocari vellet nomine, prout antiqui moris est, interrogatus, Felicis V. nomen duxit sibi eligendum, & chlamyde, caputioque, quibus tunc utebatur, depositis, professionem juxta formam Sessionis XXXVII. citati Concilii emisit, & propria manu subscripsit; qua peracta, ornamentis Papalibus eum induerunt, & ad Ecclesiam Monasterii S. Mauritii in prædicto Ripalliæ nemore constitutam solitis solemnitatibus processerunt. Insuper in Sessione XL. die XXVI. Februarii Basileæ habita Felicem V. pro vero Papa agnoscendum, eidemque soli sub censurarum pœna obediendum esse, decretum est, annullatis iis omnibus, quæ Eugenius IV. contra dixisset, vel edidisset. Sed hæc summa fuit audacia, temeritasque Basileensium Patrum, semper enim legitimus Pontifex fuit Eugenius, talisque ab Ecclesia agnitus; Felix vero V. inter pseudopontifices rejectus.

§. XXXIX.

Quid agendum ante Coronationem a novo Electo.

Ante Coronationem suam electus Romanus Pontifex Consistoria tenere non consuevit, neque Provisiones aliquas Ecclesiarum facere. Si tamen aliquo impedimento Coronationem diutius differre oporteret, & urgeret necessitas, Ecclesiis recte posset providere, & omnia, quæ essent pro utilitate Reipublicæ, peragere; & hoc tempore Bulla plumbea Litterarum suarum ab una tantum parte imprimetur, ubi sunt Capita Apostolorum; ab alia autem, ubi literæ sui Nominis imprimi solent, nihil erit. In principio, si prius erat Episcopus consecratus, scriberetur, *Innocentius Episcopus Servus &c.* ut alias. Si autem non esset consecratus Episcopus, scriberetur, *Innocentius electus Servus Servorum Dei*. In fine autem Litterarum, ante datam adduntur hæc verba: *Nec mireris, quod Bulla exprimens nomen nostrum non est appensa præsentibus. Nam ii, qui fuerunt hactenus electi in Romanos Pontifices, ante suæ Consecrationis, & benedictionis solemnia in suis bullandis Litteris modum hujusmodi observare consueverunt*. In data autem dicitur loco Pontificatus nostri, susceptι a Nobis Apostolatus officii anno primo.

COMMENTARIUS.

I. Ait hic præsens noster §. *ante Coronationem suam electum Romanum Pontificem Consistoria tenere non consuevisse, neque provisiones aliquas Ecclesiarum facere; si tamen aliquo impedimento Coronationem diutius differre oporteret, & urgeret necessitas, Ecclesiis recte posse providere, & omnia, quæ essent pro utilitate Reipublicæ, peragere*. Quid, & quotuplex sit Consistorium, ac de variis ad ipsum spectantibus dicemus nos infra suo loco, Titulo IX. hujus I. Libri Cæremonialis. Quantum vero ad illud, quod statuitur de provisionibus Ecclesiarum a Romano Pontifice faciendis ante illius Coronationem, cohæret plane Decreto Nicolai Papæ II. quod edidit Canone I. Romani Concilii, quod celebravit anno MLIX.

Digitized by Google

ubi agens de electione Papæ, sic inter alia inquit: *Plane postquam electio facta fuerit, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in Apostolica Sede juxta consuetudinem intronizari non valeat, obtinet auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius. Quod B. Gregorium ante suam ordinationem fecisse cognovimus.*

II. Pro majori loci hujus intelligentia tradit Baronius, & ex eo Pagius in Vita S. Gregorii Magni Papæ I. Num. III. post electionem novi Pontificis, curam Romanæ Ecclesiæ non electum Pontificem solum gessisse, sed quatuor simul Ecclesiæ Ministros Sacros; quod colligit ex Epistola Romani Cleri ad Scotos data, cum Sedes vacaret morte Severini Pontificis, electusque in locum ejus esset Joannes IV. anno Domini DCXL. sed nondum consecratus. Recitat eam Epistolam Beda Libro II. *Historiæ Gentis Anglorum*, Capite IX. ejusque principium est: *Dilectissimis & Sanctissimis Thomiano &c. Hilarus Archipresbyter, & servans locum Sanctæ Sedis Apostolicæ, Joannes Diaconus, & in Dei nomine electus, item Joannes Primicerius, & servans locum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Joannes Servus Dei Consiliarius ejusdem Apostolicæ Sedis.* Verum rerum gerendarum potestas, vacante Sede, fuit penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, nisi contingeret, ut ex illis tribus unus eligeretur Pontifex; tunc enim quartus substituebatur; & Archipresbyter, aut Archidiaconus, qui nomine Diaconi sæpe exprimitur, suum locum servabant, ut liquet ex laudata Epistola, in qua Joannes IV. Diaconus secundo tantum loco nominatur, licet Pontifex electus esset. Profecto si servare locum Sedis Apostolicæ jure electionis ei competiisset, primo loco nominatus fuisset. Electo itaque nihil fuit juris ad res gerendas, donec ordinaretur, ratione electionis suæ, nisi ante eam *inter servantes locum Sedis Apostolicæ* connumeratus fuisset.

III. Jam non modo vacante Sede, ipsi Archipresbyter, Archidiaconus, & Primicerius Notariorum, verum etiam absente Romano Pontifice Romanam Ecclesiam administrabant. Extat in Capite II. Libri Diurni Romanorum Pontificum, Titulo I. forma Litterarum ad Exarchum *de Transitu Pontificis* scribi solitarum, in qua hæc leguntur: *Domino excellentissimo, atque præcellentissimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus ministeriis feliciter conservando,* III. *Exconsuli Patricio, & Exarcho Italiæ,* III. *Archipresbyter,* III. *Archidiaconus,* III. *Primicerius Notariorum, servantes locum Sanctæ Sedis Apostolicæ,* ubi III. idem est, quod hodie apud nos N. cum scilicet locus nominis indicatur. Præterea S. Martinus Papa, qui electus fuit anno DCXLIX. in Epistola XV. ad Theodorum ait, in jussione a Calliopa Exarcha scriptum fuisse, quod ipse irregulariter, & sine lege Episcopatum surripuisset, & in Regiam Urbem transmittendus esset, *subrogato Episcopo, quod*, inquit S. Martinus, *nec dum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habet; quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis.* Porro animadvertit Garnerius in Notis ad citatum Titulum, Archidiaconum priore loco a Martino nominatum, cum tamen ille, tam in citata ad Scotos Epistola, quam in illa formula, secundo tantum loco recenseatur.

IV. Peculiare itaque privilegium fuit Sancti Gregorii Magni Papæ, quod Clero annuente res administraverit, licet nondum ordinatus esset. In Gregorium, inquit in ejus Vita Pagius, Num. V. veluti si confirmatus esset Pontifex, intenti omnium oculi erant, ut ab eo in tanta, in qua ob pestem ingruentem, calamitate erant, remedii aliquid acciperent. Quamobrem in tanta rerum, & temporis necessitate, Gregorius se pro Pontifice gessit in his dumtaxat, quæ ad expiationem Urbis spectarent, ad luem videlicet evertendam ob quam Prædecessor ejus Pelagius mortuus est. Litanias itaque generales indixit, atque Processiones publicas tam Cleri, quam Populi omnis ordinis, ac sexus. Cujusmodi Litaniæ *septiformis* dictæ ordo sic describitur in Sermone, quem tunc Gregorius ad Populum habuit, qui extat Libro XI. Registri Gregoriani Epistola II. ut per diversarum personarum varias classes, sigillatim ex diversis ipsis assignatis Ecclesiis procederent seorsum Clerici, Viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, feminæ conjugatæ, Viduæ, pauperes, & infantes. Præter has Litanias, seu Processiones, aliæ sunt Litaniæ, quibus Sanctorum invocatio continetur, quarum usum multo ante Gregorii Magni tempora viguisse probat Nicolaus Serarius Libro I. *De Litaniis*, Cap. IV. Quicquid sit de origine, & distinctione Litaniarum, notat & illud memoratus Garnerius, non modo fuisse peculiare Sancti Gregorii Magni privilegium, verum etiam *consequentium nonnullorum, quod Clero annuente res administraverint ante Ordinationem.*

V. Notat post alios & hæc eruditus Sandini in Vitis Romanorum Pontificum non uno in loco, præsertim vero in Notis ad Vitam Joannis Papæ IV. & Benedicti II. qui electus Pontifex fuit anno DCLXXXIV. Hic quod nondum ordinatus Epistolam scripserit ad Petrum Notarium Regionarium a Leone II. missum in Hispaniam cum Decretis sextæ Synodi, monens illum, ut datum sibi negotium conficeret, & ea quæ ab ipsa Synodo statuta fuerant, ab Hispaniæ Episcopis approbanda curaret, eique Epistolæ hanc inscriptionem præfixerit, *Benedictus Presbyter, & in Dei Nomine Electus Sanctæ Sedis Apostolicæ Petro Notario Regionario*, non obscure nos docet, quod & inter alios in ipsius Benedicti II. Vita notavit Pagius, Num. V. vel in ejus nempe electione, vel paulo ante desiisse morem illum, quem in S. Gregorio, & in Joanne IV. atque in S. Martino observavimus, vacante scilicet Sede Apostolica, vel absente Pontifice, Ecclesiæ regimen fuisse penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum. Cum enim tunc soli illi tres in inscriptionibus Epistolarum nominarentur, & adderetur Nomen Pontificis Electi, si unus ex illis tribus eligeretur, in hac Epistola solus Benedictus electus nominatur; quod certe clare manifestat, regimen Eccelesiæ non penes alios, sed penes ipsum solum resedisse, licet nondum esset Pontifex ordinatus, & consequenter morem illum vel in ejus electione, vel paulo antea desiisse. Benedictum quoque ipsum in favorem S. Wilfridi Eboracensis Episcopi Decretum edidisse, tum

Digitized by Google

tum, eum adhuc esset Romanus Pontifex electus, asserit Joannes VI. in Decreto absolutionis ejus apud eundem Pagium in illius Vita Num. VII. & Wilfridus ipse coram Synodo Romæ coacta apud Eddium ibidem laudatum Cap. XLVIII. *ut omnia*, inquit, *rectitudinis, pietatisque, quæ a Beatissimis Antecessoribus vestris S. Agathone, & electo Benedicto, & Beato Sergio unanimiter erga meam parvitatem decreta sunt, vos largiflua pietatis benevolentia confirmare dignemini.*

VI. Post Benedictum II. jam multa exempla occurrunt, quibus docemur, negotiis Ecclesiasticis se miscuisse Romanos Pontifices, licet nondum essent inaugurati. Rectissime id quidem factum est, excommunicatique sunt tandem, qui Litteras a Papa ante suam Coronationem concessas impugnabant. Testem hujus rei habemus Clementem V. Capite ultimo Libri v. Extravagantium comunium, *De sententia excommunicationis*, ubi ita inquit: *Quia nonnulli, prout accepimus, contra doctrinam, Apostoli suæ prudentiæ, quin potius imprudentiæ innitentes, ac disceptare super his, de quibus eis non expedit, satagentes, asserere non verentur, quod Summus Pontifex ante suæ Coronationis insignia se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispensationibus, & aliis gratiis faciendis, nec se in Litteris Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti Bulla, in qua Nomen exprimatur ipsius: Nos talium temeritates compescere cupientes, singulos, qui occasione hujusmodi aliquas Litteras nostras super negotiis quibuscumque confectas, quæ a Nobis ante donationis nostræ insignia emanarunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententia innodamus. Datum apud Pesecum Burdigalensis Diœcesis, anno II.* Hactenus Clementis V. Decretum, quod tamen Joannes de Selva in Tractatu, *De Beneficiis*, Parte I. Quæstione II. Clementi Sexto tribuit, ut notat Glossa marginalis in citata Extravagante.

VII. Est itaque in arbitrio Romanorum Pontificum, licet nondum consecrati sint, regimini Ecclesiæ se immiscere, & omnia quæ sunt pro utilitate Christianæ Reipublicæ, peragere. Est tamen laudabilis, ac vetus mos, ut, quousque inaugurati non sint, *Bulla plumbea Litterarum suarum ab una tantum parte* imprimatur, *ubi sunt capita Apostolorum; ab alia autem, ubi sunt litteræ sui Nominis, nihil extet.* Bulla plumbea est unum ex tribus sigillis, quibus, uti dictum superius fuit, utitur Romanus Pontifex Maximus, habetque ex una parte amborum Apostolorum Capita, quibus interposita est Crux, nti notat Macrus in Hierolexico verbo, *Annulus*; additque verbo, *Bulla*, errare Polidorum Virgilium, qui in Libro, *De inventoribus rerum*, asserit, Stephanum III. obsignare incœpisse in Bulla plumbea, conservari enim ait Macrus Aretii cum prædicto plumbo Bullam S. Silvestri Papæ, & in S. Angeli Arce de Urbe eodem modo reperiri Bullas Leonis I. Gregorii Magni, & aliorum Pontificum ex relatione Dominici Raynaldi olim ejusdem Archivi Custodis, qui etiam stylum plumbei sigilli a S. Sylvestro incœpisse opinatur. Agit & de eadem re Lupus Tomo VI. Operum editionis Venetæ in Romanum VII. Concilium S. Gregorii VII. ubi enarrat Decretum excommunicationis contra Henricum Regem latæ, eosque refellit, qui existimant Honorium II. Papam electum anno Domini MCXXIV. plumbeam Apostolicæ Sedis Bullam ornasse Capitibus utriusque Apostoli, nempe Petri, & Pauli; quia scilicet ante Honorium II. plumbo eis imaginibus ornato usus jam fuerat Urbanus II. creatus Pontifex anno MLXXXVIII. uti ex Privilegio, quod Bantino apud Apulos Monasterio dedit idem Urbanus, ad annum ipsum MLXXXXIII. docet Baronius: *Subsequebantur*, inquit, *subscriptiones, atque sigilla. Porro Pontificum signum, in quo Apostolorum nomina, & a tergo Imagines plumbo fusæ habentur, cum ejusmodi in extimo circulo inscriptione legitur,* Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi.

VIII. Testis est & idem Baronius ad annum MCIII. firmatum fuisse deinde Privilegium illud a Paschali II. additque mox: *Extat sigillum sub plumbo pendenti, in quo sunt effigies Beatorum Apostolorum Pauli & Petri ab uno latere, ab alio Nomen descriptum Paschalis Papæ Secundi; in sigilli autem crepidine circumcirca verba ista,* nempe, *Verbo Domini Cæli firmati sunt.* Quocirca, ut notat Lupus citato loco, primus harum Imaginum Author videtur fuisse Urbanus II. & ita mansit usque ad Paulum II. de quo in Citicensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius ad annum MCDLXIV. ita scribit: *Hic Papa plumbum contra morem mutavit.* Quæ verba exponit quidem historica incogniti compilatio apud eundem Lupum sic inquiens: *Paulus Secundus mutavit plumbeum Sigillum Papale. Nam antea semper duo Capita scilicet Petri & Pauli ex uno latere continebat, in alio autem latere nomen Papæ tantum; nunc vero stat in latere uno quasi Imago Papæ infulata coram populi multitudine, in alia duæ Imagines oblongæ Apostolorum Petri & Pauli.* Et de proximo ejus Successore Sixto IV. eadem compilatio rem ad pristinum ritum revocante ad annum MCDLXXI. eadem compilatio hæc habet: *Papa Sixtus statim resumsit Sigillum antiquum Papæ, scilicet duo Capita Apostolorum Petri & Pauli, quod suus Prædecessor Paulus,* nempe II. *mutaverat.* Etiam Clementem Sextum, quod quinque rosas, sua gentilitia arma Papali plumbo inseruerit contra morem suorum Prædecessorum, notavit Albertus Argentinensis. Ceterum, ut testatur Lupus, Clementem ipsum nullus Successorum fuit deinde imitatus. Teste Macro verbo, *Bulla*, hodie Papa Bullas expeditionum, & collationum in plumbo signat, sed cum hac differentia, quod expeditiones in forma, *Dignum*, ut ajunt, ex funiculo rubro, & flavo colore contorto plumbum pendet. Quod tandem antiquitus duo Fratres Cistercienses conversi ad cudendas Bullas applicati erant, hinc *Fratres plumbei*, seu *de plumbo* dicti fuerunt; testisque est idem Macrus, translato deinde eo munere ad homines seculares, eosdem in Processione cum aliis Cancellariæ Officialibus incedentes, habitum laicalem Cistercienſium gestasse.

IX. Est & denique antiquus mos ille, quem nostrum Cæremoniale recenset, ut nimirum electus Pontifex in principio Litterarum, si prius erat Episcopus consecratus, scribatur, exempli gratia, *Innocentius Episcopus Servus &c.* ut alias, *si autem non esset consecratus, scribatur, Innocentius electus Servus Servorum Dei.* Innocentius iste est Papa Innocentius VIII. cui hoc

Digitized by Google

Cæremoniale Auguſtinus Patricius nuncupavit, uti videre eſt apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici pag. 584. ubi legitur dedicatoria Epiſtola ejuſdem Patricii ad Innocentium VIII. Pontificem. Epiſcopi nomen reticendum eſſe a Pontifice nondum conſecrato, docent nos antiqua Romanorum Pontificum exempla, ac præſertim Benedicti Papæ II. exemplum a nobis ſuperius allatum, qui electum ſe appellavit initio Litterarum, quas ante ordinationem ſcripſit. Non conſueviſſe autem Pontifices ante conſecrationem nomen ſuum Bullis, ſeu Sigillis apponere, notat Spondanus ad annum MCCLXI. & poſt eum Pagius in Vitis Urbani Papæ IV. Numero V. Gregorii X. Num. IX. & Innocentii V. Num. I. Porro Gregorius ipſe dum Viterbii adhuc exiſteret, ad Philippum Francorum Regem Litteras dedit, *Viterbii IV. Nonas Martii, ſuſcepti a Nobis Apoſtolatus Officii anno* I. ex quibus conſtat, eum, antequam Romam pergeret, ut conſecraretur, miſiſſe ad laudatum Philippum Regem, Archiepiſcopum Corinthium, qui validiora Terræ Sanctæ ſubſidia ferre ſuaderet, a quo vigintiquinque millium marcharum argenti ad id operis accepit; ut etiam ex aliis ad Carolum Siciliæ Regem de eodem negotio ſcriptis per Patriarcham Jeroſolymitanum hortatoriis Litteris intelligitur. Quales & ad Venetos, Januenſes, & alios dedit, ipſeque exemplum ceteris præbens, ære Eccleſiaſtico qungentos conſcripſit milites, ac multos pedites, treſque triremes a Venetis conduxit, iis tranſmittendis.

X. Hæc omnia egiſſe Gregorium Papam X. antequam conſecraretur, diſerte exprimit Gregorius ipſe ad memoratum Philippum datis, quarum hoc eſt initium: *Gregorius electus Epiſcopus Servus Servorum Dei, &c.* Ex quo & patet quod & inter alios obſervavit Pagius citato loco, eum ante Conſecrationem, Gregorii nomen ſumſiſſe, licet in bullando Litteras, Gregorii nomen reticuerit; ſic enim Epiſtolam claudit: *Nec mireris, quod Bulla non exprimens noſtrum nomen, eſt appenſa præſentibus, quæ ante conſecrationis, & benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur; quia ſemper ii, qui fuerunt in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in bullandis Litteris, ante ſuæ conſecrationis munus, modum hujuſmodi obſervare.* Unde non dicit Epiſtolam datam anno Pontificatus primo, ſed *ſuſcepti a Nobis Apoſtolatus officii anno* I. Deſcriptam hactenus clauſulam Litterarum Pontificiarum, quæ datæ ſcilicet ſunt ante conſecrationem, non modo legere eſt in hujuſmodi Pontificiis Litteris, ſed & in aliis Cæremonialibus Romanæ Eccleſiæ, ac præſertim in eo quod juſſu Gregorii Papæ editum fuit, & in uno membranaceo exarato labente Seculo XIV. quod mihi commodavit litterarum bono natus pius æque ac doctus Venantius Philippus Pierſanctes Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter. Ipſum itaque Cæremoniale, ubi enarratur ritus ſervandus in electione Papæ, ſic inter alia inquit: *Idem vero Electus, in quocumque Ordine fuerit, ſi ſcribat aliquas Litteras ante ſuam conſecrationem, bullare faciat ipſas litteras cum illa parte Bullæ, in qua ſunt Capita Apoſtolorum ex una parte, ex altera vero erit plana, cum nondum ſit conſecratus in Papam; & in ſalutatione ſcribat nomen ſuum ſic*: N. Electus Servus Servorum Dei dilecto &c. ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem; *& addit in fine Litterarum ante datam*: Nec mireris, quod Bulla exprimens nomen noſtrum non eſt appenſa præſentibus, quæ ante conſecrationis & benedictionis noſtræ ſolemnia non tranſmittuntur; quia hi, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in bullandis Litteris ante ſuæ conſecrationis munus modum hujuſmodi obſervare; *& ponitur data in tali loco, x. Kal. Maji ſuſcepti a Nobis Præſulatus officii anno primo. Et Pœnitentiarii dicunt in data Litterarum ſuarum*: Datum &c. Anno primo Præſulatus Domini N. Papæ X. electi Romani Pontificis.

XI. Reliquum eſt, ut eum explicemus Titulum, quo initio Litterarum Romanus Pontifex uti ſolet; appellatur enim, *Servus Servorum Dei*. Sane poſt inſolentem illam Joannis Conſtantinopolitani Antiſtitis arrogantiam, qui ſe Œcumenicum Patriarcham nominabat, ut conſtat ex Epiſtola XXXIX. Libri IV. Regiſtri Gregoriani, ad Sabinianum Diaconum, Conſtantinopoli Sedis Apoſtolicæ Apocriſarium anno DXCV. data, S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus ſe ſemper Servum Servorum Dei inſcripſit, teſte Joanne Diacono in ejus Vita, Libro IV. Cap. LVIII. ubi ait, primo illum cœpiſſe ea formula in Epiſtolis ſuis ſe inſcribere, ut hanc etiam in Succeſſores transfunderet hæreditatem veræ Apoſtolicæ humilitatis: *Univerſalis vocabulum refutavit, & primus omnium ſe in principio Epiſtolarum ſuarum Servum Servorum Dei ſcribi ſatis humiliter definivit, cunctiſque ſuis Succeſſoribus documentum ſuæ humilitatis hæreditarium reliquit*. Hoc nempe perſuaſum habebat, perſuaſumque omnibus volebat maximus ſimul & humillimus Pontifex, veram Epiſcopi magnitudinem, totam eſſe in humilitate poſitam, nec aliud eſſe Epiſcopatum, quam divinam quandam ſervitutem, qua eorum ſervi Epiſcopi fierent, quorum viderentur eſſe Domini. Sacrilegum plane eſt, quod tartareo calamo ſcripſit impius Joannes Calvinus irridens Romanis Pontificibus, quod hi illum titulum, *Servus Servorum Dei*, a maledictione Chanaan acceperint, de quo inquit Scriptura Geneſeos, Cap. IX. *Maledictus Chanaan ſervus ſervorum erit*. Quod quantum ſit ſacrilegum, ineptumque, atque inſulſum dicterium, vel ipſi hæretici animadverterunt.

XII. Sed ut ad memoratum Romani Pontificis Titulum revertamur, cujus initium, ut dixi, Joannes Diaconus S. Gregorio Magno Papæ adſcribit, Epiſtolæ ipſæ Gregorii, prima Libri VIII. & prima Libri IX. ita quidem inſcriptæ ſunt: *Gregorius Servus Servorum Dei Romano Defenſori Siciliæ*; &, *Gregorius Servus Servorum Dei Innocentio Africæ Præfecto*. Ad hæc Beda Lib. I. Hiſtoriæ Gentis Anglorum, plures Epiſtolas refert, quibus Gregorius Laurentium Presbyterum, & Monachos in Angliam proficiſcentes commendat, in quibus ſe Servum Servorum Dei inſcribit. Capite enim XXVIII. ejuſdem Libri unam adducit inſcriptam Virgilio Epiſcopo Arelatenſi cum hoc titulo: *Reverendiſſimo, & Sanctiſſimo Viro Fratri Virgilio Epiſcopo Gregorius Servus Servorum Dei*. Hæc Epiſtola eſt LXIII. Libri IX. citati Regiſtri Gregoriani, in quo ſine illa inſcriptione refertur, ſicut & quædam aliæ a Beda recitatæ. Guſſanvillæus quidem in Notis ad Epiſtolam I. Libri

VIII.

Digitized by Google

VIII. ejuſdem Regiſtri, Romano Defenſori Siciliæ inſcriptam, dicit ſe dubitare, an nuncupatio illa, *Servus Servorum Dei a Gregorio ibi uſurpata fuerit*. Sed ut obſervat Garnerius in Appendice ad Notas Capitis I. Libri de Ordine Romano, nulla eſt in toto Gregorii Regiſtro Epiſtola, quæ non ſit a Collectore ſuis, quas haberet, ſolemnibus formulis ſpoliata; habuiſſe tamen omnes, vel ex eo uno apertum eſt, quod ad ſeculares viros, feminaſque, multæ datæ ſint, nec ulla tamen domini, dominæque nomen in epigraphe præferat, quamvis id nunquam omiſſum, Joannes Diaconus in ejus Vita aſſerat. Sed & laudatus Beda Capite XXIX. refert Epiſtolam ejuſdem Gregorii ad Auguſtinum Cantuarienſem Epiſcopum, quæ in Regiſtro Gregoriano eſt XV. Libri XII. & Capite XXX. Epiſtolam ad Mellitum, quæ in eodem Regiſtro eſt LXXI. Libri IX. in quibus etiam Gregorius *Servus Servorum Dei* ſe inſcribit, licet in eo Regiſtro ipſæ Epiſtolæ ea formula ſpoliatæ ſint.

XIII. Obſervat & hæc inter alios Pagius in Vita memorati Papæ S. Gregorii Magni, eſtque communis Scriptorum ſententia egregio teſtimonio Joannis Diaconi fulta, ipſum Gregorium fuiſſe primum qui e Romanis Pontificibus, eum titulum initio Pontificiarum Litterarum adhibuerit. Non diffiteor, S. Auguſtinum quoque jam longe ante Gregorium quibuſdam in Epiſtolis ſcripſiſſe ſe *Servum Servorum Dei*; ac deinde alios complures Epiſcopos idem feciſſe. At recte docet Thomaſſinus, Parte I. *Eccleſiæ diſciplinæ*, Libro I. Capite XI. hæc nihil obſtare, quin vere dixerit Joannes Diaconus, hæreditarium nomen, *Servus Servorum Dei*, a Gregorio in Romanos deinceps Præſules devolutum eſſe. Hæc quippe eſt Summæ Sedis prima gloria, quæ ſola humilitate exaltari poteſt, ut ſola humilitate exaltatus eſt Princeps Paſtorum Chriſtus in æternum Pontifex.

XIV. Quod illam demum formulam ſpectat, *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*, quam & initio Litterarum Romani Pontifices apponere conſueverunt; ſcribit quidem in ſuo Chronico Martinus Polonus, qui claruit anno MCCLXXVII. S. Cletum fuiſſe primum Romanorum Pontificum, qui in Litteris ea formula uſus eſt, *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*; quod etiam legitur in Breviario Romano juſſu S. Pii V. edito ad diem XXVI. Aprilis, quo idem Sanctus Papa colitur. Sed dubitant eruditi Viri, cum ſcriptum id primum fuerit a recenti Auctore, qualis eſt Martinus Polonus, habito reſpectu ad S. Cletum, qui, ut ajunt, creatus Pontifex fuit anno Chriſti LXXVII. nullaque extet Cleti Epiſtola, quæ faciat ejus rei fidem. Illa formula uti notat in laudati Papæ Vita Pagius, & poſt eum Sandinus, antiquior non eſt Seculo VII. quo in fine vergente, Joannes V. & Sergius I. ea uſi ſunt, ut conſtat ex eorum Reſcriptis a Mabillonio productis in ſuo Opere, *De re Diplomatica*, Lib. V. pag. 436. & Lib. VI. pag. 622. Ante Leonem IX. vel ſaltem Gregorium VII. *Formulam iſtam non fuiſſe ſtabili uſu receptam*, cenſet Daniel Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ad S. Cletum, Num. IV. & Joannes Garnerius Diſſertatione I. ad Librum Diurnum eorundem Pontificum, pag. 152. in qua Diſſertatione diſputat de inſcriptione Epiſtolæ, qua Summus Romanus Pontifex ad alios ſcriberet, & ad ipſum ſcriberetur.

DE ORDINATIONE, ET CONSECRATIONE NOVI PONTIFICIS

TITULUS II.

§. I.

De Promotione electi Pontificis ad Sacros Ordines, ſi illis careat.

Cæterum ſi electus in Romanum Pontificem non eſſet in Sacris Ordinibus conſtitutus, ut de Petro Moroneo Anachoreta, & de quibuſdam aliis Patrum noſtrorum memoria accidit, ſtatuta per eum die ante diem Coronationis, per aliquem Epiſcopum Cardinalem, vel alium, ſi magis placet, ordinetur, & ad omnes Ordines etiam Presbyteratum poterit in eadem die ſimul, vel interpellatis diebus promoveri, ut placuerit. In promotione autem hæc ſervabuntur. Convenient in loco, ubi Ordinatio fieri debet, electus Pontifex cum duobus Diaconis, & aliquibus Presbyteris Cardinalibus, Subdiacono, & Acolythis Apoſtolicis, & omnes convenientibus ſibi & tempori paramentis ornentur. Deinde Epiſcopus Conſecrator cum ſuis Miniſtris paretur; paretur etiam ante Altare credentia pro Conſecratore, & credentia pro Pontifice electo cum rebus opportunis ad Ordinationem.

§. II.

De electi Pontificis Ordinatione in Subdiaconum.

Electus ordinandus ad Subdiaconatum in Sede ſua in loco convenienti conſtituta primo lavet manus, tum ſupra Rochettum paretur Amictu, ita tamen ut poſſit imponi ſupra ca-

Digitized by Google

caput, cum tempus erit, Alba, & Cingulo, deinde Pluviale, quod post collum remittit, ut totum retro dependeat, tum Mitram accipiat tempori congruam. Cum omnia parata erunt, Electus accedit ad Altare, procumbet ad orationem sine Mitra, & surgens faciet Confessionem cum Ordinatore, deinde revertetur ad Sedem suam, & leget Introitum &c. ut alias; & Ordinator procedet in Missa more consueto usque ad Collectam ante Epistolam exclusive. Tunc Electus super Faldistorium procumbet sine Mitra, Ordinator autem in scabello ad ejus sinistram cum Mitra, & fiet Litania per Subdiaconum, & cum perventum fuerit ad locum consuetum, surget Ordinator, & benedicet Electum tertio dicens: *Ut Electum &c.* ut in Ordinario. Deinde iterum procumbet, & finietur Litania. Tum Electus sumta Mitra revertitur ad Sedem suam, & Ordinator accedet ad eum, & sedenti cum Mitra ipse stans dat Electo Calicem vacuum cum Patena, & mox urceolos cum vino, & aqua, bacile, & manutergium. Quæ omnia Electus tanget ambabus manibus, Ordinatore dicente: *Vide hujusmodi ministerium &c.* Deinde successive etiam cum Mitra Ordinator dicit: *Oremus Deum Patrem & Dominum nostrum &c.* Tum deposita Mitra dicit: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* Et interim etiam Electus surgit sine Mitra; & Ordinator prosequitur: *Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus &c.* Qua finita Oratione, Electus sedet sine Mitra, & Ordinator, accepta Mitra, imponit Amictum super caput Electi, dicens: *Accipe Amictum &c.* qui mox reassumit Mitram, & Ordinator imponit illi Manipulum in brachio sinistro, dicens: *Accipe Manipulum &c.* Tum surgit Electus, extrahitur sibi Mitra, & Pluviale, & Ordinator induit eum Tunicella, dicens: *Induat te Dominus veste &c.* Sedet deinde Electus cum Mitra, & Ordinator tradit illi Librum Epistolarum, dicens: *Accipe Librum Epistolarum &c.* Finita Ordinatione Subdiaconatus, si Electus non vult ulterius procedere, reassumit Pluviale, & finitur Missa more consueto.

COMMENTARIUS.

I. POtuisse jam olim in Romanos eligi Pontifices non modo Clericatu insignitos, sed & laicos homines, Christianos scilicet & Catholicos, & modo non essent irregulares, docent nos passim Scriptores Vitarum Pontificum, idque ipsum testantur conditores Ecclesiasticorum Annalium, ac præsertim eorum princeps Cardinalis Baronius. Docet inter alios eruditus Sandinus in Notis ad Vitam Joannis XIX. Papæ, primum hunc fuisse, qui *nullis Ordinibus sacris initiatus Pontificium munus suscepit*. Joannem Papam XIX. ante Pontificatum extitisse Episcopum Portuensem, scribit quidem in ejus Vita Ciaconius, sed sine dubio fallitur, nam Glaber Rodulphus Lib. IV. Cap. I. laudatus ad annum MXXIV. a Baronio, ita inquit: *Erat quippe Joannes iste cognomento Romanus, Frater illius Benedicti, cui in Episcopatum successerat, largitione pecuniæ, repente ex laicali Ordine neophytus constitutus Præsul; sed insolentia Romanorum hujusmodi adinvenit palliatæ subdolositatis ridiculum, scilicet, ut quemcumque pro suo libitu in præsentiarum ad Pontificatus Officium delegerint, mutato nomine, quod illi prius fuerat, aliquo magnorum Pontificum nomine illum appellari decernunt.* Quibus ex verbis constat, quod observat in ejusdem Papæ Vita Pagius Num. II. hunc Pontificem nomen mutasse, ac Joannem se appellasse, ac insuper ante Pontificatum adeptum, non fuisse Episcopum Portuensem, sed ex laicali Ordine ad Pontificatum assumtum; quod ultimum etiam testatur Hermannus Contractus in auctiori Chronico, Quæ res cum esset inaudita, nullum enim hujusmodi exemplum in electione Romanorum Pontificum præcesserat, Glabri animum forsan ita commovit, ut scripserit, Joannem *largitione pecuniæ* fuisse Pontificem constitutum; quod etiam Chronographus Virdunensis, seu Hugo Flaviniacensis Chronici Virdunensis Auctor, qui ineunte Seculo XII. floruit, litteris mandavit.

II. Sed quicquid sit de istius Pontificis electione, indubitatum profecto est illud, jam olim etiam Subdiaconos electos fuisse in Romanos Pontifices. Non desunt qui scribunt, Deusdedit Pontificem ex Subdiacono fuisse electum anno DCXV. In exemplari siquidem Anastasii, quo ad ipsum annum usus est Baronius, ita legitur: *Deusdedit filius Stephani ex Subdiacono sedit annos tres.* Ad quæ verba ita scribit: *Ut autem Subdiaconus Romanus Pontifex crearetur, nunc primum accidit, absque Majorum exemplo, ut plane in Clero magnas fluctuationes concitatas esse, sit argumento. Sed, ut, missis aliis, Deusdedit eligeretur, egregia id ejus sanctitas præstitit, qua mirifice inter tot tenebras illustratus emicuit.* Cum hucusque Viris doctis persuasum fuerit, Subdiaconos in Romanos Pontifices nunquam fuisse electos, ex editione Regia Anastasii, variisque ejus Codicibus mss. prædictus locus in hunc modum restitutus est: *Deusdedit ex patre Stephano Subdiacono*; itaut Deusdedit non fuerit Subdiaconus, sed Subdiaconi filius, ut in illius Vita notavit Pagius Num. II. & post eum Sandinus in Notis ad eandem Vitam. Verum cum ex Liberati Diaconi Breviario, Cap. XXII. constet, Silverium *ex Subdiacono* Romanum Pontificem dictum esse, anno scilicet DXXXVI. & Liberatus eo tempore, quo Silverius fuit electus, vixerit, incertum remanet, quænam ex illis duabus lectionibus sit præferenda; cum correctio prioris falso fundamento nitatur, lapsusque est in eo Baronius, quod asserit, Deusdedit fuisse pri-

Digitized by Google

primum Pontificem ex Subdiacono electum, cum, uti dictum est, jam longe ante hunc Pontificem Silverius Papa ex Subdiacono fuerit electus.

III. Porro veram esse existimo illorum sententiam, qui docent potuisse olim Subdiaconos in Romanos Præsules eligi, & quidem usque ad Pontificatum Stephani III. aliis IV. qui ejecto Constantino Antipapa, legitime fuit ipse electus anno DCCLXVIII. annoque sequenti, mense Aprili Romæ in Basilica Salvatoris juxta Lateranense Palatium Synodum complurium Episcoporum celebravit, in quo anathemate percussus est Apostolicæ Sedis invasor Constantinus, sancitumque Decretum coercendis affectantibus Pontificatum: *Tunc allatis sacratissimis Canonibus*, inquit Anastasius in Stephano III. *eisque liquido perscrutatis, prolata sententia est ab eodem Sacerdotali Concilio, sub anathematis interdicto, ne ullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio Ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad Sacrum Pontificatus honorem possit promoveri*. Provisum itaque est rationi, ac modo, quo posthac in Summi Pontificis electione libere procedatur, ex Presbyterorum scilicet Cardinalium, & Diaconorum itidem Cardinalium Ordine ille assumatur; itaut sub anathemate prohibitum fuerit, armata manu quemquam ingredi, ut libere Papa eligeretur, & canonico ritu omnia rite peragerentur. Ab edito memorati Stephani Papæ III. sive IV. Decreto, uti eruditi Auctores notant, ita demum Summus Pontificatus solis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus reservatus fuit, ut nullus alius ex alio Ordine eligi posset; antea enim etiam Subdiaconi eligi poterant, ut de Silverio, & Deusdedit Pontificibus dictum est. Ceterum quamvis triplex tantum Ordo Cardinalium apud probatos Scriptores reperiatur, fuerunt jam olim in Ecclesia Romana Subdiaconi Cardinales, uti videre est apud Ciaconium, aliosque in Vitis Pontificum, & Cardinalium. Certe apud ipsos legi potest Fridericus Lotharingius a Victore II. Cardinalatu donatus Cardinalis Subdiaconus nuncupatus, successitque deinde in Romanum Pontificatum Victori Papæ II. anno MLVII. dictusque est Stephanus IX. aliis vero X. Omitto alia id genus exempla, quæ videri possunt apud Panvinium, atque Ciaconium, itemque apud Jacobum Cohellium in Notitia Cardinalatus, Cap. VII. in fine.

IV. Itaque neglectum aliquando jam fuit memoratum Stephani III. Papæ Decretum, quo Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus Summum Romanum Pontificatum reservavit; ut enim superius dictum est, Joannes XIX. anno MXXIV. *ex laicali Ordine* repente constitutus Pontifex fuit. Sequioribus seculis ob Decretum Alexandri Papæ III. in Concilio Generali III. Lateranensi editum anno MCLXXIX. Can. I. Papæ electo a duabus partibus Cardinalium nulla exceptio opponi poterat, ut docet Fagnanus in Capite, *Licet* VI. *De electione &c.* ubi inter alia inquit, non posse excipi contra Electum, quod non sit de Collegio, licet Jura antiqua aliud viderentur innuere, vel quod Electus sit uxoratus, vel Monachus, ut notat Glossa in Canonem, *Siquis pecunia*, Distinctione LXXIX. & in Canone, *Quam sit*, Causa XVIII. Quæstione II. Varios gravesque in hanc rem Canonici Juris Interpretes adducit idem Fagnanus citato loco, ubi etiam egregie fuseque enarrat celebrem Gregorii XV. Constitutionem, de electione Romani Pontificis, de qua nos supra compluries loquuti fuimus. Neque enim recentissima hæc Constitutio impedit, quo minus Papa eligi extra Collegium Cardinalium possit, vel ex Ordine laicali; tametsi Sanctissimus Dominus noster Papa BENEDICTUS XIV. Lib. III. *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, Capite XXXIII. Num. XI. sapientissime animadvertat, congruum omnino esse, ut ex S. R. E. Cardinalibus Summus Pontifex desumatur. Id quod S. Antoninus in sua Summa, Parte III. Titulo XXI. Cap. II. §. VII. pluribus ostendere conatur, & inter alios monuit quidem Sixtus Papa V. in sua Constitutione I. ubi ita inquit: *Ex eorum corpore, numero, & Collegio ille ipse, qui cunctis Pastoribus est præficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur*.

V. Si veterem Romanæ Ecclesiæ disciplinam inspiciamus, mos olim fuit, ut ex veterum monumentis eo pertinentibus manifestum est, Diaconos sæpe electos fuisse in Summos Pontifices. Observat id profecto inter alios Paschasius Quesnellus in editione Operum S. Leonis Magni, qui ex Diacono S. R. E. electus Pontifex fuit, nempe compluries accidisse, ut Diaconi potius quam Presbyteri ad Ecclesiæ supremum regimen assumerentur. Primo, quia Diaconi Ecclesiæ res non temporales tantum, sed etiam spirituales penitius noverant; est enim Diaconus Episcopi oculus, & adjutor. Secundo, quia notiores erant omnibus Urbis ordinibus; cum enim omnia in potestate sua haberent, devinciebant sibi facile Clericorum animos, ac laicorum, ad quos olim spectabat suffragiis, bonisque testimoniis Papam eligere. Prævaluisse Romæ jam olim Diaconos, seseque supra Presbyteros extulisse sua paucitate inflatos, notavit non uno in loco S. Hieronymus, cujus loca enarrat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Capite XXIX. ubi etiam alias eorum arrogantiæ causas recenset, quia nimirum apud Episcopum plurimum poterant, multaque obibant munia Ecclesiastica, de quibus abunde nos alias loquuti fuimus, & in Commentariis ad Œcumenicas Synodos, & Tomo I. Commentariorum ad Partem I. Romani Pontificalis ad Titulum XI. qui inscriptus est, *De Ordinatione Diaconi*. Quicquid sit de ista Diaconorum potentia, & elatione supra Presbyteros, falsum profecto est, quod præter Quesnellum Mabillonius quoque, ac Pagius aliique Scriptores passim asserunt, invaluisse olim morem, ut Diaconi potius quam Presbyteri in Summos Pontifices eligerentur. Contrarium enim constabit cuique Romanorum Pontificum Vitas legenti.

VI. Quamquam vero compluries olim acciderit, ut Diaconi ad supremum Ecclesiæ regimen assumerentur, videndum tamen nunc illud est, an is, qui ex Diacono electus erat ad Pontificatum, omisso Presbyterii gradu, mox Pontifex ordinaretur. Sententiam affirmativam tuetur Mabillonius Tomo II. Musei Italici in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Capite XVIII. innixus testimonio Libelli II. Ordinis Romani, in quo, ubi de Romani Pontificis electione mentio fit, hæc leguntur: *Eligitur unus de*

Digitized by Google

de Cardinalibus de qualicumque Titulo fuerit; tantum ut a Prædecessore sit Pontifice ordinatus aut Presbyter, aut Diaconus. Nam Episcopus esse non poterit. At vero in ejusdem Electi consecratione nullum est discrimen electi Diaconi, aut Presbyteri, sed una eademque pro utroque præscribitur Ordinatio. Hanc conjecturam roborat primo laudatus Auctor exemplo Constantini contra Stephanum III. aliis IV. pro Pontifice se gerentis, qui cum ex laico a factiosis electus fuisset anno DCCLXVII. a Georgio Episcopo Prænestino primum Clericus, deinde altero die Subdiaconus, ac demum *adventante Dominico die rursum cum multitudine armatorum exercituum in Basilicam Beati Petri properans, Pontifex ab eodem Georgio Episcopo Prænestino, & aliis duobus Episcopis, Eustratio Albanense, & Citonato Portuense consecratus est.* Verba sunt Auctoris Vitæ Stephani III. Anastasio vulgo tributæ. Factus est autem Constantinus Clericus die XXVIII. Junii, die XXIX. ejusdem mensis Feria secunda Subdiaconus, & Diaconus, dieque tandem V. mensis Julii, quæ cum Dominica concurrebat, Pontifex Romanus consecratus est. Ex quibus constat, verum esse, quod plerique eruditi Viri docent, Pontifices Romanos ex Diaconis assumtos, per saltum ordinatos esse. In hac enim narratione, ubi memoratus Auctor summa cum diligentia omnem Constantinianæ intrusionis ordinem describit, nulla fit mentio Presbyteratus ipsi collati, quod indicio est, prætermissum prorsus ab eo fuisse. Verosimile quippe est, Constantinum eum Ordinem haudquaquam neglecturum fuisse, si necessarius extitisset, uti in ejus Vita notat Pagius, Num. 1.

VII. Forte quispiam intrusi Pontificis exemplo minus legitime hoc demonstrari posse existimet: sed ecce duo alia allata exempla ab eodem Mabillonio legitimorum Pontificum, Valentini, & Nicolai I. quorum ille anno Christi DCCCXXVII. ex Archidiacono, hic DCCCLVIII. ex Diacono electus, absque alia ordinatione Pontifices creati sunt; quod ex Anastasio manifestum est. Valentinianus quippe *statim a sua electione condignis gloriæ laudibus, & honoris plenitudine ad Lateranense Patriarchium deductus, & in Pontificali est positus Throno. Cujus ovanter ab omni Romanorum Senatu pedibus osculatis &c.* Postero die facta est Valentini consecratio in Basilica S. Petri, ut idem Auctor tradit, atque ideo inthronizatio consecrationem præcessit, ut, & contigit in Benedicto III. electo Pontifice anno DCCCLV. qui ante consecrationem inthronizatus fuit, eodem teste Anastasio in ejus Vita. Nicolaus vero Papa postquam in Lateranensi Basilica inthronizatus fuisset, *postmodum a Nobilibus, & Populo in Basilicam Beati Petri deductus, præsente Cæsare consecratus, Apostolicaque sublimatus in Sede factus est Pontifex, & Missarum solemnia super sacratissimum Corpus Apostoli celebravit*; ut idem Anastasius docet, qui nullam utrobique collati Presbyteratus Valentino, & Nicolao ex Diaconis ad Summi Pontificatus apicem evectis mentionem facit. Quod mirum videri non debet, quia fortasse, ut sentit S. Hieronymus in Epistola LXXXV. *in Episcopo & Presbyter continetur.*

VIII. Sed quicquid sit de hac sententia, quod olim Romæ per saltum Diaconi in Episcopos ordinarentur, omisso Presbyteratu, objecit quidem Photius adversus Romanos, estque ejus septima objectio, quam licet ex calumnia oriri asserat Ratramnus Photii confutator, eamque retorqueat in Adversarios, qui *ex laicis subito tonsis faciebant Episcopos contra Regulas Ecclesiasticas*, non diffitetur tamen facti veritatem Æneas Episcopus Parisiensis, qui claruit medio Seculo IX. respondetque, *quod forte illi, qui istiusce ordinationi assentiunt, hoc intelligi velint, quia qui benedictione Pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur; sive quia in consecratione Corporis Christi, & Sanguinis, officium Præsulis, ac Presbyteri mystice unitur. Sicut enim in terrarum Rege diversæ dignitates adscribuntur; nam Imperatores ex Consulibus creati, propter Regale commercium, quondam non omittebant, nec mutabant Consulis, & Patricii nomen; ita credi potest, quod in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis.* Tum etiam mox hanc ipse aliam conjecturam subjicit: *Forsitan autem illi, qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione Presbyterali, assertioni Beati Hieronymi loquentis ad Titum, ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio Episcopali.* Ex quibus liquet, Æneam admisisse id, quod Photius objiciebat, nempe quod tunc apud *Romam plerumque Diaconus quodam saltu, non percepta Presbyterali benedictione, in Episcopum subito consecraretur.*

IX. Quo vero tempore mos iste mutatus sit, non satis exploratum habetur. Putat Mabillonius in laudato Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. XVIII. *tempore intermedio Nicolaum Primum inter*, qui scilicet electus fuit anno DCCCLVIII. & *Gregorium VII.* qui creatus Pontifex fuit anno MLXXIII. *Ordinationem per saltum abrogatam fuisse in Ecclesia Romana*; additque, *id contigisse occasione Photii objectionum, quarum una erat, quod Romani per saltum Episcopos ordinarent.* Sed pace tanti Viri jam uno circiter seculo post Nicolaum I. electus fuit ex Diacono Benedictus V. anno scilicet DCCCCLIV. de quo Petrus Bibliothecarius in Vita Joannis XII. apud Papebrochium in Conatu Chronico-historico scribit, quod Romani *eundem Benedictum Diaconum in Romanum Pontificem* ordinaverunt, nulla facta Presbyteratus mentione. Continuator Reginonis ad annum DCCCCLXIV. asserit, Leonem VIII. antipapam e Pontificatu deturbasse Benedictum V. & tamen *ad preces Imperatoris, Diaconatus ei tantum gradu uti concessisse.* Ex quo conjectandi locus videtur, eum omisso Presbyteratu fuisse in Romanum Pontificem consecratum, nisi aliquo modo obstaret Luitprandus Ticinensis in Historia sui temporis Lib. VI. Cap. II. ubi postquam retulit depositionem Benedicti V. a Leone VIII. factam, hunc ita loquentem inducit: *Benedictum Sanctæ & Apostolicæ Sedis invasorem omni Pontificatus, & Presbyteratus honore privamus.*

X. Porro contrarius ritus, ut nimirum ex Diaconis electi ad apicem Romani Pontificatus, prius in Presbyteros, ac deinde in Pontifices ordinarentur, ut idem Mabillonius notat, jam invaluerat Seculo XI. quo tempore Hildebrandus Archidiaconus post Alexandri II. obitum anno MLXXIII. electus, *infra hebdomadam Penteco-*

Digitized by Google

tecoſtes in Presbyterum ordinatus eſt, & in Natali Apoſtolorum in Romanum Pontificem conſecratus, ut habent Acta ejus electionis. Unde ſub initio Seculi XII. Gelaſius II. ex Diacono electus anno Chriſti MCXVIII. non ante Pontifex conſecratus fuit, quam Presbyter ordinatus. Rem narrat teſtis oculatus nomine Pandulfus in Libro de Romanis Pontificibus, ubi narrato electi in Portum Cajetanum adventu, multorumque ad eum Epiſcoporum acceſſu, ita ſubdit: *In quorum præſentia idem Domnus Papa per manus Lamberti Oſtienſis, Petri Portuenſis, & Vitalis Albanenſis Epiſcoporum, cooperantibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis multis, aſſiſtentibus aliis Viris Religioſis, & cum Guillielmo Duce Apuliæ, Roberto Principe Capuano, Richardo de Aquila, aliiſque Baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt, exiſtente Clero, ac Populo infinito, Sancto dictante Spiritu, & effectus eſt Presbyter, & in Papam Gelaſius infra Kalendas Martii conſecratus, ubi Petrum Rufum Diaconum Cardinalem, Baronem, Subdiaconum, & me Pandulfum Oſtiarium, qui hæc ſcripſi, in Lectorem, & Exorciſtam promovit, & plures alios in minoribus gradibus ordinavit*. Ex his manifeſtum eſt, Gelaſium II. ut jam & de Gregorio VII. notavimus, ſeorſim accepiſſe Sacerdotii gradum ante Pontificatum. Atque ita tempore intermedio Nicolaum I. vel Benedictum V. inter & Gregorium VII. ordinationem per ſaltum abrogatam fuiſſe in Eccleſia Romana, ex dictis hactenus conjicere licet.

XI. Agens inter alios eruditos Scriptores & de Ordinationibus per ſaltum clariſſimus Edmundus Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo III. Num. IX. & X. nulla Pontificum Valentini, & Nicolai I. mentione facta, de quibus jam ſupra egimus, ſcribit Paulum I. electum anno DCCLVII. & Hadrianum itidem I. anno DCCLXXII. electum, videri etiam ex Libro Pontificali ordinatos per ſaltum, fuerant enim antea tantum Diaconi, & ante Gregorium VII. unicum exemplum adducit, quo conſtet, eam conſuetudinem jam abrogatam fuiſſe. Obſervat namque ex Leone Marſicano Libro II. Chronici Caſinenſis, Cap. XCVIII. Stephanum Papam IX. aliis X. electum anno MLVII. Alphonſum Salernitanæ Sedis electum ordinaturum, *in jejuniis Martii primo Presbyterum, deinde ſequenti Dominica Archiepiſcopum conſecraſſe, ac cum honore Salernum remiſiſſe*; ideoque non multo ante S. Gregorium VII. electum anno MLXXIII. qui primus ex Diaconis videtur eſſe, qui prius Presbyter, & poſtea Romanus Pontifex conſecratus eſt, ut habent Acta ejus electionis ſuperius allata, & uti non obſcure innuit Ordericus Vitalis Lib. VII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi ita de ipſo Gregorio VII. ſcribit: *Per ſingulos gradus Eccleſiaſticorum Ordinum uſque ad Summi Pontificatus apicem aſcendit*. Atque hæc ſunt quæ memorati Auctores docent de ordinatione per ſaltum aliquando Romæ uſitata; quod tamen negat eruditus Lupus Tomo III. Operum editionis Venetæ in Diſſertatione, *De Octava Synodo Generali*, Cap. v. quo enumerantur, ac refutantur Photii in Romanam, ac omnem Latinam Eccleſiam calumniæ, quarum nona ea erat, *Quod Diaconus non ſuſcepto Presbyteratus Officio apud nos Epiſcopus ordinetur*. Multa ſane in confutatione hujus calumniæ adducit Lupus, ſed nullam tamen exemplorum ſuperius narratorum mentionem facit, quæ opponi poſſent; quinimo ſine ulla hæſitatione ibidem affirmat, quicquid ſit de aliis Eccleſiis circa eum ordinandi abuſum per ſaltum, nullum adduci exemplum ex Eccleſia Romana.

XII. His notatis, devenio nunc ad ordinationem electi in Pontificem, qui quidem ex præſcripto Cæremonialis, Gregorii Papæ X. juſſu editi, ſive Ordinis Romani XIII. apud Mabillonium, Num. V. *in quocunque Ordine conſtitutus promovebitur ad majores Ordines ſecundum formam, qua alii ordinantur; hoc tamen ſalvo, quod ipſe Electus Amictu, & Alba indutus, & Cingulo ſubcinctus, cum Manipulo tantum, ſi eſt Subdiaconus; ſi vero eſt Diaconus cum Stola ſuper lævam partem, ſedebit in Faldiſtorio ſuo, tenens Mantum ſuum, Pluviale non indutum, ſed poſt collum, & Mitram in capite* (1) *tempori congruam, & ſic debet ordinari. Ordinator venit coram ipſo, & orationes debitas dicet, & alia faciet, quæ in Ordine, quem confert, fieri conſueverunt. Et attende, quod dum idem Electus ordinatur, Diaconus Cardinalis, & Subdiaconus Capellanus aſſiſtent ei in lavando manus, & induendo, ſicut alias fieri conſuevit, dum Papa celebrat, & erunt induti veſtimentis ſacris, & debitis, & eidem Electo poſtmodum duo debent aſſiſtere Diaconi Cardinales, qui ei ſerviant, ut eſt moris; & iſti etiam veſtibus ſacris congruis erunt veſtiti, etſi alii Cardinales cujuſcumque Ordinis non eſſent induti. Ordinator vero habebit ſuos Miniſtros, qui ei in Subdiaconi, & Diaconi habitu miniſtrent*. Eadem ſunt, quæ in ms. Pierſanctiano Codice leguntur correctius tamen, quam apud Mabillonium, qui Cæremoniale Gregorii X. ſeu Ordinem XIII. Romanum multis ſcatentem mendis deſcripſit.

XIII. Præterea ex ejuſdem Cæremonialis præſcripto, *Electo ad Ordinem ordinato, poſt ſuſceptum Ordinem, & veſtimentis Ordini debitis receptis, Mantum, ſive Pluviale, ſicut dictum eſt, poſt collum reaſſumet, & cum venerit ad horam* (2) *communicandi, Ordinatus ad ipſum Ordinatorem ad Altare venit, & Ordinator eum reverenter* (3) *communicabit; & ſic omnibus peractis, reverenter Miſſa expleta, ipſe Electus, dicet*, Sit Nomen Domini benedictum: *& facit benedictionem. Qua dicta, Ordinator ter dicit eidem Electo*, Multos annos, *flectendo genua coram eo, ut eſt moris, & altiori voce ſemper dicendo. Idem Electus nullum ſervitium in Altari faciet Ordinatori, nec Epiſtolam, nec Evangelium cantabit &c.* Atque hi ſunt Ritus, qui olim ſervabantur, ubi electus Papa nondum Sacris initiatus, ad aliquem Majorem Ordinem promovebatur, in cujus etiam Ordinatione quædam cæremoniæ omitti ſolent, quæ in aliorum Ordinatione præteriri nullatenus debent juxta præſcriptum Romani Pontificalis, quod jam nos in tres Tomos diſtributum abunde explicuimus. Porro quod Electus vel in Subdiaconum ordinatus, ſive in Diaconum, vel in Presbyterum, per ea verba, *Sit Nomen Domini benedictum*, adſtanti Populo benedicat, Ordinatorque ter eidem Electo genuflectens dicat, *Ad multos annos*, præſcriptum etiam habemus ex noſtro Cæremoniali a Patricio concinna-

(1) Apud Mabillonium legitur, *ipſo*. (2) Mabillonius legit, *coronandi*. (3) Legit idem, *coronabit*.

Digitized by Google

cinnato, uti videre est inferius in fine §. IV. *De Electi ordinatione in Presbyterum*.

XIV. His notatis, enarranda nunc quædam sunt, quæ nostrum hoc Cæremoniale præscribit, ac primum illud, ubi edicitur, ut si electus in Romanum Pontificem non esset in Sacris Ordinibus constitutus, *statuta per eum die ante diem Coronationis, per aliquem Episcopum Cardinalem, vel alium, si magis placet, ordinetur; & ad omnes Ordines, etiam Presbyteratum poterit in eadem die simul, vel interpellatis diebus promoveri, ut placuerit*. Quæ fuerit olim interstitiorum disciplina in Ordinatione servanda, jam abunde explicuimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum II. Non desunt tamen exempla vetera æque, ac recentiora, quibus docemur, uno eodemque die, & in unius celebratione Missæ collatos non modo Diaconatum, & Presbyteratum, verum etiam Episcopatum. Ita plane factum est IV. Christi Seculo cum S. Epiphanio, qui, ut legitur in ejus Vita apud Surium die XII. Maji, Pappo Episcopo professus Clericum se nondum esse ab eo nihilosecius uno die, unaque Missæ celebratione Diaconus simul, & Presbyter, & Episcopus ordinatus est: *Eum itaque ordinat Diaconum, & rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat Presbyterum. Rursus fit consequentia, & eum ordinat Episcopum*. Vox *consequentia*, Missæ continuationem significat; uti notat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Capite LXXXVI. Num. XV.

XV. Non ergo mirum, si Seculo XIV. Clemens Papa VI. Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum in Festo Natalis Christi ad singula Missarum solemnia Delphino Viennensi contulerit: *Hic Papa*, ita de ipso Clemente VI. in Annalibus suis ad annum MCCCLI. scribit Monachus Rebdorffiensis, *Humbertum Delphinum fecit Patriarcham Antiochenum, & in Festo Nativitatis Domini, quod fuit in Sabbatho, ipsum promovit ad tres Sacros Ordines. In prima Missa galli cantus ordinat ipsum in Subdiaconum, in secunda Missa ortus diei ordinat ipsum in Diaconum, in summa Missa in Sacerdotem; & eodem die ipse Delphinus Missam celebravit; & post octo dies ipsum Papa consecravit Episcopum*. Missam jam olim solemniter a Romano Pontifice dictam statim post ipsius consecrationem, docet nos Nicolai Papæ I. exemplum, de quo ita scribit in ejus Vita Anastasius: *A nobilibus, & populo in Basilicam B. Petri deductus, præsente Cæsare consecratus, Apostolicaque sublimatus in Sede factus est Pontifex, & Missarum solemnia super sacratissimum Corpus Apostoli celebravit*. Sed & illud etiam docet Innocentius III. quod *solus Pontifex Romanus, qui ante Hymnum Angelicum consecratur, & postmodum ipse Missarum solemnia incipit, & perficit consecratus, in die consecrationis suæ valeat Ordines celebrare*. Sed hæc insignis prærogativa est unius Romani Pontificis Maximi, sicut & illa, ut uno eodemque die possit ad Sacros Ordines promoveri præsertim ubi ipsa interstitiorum dispensatio reservata fuit Sedi Apostolicæ.

XVI. Quod vero tandem Ordinationem spectat electi in Papam, jam cautum est ex antiquis Romanæ Ecclesiæ Cæremonialibus, ut ipse electus *in quocumque Ordine constitutus promoveatur ad majores Ordines secundum formam, qua alii ordinantur, hoc tamen salvo, quod ipse electus Amictu, & Alba indutus, & Cingulo subcinctus, cum Manipulo tamen, si est Subdiaconus; si vero est Diaconus, cum Stola super lævam sedebit in Faldistorio suo tenens Mantum, sive Pluviale non indutum, sed post collum, & Mitram in capite tempori congruam; & dum debet ordinari, Ordinator veniet coram ipso, & orationes debitas dicet, & alia quæ in Ordine, quem confert, fieri consueverunt*. Tradit hæc in suo ms. Cæremoniali Bruno Joannes Davantrias, quod mihi humanissime commodavit præstantissimus Præsul Ignatius Reali primus Apostolicarum Cæremoniarum Præfectus. Sed nec omittendum, quod idem Cæremoiale post docet: *Et attende*, inquit, *quod dum idem Electus ordinatur, Diaconus Cardinalis, & Subdiaconus assistent ei in lavando manus, & induendo, sicut alias fieri consuevit, dum Papa celebrat, & erunt induti vestimentis sacris debitis, & eidem Electo postmodum duo debent assistere Diaconi Cardinales, qui ei serviant, ut est moris, & isti etiam vestibus sacris congruis erunt vestiti, alii Cardinales cujuscumque Ordinis non erunt induti. Ordinator vero habebit suos Ministros, qui ei in Diaconatu, & Subdiaconatu, & aliis ministrent*. Eadem leguntur in Codice Piersanctiano.

§. III.

De Promotione ad Diaconatum.

Si vero placuerit ad Diaconatum procedere, Ordinator apud Altare in suo Faldistorio prosequitur Collectam diei cum oratione pro Ordinando sub eodem *Per Dominum*; & dicetur Epistola suo ordine. Qua finita, si Electus ante electionem erat Subdiaconus, paretur in principio, sicut diximus, addito Manipulo, & finita Epistola procumbat in Faldistorio, & fiet Litania, ut diximus. Si autem tunc ordinatus est, finita Epistola surgat, & deponat Tunicellam, & iterum sedeat cum Mitra, & Pluviali a collo; Ordinator autem ad eum accedit, & stans cum Mitra dimissis aliis rebus dicit: *Oremus dilectissimi Deum Patrem Omnipotentem &c.* Et cum pervenerit ad *Per omnia sæcula*, in Præfatione, deponit Mitram, & prosequitur Præfationem usque ad eum locum, ubi dicitur, *& quæ sunt agenda concedere*, tunc Electo sine Mitra sedenti imponet ipse solus dexteram manum super caput, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* Deinde prosequitur Præfationem usque in finem. Tunc depositio Pluviali, & Mitra ab Assistentibus, Electo stanti Ordinator cum Mitra ponit illi Stolam super humerum

Digitized by Google

merum ſiniſtrum dicens; *Accipe ſtolam candidam &c.* Deinde induit eum Dalmatica, dicens: *Induat te Dominus &c.* Et mox tradit illi ſedenti Evangeliorum Librum dicens: *Accipe poteſtatem &c.* Quo facto, Electo ſine Mitra ſurgente, Ordinator depoſita Mitra verſus ad Altare dicit: *Oremus*, Et Miniſtri: *Flectamus genua &c.* Et ipſe proſequitur verſus ad Electum: *Exaudi Domine &c.* &, *Domine Sancte Pater &c.* His completis, ſi noluerit ad ulteriora procedere, Miſſa ſuo ordine finitur. Si autem ad Presbyteratum tunc erit promovendus, Ordinator revertetur ad ſuum Faldiſtorium, & leget Graduale, & *Alleluja*, ſive Tractum; & poſtea procedet ad Ordinem Sacerdotalem, ut ſequitur. Quod ſi Electus erat prius Diaconus, parabuntur omnia, ut ſupra, & ipſi addetur Stola ſuper lævam in formam Diaconi.

COMMENTARIUS.

I. PRæter pauca quædam, quæ, uti ſuperius notatum fuit, in Ordinatione electi Papæ ad majorem aliquem Ordinem omittuntur, jam cetera peraguntur ſicut in aliorum Ordinationibus, juxta præſcriptum Romani Pontificalis. Certe, ut mandat Cæremoniale Gregorii Papæ X. juſſu editum apud Mabillonium, Tomo II. Muſæi Italici, Ordinandus Papa *electus nullum ſervitium in Altari faciet Ordinatori, nec Epiſtolam, nec Evangelium cantabit, nec ante receptionem Ordinis Diaconatus dicetur illa poſtulatio*, Poſtulat Mater Eccleſia &c. *Illa petitio non eſt neceſſaria in Papa, quia ſcimus, per omnia eſſe dignum; nec etiam cum promovetur ad Ordinem Presbyterii, eadem poſtulatio dicetur*. Plura quæ & ad hunc Commentarium ſpectant, videri poſſunt in Commentario ſuperiori, ubi attulimus locum ms. Cæremonialis Joannis Davantriæ. Ceterum de ritu ordinandi Diaconum, jam fuſe diſſeruimus nos Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XI.

§. IV.

De Electi ordinatione in Presbyterum.

Electus Pontifex in Ordine Diaconatus exiſtens, cum ad Presbyteratum voluerit ordinari, parabitur, ut ſupra diximus, & in Miſſa procedetur uſque ad *Alleluja*, ſive Tractum excluſive, ut prædictum eſt, & tunc Pontifex electus paratus Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola in modum Diaconi, & Pluviali a collo retro pendente, procumbit ſuper Faldiſtorium ad Litaniam, ſi non eſt facta; & illa, ut præmiſſum eſt in Subdiaconatu, finita, revertitur ad Sedem ſuam; Ordinator vero cum Mitra ad Electum ſedentem accedens manus ambas ſuper Caput Electi detectum imponit, nihil dicens; & idem faciunt omnes Epiſcopi, ſive Presbyteri Cardinales præſentes, accedentes tamen cum reverentia, & detectis capitibus. Deinde Ordinator ſtans cum Mitra, extenta manu ſuper Electum ſtantem dicit: *Oremus Dilectiſſimi Deum Patrem Omnipotentem &c.* ut in Ordinario. Deinde depoſita Mitra, *Oremus*; Miniſtri, *Flectamus genua*, *Levate*; & rurſum, *Exaudi nos quæſumus Domine*; & in fine expanſis manibus dicit Præfationem, *Per omnia ſæcula ſæculorum &c.* uſque in finem. Deinde deponitur Pluviale Electi, & Ordinator accedens cum Mitra reflectit Orarium electo ante pectus in modum Crucis: *Accipe jugum Domini &c.* Et mox imponit illi Caſulam ad ſcapulas a parte anteriori pendentem dicens: *Accipe veſtem Sacerdotalem &c.* Poſt hæc, depoſita Mitra Ordinator ſuper Electum dicit: *Deus ſanctificationum omnium Auctor*; & finita Oratione, genuflexus ad Altare incipit Hymnum, *Veni Creator Spiritus*; & ſimiliter Electus genuflexus; & dicto primo verſu ſurgit, & alii proſequuntur; ipſe vero Ordinator accedit cum Mitra ad Electum ſedentem etiam cum Mitra, & inungit ei ambas manus de Oleo ſancto Catechumenorum, producens cum pollice ſuo intincto duas lineas a pollice dextræ manus Electi ad indicem ſiniſtrum, & a pollice ſiniſtro ad indicem dextrum, & mox palmas, & reliqua intus perungit dicens: *Conſecrare, & ſanctificare &c.* Manus Electi ita perunctæ, una ſuper alteram ponuntur, & in mappula a collo pendente, ut fit in Epiſcopis, reponuntur. Tunc Ordinator deterſo aliquantulum digito cum mica panis, tradit in manus Electi Calicem cum vino & aqua, & Patenam cum Hoſtia, quæ omnia Electus tangit, Ordinatore dicente: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium &c.* Quibus peractis, Electus in Sua Sede, & Ordinator in ſuo Faldiſtorio lavabunt manus cum mica panis & aqua. Deinde legatur Evangelium more ſolito, & Liber offeretur oſculandus Electo. Tum Ordinator dicit: *Dominus vobiſcum*, & Offertorium; & mox accedet ad Electum ſedentem cum Mitra, & ipſe ſine Mitra accipiat de ejus manibus offertorium,

Digitized by Google

intorticia accensa, panem, & vinum, ut est moris; & per singula osculatur manum Electi offerentis. Post hæc revertitur Ordinatus ad Faldistorium, & iterum tam ipse, quam Electus lavant manus, & statim intrant ad Altare. Electus accedit ad cornu Altaris, ubi dicitur Epistola, & Presbytero Cardinale ministrante, & serviente de. Libro, stans sine Mitra, voce submissa omnia dicit cum Ordinatore, & cum ipso concelebrat, signando, & etiam verba Consecrationis cum ipso proferendo, non tamen movet se de loco suo usque ad Communionem, & proceditur in Missa in omnibus, ut consuetum est; & post Secretam de die dicitur Secreta pro Ordinato sub eodem, *Per Dominum*. Postquam Ordinator sumserit sacram Eucharistiam, & partem Sanguinis Christi cum particula Corporis, quæ erat intus, communicet Electum stantem in ipso cornu de Corpore, & Sanguine Christi, & postea ambo purificentur cum vino, ut eis placuerit. His peractis, Electus revertitur ad Sedem suam cum Mitra, & Ordinator cum Mitra lavat manus. Deinde accedens ad Electum, stans sine Mitra dicit super Electum stantem sine Mitra Responsorium: *Jam non dicam vos servos &c.* Quo finito, Ordinator imponit ambas manus super ejus caput dicens: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseritis &c.* Et mox explicat Casulam, quæ in scapulis erat Electi, dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus.* Quibus finitis, imponitur Mitra Electo. Et tam Ordinator, quam alii Cardinales, & Prælati assistentes recipiuntur ad osculum manus, pedis, & oris Electi. Post hæc Ordinator redibit ad Altare, & perficiet Missam cum Oratione pro Ordinato; & dicto, *Ite Missa est*; vel, *Benedicamus Domino*, Electus Crucem ante se habens, stans sine Mitra in medio Altaris benedicet omnibus, dicendo: *Sit Nomen Domini benedictum &c.* Et mox Ordinator sine Mitra accedens versus Electum tertio genuflectens cum distantia convenienti ter dicet: *Ad multos annos*; & solus recipietur ad osculum oris; & sic expleta Ordinatione exuet se vestibus sacris cum orationibus consuetis. Et hic modus de benedictione, &, *Ad multos annos*, servatur etiam, si Ordines acciperet in pluribus diebus sigillatim.

COMMENTARIUS.

I. EAdem fere hæc sunt, quæ olim jam plenius luculentiusque statuerat Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum, ubi nempe ritum describit ordinandi electi Papæ in Presbyterum. Postquam enim edixit, in ea Papæ ordinatione omittendam esse postulationem illam, quæ in Romano Pontificali legitur in Ordinatione Diaconorum, Presbyterorumque, *Postulat Mater Ecclesia*, quia scilicet non est necessaria in Papa, *quem scimus, per omnia esse dignum*, ut ex eodem Cæremoniali addiscimus, & ex ms. Codice Piersanctiano, ita deinde subjicit: *Cum ad ordinem Presbyteratus ordinari debebit, induetur cum ea solemnitate, qua dictum est, habendo Stolam super humerum, & Manipulum in brachio; nec tamen habebit Tunicellam, nec Dalmaticam; nec calciabitur Sandalibus, nec habebit pectorale, nec Fanonem, sed solum Amictum, & Albam, & fiet Letania, ut consuevit; & demum Ordinator coram ipso stans ordinat eum more consueto in aliis, & manus Oleo sancto inungit, imponendo ei primo manum, & omnes Presbyteri Cardinales Presbyteri similiter, & ponit ei Casulam, & reflexo ei primo Orario, ut est moris, super utrumque humerum: quibus omnibus, ut in ordinatione Presbyterorum continetur, peractis, & Casula ei extensa ad dorsum per Ordinatorem, & peracta,* (seu ut legitur in Piersanctiano ms. Codice, *parata*) *a Ministris, idem Electus lavabit manus suas cum mica panis, ut moris est. Quo facto, recipit ad pedem, & osculum omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales, necnon & alios Prælatos, qui adsunt, in ordine suo.* Codex Piersanctianus post Cardinales habet: *Ordinatorem quoque, necnon & alios Prælatos, qui assistunt Ordinatori suo.*

II. Cantatur deinde Evangelium, & quidem per alium ex præscripto Cæremonialis Gregorii X. ut enim superius notatum fuit, Electus ipse nullum servitium in Altari facit Ordinatori, nec Epistolam, nec Evangelium cantat; quinimo cantato Evangelio, non quidem Ordinator, sed *idem Electus osculatur sibi delatum Evangelium, ut est moris*, inquit laudatum Gregorii Cæremoniale, ex cujus etiam præscripto *post dictum*, Dominus vobiscum, & Oremus, *per Ordinatorem, idem Ordinator venit coram eodem Electo, & recipit de manu ejus duos magnos panes, duas phialas vini, & duo torticia, osculando ei manum; quo facto, redit ad Altare Ordinator, & Ordinatus, & unus Presbyter Cardinalis eidem Electo ordinato servit de libro in Altari in Missa, docendo, & instruendo ipsum*, quia scilicet juxta ritum Ordinationis Presbyterorum concelebrare debet Ordinatori, juxta antiquum morem a nobis jam explicatum Tom. 1. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XII. qui est, *de Ordinatione Presbyteri*. Porro postquam Ordinator communicaverit, prefatus Electus de manu Ordinatoris super Altare communicabitur, (perperam apud Mabillonium legitur, *cum coronaverit*, & *coronabitur*) & omnia rite agentur usque ad finem Missæ. De Communione sub utraque specie sumenda a Papa ordinato in Presbyterum, ut habet Cæremoniale nostrum ab Augustino Patricio ordinatum, jam nulla expressa habetur mentio in Cæremoniali Gregorii X. Papæ jussu edito, sicut nec in ms. Codice Piersanctiano. Ceterum consueviſse olim saltem alicubi Presbyteros in sua ipsorum ordinatione non modo Corpus Christi, sed & Sanguinem in Missa Ordinatoris accipere, docet ex ms. Pontificali Ro-

Digitized by Google

Romano Bibliothecæ Colbertinæ Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Capite VIII. Articulo IX. Num. XIX.

III. Facta Communione omnia rite aguntur, sicut præscriptum est in Romano Pontificali hodierno, usque ad finem Missæ: *Qua finita*, *Ordinator dicit*, Multos annos, *ut dictum est*. Sit Nomen Domini benedictum, *præcinetur per ipsum Electum, prout superius est expressum*, ubi scilicet de promotione Electi ad Diaconatum actum fuit. Ita plane docent nos & Gregorii X. Cæremoniale, atque ms. Codex Pierfanctianus. Tandem, uti ex iisdem Libris addiscimus, *idem Electus exuetur reverenter, ut moris est, dicendo Psalmos debitos, scilicet*, Benedicite, & laudate Dominum, *& Antiphonam*, Trium puerorum; *& Ordines hujusmodi recipiet*, electus scilicet Pontifex nondum ordinatus, *Presbyteris præsentibus, & a quocumque Episcopo sibi placuerit, Cardinale, sive alio*. Tum vero mox addunt: *Totum hoc agetur die Sabbati; die vero Dominico sequenti consecrabitur*, nempe in Episcopum, *si sibi placuerit; si vero consecrari noluerit, sed ex aliqua causa, differret consecrationem quousque consecretur, Missam nec publice, nec private cantabit*. Porro teste Grasso in ms. Diario, ubi enarrat gesta Pontificatus Leonis X. de Ordinatione hujus Pontificis in Presbyterum peracta die XV. Martii anno Christi MDXIII. erat etenim Diaconus cum electus Summus Pontifex fuit V. Idus ejus mensis, ipse Leo *ordinatus est Presbyter a Cardinale Sancti Georgii, qui & Camerarius, & Episcopus Ostiensis erat*. Sed notanda potissimum sunt quæ idem Grassus mox subdit: *Et ipse*, Cardinalis scilicet Ordinator, *cum non antea Pallium Archiepiscopale habuisset, timuit, quod non posset consecrare novum Pontificem; unde consilium petiit a multis, qui sibi consuluerunt, nunc unum, nunc aliud, & ego vero consului, & sic feci, quod antequam Papa fieret Presbyter, cum adhuc esset Diaconus, daret ipsemet Pallium eidem Episcopo Ostiensi, & fuit bene factum, quod omnibus placuit*. Tradit demum, factam fuisse hanc ordinationem *in Aula Pontificum inferiori, quia superior erat vacillans, & male firma, ac in periculo ruinæ*; eique ordinationi Cardinales omnes interfuisse *ex devotione sua*.

§. V.

Si Electus nullum haberet Ordinem.

Hæc Ordinatio condecenter fieri poterit die Sabbati præcedente diem Dominicum consecrationis Episcopalis. Quod si forte electus in Papam esset merus laicus, nam & laicus eligi potest, dummodo sit Christianus, & Catholicus, accipit & primam Tonsuram, & minores Ordines, ut alii inferiores, nisi quod erit indutus cum Rochetto, & Manto post collum, & Mitra. Et in suo Faldistorio recipiet instrumenta Ordinum, & habitum, & non dicuntur monitiones, sive exhortationes, sed a substantialibus incipitur.

COMMENTARIUS.

I. POsse in Papam eligi merum etiam laicum, modo Christianus sit, & Catholicus, jam diximus supra in Commentario ad I. & II. §. Est autem illius opinionis Archidiaconus in Canone, *Nullus*, IV. Distinctione LXXIX. ut si eligatur in Papam, qui non sit Cardinalis, priusquam promoveatur, Cardinalis creari debeat. Annuit & huic opinioni Jacobus Cohellius in sua Cardinalatus Notitia Cap. XVI. Privilegio I. ubi etiam ait, licet Cardinalium Collegium non possit creare Cardinalem, permittendum id illi esse *favore electionis Romani Pontificis, ut facilius, & rectius procedat*. Sed hæc futilis opinio est, nullum enim occurrit exemplum, quod nos doceat, non Cardinales electos in Summos Pontifices, donatos fuisse a Sacro Collegio Cardinalitia dignitate. Certe quamvis prisci Canones, quales sunt apud Gratianum Canon, *Oportebat* III. & Canon, *Nullus*, IV. Distinctione LXXIX. aliud viderentur innuere, recte tamen docet inter alios Fagnanus in Cap. *Licet* VI. *De electione &c.* ob novam Alexandri III. Constitutionem editam in Generali III. Concilio Lateranensi Can. I. cui addi & possunt aliorum subsequentium Pontificum Constitutiones, Papæ electo objici haud posse, quod non sit de Collegio Cardinalium, aut quod sit laicus, vel uxoratus.

§. VI.

Consecratio Electi in Episcopum sine Benedictione, & Coronatione.

Episcopalis Consecratio electi in Romanum Pontificem, si prius non erat Episcopus, fieri debet secundum Majorum nostrorum Constitutiones eadem die, qua benedicitur, & coronatur. Sed quoniam nostris temporibus brevitatis studio alio die facta est, ut in persona felicis recordationis Sixti Papæ Quarti, qui cum fuit electus, Presbyter tantum erat, primo ponemus ordinem ipsius consecrationis Episcopalis

Digitized by Google

palis sine Benedictione, & Coronatione; deinde Consecrationem cum Benedictione, & Coronatione.

COMMENTARIUS.

I. SI priscam Ecclesiæ Disciplinam inspiciamus, jam non ex Episcopis, sed ex Presbyteris, aut ex Diaconis creabantur Summi Romani Pontifices, uti notatum superius fuit. Lapsu temporis cœpere in Pontifices eligi Episcopi non modo ex ipso Cardinalium Collegio, sed etiam extra eorum Collegium, qualis postremus fuit Barii in Apulia Archiepiscopus Bartholomæus Prignanus, qui in Romano Pontificatu Urbanus VI. appellatus est. Ab hoc tempore semper Pontifices electi sunt ex ipso Collegio Cardinalium, sive hi essent Diaconi, sive Presbyteri, sive Episcopi. Hoc autem notandum censui pro majori præsentis §. intelligentia. Sed de his vide quæ mox dicemus in Commentario sequenti.

§. VII.

Quomodo consecretur in Episcopum.

Si igitur Electo placet consecrari ante solemnia Coronationis, & privatim in hoc poterit fieri, quando ei placebit, sed convenientius die Dominico, vel Festivo, & fiet hoc modo. Die præstituto, & in loco ipsi Electo commodo tam Consecrator, quam Electus parabuntur omnibus paramentis Pontificalibus cum Psalmis, *Quam dilecta*, & aliis orationibus consuetis. Electus Chirothecas, & Annulum tantum non accipiet, alia autem omnia. Assistunt ad minus duo vel tres Diaconi, & unus Presbyter Cardinalis, & cum ipso Consecratore, si est Episcopus Cardinalis, ut decet, duo alii Episcopi Cardinales, reliqui Subdiaconi, & Acolythi Apostolici, & Prælati domestici omnes cum paramentis sibi convenientibus. De Prælatis tamen paratis præter Cardinales non est necessarium, sed fiet pro libito Pontificis. Parentur duæ credentiæ, una pro Electo, & altera pro Consecratore, & unum Altare tantum. Pro Electo paretur Sedes ornata in loco competenti, & Faldistorium ante Altare. Pro Consecrante Faldistorium consuetum in cornu Epistolæ, pro aliis scabella consueta. In credentiis parentur opportuna ad consecrationem, & ad celebrationem Missæ pro utrisque cum luminaribus opportunis in Altari, & credentia. Paratis omnibus rebus, Electus accedat ad Altare, & deposita Mitra procumbat super Faldistorium. Orabit, & surget, & remoto Faldistorio faciet Confessionem cum Consecratore a sinistra sibi assistente. Finita Confessione, Electus cum Mitra revertetur ad Sedem suam. Consecrator accedet ad Altare, osculabitur, incensabit, si placuerit, more solito; & reversus ad suum Faldistorium leget Introitum, & *Kyrie eleison*, & alia usque ad *Alleluja*, sive ad ultimum Versum Tractus exclusive, & cum Oratione diei dicitur Oratio pro Electo, ut supra. Idem faciet Electus in sua Sede cum suis Assistentibus versus ad Altare. His dictis, Electus procumbet cum Mitra in Faldistorio ante Altare, Consecrator ab ejus sinistris super aliquo scabello, alii autem in suis scabellis, & per unum ex Subdiaconis fit Litania; nam examinatio, *Antiqua Sanctorum Patrum*; & alia præcedentia omittuntur. Cum ventum erit ad locum, ubi dicitur: *Ut hunc Electum* surgit Consecrator, non tamen cum Baculo, & versus ad Electum tertio dicit signans, *Ut hunc Electum &c.* Et alii omnes Episcopi Cardinales cum suis Libris procumbentes tamen erecta aliquantulum facie idem faciant. Finita Litania, surgunt omnes, & Electus revertitur ad Sedem suam, & sedet cum Mitra. Consecrator venit ante eum, & aliis prætermissis stans cum Mitra, simul eum adjuvantibus Episcopis Assistentibus Cardinalibus, imponit Librum Evangeliorum supra cervicem Electi sine Mitra sedentis; nam tunc Mitra ei abstrahitur, quam duo Diaconi retinent usque in finem; & Consecrator, atque Assistentes Episcopi ponunt ambas manus super caput Electi dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*; quod tamen Consecrator alte dicit, alii submisse, ut alia omnia. Si aderunt alii Episcopi parati, poterunt & ipsi manus imponere, & omnia legere, ut Cardinales assistentes. Deinde surgit Electus, & Diaconi assistentes retinent Librum super illius spatulis; Consecrator autem fine Mitra dicit super eum Orationem: *Popitiare Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, Bene ✠ dictionis tuæ in eum infunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesu Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.* Deinde voce mediocri extensis manibus ante pectus dicat hanc Præfationem: *Per omnia sæcula sæculorum.* Responsio. *Amen. Dominus vobiscum.* Responsio. *Et cum Spiritu tuo. Sursum corda.* Responsio. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro.* Responsio. *Dignum & justum est. Vere dignum & ju-*

Digitized by Google

juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus, honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ famulantur Ordinibus. Deus, qui per Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affatu inter cetera cæleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis piorum caperet ſequutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati. Cum & apud veteres reverentiam ipſam ſanctificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt, & Pontificalem gloriam jam non nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipſis erant intelligenda, poſcebant, & iccirco huic famulo tuo N. quem Apoſtolicæ Sedis Præſulem, & Primatem omnium, qui in Orbe terrarum ſunt, Sacerdotum, & univerſalis Eccleſiæ Doctorem dediſti, atque ad Summum Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus moribus, actibuſque clareſcat. Comple in Sacerdote tuo miniſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum cæleſtis unguenti rore ſanctifica. Tunc Conſecrator genuflexus, & ſine Mitra verſus ad Altare incipit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*; & tam Electus, quam alii genuflectunt eodem modo. Finito primo verſu, ſurgunt omnes, & Chorus proſequitur Hymnum. Interim caput Electi ſedentis in ſua Sede circumligatur panniculo lineo ſubtili per Diaconum, ne oleum fluat ſuper capillos, itaut panniculi extremitates retro ſuper cervicem pendeant. Deinde Conſecrator accedens ad Electum cum Mitra, & intincto pollice dextræ manus in Sacro Chriſmate, ſtans ungit caput Electi ſedentis, formans primum ſignum Crucis, quo coronam totam amplectatur. Deinde ungat reliquum coronæ, dicendo: *Ungatur, & conſecretur caput tuum cæleſti bene ✠ dictione. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo*; & abſterſo aliquantulum pollice cum mica panis, depoſita Mitra, proſequatur Præfationem incipiens: *Hoc Domine copioſe in caput ejus influat, hoc in oris ſubjecta recurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui ſpiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora ejus circumtegat. Abundet in eo conſtantia Fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Sint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei Domine miniſterium reconciliationis in verbo, & in factis, in virtute ſignorum, & prodigiorum. Sit ſermo ejus prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Da ei Domine Claves Regni Cælorum, ut utatur, non ut glorietur poteſtate, quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcumque ligaverit ſuper terram, ſit ligatum & in Cælis; & quocumque ſolverit in terra, ſit ſolutum & in Cælis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint, & quorum dimiſerit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, ſit ille maledictus, & qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur. Sit fidelis ſervus & prudens, quem conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, ut det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſolicitudine non piger, ſit ſpiritu fervens. Oderit ſuperbiam, humilitatem, ac veritatem diligat, neque eam unquam deſerat, aut laudibus, aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem. Non dicat malum bonum, neque bonum malum. Sit ſapientibus, & inſipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium conſequatur. Tribuas ei Domine Cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem tuæ ſortis intra Mundi limites univerſi. Sis ei auctoritas, ſis ei poteſtas, ſis ei firmitas. Multiplica ſuper eum bene ✠ dictionem, & gratiam tuam, ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam tuo munere idoneus, & tua gratia poſſit eſſe devotus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.* Reſponſio. *Amen.* Poſt hæc Conſecrator inchoat, Schola proſequente, Antiphonam: *Unguentum in Capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in in oram veſtimenti ejus, mandavit Dominus benedictionem in ſeculum.* Pſalmus. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in Montem Syon. Quoniam illis mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſeculum. Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat &c.* Deinde repetatur Antiphona: *Unguentum in capite.* Interim imponitur mappula

Digitized by Google

pula ad collum Electi sedentis, supra quam imponit postea manus, & Consecrator inungit illi manus cum sacro Chrismate, ut fit aliis Episcopis, dicens: *Ungantur manus istæ de Oleo sanctificato, & Chrismate sanctificationis; sicut unxit Samuel David Regem, & Prophetam, ita inungantur, & confirmentur. In Nomine Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ faciens Imaginem Sanctæ Crucis Salvatoris nostri, qui nos a morte redemit, & ad Regna Cœlorum perduxit. Exaudi nos pie Pater Omnipotens, Æternæ Deus, ut quod te rogamus, exoremus per Christum Dominum nostrum. Amen. Oremus. Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse, qui per Samuelem David in Regem, & Prophetam inunxit, te nostro ministerio Chrismate, & mystica delibutionis liquore perfundat, & spiritualis bene ✠ dictionis ubertate fœcundet, ut quicquid benedixeris, benedicatur; & quicquid sanctificaveris, sanctificetur; & consecratæ manus istæ, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Per eundem Christum Dominum nostrum.*

COMMENTARIUS.

I. DE Consecratione Electi in Episcopum fuse jam disseruimus Tomo nostro I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. Si paucos excipias ritus, eo fere modo, ac eisdem propemodum orationibus, quibus ceteri Presbyteratu jam initiati in Episcopos consecrantur, consecrari & Summus Pontifex solet. Sed antequam ritum ipsum enarrem, notandum hic primo illud censeo, diu nempe illam in Ecclesia Romana viguisse disciplinam, ut aliarum Ecclesiarum Episcopi ad Summum Romanum Pontificatum minime promoverentur. Joannes Mabillonius in Præfatione ad Seculum V. Benedictinum §. I. Num. VI. existimat, a Formoso e Portuensi Episcopo electo Papa anno DCCCXCI. incœpisse labem illam, quam a Romanis Pontificibus passa est Ecclesia Seculo X. quæ tam magna fuit, ut etiam actum fuisset de illa sanctissima Sede, si monstris violari, aterive potuisset: *Al id temporis*, inquit, *eam tenuerant piissimi plerique Pontifices; nec quisquam fere omnium ejus sanctitatem antea, majestatemque temeraverat, quin humana, siqua ipsis excidissent, errata, illustri pœnitentiæ exemplo diluissent. Inviolabilis apud eos erat Canonum sacrorum auctoritas, qua suam ipsi potestatem ultro moderabantur. Et ne longius exempla sumamus, ita Seculo IX. vixerant post Leonem III. ejusque Successores piissimos, Nicolaus I. re & nomine Magnus, Hadrianus II. & Stephanus VI.* Sed o lugenda Roma, *inquit Arnulphus Aurilianensis Antistes apud Gerbertum*, quæ nostris majoribus clara Patrum lumina præbuisti, nostris temporibus monstruosas tenebras, futuro seculo famosas offudisti: *A Formoso Pontifice iucœpit mali labes, sive is causa fuerit, seu occasio. Nempe hic Portuensis primum Episcopus, a Joanne VIII. in ordinem redactus est in Synodo Romana, interposito juramento, se in communione laica perpetuo permansurum. Hujus exauctorationis causæ tres. Prima quod a Nicolao I. in Bulgariam missus, Bulgarorum Regem sacramento obstrinxisset, ne alium Episcopum, ipso superstite, a Sede Apostolica susciperet. Deinde, quod contra præscripta Canonum per ambitum ab Ecclesia Portuensi ad Romanam prosilire conatus esset. Postremo, quod inconsulto Pontifice propriam deseruisset Ecclesiam, & relicta Urbe contra Reipublicæ, & Imperii salutem, cum suis fautoribus conspirasse crederetur. Marinus Pontifex a depositione, & juramento absolvit Formosum, qui post Hadrianum III. & Stephanum VI.* potius V. *in supremum illum Thronum sublimatus est, primusque infaustum translationis exemplum in illa Sede præbuit Vir ceteroqui vera religione, divinarumque Scripturarum, & doctrinarum scientia clarissimus, teste Luitprando Lib. I. Cap. VIII.*

II. Hactenus Mabillonius, cui tamen assentiri nequeo in eo, quod scribit, Formosum fuisse vel causam, vel occasionem maximæ illius labis, quam passa est Romana Ecclesia Seculo X. saltem ex eo Capite, quod *contra præscripta Canonum*, ad Romanam Sedem e Portuensi prosilierit. Hoc enim, ut scite advertit Pagius in ejusdem Formosi Vita, Num. III. non erat Canonicum impedimentum, ne Summus Pontifex eligeretur; quod eruitur ex Stephani V. ejus decessoris Epistola ad Basilium Imperatorem scripta, & a Baronio anno DCCCLXXXV. relata, in qua Marinum Pontificem vindicans a calumnia, antea Episcopum ordinatum fuisse negat; quod etiamsi verum esset, potuisse tamen in Sede Principis Apostolorum collocari: *Quid vero*, inquit, *magnus ille Gregorius cognomento Theologus? Nonne Nazianzeno translatus est? Et Meletius Sebasta Antiochiam, & Dositheus Seleucia Tarsum Ciliciæ? Et Reverentius Archiphœnice Tyrum? Joannes Gordonia Proconnesum? Theodorus Apamea Selymbriam? Alexander Cappadocia Hiepolim? Et multi alii diversis in locis translati sunt e suis sedibus ad alienas?* Joannes etiam VIII. non damnavit Formosum ex eo, quod crederet, ejus translationem esse contra præscripta Canonum, sed quia *per ambitionem a minori Ecclesia*, scilicet Portuensi, *ad majorem*, scilicet Romanam, *prosilire conatus* fuisset, ut legere est in ejus Epistolæ fragmento apud laudatum Pagium in Vita Joannis Papæ VIII. Num. VI. Quare Stephanus VI. vulgo VII. Formosi Successor sævitia sua, ac odio in Formosum mortuum, solam justitiæ umbram prætexere potuit, ideoque hæc Ecclesiæ labes, quam obtendit Mabillonius, ab illo Stephano initium sumsisse videtur, non vero a Formoso, qui teste Luitprando ab eodem Mabillonio laudato, religionis integritate, divinarumque Scripturarum scientia clarissimus fuit.

III. Porro Stephanus ipse Papa VI. aliis VII. eodem quo electus est anno DCCCXCVI. circa initium mensis Decembris latrocinali Romæ convocata Synodo, sepulcrum Formosi violavit, ipsumque mortuum exhumari jussum, in judicium vocavit, & in Cathedra Pontificia cum Sacerdo-

Digitized by Google

cer dotalibus indumentis collocatum his verbis tan quam viventem sacrilege compellavit: *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti?* Tum sacris vestibus exutum tribus abscissis digitis, in Tyberim jactari præcepit, *cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit*, inquit Luitprandus Lib. I. Cap. VIII. Tam execrandum Stephani facinus referunt inter alios Annalista Freherianus, & Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam, uterque ad annum DCCCXCVI. Prior enim postquam mortem Bonifacii VI. retulit, ita deinde subjicit: *In cujus Sedem successit Apostolicus nomine Stephanus, vir fama infamandus, qui antecessorem suum Formosum inaudito more de sepulcro ejectum, & per Advocatum suæ responsionis depositum foras extra solitum sepulturæ Apostolicæ locum sepeliri præcepit.* Hermannus vero Contractus de eodem Stephano ita scribit: *Qui tyrannis favens, & Arnulphum odiens, Formosum Papam octavo post obitum mense effossum, & in sella positum, loquente pro eo Diacono, criminatum, & quasi convictum degradavit &c.* Ceterum hæc omnia Stephani VI. ejusque pseudosynodi Acta, jubente Concilio Romano sub Joanne IX. anno I. ejus Pontificatus, Christi vero DCCCXCVIII. tanquam impia, atque nefaria, igni sunt tradita.

IV. Quamvis vero qui Formosi ordinationes irritas esse, ideoque a Stephano VI. jure iteratas contendebant, hanc potissimum obtenderent rationem, quod Concilii I. Nicæni Canone XVI. prohibetur, ne Episcopus, Presbyter, aut Diaconus a Civitate in Civitatem transferatur; idque si factum fuerit, in irritum prorsus ducatur; ac præterea, quod Canonibus I. & II. Concilii Sardicensis decernitur, ut Episcopus, qui ex avaritia, aut ambitione Sedem mutaverit, nec laica fruatur communione, licet excuset se, quod populus eum postulaverit; censebantque iccirco Formosum velut istorum violatorum Canonum reum a Sacerdotali gradu ad laicorum sortem cecidisse; qui nempe a Portuensi Episcopatu ad Romanum transvolarat, adeoque nec ipsum fuisse legitimum Papam, nec consequenter Ordinationes Sacras conferre potuisse: scitissime tamen defendit Formosum Auxilius in Opusculo, quod de Ordinationibus Formosi scripsit ad Leonem Nolanæ Ecclesiæ Episcopum, quodque anno MDCLV. inseruit suo, *De sacris Ordinationibus*, Operi eruditus Joannes Morinus. Auxilius ergo Lib. II. Capite II. egregie docet, Canonibus Nicenis, & Sardicensibus migrationes Episcoporum non prohiberi, quæ necessitate, vel utilitate Ecclesiæ postulante, fiunt; id quod etiam auctoritate Concilii Chalcedonensis, SS. Leonis, atque Gregorii Pontificum, necnon S. Gregorii Nazianzeni, aliorumque, quorum translationes, & migrationes ab Ecclesia sunt approbatæ, exemplis confirmat; quibus addi ea exempla possunt, allata a Stephano V. in Epistola ad Basilium Imperatorem superius a nobis descripta. Certe Formosus *necessitatis causa de Portuensi Ecclesia pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est*, ut inquiunt Patres Concilii Romani sub Joanne Papa IX. Canone III. Quod satis erat, ut ejus promotio esset Canonica: *Quia quod fit præter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam*; ut ait Symmachus Papa in Epistola XII. ad Avitum Viennensem Episcopum.

V. Neque vero post Formosum solus illemos invaluit, ut Episcopi aliarum Ecclesiarum ad Romanum Pontificatum promoverentur, verum etiam sequioribus seculis nonnulli ita electi Romani Pontifices una cum ipso Pontificatu Romano suos Episcopatus retinuere. Sic Clemens Papa II. electus Pontifex Maximus anno MXLVI. Bambergensem retinuit, Leo IX. anno MXLIX. Tullensem, Victor II. anno MLV. Aistettensem, Nicolaus II. anno MLVIII. Florentinum, Alexander II. anno MLXI. Lucensem, & Alexander IV. anno MCCLXI. Ostiensem, ac Veliternum, de quo inter alios Scriptores ita scribit Ptolomæus Lucensis Libro XXII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite XVII. apud Muratorium Tomo XI. Scriptorum Rerum Italicarum: *Hic Pontifex hanc famam habuit, quod fuerit vir magnæ humilitatis, & pietatis; unde tradunt aliquæ historiæ, quod fuerit Episcopus Ostiensis, & interdum ibat Ostiam, & Veletrum, ibique prædicabat verbum Dei, vel coram se prædicari faciebat, ibidemque suis Clericis Ordines conferebat, & in causis suorum subditorum assistebat.* His adde Paulum IV. qui, ut in Clementis II. Vita notat Sandinus, retinuit Episcopatum Neapolitanum, itemque Benedictum XIII. ac feliciter regnantem, & sanctissime universam Ecclesiam verbo, & exemplo regentem BENEDICTUM XIV. quorum prior nostra hac ætate Beneventanum, alter vero Bononiensem una cum Romano Pontificatu retinuere.

VI. His præmissis, devenio nunc ad ritum quo Romanus Pontifex Presbyteratu insignitus conseerandus est in Episcopum. Certe, *si Electo placet consecrari ante solemnia Coronationis, & privatim, hoc poterit fieri, quando ei placebit, sed convenientius die Dominico, vel Festivo*, ut recte in hoc §. edicitur. Vetustissima enim ea est Ecclesiæ disciplina, ut die præsertim Dominico Episcopi consecrarentur; testemque habemus S. Leonem Magnum in Epistola LXXXIX. adversus Hilarium Arelatensem, quod aliarum Provinciarum Episcopos ordinare præsumeret, inter alia, & hæc ad Viennensis Provinciæ Antistites scripsit Cap. VI. in fine: *Non passim, sed die legitimo Ordinatio celebretur; nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati, vespere, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim Majores nostri Resurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicaverunt, ut Sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur.* Dulucide inquit ex Majorum consuetudine, ac disciplina Episcopos in quavis Dominica consecrari debere. Id quod etiam alii passim sequioris ævi Scriptores tradidere, inter quos Hugo de Sancto Victore in Theologica de Sacramentis eruditione Lib. II. Parte II. Cap. XX. ita scribit: *Presbyteri, & Diaconi Sabbato consecrandi Episcopo præsentantur. Benedictiones vero Pontificum diebus tantum Dominicis celebrandas esse, Sacri Canones sanxerunt.* Sed & Alcuinus Flaccus, aut quicunque alius Libri ejus Auctor, *De Divinis Officiis*, qui IX. Seculo floruit, in eo Capite, quod inscripsit, *Sabbatum in XII. Lectionibus*, ejusdem disciplinæ ordinandorum Episcoporum die Dominica hanc rationem assignat: *Episcopi consecratio*,

Digitized by Google

qui est Vicarius Apostolorum, imo & Christi, fit in Dominica, quia eadem die per donum Spiritus Sancti Dominus dignatus est illustrare corda Apostolorum.

VII. Hinc puto factum, ut Episcopi ordinari possint in Natalitiis Apostolorum, quod nempe eorum Vicarii sunt, & Successores; uti notavi Tomo I. Romani Pontificalis Titulo XIII. in Commentario ad §. II. ubi edicitur, Consecrationis Episcoporum diem debere esse Dominicam, vel Natalitium Apostolorum, vel festivam. Quando hæc extensio incœperit, etsi non ausim definire, compertum tamen habemus ex antiquo Romano Ordine, ipsas Episcoporum Ordinationes fieri etiam consueviſſe *aliquoties in Natalitiis Apostolorum*. Cujus rei testis est Anastasius Bibliothecarius in Vita Pelagii II. quem ait, die S. Andreæ Apostolo sacra in Romanum Præsulem consecratum fuisse, & quidem anno Christi DLXXVIII. ut testatur Baronius. Additi demum videntur dies festivi, quibus populi conventus commode fieri posset, quem ad Episcoporum consecrationem convenire congruum est. Quæ consuetudo nequaquam recens judicari debet, cum S. Udalricum Augustanum Episcopum, qui obiit anno CMLXXIII. die festo SS. Innocentium ordinatum in ejus Vita legamus apud Surium die XXIV. Julii. Verum tenenda est regula Romani Pontificalis, citato §. II. docet tunc quidem fieri posse die festivo Episcopi ordinationem, *si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit*. Ceterum vidi Romæ aliquando Episcopum die non festivo consecratum, idque indultum a Summo Pontifice petiisse, ut cito Roma discederet vitandi causa æstivi caloris. Fuit hic Fr. Thomas Pius Milante Dominicanus, Episcopus Castri maris, qui nuper hoc anno diem suum extremum obiit.

VIII. Quod Romanos Pontifices spectat, consecrari ii quidem ritu solemni consuevere, & quidem utplurimum die Dominico, ut videre est apud Pagium in Romanorum Pontificum Vitis, in quibus passim servati ejus ritus meminit. Sane electus Alexander III. die VII. Septembris anni MCLIX. eique adhærentes, quod eos Octavianus antipapa persequeretur, coacti ab Urbe discedere, ubi Nymphas non procul ab Urbe pervenerunt una cum magna hominum frequentia in Vigilia S. Matthæi, ibidem simul congregatis Ostiensi, Sabinensi, Portuensi, Albanensi, aliisque Episcopis, necnon *Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus, simulque Abbatibus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Primicerio cum Schola Cantorum, nobilibus quoque, & plurima parte Populi Romani, Dominus Alexander per manus Ostiensis Episcopi, ad quem solum consecratio Romani Pontificis pertinet, præeunte Spiritus Sancti gratia, consecratus est in Summum Pontificem, & secundum solitum Ecclesiæ morem, Regno de more insignitus, Mitra turbinata scilicet cum Corona*, inquit Auctor Anonymus hujus temporis in Codice Vaticano a Baronio laudatus ad ipsum annum MCLIX. ex quo etiam habemus, Alexandrum III. *in Vigilia B. Matthæi Apostoli prospere ad Nymphas pervenisse, ubi ipsa Dominica die*, in quam Vigilia illa incidebat, ut in ipsius Alexandri Vita notat Pagius, Num. III. in fine, consecratus est. Sed & ipse Alexander in Epistola Gerardo Bononiensi Episcopo scripta, & ab eodem Baronio relata testatur, se *die Dominico* apud Nymphas munus consecrationis accepisse, *& sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnifice* fuisse & solemniter coronatum. De quo ritu dicemus suo loco inferius.

IX. Solemnis Consecrationis electorum Pontificum in Episcopos peractæ die præsertim Dominico, & quidem non privatim, sed publice, & magna cum pompa, occurrunt plane passim exempla in eorundem Pontificum Vitis. Sed his omissis, lubet nunc ritum illum describere, quem in ipsa electi Papæ Consecratione in Episcopum servari mandat antiquum Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum: *Primo*, inquit, *idem Electus, dum dicit Psalmum*, Quam amabilia &c. *calciabitur Sandaliis, & Caligis, & Alba, Cingulo, cum Subcinctorio, postea Pectorale, demum Fanonem, postea Stola, deinde Tunicella, & postea Dalmatica. Subsequenter recipit Chirothecas, & demum Casulam, & Mitram in capite sine Pallio, & Anulo Pastorali, quæ postea recipiet in loco suo; & vestimenta erunt coloris tempori convenientis. Cardinales omnes, tam Episcopi, quam Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & alii Prælati, omnes erunt in vestibus congruis tempori; & Cruce Papali præeunte cum faculis vij. & incenso, omnes de loco, in quo est vestitus, veniunt processionaliter ad Altare*. Eadem eisdemque verbis legere est in ms. Codice Pierſanctiano, qui etiam monet, id quod & ex laudato Gregorii X. Cæremoniali cautum est, ut nempe *nulla fiat examinatio primo, nec secundo illa consueta in Consecratione aliorum Episcoporum, quæ incipit*: Antiqua &c. Unum est, quod in ipsis Cæremoniali Gregorii X. & Pierſanctiano Codice præsertim notandum occurrit, juxta istorum scilicet præscriptum debere consecrandum Pontificem inter alia indumenta recipere Chirothecas, cum alias hic noster §. expresse mandet, ut *Electus Chirothecas, & Anulum tantum non accipiat, alia autem omnia*.

X. Ritum ipsum apparatumque luculentissime quidem recenset ms. Pontificale Romanum Colbertinæ Bibliothecæ ab Edmundo Martene editum Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Capite VIII. Articulo XI. estque Ordo XVII. qui in eo Capite, quod inscribitur, *Qualiter Romanus Pontifex apud Basilicam Beati Petri Apostoli debeat ordinari*, hæc ad rem habet: *In primis ipse, qui consecrandus est, mane diei Dominicæ veniat ad Basilicam B. Petri, in qua processionaliter a Canonicis recipietur, & facta reverentia eidem a Cardinalibus, & Prælatis, sicut fieri solet Romano Pontifici, stans in medio dicat*: Sit Nomen Domini benedictum, *juxta morem. Deinde vadat in Capellam S. Gregorii, ubi dicta Tertia, calciabitur Caligis, & Sandaliis, dicendo Psalmos*, Quam amabilia, *& cæteros, qui solent dici. Deinde lotis manibus induatur ornamentis, quibus Romanus Pontifex uti solet in Missarum solemniis, exceptis dumtaxat Palleo, & Annulo Pontificali. Erunt autem vestimenta coloris tempori congruentis. Deinde ordinata solemni Processione, sicut in præcipuis Festis fieri solet, videlicet Cardinalium, Prælatorum, & ceterorum Ordinum, qui omnes debent habere indumenta coloris tempori congruentis, consecrandus ipse, extensa super eum mappa*, idest delato super ejus caput baldachino,

Digitized by Google

no, *procedat signando, ut moris est, ad majus Altare, & stans post ipsum Altare faciat Confessionem*. Notandum subdit, in Consecratione Romani Pontificis omitti illam examinationem fieri solitam in Consecratione aliorum Episcoporum, quæ incipit: *Antiqua Sanctorum Patrum &c.* de qua diximus nos Tomo 1. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII.

XI. Facta Confessione ex laudati Pontificalis præscripto, ipse consecrandus sedet in Faldistorio suo præparato inter Altare, & gradus Pontificalis Sedis, & Schola cantat Introitum Missæ scilicet, & *Kyrie eleison*. Interim vero Episcopus Ostiensis, qui Romanum Pontificem consecrare debet, in aliquo apto loco prope Altare calciat se Caligis, & Sandaliis, dicendo Psalmos, *Quam amabilia &c.* accipit etiam omnia Pontificalia ornamenta, ac si Missam solemniter celebrare deberet; Mitram quoque simplicem, vel pretiosam juxta exigentiam temporis; & cantatis Introitu, & *Kyrie eleison*, Consecrator, & ceteri Episcopi Cardinales, necnon alii Archiepiscopi, & Episcopi, & qui de Presbyteris præsentes sunt, accedunt ad exequendum Consecrationis officium. Rursus ut idem Pontificale admonet, in consecratione Romani Pontificis non pronunciatur illud: *Episcopum oportet &c.* nec dicitur illa Oratio: *Oremus dilectissimi nobis &c.* quæ dicuntur in Consecratione aliorum Episcoporum; sed consecrandus versa facie ad Altare, assistentibus ei duobus Diaconibus Cardinalibus, incumbere debet super præparatum Faldistorium inter gradus Pontificalis Sedis, & majus Altare. Consecrator etiam, & cæteri Episcopi Cardinales, necnon alii Episcopi a dextris, & a sinistris super sua Faldistoria, vel si ea non habent, super tapetia, procumbere debent, & Prior Basilicæ, vel alius Capellanus Prior Subdiaconorum incipit, & prosequitur Litaniam cum cantu, respondentibus aliis Capellanis, & ceteris, qui assistunt.

XII. Huic ritui, quem ex laudato Pontificali Colbertinæ Bibliothecæ ad literam descripsimus, concinit quidem tum Cæremoniale Gregorii Papæ X. tum ms. Codex Piersanctianus, tametsi in his paulo brevius ritus ipse recenseatur: *Vadit*, inquiunt, *Electus ad Altare, & facit Confessionem, interim Choro, vel Schola cantante Introitum*, & Kyrie eleison. *Quo facto, venit coram Altare, & ibi genuflectet super Faldistorium paratum, & omnes alii similiter Prælati, & duo Diaconi Cardinales, qui ad serviendum ei ad dextram lævamque assistunt, & Capellanus Subdiaconus dicit Litaniam cantando, aliis Capellanis respondentibus*. Ceterum licet ex Colbertino Pontificali non modo consecrandus, sed & *ceteri Episcopi Cardinales, necnon alii Episcopi a dextris, & a sinistris super sua Faldistoria, vel si ea non habent, super tapetia procumbere debent*; Cæremoniale tamen nostrum Romanum in hoc §. expresse edicit, ut Electus quidem in Litania procumbat *cum Mitra in Faldistorio ante Altare, Consecrator vero ab ejus sinistris super aliquo scabello; alii autem in suis scabellis*. Decet enim quammaxime, ut vel in ea actione præ ceteris Summus Pontifex honorificetur, sicut & in aliis, quæ in hac Consecratione occurrunt. Porro ubi in Litania ventum erit ad locum ubi dicitur, *Ut hunc Electum &c.* ex nostri Romani Cæremonialis præscripto, *surgit Consecrator non tamen cum Baculo, & versus ad Electum tertio dicit, signans*, Ut hunc Electum &c. *& alii omnes Episcopi Cardinales cum suis Libris procumbentes tamen erecta aliquantulum facie idem faciant*. Paulo aliter hunc ritum exprimunt Cæremoniale Gregorii X. & Piersanctianus ms. Codex, ubi ita inquiunt: *Dum venerit ad illum locum*, Ut consecrandum &c. *repetet bis, & quilibet Prælatus una cum Ordinatore Electum ipsum signabit*. Clarius Colbertinum Pontificale, cujus hæc sunt verba: *Cum venerit ad illum locum*, Ut hunc consecrandum benedicere &c. *debet hoc dicere bis, & tam Consecrator, quam omnes alii Episcopi assistentes elevata manu versus Consecrandum, faciant super eum bis signum Crucis*. Sed de his ritibus videri possunt, quæ nos diximus in toties memorato Tomo 1. Romani Pontificalis, ubi Titulum XIII. qui est, *De consecratione Electi in Episcopum*, enarravimus.

XIII. Finita Litania, *surgunt omnes*, inquit nostrum Cæremoniale, *& Electus revertitur ad Sedem suam: Consecrator venit ante eum, & aliis prætermissis stans cum Mitra, simul eum adjuvantibus Episcopis assistentibus Cardinalibus, imponit Librum Evangeliorum supra cervicem Electi sine Mitra sedentis &c.* Juxta præscriptum Cæremonialis Gregorii X. & ms. Piersanctiani Codicis, *Litania dicta, Ordinator venit coram eodem Electo, & dicit illud quod est in Pontificali*, nempe, *Episcopum oportet &c.* ut habet Codex Piersanctianus; *quo dicto, redeunt post Altare omnes, & tunc venit unus ex Episcopis Cardinalibus, & dicit illam Orationem*: Adesto; *& postea venit alius Episcopus Cardinalis, & dicit illam Orationem*: Oremus dilectissimi; *& additur, in ea*, Utilitati universalis Ecclesiæ; *& demum venit Ordinator, sive Consecrator, & ponit apertum Codicem Evangeliorum super caput Electi versus collum, & Codex sic apertus tenetur a duobus Diaconis Cardinalibus, & omnes Prælati stant in circuitu induti, quilibet cum suo Libro; & Ordinator incipit, & procedit, ut continetur in Libro &c.* Sed audiamus Colbertinum Pontificale, in quo Cæremonia ipsa ita exprimitur: *Finita Letania, erigant se omnes, & Consecrator stet in infimo gradu sub Sede Papali, quæ est post Altare, verso vultu ad ipsum Altare. Consecrandus vero stet sub gradu prædicto versa facie ad ipsum Consecratorem, assistentibus ipsi consecrando Diaconibus Cardinalibus, & Acolythis; stabunt autem juxta Episcopum Ostiensem a dextris, & a sinistris. Episcopus Albanensis, & Episcopus Portuensis induti Pluvialibus, & habentes Oraria, sive Stolas, & omnes alii Episcopi in circuitu stabunt ad instar coronæ, tenentes singuli Libros Pontificales, in quibus scriptum est Consecrationis officium, quod singuli dicere debent submissa voce*.

XIV. Ex eodem Pontificali Colbertino *tunc Episcopus Albanensis dat primam Orationem cum nota dicens*: Oremus. Propitiare Domine supplicationibus nostris &c. *Post hæc Ostiensis Episcopus ponit apertum Librum Evangeliorum super cervicem consecrandi, sicut fit in Consecratione aliorum Episcoporum, tenentibus ipsum duobus Diaconibus Cardinalibus usque ad Consecrationem finitam. Libro sic proposito, tunc Consecrator imponat manum dextram super ca-*

Digitized by Google

put Consecrandi, nihil dicendo, & similiter faciant omnes Episcopi, qui assistunt. Variat nonnihil Colbertinum Pontificale a nostro Romano Cæremoniali, ex cujus præscripto Librum Evangeliorum, quem Consecrator imponit supra cervicem Electi sine Mitra sedentis, duo Diaconi retinent usque in finem; *& Consecrator, atque assistentes Episcopi ponunt ambas manus super caput Electi dicentes*: Accipe Spiritum Sanctum; *quod tamen Consecrator alte dicit, alii submisse, ut alia omnia.* Additque mox: *Si aderunt alii Episcopi parati, poterunt & ipsi manus imponere, & omnia legere, ut Cardinales assistentes.* Verba illa, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ Consecrator Episcopus, & ejus assistentes proferunt, dum manibus tangunt Caput consecrandi, jam non sunt forma Episcopatus, ut putant Scholastici recentiores, toti enim ea antiquitati ignota fuerunt, altumque de ipsis verbis silentium fit non modo in Cæremoniali Gregorii Papæ X. jussu edito, & in ms. Codice Piersanctiano, ac præsertim in Colbertino Pontificali, ex cujus præscripto nihil nunc dicere Consecrator debet, verum etiam apud antiquiores Scholasticos, qui licet absolutas Sacramentorum formas undecumque expiscari studuerint, nullam tamen eorum verborum mentionem faciunt; uti notat eruditus Martene, Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo X. Num. XIV. in fine, postquam dixit, formam quidem Episcopatus constitui in prolixa illa oratione, quæ ad modum Præfationis a Consecratore pronunciatur, de qua nos dicemus inferius.

XV. Plura scitu digna de ipsa Præfatione, ac de impositione Codicis Evangeliorum super caput consecrandi in Episcopum explicuimus jam nos nostro I. Tomo Romani Pontificalis in Commentariis ad toties citatum Titulum XIII. *De consecratione electi in Episcopum*; viderique etiam ea possunt, quæ de eadem sacri Codicis impositione diximus in Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. III. Cap. XV. Sane circa ipsam impositionem sacri Evangeliorum Codicis triplicem varietatem observat Morinus, *De sacris Ordinationibus*, Parte III. Exercitatione I. Cap. I. *Prima*, inquit, *respicit ipsum Evangelium. Clemens Romanus, Simeon Thessalonicensis, & Rituales omnes Græci, uno excepto, qui variare videtur, diserte docent, apertum imponi. Ita quoque Maronitanorum, & Jacobitorum Rituales. Latini vero omnes nihil definiunt, dicunt simpliciter, Evangelium imponendum; sed duo antiqui, Constantini scilicet Cajetani, & Ordo Romanus editus, diserte exprimunt, clausum esse imponendum. Pontificale Romanum hodiernum jubet, esse apertum, cui præter Græcos, & Syros Codices, suffragatur unus Victorinus Codex antiquus.* Huic etiam accedunt Libri duo Pontificales Moguntini, & Matthæus Paris ad annum MXCIII. Arelatensis clausum, vel apertum imponere permittit, sed itaut si aperiatur, litera, seu pars interior Evangelici Codicis caput Electi tangat; operculum vero, seu pars exterior respiciat Consecrantes, uti notat laudatus Martene citato loco, Numero XV. ubi etiam testatur, se id quidem animadvertisse in aliis quibusdam Libris Pontificalibus.

XVI. Varietas altera, ut idem Morinus docet, locum respicit, cui Evangelium imponitur: *Græci Rituales*, inquit, *ut Simeon Thessalonicensis, dicunt, imponi super caput, & cervicem ejus, hoc est, occiput, & inferius: Nestoriani super dorsum; Clemens, & Dionysius hæc minutiora non definiunt. Unus Codex, sed recentior videtur hoc de syncipite accipere, sed improbabile est. Latini variant; alii & antiquissimi dicunt generaliter, super caput ejus, alii scapulis imponendum esse, alii distinctim super verticem ejus, & inter scapulas.* Ita ille, qui mox tertiam ejus ritus varietatem explicat, aitque ipsam Evangelium tenentes spectare: *Hoc officium*, inquit, *tribuit S. Clemens Diaconis, Rituales vero Episcopis adsistentibus. Archiepiscopus Librum aperit, & imponit Capiti, alii Episcopi sustinent. Sic quoque Rituales Latini pene omnes. Ceteri vero Episcopi, qui adsunt, manus imponunt. Sic etiam disertissime Victorinus Codex. Ab hac etiam cæremonia non dissentiunt Syri, Maronitæ, Nestoriani, & Jacobitæ. In hac postrema cæremonia ab omnibus differt Pontificale Romanum hodiernum.* Hucusque Morinus, quem in eo refellit laudatus Martene, quod scribat, hunc ritum in pluribus olim Ecclesiis prætermissum fuisse. Fuit & hujus opinionis Jueninus in Opere *De Sacramentis*, Dissertatione IX. Quæstione I. *De Episcopatu*, Capite III. ubi ita scribit: *Ecclesiam Romanam illo eodem ritu*, imponendi scilicet Evangelium super caput consecrandi in Episcopum, *primis seculis usam non fuisse, docet Alcuinus in Libris* De divinis Officiis, *quem circa annum Christi DCCLX. conscripsit. Germanos ineunte IX. Seculo eum ritum non adhibuisse, testatur Amalarius Lib. II.* De Officiis Ecclesiasticis, *Cap. IV. ubi hæc habet*: Dicit Libellus, *ideest, Ordo Romanus*, secundum cujus ordinem celebratur Ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneant, Evangelium super caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimat, neque Canonica auctoritas.

XVII. At vero non modo Morinus, & Jueninus, verum etiam creditus Alcuinus, & Amalarius omnino labuntur, quibus refragatur quidem omnium Pontificalium Librorum, ac vetustorum Patrum, & Conciliorum auctoritas. Nam omnes, ne uno quidem excepto, eum ritum præscribunt, meminitque ipsius ritus celebre antiquum Carthaginense IV. Concilium anno Christi CCCXCVIII. Can. II. *Episcopus*, inquit, *cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus; & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Atque ut alia veterum testimonia, & exempla omittam, meminit & ejus ritus Palladius in Vita S. Joannis Chrysostomi, ubi agens de ordinatione Eunuchi Victoris Tribuni in Ephesinum Episcopum facta a Theophili sectatoribus, inter alia asserit, quod *non horruerunt Evangelium sceleste capiti imponere*. Porro absoluta Consecrationis Præfatione, mos ille & olim invaluit, aperiendi scilicet, revolvendique ipsum Evangelii Codicem, ut ex occurrenti in prima pagina sacri Textus sententia prognosticum conjiceretur, uti jam notavimus citato nostro I. Tomo Romani Pontificalis. Certe, ut tradit Martene, Hugoni ex Monacho Cistercienſi, & Abbate Pontiniacensi in Episcopum Antissiodorensem a Paschali II. Summo Pontifice consecrato *præsagium fuit prognosticum divinitus destinatum*... Ave Maria gratia plena &c.

Quæ

Quæ quidem verba, subdit Martene, *veluti certa ejus virginitatis signa considerata sunt*. Sed de his nunc satis.

XVIII. Ex nostro Romano Cæremoniali post prolata illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ in Pontificali Romano leguntur, ubi agit de Consecratione Electi in Episcopum, *Consecrator sine Mitra dicit super eum Orationem*: Propitiare Domine &c. *Deinde voce mediocri extensis manibus ante pectus dicat Præfationem &c.* Præfatio ista in antiquis Pontificalibus dicitur Consecratio, in eaque doctissimi Theologi Episcopatus formam constituunt. Quicquid sit, quod ritum spectat, edicit Colbertinum Pontificale, ut *ipse Ostiensis Episcopus elevata voce dicat in modum Præfationis*, Per omnia secula seculorum, R. Amen. *Et prosequatur Præfationem illam*, Deus honor omnium dignitatum, *ut supra in Consecratione Episcopi, in qua Oratione sit eleganter hæc additio ubi dicitur*: Et iccirco huic famulo tuo N. quem Apostolicæ Sedis Præsulem, & Primatem omnium, qui in Orbe terrarum sunt, Sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ Doctorem dedisti, & ad Summum Sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus Domine gratiam largiaris &c. *ut ibi usque*, de profectu omnium consequatur. *Consequenter vero, ubi dicitur*: Tribuas ei Domine &c. *in Consecratione Romani Pontificis dicatur sic*, Tribuas ei Domine Cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tuæ sortis intra mundi limites universam. Sis ei auctoritas &c. Meminit plane & hujus ritus Cæremoniale Gregorii X. itemque Codex Piersanctianus his verbis: *Ordinator incipit, & procedit, ut continetur in Libro, omnibus aliis Prælatis secum dicentibus in voce depressa, & Ordinatore in cantu*, Deus honor &c. *prout in Libro*; *eo tamen salvo, quod mutatur in loco suo illud*; Et idcirco, *quod specialiter ponitur in Consecratione Papæ*. Mabillonius in Ordine Romano XIII. qui est Cæremoniale ipsum Gregorii X. male legit, *Deus homini*, legendum est, *Deus honor &c.* ut in ipso Piersanctiano Codice, & in omnibus Libris Pontificalibus passim.

XIX. Juxta ejusdem nostri Romani Cæremonialis præscriptum, post prolata illa Præfationis verba, *Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum cælesti unguenti rore sanctifica*, quæ verba etiam in aliis multis priscis Pontificalibus leguntur, *tunc Consecrator genuflexus, & sine Mitra versus ad Altare incipit Hymnum*, Veni Creator Spiritus; *& tam Electus, quam alii genuflectunt eodem modo*. Hymni istius neque in Sacramentario S. Gregorii, neque in antiquo Ordine, neque in priscis Pontificalibus, imo neque in Cæremoniali Gregorii X. aut in ms. Codice Piersanctiano, in quibus Consecratio electi Papæ in Episcopum describitur, ulla mentio habetur. Constat tamen ex recentiori Lugdunensi Pontificali, cujus meminimus in Commentario ad §. XXI. Tituli XIII. Tomo I. Romani Pontificalis, consueviſſe olim in aliquibus Ecclesiis in Ordinatione Episcopi dici Missam de Spiritu Sancto; imo non modo ex Romanis editis, sed & ex aliarum Ecclesiarum mss. Pontificalibus, recentioribus tamen, præscribi constat, ut ipse Hymnus diceretur, per quem invocatur Spiritus Sanctus. Et quidem recte; ipsa enim Sancti Spiritus invocatione Ordinationem Episcoporum perfici, docent non semel Sancti Ecclesiæ Patres tam Latini, quam Græci; docetque Pontificale Romanum, Consecrationi Episcopali tribui Spiritum Sanctum; juxta illius siquidem præscriptum Consecrator, & Assistentes Episcopi, ut supra dictum est, caput consecrandi tangunt, dicentes; *Accipe Spiritum Sanctum*. Item juxta quoddam Allatiani Euchologii exemplar, post recitatam ab ordinando in Episcopum Fidei professionem, statim Pontifex Consecrator Crucis signo ipsum benedicens ait: *Gratia Sancti Spiritus tecum sit, illuminans, confirmans, & intellectum tribuens omnibus diebus vitæ tuæ*.

XX. Quicquid sit de origine memorati Hymni, *Veni Creator Spiritus*, in Consecratione Episcoporum, celebris sane est in ipsorum Ordinatione cæremonia sacræ unctionis, quam ita peragendam mandat nostrum Romanum Cæremoniale, ubi electus Papa consecrandus est in Episcopum: *Finito primo versu*, prædicti nempe Hymni, *surgunt omnes, & Chorus prosequitur Hymnum. Interim caput Electi sedentis in sua Sede circumligatur panniculo lineo subtili per Diaconum, ne oleum fluat super capillos, itaut panniculi extremitates retro super cervicem pendeant. Deinde Consecrator accedens ad Electum cum Mitra, & intincto pollice dextræ manus in sacro Chrismate, stans ungit caput Electi sedentis &c.* De ipsa sacræ Unctionis cæremonia jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. §. XXII. & seqq. Sed cum in præsenti de Consecratione agatur, describendum censeo, quod in hanc rem præscribit Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum, sive Codex Piersanctianus, sic inquiens: *Depositis, chirotecis Ordinator ponit unum* (1) *capitergium subtile in modum* (2) *ferici super caput Electi, pendentibus capitibus* (3) *capitergii post collum, & sic mittit Crisma super caput ejus ad modum Crucis, & dicit illam Orationem*, Ungatur &c. *& addit Orationem*, Hoc Domine, *& in loco suo additur illud*, Tribue &c. *Qua finita* (4) *ungatur manus Electi cum Crismate, & dicit illam Orationem*, nempe, *Deus &c.* ut habetur apud Mabillonium, cujus Codex multis scatet erroribus, a quibus etiam immunis non est Codex Piersanctianus tametsi multo correctior. Porro præter caput, unguntur etiam Electo manus, sicut in Consecratione aliorum Episcoporum fit; sed & de hoc ritu videri plane possunt, quæ scripsimus in laudatum Titulum XIII. Tomi I. Romani Pontificalis, *De Consecratione electi in Episcopum*, §. XXV.

§. VIII.

De Benedictione Anuli, Evangelii traditione, & aliis usque ad finem.

Electus manus inunctas simul junctas in mappula pendenti a collo reponit. Baculus non da-

(1) Apud Mabillonium legitur, *capiturgium*. (2) *scuti*. (3) *capiturgii*. (4) *ungit manum*.

Digitized by Google

datur; mox Consecrator deposita Mitra benedicit Anulum preciosum imponendum Electo, dicens: *Creator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis: Tu Domine emitte tuam benedictionem super hunc Anulum, ut quicumque hoc sacrosancto Fidei signo insignitus incesserit; in virtute cœlestis defensionis, ad æternam sibi proficiat salutem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Electus etiam surgit dum dicitur Oratio; Anulum ipsum interea tenet manu dextera aliquis Acolythus ante Consecratorem genuflexus. Consecrator dicta Oratione aspergit Anulum aqua benedicta, & illum imponit digito anullari dextræ manus Electi sedentis dicens: *Accipe Anulum, Fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam intemerata Fide ornatur illibate custodias. Amen.* Et dum imponit, osculatur manum Electi. Deinde adjuvantibus Episcopis assistentibus, Librum Evangeliorum ab ejus spatulis removens, dat ad manus Electi sedentis, dicens: *Accipe Evangelium, & vade prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus augere tibi gratiam suam. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* His peractis, Consecrator redit ad suum Faldistorium, & lavat manus. Electo autem sedenti in sua Sede Diaconus Cardinalis tergit caput cum medulla panis diligenter, & cum panno mundo. Deinde cum pectine eburneo mundat, & componit capillos, & imponit illi Mitram; & tunc Electus lavat manus cum mica panis, & bene mundat. Quibus finitis, tam Consecrator, quam alii omnes Cardinales præsentes osculantur pedem, manum, & os Domini Electi; alii autem Prælati parati pedem, & manum; alii inferiores pedem tantum. Et mox Consecrator prosequitur Missam usque ad lectum Offertorium; & idem facit electus Pontifex in sua Sede stans. Dicto Offertorio, Consecrator accedit ad Electum sine Mitra, & de ejus manu accipit Offertorium, intorticia, panes, & vini vasa duo, & ad unumquodque istorum osculatur manum Electi. Tunc revertitur ad suum Faldistorium, & lavat manus tam ipse, quam Electus, & intrat ad Altare, & similiter D. Electus accedit ad Altare, & ponit se ad cornu Epistolæ, Presbytero Cardinale ministrante Librum, & ibi sine Mitra simul cum Consecratore celebrabit signando, & omnia dicendo submissa voce, ut Consecrator; non tamen se loco movebit usque ad Communionem, quam sumet sub utraque specie stans in ipso cornu aliquantulum procedens. Finita Missa, non imponuntur Chirotecæ, neque Mitra, quam habet cum illis benedictionibus consuetis, neque inthronizatur Electus; sed stans in medio Altaris sine Mitra, habens ante se Crucem Papalem, benedicit, dicens: *Sit Nomen Domini benedictum.* Et resumta Mitra vadit ad Sedem suam, & sedet; & tunc Consecrator accedit versus Dominum Electum, & tertio genuflectens dicet: *Ad multos annos*, ut dictum est in Presbytero. Et omnes deinde exuunt se sacris vestibus cum Orationibus consuetis.

COMMENTARIUS.

I. COnsecratione manuum facta, *Baculus non datur*, inquit nostrum Cæremoniale Romanum, concinitque Cæremoniali Gregorii Papæ X. & Piersanctiano Codici, in quibus post citatam Orationem ad manuum unctionem dicendam, ita legitur: *Qua finita, non datur ei Baculus, nec dicitur illa Oratio*: Accipe Baculum; *sed dat ei Anulum &c.* Baculus antiquum est Episcoporum insigne, de quo abunde diximus in Commentariis ad Romanum Pontificale, & ad Concilia Œcumenica. *Baculo Pastorali non utitur Romanus Pontifex tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*, inquit Innocentius III. in Cap. *Accepimus*, XIII. *De sacra unctione*, in fine. Propter historiam inquit Lib. I. Mysteriorum Missæ Cap. LXII. *pro eo, quod Beatus Petrus Apostolus Baculum suum misit Euchario primo Episcopo Trevirensi, quem una cum Valerio, & Materno ad prædicandum Evangelium genti Theutonicæ destinavit, cui successit in Episcopatu Maternus, qui per Baculum Sancti Petri de morte fuerat suscitatus. Quem Baculum usque hodie cum magna veneratione Trevirensis servat Ecclesia.* Addit deinde, *propter mysticam rationem*; quia scilicet Baculus Pastoralis est signum limitatæ Jurisdictionis. Romanus autem Pontifex jurisdictionem universalem habet.

II. Quicquid sit, Baculo Pastorali, seu Ferula, quæ ut docet Honorius Augustodunensis Lib. I. Cap. CCXVI. idem est, ac Pastoralis Baculus, usum olim fuisse Romanum Pontificem, docet eruditissimus Altaserra in dicto Capite, *Accepimus*, prope finem, *De sacra unctione*, probatque ex historia degradationis Benedicti V. cui Leo VIII. antipapa Pallium discidit, & Ferulam, seu Baculum confregit, veluti insignia Pontificatus: *Tunc Leo Apostolicus, coadunata multorum Episcoporum Synodo, eundem Benedictum Romanæ Sedis invasorem, judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & Pontificale Pallium, quod sibi imposuerat, abscidit, Ferulamque Pastoralem manu ejus abreptam coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, Diaconatus ei tantum gradu uti concessit.* Tradit hæc Auctor Appendicis ad Reginonem anno CMLXIV. eademque habet Luitprandus Lib. VI. Cap. XXI. & ultimo, ubi agens de Benedicto ipso Papa exauctorato, inquit: *Pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali Fe-*

Digitized by Google

Ferula, quam manu gestabat, Domino Papæ Leoni reddidit; quam Ferulam idem Papa fregit. Consuevit tradi Ferula in manu recens creati Papæ, etiam post annum millesimum, ejusque ritus testis est Anonymus Scriptor apud Baronium ad annum MC. ubi de electione Paschali Papæ II. ita scribit: *Est locatus in utrisque Curulibus, sedibus scilicet eburneis; data est ei Ferula in manu.* Cencius quoque Camerarius in Ordine Romano XII. Cap. XLVII. Num. LXXIX. sic eundem ritum enarrat servari solitum in electione Romani Pontificis: *Electus sedet ad dexteram in sede Porpheritica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii de Palatio dat ei Ferulam, quæ est signum regiminis, & correctionis.* Occurrit ea vox passim apud Scriptores passim, viderique potest inter alios Macrus in Hierolexico, verbo, *Baculus*, ubi inter alia affert figuram Sancti Gregorii Magni manu dextera Ferulam tenentis, quam ait ex monumentis Alphonsi Ciaconii a Laurentio de Mariis Romano donatam sibi fuisse. Aliam figuram Gelasii Papæ II. cum Baculo Pastorali videre est apud eundem Scriptorem, verbo, *Mitra.*

III. Omissa in Consecratione Papæ in Episcopum Baculi traditione, *Consecrator, deposita Mitra*, inquit nostrum Cæremoniale, *benedicit Anulum pretiosum imponendum Electo, dicens*, Orationem scilicet, *Creator, & conservator humani generis &c.* Extat quidem formula hujus benedictionis in Romano Pontificali, ubi scilicet agitur de Consecratione electi in Episcopum, desideratur tamen non modo in Pontificali Colbertino, sed & in Cæremoniali Gregorii X. & in ms. Codice Piersanctiano, tametsi in iis mentio fiat traditionis dicti Anuli: *Dat ei*, inquiunt, *Anulum, & dicit Orationem*, Accipe &c. *& addit, sanctam universalem Ecclesiam.* Hæc additio deest quidem in nostro Cæremoniali, ubi formula ejus traditionis eadem est, quæ legitur in Romano Pontificali, sed habetur tamen, ut notatum est, in ms. Colbertino Pontificali sic ajente: *Consecratione manuum facta, Consecrator immittit Anulum in digitum anularem dextræ manus Papæ consecrati, dicens*, nempe, *Accipe Anulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, videlicet sanctam universalem Ecclesiam, intemerata Fide ornatus illibate custodias.* In Romano Pontificali anni MDLXXII. ubi post Titulum, *De Consecratione electi in Episcopum*, sequitur Titulus, *De Consecratione & Coronatione Summi Pontificis*, formula traditionis Anuli est absque illo additamento, *universalis*; sed hoc parum refert, ea enim vox passim occurrit in nostro hoc eodem Cæremoniali S.R.E. quod Augustinus Patricius ordinavit.

IV. Post Anuli impositionem sequitur traditio Codicis Evangelii, quem Consecrator adjuvantibus Episcopis assistentibus, ut ait nostrum Cæremoniale, ab ejus spatulis removens, dat ad manus Electi sedentis, dicens: *Accipe Evangelium, & vade prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus augere tibi gratiam suam. Qui vivit & regnat &c.* Est & hæc eadem formula, quam Romanum Pontificale dicendam præscribit in ceterorum Episcoporum Consecratione; sed sciendum tamen, in Consecratione Papæ juxta præscriptum Colbertini Pontificalis, & ms. Piersanctiani Codicis deberi apponi additamentum illud, quod in formula traditionis Anuli notatum fuit: *Deinde dat ei*, inquit Pontificale Colbertinum, *secundum modum præscriptum, Librum Evangeliorum, dicens: Accipe Evangelium, & vade, prædica populo universo, potens est enim Deus &c.* Desunt hic ea verba, *tibi commisso*; sed leguntur tamen in laudato Codice Piersanctiano: *Accipe*: inquit, *& addit, universali populo tibi commisso &c.* Idipsum habetur in Cæremoniali Gregorii X. cujus tamen verba mendose Mabillonius descripsit in Romano Ordine XIII. Num. VI. *Dat ei Librum Evangeliorum, & dicit*: Accipe &c. *& addit, universalem populum tibi committo*; legendum siquidem, *universali populo tibi commisso.* Quicquid sit, traditur Evangelii Codex Papæ in sua in Episcopum Consecratione sub ea formula, *Vade prædica populo &c.* ut vel inde addiscamus, ipsi præsertim incumbere ex munere commissum sibi populum pascere salutaris doctrinæ pabulo, ut non uno in loco testantur inter alios Sanctissimi Romani Pontifices, Leo I. & Gregorius itidem I. ambo cognomento *Magni.*

V. Facta Evangelii traditione, ex præscripto Colbertini Pontificalis *Archidiaconus imponat ei Pallium, dicens*: Accipe Pallium, plenitudinem scilicet Pontificalis officii, ad honorem Omnipotentis Dei, & Gloriosissimæ Virginis Mariæ Genetricis ejus, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Deinde ascendit Papa ad Sedem &c.* Juxta nostrum Cæremoniale in præsenti §. peracta Evangelii traditione, *Consecrator redit ad suum Faldistorium, & lavat manus; Electo autem sedenti in sua Sede Diaconus Cardinalis tergit caput cum medulla panis diligenter, & cum panno mundo &c.* Mentionem faciunt & hujus ritus Cæremoniale Gregorii X. & ms. Codex Piersanctianus, in quibus tamen munus tergendi tunc Caput Papæ, non Diacono, sed uni Episcopo Cardinali committitur; sic enim inquiunt: *Quibus omnibus expletis per Consecratorem, idem Summus Pontifex sedet in Faldistorio, & lavat manus cum mica panis, & aqua, & unus Episcopus Cardinalis venit coram ipso, & tergit ejus caput, quod fuit unctum, cum mica panis, & cum cortice leviter, & tergit cum linteamine, sive subtili tobalea.* Porro peracta hac Cæremonia, ex nostri Cæremonialis præscripto *tam Consecrator, quam alii omnes Cardinales præsentes osculantur pedem, manum, & os Domini Electi; alii autem Prælati parati pedem, & manum, alii inferiores pedem tantum.* Cæremoniale Gregorii X. & Piersanctianus Codex solorum Cardinalium, & Consecratoris mentionem faciunt, eosque ajunt a Pontifice ad oris osculum recipi: *Quo finito, ipse Summus Pontifex recipit Consecratorem, & omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales ad osculum oris.* Ceterum juxta Colbertinum Pontificale post acceptum quidem Pallium *ascendit Papa ad Sedem, & recipit ad osculum pedis, & oris, omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Cardinales, & alios Prælatos.*

VI. Expleta hac cæremonia, *Consecrator*, inquit nostrum Cæremoniale, *prosequitur Missam usque ad lectum Offertorium; & idem facit electus Pontifex in sua Sede stans.* Dicto Offertorio, *Consecrator accedit ad Electum, sine Mitra, & de ejus manu accipit Offertorium, interticia, panes, & vini vasa duo &c.* Servatur hic

Digitized by Google

hic ritus in Consecratione Episcoporum, & si qua fides Lugdunensis Ecclesiæ Pontificali allato ab Edmundo Martene Libro I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Capite VIII. Articulo XI. Ordine XVIII. ex Melchiadis Papæ institutione, & antiquo Ecclesiæ more: *Tunc Consecratus offerat*, post Offertorium scilicet, *ex institutione Melchiadis Papæ, & de more offerat duos panes, duas amphoras vino plenas, & duos cereos accensos, & alia consueta*. Pontificale quoque Moguntinum ante annos CD. exaratum, uti videre est apud eumdem Martene citato loco, Ordine XVI. ita & de eo ritu loquitur: *Procedat Consecratus ad Altare, & offerat duos cereos accensos, duos albos panes, & duas phialas plenas vino*. In margine recenti manu, ut idem Martene testatur, legitur: *Nota, hujusmodi oblationes portantur per familiam Electi, & in offerendo Electus tangat cum manu*. Egimus & nos de hac oblatione citato nostro I. Tomo Romani Pontificalis; sed notandum hic tamen generatim, quod ubi in aliorum Episcoporum Consecratione, Electi passim Consecratoribus suis reverentiam exhibent, in Consecratione tamen Papæ Consecrator ipse Papæ summam in omnibus exhibet reverentiam, ob gradum scilicet Summi Pontificatus, cujus multæ sunt prærogativæ supra cæteros Episcopos omnes. Atque hinc est, quod ubi ceteri electi Episcopi ad Altare accedunt, ut offerant Consecratori, in Papæ tamen Consecratione *Consecrator accedit ad Electum sine Mitra, & de ejus manu accipit Offertorium, intorticia, panes, & vini vasa duo, & ad unumquodque istorum osculatur manum Electi*; postquam scilicet in eadem Consecrationis actione, uti paulo superius notatum est, pedem etiam osculatus fuit ipsius electi Pontificis.

VII. Absoluta oblatione, procedunt ambo ad Altare, ponitque se Electus, ut ait nostrum Cæremoniale, *ad cornu Epistolæ, Presbytero Cardinale ministrante Librum, & ibi sine Mitra simul cum Consecratore celebrabit, signando, & omnia dicendo submissa voce, ut Consecrator, non tamen se loco movebit usque ad Communionem, quam sumet sub utraque specie stans in ipso cornu, aliquantulum procedens*. Jam non modo Electum in Summum Pontificem, ubi in Episcopum consecratur, sed & ceteros omnes, qui in Episcopos consecrantur, Eucharisticam Communionem sub utraque specie percipere, ex antiquo ritu præscribit Romanum Pontificale Parte I. Titulo XIII. §. XXXVIII. in quem videri possunt, quæ scripsimus nos nostro I. Tomo Commentariorum. Porro quod reliquos Episcopos spectat, ex præscripto ms. Pontificalis insignis Ecclesiæ Apameensis in Syria, ubi enarratur Ordo ad consecrandum electum in Episcopum juxta morem Romanæ Ecclesiæ, *cum venerit ad communicandum, Pontifex porrigit ipsi consecrato sacram oblationem integram, quam ipse suscipiens dat ei osculum; & tunc accedens ad Diaconum, suscipit de manu ipsius Sanguinem Domini; deinde rediens ad locum, ubi fuerat in sacrificando peragit Missam suam*. Differt autem & in eo Consecratio electi in Papam a Consecratione Episcoporum, quod in ipsa Papæ Consecratione in Episcopum, *finita Missa*, ut ait hic noster §. *non imponuntur Chirothecæ, neque Mitra, quam habet cum benedictionibus consuetis, neque inthronizatur Electus, sed stans in medio Altaris sine Mitra, habens ante se Crucem Papalem, benedicit, dicens*: Sit Nomen Domini benedictum; *& resumta Mitra vadit ad Sedem suam, & sedet; & tunc Consecrator accedit versus Dominum Electum, & tertio genuflectens dicet*. Ad multos annos; *ut dictum est in Presbytero*. Hactenus noster §. cui & alii antiqui Romanæ Ecclesiæ Cæremoniales Codices consentiunt, quos non est necesse hic recensere, sicut nec mss. veterum Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus multa præscripti ritus exempla in electorum Summorum Romanorum Pontificum Consecrationibus in Episcopos occurrunt.

§. IX.

Consecratio, Benedictio, & Coronatio simul Romani Pontificis.

Quod si electus in Romanum Pontificem voluerit eadem die consecrari Episcopus, benedici, & coronari, ut a superioribus Pontificibus plerumque servatum est, ita procedendum erit. Sed eadem servantur etiam in Electo, qui prius erat Episcopus, benedicendo, & coronando usque ad sequens Capitulum, ubi incipit: Cantores.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum hic primo illud, quod docet Jacobus Gajetanus in Ordine Romano XIV. Cap. XII. *Episcopus*, inquit, *qui in Papam electus est, non consecratur aenuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo & coronatur*. Hæc benedictio, quod fieret loco Consecrationis, ubi a Formoso Papa, uti superius dictum fuit, consueverunt etiam Episcopi eligi in Romanos Pontifices, dicta est aliquando ab antiquis Scriptoribus Consecratio, ut recte admonet Pagius in Vita ejusdem Formosi, qui e Portuensi Episcopo creatus fuit anno Christi DCCCXCI. Romanus Pontifex Maximus; & in Leonis Papæ IX. Vita, ex Tullensi Episcopo ad Romanam Cathedram anno MXLIX. evecti. Sed & illud notandum, quod idem Pagius tradit in Vitis Nicolai Papæ I. Stephani IX. aliis X. & aliorum plurium, Consecrationem olim electorum in Romanos Pontifices fieri semper consuevisse in Basilica S. Petri, & utplurimum post inthronizationem, quæ in Lateranensi Basilica præcesserat, licet in hoc constans Ordo non fuerit. Certe Nicolaus I. postquam in Basilica Lateranensi inthronizatus fuisset, *postmodum a Nobilibus & populo*, inquit Anastasius, *in Basilicam Beati Petri deductus, præsente Cæsare con-*

Digitized by Google

conſecratur, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede, factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper ſacratiſſimum Corpus Apoſtoli celebravit. Denſis tandem Optimatum, Populique agminibus, cum Hymnis, & canticis ſpiritualibus iterum Lateranum perductus coronatur. Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus, & Populi plenitudo magnifica gratulatur VIII. *Kalendas Maji*. Ita legitur in Labbeana Conciliorum editione, ubi in Vita ipſius Papæ recenſitus Anaſtaſii locus affertur, licet in editione Regia ille temporis character deſideretur.

II. Inter alios idem Pagius putat in ipſa Nicolai I. Papæ Vita, hanc eſſe primam Coronationis Summorum Pontificum mentionem; non enim ſe legiſſe ait aliquem ex Romanis Pontificibus ante coronatum fuiſſe. Hæc præterea Coronatio facta eſt in Eccleſia Lateranenſi, licet poſtea, ut idem Auctor notat in Paſchali II. in Cæleſtino III, & alibi, Pontifex ſemper coronatus ſit in Eccleſia Vaticana, e qua redibat coronatus in Lateranum. Quamobrem non immerito ſuſpicatur, Auaſtaſii locum, ubi legitur, *Lateranum perductus coronatur*, legendum eſſe, *Lateranum perductus coronatus*. Agemus nos de hac Coronatione inferius, ac de ritibus in ea ſervatis, unum hoc loco monentes, conſueviſſe quidem plerumque Romanos ipſos Pontifices, ut in eorum Vitis legitur apud memoratum Pagium, alioſque Scriptores, *eadem die conſecrari Epiſcopos, benedici, & coronari*. Id quod etiam noſcere licet ex Ordinibus præſertim Romanis, XII. auctore Cencio, & XIV. auctore Jacobo Gajetano.

§. X.

Quæ ſervantur in Coronatione etiam ſine Conſecratione Epiſcopali.

Primo ordinabuntur omnia ad hujuſmodi ſolemnitatem opportuna convenienti tempore, quæ ex lectione hujus Ordinationis facile colligi poterunt, & tandem conſtituto die Dominico Pontifex ſi eſt in cubiculo, ſummo mane ad Cameram paramenti, quam Papagalli appellant, ingreditur. Ibi a Diaconis Cardinalibus, Subdiaconis, Acolythis, & aliis Officialibus conſuetis paratur Amictu, Alba longa, Cingulo, Stola, Pluviali rubeo, & Mitra pretioſa. Cardinales alii circumſiſtunt, & omnes Prælati, & Officiales cum ſuis Cappis laneis. Sic electus Pontifex paratus, Cruce præcedente, progreditur ad S. Petrum ordine alias conſueto, Diaconis Cardinalibus hinc & inde fimbrias Pluvialis ſuſtinentibus. Caudam autem Pluvialis portabit nobilior laicus, qui erit in Curia, etiamſi eſſet Imperator, vel Rex; ſupra eum octo Nobiles, ſive Oratores portant Umbraculum haſtilibus octo ſuſtentatum, quod hodie baldachinum appellant. Ante eum duo ſervientes armorum portant Faldiſtorium cum magno cuſſino. Forerius tapetum, & parvum ſcabellum, & cuſſinum.

COMMENTARIUS.

I. ELectum Romanum Pontificem in Eccleſia Lateranenſi fuiſſe inthronizatum, & proxima die Dominica in Vaticana S. Petri Baſilica de more conſecratum, ac poſtmodum Conſecratione peracta, iterum ad Lateranum proceſſiſſe coronatnm Seculo XI. habemus tum ex actis Vaticanis, tum ex Pandulpho in Vita Paſchalis II. qui electus Pontifex fuit Anno MXCIX. tum ex aliis Auctoribus, tum denique ex variis Ordinibus Romanis Seculo XII. exaratis, qui extant apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici. Quædam porro hic eſſent explicanda, quæ tamen opportuniori loco infra enarrabimus, præſertim vero inſignem illum ritum jam a variis Regibus religioſe ſervatum, geſtandi ſcilicet caudam Pluvialis Summi Pontificis, cum is illo indutus incedit. Notandum autem præſertim hic illud, quæ in hoc noſtro §. tradit Patricius, conſentire iis, quæ de Coronatione Innocentii Papæ VIII. refert Burchardus in ſuo Cæremoniali, ſic inter alia inquiens §. CLXXXIV. *Dominica duodecima menſis Septembris, omnibus pro Coronatione Pontificis ordinatis, Sanctiſſimus Dominus noſter Innocentius Papa Octavus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali rubeis, & Mitra pretioſis, deſcendens de Palatio ad Baſilicam S. Petri ſub Baldachino, quod per Nobiliores Curiæ & Oratores portabatur, præcedente Cruce, & poſt eam Cardinalibus in eorum Cappis Pontificem ſequentibus, Officialibus quoque ſimiliter in ſuis ordine & loco euntibus, ut alias, pervenit ad primam portam Palatii in ſede qua portabatur, demiſſus intra dictam portam Palatii, ſedens omnes Canonicos dictæ Baſilicæ ad pedis oſculum recepit.*

§. XI.

Ubi Pontifex electus recipit ad oſculum pedis Canonicos & Capitulum Baſilicæ S. Petri, & de præparatione ad Miſſam.

Cum Papa electus pervenerit ad portam ultimam Palatii, quæ eſt in capite porticus Eccleſiæ Sancti Petri, in plano apud portam extenditur tapetum, ponitur faldiſtorium,

Digitized by Google

& super illud cussinum magnum, & ad pedes parvum scabellum, & sedens ibi Electus recipit ad osculum pedis Canonicos, & Capitulum Basilicæ S. Petri. Deinde surgens intrat Ecclesiam per portam, quæ est in medio, & progressus usque ad secundum circulum porphyreticum, detracta Mitra, orat versus ad Altare supra faldistorium a supradictis ibi paratum, & tunc supra scabellum parvum ponitur parvus cussinus. Facta oratione surgit, reassumit Mitram, & pergit ad Capellam S. Gregorii, quæ dicitur Capella S. Andræe, & sedens in sede sibi parata, recipit omnes Cardinales, & alios Prælatos cum suis Cappis ad reverentiam. Cardinales ad manus sub auriphrygio, Prælatos ad pedis osculum. Tunc surgens sine Mitra, adstante Cruce Papali, benedicit populo, dicens: *Sit Nomen Domini &c.* Subdiaconus dicturus Epistolam, deposita Cruce post benedictionem capit omnia sua paramenta, & simul cum eo Acolythi exuunt Cappas, & induunt Superpellicea super Rochettum, ad partem se retrahentes. Sedet deinde Electus aliquantulum cum Mitra; & iterum surgens sine Mitra, versus ad Altare sub silentio dicit: *Pater noster &c.* Tum alte incipit pro Tertia: *Deus in adjutorium &c.* Et sic stat quousque incipiatur Psalmus: *Legem pone*. Inde sedet cum Mitra, & assistentibus Episcopis cum Libro, adjuvantibus hinc inde Diaconis, ut moris est, incipit Psalmum: *Quam dilecta*. Interim Subdiaconus Apostolicus lecturus Epistolam, ut diximus, paratus omnibus suis paramentis, ex Altari subministrante Sacrista, accipit Sandalia, quæ reverenter portat ad Electum, sequentibus illum Acolythis cum Superpelliceis, & ea simul cum Cubiculario Cameræ imponit pedibus suæ Sanctitatis, Acolythis circumcirca fimbrias Pluvialis elevantibus supra illorum capita. Impositis Sandaliis, Diaconus lecturus Evangelium cum duobus aliis Diaconis, qui assistent Papæ, capiunt paramenta sua; ille Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Dalmaticam; Manipulum vero post capiet in Altari; alii vero duo capient Amictum, & Dalmaticas tantum. Induti reverenter simul ad Electum accedent, qui, finitis Psalmis, cum dicitur Capitulum pro Tertia, surgit cum Mitra, & finitis versiculis, deposita Mitra, & adstantibus duobus Ceroferariis, dicit: *Dominus vobiscum*; & orationem pro Tertia. Librum prior Episcoporum Cardinalium, qui ei assistere debet, sustinet supra caput; Episcopi vero assistentes juvant, & tenent candelam accensam. Dicto *Dominus vobiscum* post orationem, Liber removetur, Ceroferarii discedunt; & dicto a Cantoribus *Benedicamus Domino*, Papa sedet cum Mitra, & lavat manus, Episcopo Cardinale adjuvante, & reliqua ut alias. Lotis manibus, Episcopus Cardinalis redit ad locum suum, & Papa deponit Mitram, Pluviale, & Stolam; & Diacono lecturo Evangelium ante se stante, induitur consuetis paramentis, quæ per Acolythos hoc ordine portantur ex Altari, & ipsi Diacono porriguntur. Duo Diaconi assistentes, & post eos duo Subdiaconi adjuvant vestientem. Primum portatur Manipulus cum Subcinctorio, Crux pectoralis, Phanon, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, Planeta, Mitra auriphrigiata. Anulus autem non datur, si non est consecratus Episcopus, quem si esset consecratus Episcopus, Cardinalis Episcopus assistens imponeret.

COMMENTARIUS.

I. COnsueviſſe jam olim Canonicos, & Capitulum Basilicæ S. Petri recipi ad osculum pedis Summi Pontificis, ubi is recens electus Pontificiam Coronam acceptu-rus, perveniebat ad portam ultimam Palatii, quæ erat in capite Porticus ipsius Basilicæ, edicit quidem hic noster §. ubi etiam alia notantur de loco, ubi a Pontifice Canonici ipsi ad prædictum osculum recipiebantur. Variant nonnihil hac in re antiqui Romani Ordines, in quibus tamen expressa fit mentio admittendi ad ipsum osculum Basilicæ Vaticanæ Canonicos. Legendus Romanus Ordo XIII. seu Cæremoniale Romanum Gregorii Papæ X. jussu editum, itemque Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gajetano apud eruditum Mabillonium Tomo II. Musæi Italici. Concinit autem hic noster §. iis quæ de Coronatione Innocentii Papæ VIII. tradit Burcardus in suo Cæremoniali §. CLXXXIV. cujus locum in fine Commentarii superioris attulimus. Inter alia enim inquit, quod ipse Pontifex ubi *pervenit ad portam Palatii in sede, qua portabatur, demissus intra dictam portam Palatii, sedens omnes Canonicos dictæ Basilicæ*, Vaticanæ scilicet, *ad pedis osculum recepit*.

II. Pergit Burchardus, aliaque narrat in ipsa Coronatione Innocentii Papæ VIII. servata, quibus plane concinunt quæ in eodem hoc nostro §. præscripta sunt. Hæc autem Burchardi verba §. CLXXXV. *Deinde portatus in sede prædicta per portam consuetam mediam videlicet Basilicæ prædictæ usque ad secundum lapidem magnum porphyreum in terra positum, ubi in parato sibi Faldistorio cum scabello, & cussinis, & tapete subtus in terram prostrato, deposita Mitra, genuflexus ad Altare majus versus oravit. Faldistorium cum scabello, & tapete servientes armorum hinc & inde quo opus erat, portaverunt.* Lapis magnus porphyreus, ut hic ait Burchardus, sive circulus porphyreticus, ut habet noster §. la-

Digitized by Google

lapis marmoreus orbicularis est, in pavimento Basilicæ Vaticanæ positus, designabatque vel olim situm, seu locum, in quo functiones quædam a Pontifice peragebantur. Circulus iste porphyreticus appellatur etiam *rota porphyretica* in hoc eodem nostro Cæremoniali, & longe ante a Cencio Camerario in Ordine Romano XII. Cap. XXXIX. §. LXIV. ubi sic inter alia inquit: *Factaque oratione post* Te Deum laudamus *super rota in introitu quasi Ecclesiæ*, Vaticanæ scilicet, *pergit ad Secretarium &c.* Extant hodieque hujusmodi lapides porphyretici non modo in ipsa Vaticana Basilica, sed & in aliis Urbis Ecclesiis, de eisque videri inter alios potest eruditus Turrigius *De Cryptis Vaticanis*, Cap. VIII. pag. 520. editionis II.

III. Sed ut magis magisque ostendatur, ea quæ in præsenti §. præscripta sunt, accepta esse ex ritu servato in Coronatione Innocentii VIII. lubet describere quod mox idem Burchardus subdit §. CLXXXVI. *Facta oratione*, inquit, *imposita est Mitra Pontifici, qui resedit in sede prædicta, in qua portatus est ad Capellam S. Gregorii, ubi in Faldistorio genuflexus sine Mitra oravit more solito. Faldistorium cum suis attinentiis portarunt servientes armorum, ut moris est, & facta oratione, Papa, accepta Mitra, sedit in sede Pontificali ibidem sibi parata, ubi accepit omnes Cardinales, & Prælatis in eorum Cappis ad reverentiam, primo Cardinales, qui osculabantur manum Papæ sub aurifrigio ei porrectam, Prælati deinde genuflexi pedem dextrum Papæ osculabantur*. Juxta præscriptum nostri §. exhibita a Cardinalibus, & Prælatis reverentia Pontifici, *tunc surgens*, Pontifex scilicet, *sine Mitra astante Cruce Papali, benedicit populo, dicens: Sit Nomen Domini &c.* & deinde Subdiaconus dicturus Epistolam, deposita Cruce post benedictionem, capit omnia sua paramenta, & simul cum eo Acolythi exuunt Cappas, & induunt Superpelliceas super Rochettum, ad partem se retrahentes; sedensque deinde Electus aliquantulum cum Mitra, & iterum surgens sine Mitra versus ad Altare, incipit Tertiam. Verum videtur fuisse omissa tunc illa Pontificalis benedictio in Coronatione Innocentii VIII. teste enim memorato Burchardo §. CLXXXVII. *Reverentia, ut præmittitur, facta Pontifici, præstita fuit sibi Mitra; qui surrexit, & stans detecto capite versus ad Altare dictæ Capellæ dixit secrete*, Pater noster. *Quo completo, voce intelligibili dixit cantando, & se a facie ad pectus signando*, Deus in adjutorium meum intende, *& pro Tertiis sic manens, quousque Cantores incepissent Psalmum*, Legem pone; *quo incepto, sedit. Impositum est ei Birettum, & Cantores prosequuti sunt Tertiam*.

IV. Dum Tertia cantatur, Subdiaconus Apostolicus lecturus Epistolam, ut ait noster §. paratus omnibus suis paramentis, ex Altari, subministrante Sacrista, accipit Sandalia, quæ reverenter portat ad electum Pontificem, sequentibus illum Acolythis cum Superpelliceis, & ea simul cum Cubiculario Cameræ imponit pedibus suæ sanctitatis, Acolythis circumcirca Fimbrias Pluvialis elevantibus supra illorum capita. Atque hic est ritus antiquus, quem fusius luculentiusque enarrat in suo Cæremoniali Burchardus loquens de electione, & Coronatione Innocentii VIII. hæc enim illius verba §. CXXXVIII. *Tum Subdiaconus Latinus accessit ad Altare, ubi Sacrista Capellæ nostræ mappulam sericam super brachia, & etiam caligas, & sandalia in manus dedit, quam ille manibus ad faciem elevatis portavit ante Pontificem. Eundem Subdiaconum sequuti sunt Acolythi Apostolici omnes, quibus Fimbrias Papæ extendentibus, retinentibusque, Subdiaconus ipse cum uno ex secretis Cubiculariis Papæ de subtus intravit, & calciamenta communia Papæ extrahentes, caligas, & sandalia prædicta ei imposuerunt. Interim Episcopi assistentes Librum, & candelam porrexerunt Diaconis assistentibus, qui illa in manibus tenentes hinc & inde cum Pontifice dixerunt more solito antiphonam*: Ne reminiscaris, &; Quam dilecta, & *alia, prout in eodem Libro ordinatur*.

V. Pergit in suo Cæremoniali Burchardus aliosque ritus recenset in laudata Innocentii VIII. Coronatione servatos, qui deinde in eodem nostro hoc §. præscripti fuerunt. Sic autem ille §. CLXXXIX. inquit: *Finitis Psalmis*, Quam dilecta &c. *Cum suis Responsoriis, & Orationibus, Reverendissimi Domini Senensis & Sancti Georgii, qui assistebant Pontifici, & de Sabellis senior, post eos Diaconi Cardinales recesserunt a Pontifice, & retro Altare ibidem acceperunt paramenta albi coloris, videlicet Amictum, & Dalmaticam, ultraque Reverendissimus Dominus Cardinalis Senensis, quia dicturus erat Evangelium, accepit Albam, Cingulum, & Stolam; ante quorum discessum a Pontifice, accesserunt ad assistendum Reverendissimi Domini de Columna, & Ursinis, post predictos seniores Diaconi Cardinales, & his tribus paratis, illi duo ad sua loca redierunt, & hi assisterunt more consueto*. His adde, quæ & mox sequenti §. CXC. subjicit, sic inquiens: *Interim Capellæ nostræ Cantores in angulo juxta murum extra dictam Capellam stantes prosequuti sunt Tertiam usque ad Capitulum; quo per unum ex ipsis incepto, Papa surrexit cum Mitra; cum diceretur Versiculus post breve Responsorium venerunt ante Pontificem duo Acolythi Ceroferarii cum Socio meo competenti spatio. Finito Responsorio, ad versiculum Papa deposita sibi Mitra dixit*: Dominus vobiscum, & *orationem ex libro, quem subprior Presbyterorum Cardinalium, videlicet Reverendissimus Dominus Cardinalis Novariensis servabat, Domino Archiepiscopo Arelatensi ipsum adjuvante, & Archiepiscopo Beneventanensi assistentibus candelam tenente. Qua finita Papa repetiit*: Dominus vobiscum: & *Cantores*: Benedicamus Domino; & *interim Ceroferarii redierunt ad Altare*.

VI. Tertia finita, ex antiquo ritu cujus non modo noster hic §. meminit, sed & idem Burchardus in memorata, toties Innocenti Papæ VIII. Coronatione, lavat Pontifex manus, dimissoque Pluviali, & Stola, *Diacono lecturo Evangelium ante se stante, induitur consuetis paramentis, quæ per Acolythos hoc ordine portantur ex Altari*, inquit noster §. *& duo Diaconi assistentes, & post eos duo Subdiaconi adjuvant vestientem*. Sane Ordo, quo tunc ipsa paramenta portantur, is est: *Primo portatur Manipulus cum Succinctorio, Crux pectoralis, Phanon &c.* Fuse de hisce, aliisque Pontificalibus vestibus, insignibusque diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, de iisdemque late inter alios differit Tomo I. liturgiæ Romani Pontifi-

Digitized by Google

cis eruditus Georgius. Quod Phanonem, seu, ut alii scribunt, Fanonem, spectat, varia licet sit ejus significatio, uti in Ordinibus Romanis videre est allatis a Mabillonio Tomo II. Musei Italici, & a memorato Georgio, ac aliis qui de Pontificalibus indumentis scripsere, Phano apud Macrum in Hierolexico, subtilissimum est sericum velum variegatum, quo utitur Papa cum Pontificaliter celebrat, quodque post Albam induitur, & circa collum ligatur, ad modum caputii, ac supra caput ejus imponitur, usquequo Planeta induitur, supra quam deinde ad modum Mozzettæ adaptatur Pallio superposito, itaque pars Phanonis inferior infra Planetam conditur. Colores, quibus variegatur, quatuor esse, & quidem eosdem, qui in Ephod veteris Testamenti erant, testatur idem Auctor loco citato.

§. XII.

Quando, & qui accipiunt paramenta, & de colore.

In Consecrationibus utuntur hodiernis temporibus albis paramentis, quamvis antiqui secundum temporis exigentiam colore uterentur. Sed conveniens est, ut utamur secundum quod exigit Missa, quæ celebratur. In Processione autem erunt omnino albi coloris. Cum electus Papa incipit parari, Cardinales, & omnes Prælati, atque Officiales parantur. Episcopi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Pluvialibus, & albis Mitris. Presbyteri Cardinales Planetis, & Mitris similibus. Diaconi Cardinales Dalmaticis, & Mitris albis. Subdiaconi omnes Tunicellis. Auditores, & Clerici Cameræ Superpelliceis supra Rochettis. Secretarii, & Advocati super vestes communes habeant Pluviale cum apertura super humerum dextrum, & Almucia super sinistrum, alii ut alias.

COMMENTARIUS.

I. QUatuor esse principales colores, quibus secundum proprietates dierum sacras vestes Ecclesia distinguit, album, rubeum, nigrum, & viridem, post Innocentium III. Libro 1. Cap. LXV. notavit jam inter alios Gulielmus Durandus lib. III. sui Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. XVIII. Juxta recentiores Missalis Romani Rubricas Parte I. Titulo XVIII. Romana ipsa Ecclesia *quinque coloribus uti consuevit, albo, rubeo, viridi, violaceo, & nigro*. Notat ibidem Gavantus, laudatum Innocentium III. colorem nigrum cum violaceo confundere, quatuorque & ipsum colores admittere jam enarratos, quatuor coloribus antiquarum vestium legalium respondentes, quales sunt byssus, purpura, hyacinthus, & coccus. Fuse de his coloribus differit Clarissimus Dominicus Georgius in Opere, *De Liturgia Romani Pontificis*. Expressam plane quinque colorum mentionem facit Romanus Ordo XIV. Auctore Gajetano Cap. XLIX. & sequentibus. Sed his omissis, notandum quod ait memoratus Durandus loco citato, Num. III. in Consecratione Pontificis talibus esse indumentis utendum, qualia secundum diei proprietatem conveniunt; quia scilicet *in Consecratione Pontificis cantatur Missa de die*.

II. Recte itaque noster hic §. ait quod *in Consecrationibus utuntur hodiernis temporibus albis paramentis, quamvis antiqui secundum temporis exigentiam colore uterentur*. Addit mox, conveniens esse, *ut utamur secundum quod exigit Missa quæ celebratur*. At vero juxta laudatas Missalis Rubricas, albo colore utendum non modo *in Dedicatione, & Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*, verum etiam *in Consecratione Summi Pontificis, & in anniversario creationis, & Coronationis ejusdem, & electionis, & Consecrationis Episcopi*. Putat Gavantus, colorem album adhiberi in electione, & Consecratione Pontificum, *ad indicandum candorem morum in illis*. Porro adhibita fuisse paramenta albi coloris in Consecratione Innocentii Papæ VIII. testatur Burchardus in suo Cæremoniali §. CXCI. his verbis: *Finita Tertia, sedit, & accepta Mitra lavit manus more solito, Reverendissimo Domino Vicecancellario sibi serviente, & dante aquam; qui lotis, & extersis manibus, deposita sibi Mitra surrexit, & dimisso Pluviali, & Stola rubeis, accepit paramenta albi coloris, more & ordine consueto, Reverendissimo Domino Cardinale Senense parante*. Cardinales quoque, & Prælatos, aliosque Officiales albis tunc usos fuisse paramentis, idem Burchardus affirmat sequenti §. CXCII. ita inquiens: *Interim dum Pontifex paramenta acciperet, omnes Reverendissimi Domini Cardinales, Prælati, & Officiales sua paramenta acceperunt alba; Cardinales in Capella prædicta in locis suis, videlicet Episcopi Superpelliccum & Pluviale, Presbyteri Amictum & Planetam, Diaconi Amictum & Dalmaticam, & omnes Mitras albas ex damasco albo. Prælati vero extra Capellam Pluviale & Mitras planas albas; Officiales vero omnes extra Capellam, videlicet Subdiaconi Tunicas albas supra Rochettos, excepto quod Dominus Hugo de Bengiis, qui Epistolam dicturus erat, accepit Amictum, Albam & Cingulum; Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, & Acolythi Superpellicea super Rochettos*.

III. Sed nec omittendum quod Burchardus §. CXCIII. subjicit de Secretariorum, & Advocatorum, ac aliorum vestibus tunc ex recepto utique dudum ritu adhibitis: *Secretarii vero, & Advocati Pluvialia alba supra vestes suas communes accipiebant, aperturas Pluvialium super humeris dextris habentes. Cubicularii, Scutiferi Papæ, & alii incedebant in habitu consue-*

Digitized by Google

ſueto. Ita ille, ex quo addiſcimus quod alias iterum iterumque notatum fuit, nempe quæ in hoc noſtro Cæremoniali ab Auguſtino Patricio ordinata ſunt, jam olim uſu recepta fuiſſe.

§. XIII.

Ad quos ſpectat Conſecratio Romani Pontificis.

Conſecratio Romani Pontificis ſecundum antiquas Patrum conſtitutiones ſpectare ſolebat ad Epiſcopum Oſtienſem, qui etiam Pallio in ea Conſecratione utebatur. Aſſiſtebant ei Portuenſis, & Albanenſis Epiſcopi, & hi tres in Benedictione Pontificis, quando alias eſſet conſecratus, tres ſpeciales Orationes ſuper eum dicebant. Idem agebant in Coronatione Romanorum Imperatoris; ſed, ut arbitror, ad tollendas contentiones, jam pridem introductum eſt, ut Prior Epiſcoporum Cardinalium cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis id munus obire debeant, & in Pontifice, & in Cæſare. Sicque noſtris temporibus ſervari videmus, ut non habeatur ratio Eccleſiarum, ſed prioritatis Epiſcopalis. Conſecratio noſtris temporibus non accidit, niſi in Sixto Quarto, quæ tunc facta fuit ſecrete, & per Dominum Rothomagenſem, qui erat Epiſcopus Oſtienſis, & non Prior, ſed non publicum. Prior igitur Epiſcoporum Cardinalium, ſive alius, quiſquis ille ſit, qui electum Pontificem eſt conſecraturus, procedat ad Altare majus S. Petri, ibique ad partem capiat Sandalia, & paramenta omnia Pontificalia, ac ſi celebraturus eſſet, cum Pſalmis, & Orationibus conſuetis, ibique expectet Pontificem. Interim Pontifici aſſiſtet ſubprior Epiſcoporum Cardinalium.

COMMENTARIUS.

I. ROmanos Pontifices a tribus Epiſcopis, inter quos primum ſemper locum obtinebat Oſtienſis, conſecrari ſolitos, docent nos paſſim ſacræ veterum ipſorum Pontificum inaugurationes. Liber Pontificalis, a S. Marco, qui creatus Romanus Pontifex fuit anno CCCXXXVI. inſtitutum tradit, *ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Urbis, Pallio uteretur*. Hinc primus, quem ſciamus ex Epiſcopis hoc honore affectus, ut Pallio uteretur, eſt Epiſcopus Oſtienſis, qui illud a memorato S. Marco Papa accepit. Pallium enim ſolis Patriarchis, & Archiepiſcopis competit, uti jam fuſe diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIV. *De Pallio*. Conſueverunt tamen illud poſtea Romani Pontifices aliis etiam Epiſcopis concedere, vel intuitu meritorum, vel alia juſta de cauſa, ut ibidem notavimus. Certe, ut aliqua exempla afferam, Siagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi a S. Gregorio Papa I. conceſſum Pallium eſt, cujus extat hac de re ad illum Epiſtola CXIV. Libri VII. itemque Actardo Nannetenſi ab Hadriano II. uti conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad eum directa. Idem privilegium habuit Theodulphus Aurelianenſis, & plures alii, de quibus legendus doctiſſimus Joannes Cardinalis Bona, Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. XVI. ubi addit, nunc eo uti, perpetuo privilegio Lucenſem, & Ticinenſem Epiſcopos in Italia, & Bambergenſem in Germania.

II. His obiter notatis, ex eo quod Liber Pontificalis tradat, S. Marcum Oſtienſi Epiſcopo Romani Pontificis Conſecratori Pallium dediſſe, Ciaconius in Leone II. qui electus fuit Pontifex anno DCLXXXII. & Sigonius in Hiſtoria de Regno Italiæ ad ipſum annum ſcribunt, Oſtienſem Epiſcopum ſolum fuiſſe Romani Præſulis Conſecratorem uſque ad laudatum Leonem II. qui a tribus Epiſcopis ſcilicet, Portuenſi, & Veliternenſi ordinatus eſt. Verba Anaſtaſii in ipſius Leonis II. vita hæc quidem ſunt: *Qui ſupraſcriptus ſanctiſſimus Vir ordinatus eſt a tribus Epiſcopis, ideſt, Andrea Oſtienſi, Joanne Portuenſi, & Placentino Veliternenſi, pro eo quod Albanenſis Eccleſia Epiſcopum minime habuit*. Sed vel ex hoc recitato Anaſtaſii loco corruit Sigonii opinio, & aliorum, qui ajunt, ante Leonem II. ſoli Epiſcopo Oſtienſi tributum fuiſſe, ut ſecluſis aliis Epiſcopis Pontificem Romanum conſecraret. Nam, cum Anaſtaſius rationem reddat, quod pro Albanenſi Epiſcopo, cujus Sedes vacabat, ſuffectus ſit Veliternenſis, id argumento profecto eſt, morem antea fuiſſe, ut cum Oſtienſi, & Portuenſi Epiſcopis, Albanenſis etiam ordinationi Romani Antiſtitis miniſtraret. Notat hæc Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Capite XVIII. ubi etiam recte obſervat, Ordinationes Epiſcoporum a tribus Epiſcopis etiam ante Nicenum Concilium Romæ factas fuiſſe; probatque ex facto Novati, qui, ut ſcribit Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum apud Euſebium Libro VI. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXXV. accitos Romam tres Epiſcopos temulentos, hora decima incluſos, adumbrata quadam, & inani manuum impoſitione, Epiſcopatum ſibi tradere coegit, unico contentus quidem futurus, ſi unus ad conſecrandum Romanum Antiſtitem tunc ſuffeciſſet.

III. Forte Sigonium alioſque in errorem induxit Auguſtini male intellecti auctoritas ſcribentis in Breviculo Collationis contra Donatiſtas, moris eſſe, ut Romanum Pontificem ordinet, *non aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus*. Sed id non ita accipiendum, quaſi Oſtienſis ſolus fuerit, verum potius, quod præcipuus is Romani Pontificis Conſecrator extiterit; ut idem Mabillonius ſcitiſſime advertit loco citato, ubi etiam Eulalii factum recenſet, qui poſt Zoſimi obitum, qui con-

Digitized by Google

contigit anno CDXVIII. de Pontificatu cum Bonifacio I. contendit. Is quippe, ut in Litteris Cleri Romani ad Honorium Augustum legitur, *circumventis pauciſſimis Presbyteris, exhibito etiam cum aliis Oſtienſi Epiſcopo, in locum ſibi non debitum, incuſtodito Religionis Ordine, per ambitum proruit*. Ubi cum audis, Oſtienſem Epiſcopum *cum aliis* accitum fuiſſe ad Eulalium ordinandum, alios quoque Epiſcopos ejus Ordinationi cooperatos fuiſſe, vero proximum eſt. Ceterum longe ante Leonem II. Pelagius I. electus Papa anno DLV. cum in tota Italia, ut in ejus Vita ſcribit Anaſtaſius, tertius inveniri non potuiſſet Epiſcopus, a quo conſecraretur, a Perusino, & Ferentino Epiſcopis, ac Andrea Presbytero Oſtienſi conſecratus fuit; quia ſcilicet Ordinatio Romani Præſulis, ſicut & aliorum Epiſcoporum juxta pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam, a tribus Epiſcopis fieri ſemper ſolita fuit; quam diſciplinam jam nos fuſe explicuimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. qui eſt, *De Conſecratione Electi in Epiſcopum*.

IV. Sane illud ex veteribus Romanæ Eccleſiæ monumentis variiſque Scriptoribus liquet, privilegium conſecrandi Romanum Epiſcopum, ita Epiſcopo Oſtienſi fuiſſe proprium, ut ſi hic eligeretur Pontifex, vel Conſecrationi adeſſe non poſſet, Archipresbyter Oſtienſis ejus loco ei intereſſe deberet. Id primum addiſcimus ex Gaufredo Priore Vaſienſi, qui in ſuo Chronico, quod extat Tomo II. Bibliothecæ Labbei, loquens de Lucio III. antea Epiſcopo Oſtienſi ita ait: *Feria* III. *eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Oſtiæ, & Veliternenſis Urbium. Sequenti Dominica prima Septembris*, anni ſcilicet MCLXXXI. *coronatur, & inſignitur a Theodino Epiſcopo Portuenſi, & ab Archipresbytero Oſtienſi juxta conſuetudinem, & ab univerſo populo, & Clero laudatur, Lucius III. Lucenſis Tuſcus vocatus*. Recte dicit Gaufredus, Lucium III. inſignitum, ſeu benedictum *a Theodino Epiſcopo Portuenſi, & ab Archipresbytero Oſtienſi juxta conſuetudinem*; quia cum Conſecratio Romani Pontificis ſpecialiter pertineret ad Oſtienſem Epiſcopum, & ipſe Lucius eſſet Epiſcopus Oſtienſis, debuit plane ab alio conſecrari, ſeu benedici, ſed cum aſſiſtentia Oſtien. Archipresbyteri *juxta conſuetudinem*; cujus etiam teſtem habemus Cencium Camerarium, qui poſtea fuit Honorius Papa III. in Ordine Romano XII. cujus partem Baronius anno MCXCI. & Mabillonius Tomo II. Muſei Italici integrum publicavit. Sic autem ille inquit in eo Ordine Cap. XLVIII. *Poſt hæc autem in proxima die Dominica Electus cum omnibus Ordinibus Sacri Palatii, & Nobilibus Romanis vadit ad Eccleſiam B. Petri, ubi ad Altare majus, prout in Ordine continetur, ab Epiſcopo Oſtienſi ſpecialiter, & aliis Epiſcopis de Curia conſecratur; hoc addito, quod ſi forte Epiſcopus Oſtienſis præſens non fuerit, Archipresbyter Oſtienſis, ſeu Veliternus intereſſe debet Conſecrationi*.

V. Eandem diſciplinam præterea nos docet Jacobus Gajetanus in Ordine XIV. Romano apud eundem Mabillonium ibidem. Loquens enim de Conſecratione, ſeu de Benedictione, quæ dabatur Epiſcopo, qui in Papam electus erat, Cap. XIV. ſic ait: *Electus ſedet in Faldiſtorio in plano poſito inter Altare, & Sedem eminentiorem, & ibi coram ipſo veniunt Albanenſis, Portuenſis, & Oſtienſis Epiſcopi, vel Archipresbyter Oſtienſis, ſi non ſit Epiſcopus. Qui Albanenſis dat primam Orationem, ſcilicet*: Oremus. Deus qui adeſſe &c. *Secundam Epiſcopus Portuenſis*: *Oratio*, Supplicationibus Omnipotens Deus &c. *Tertiam Epiſcopus, vel Archipresbyter Oſtienſis*. Rurſus Capite XLV. *Orationem primam dat Epiſcopus Albanenſis*: Deus, qui &c. *ſecundam Orationem dat Portuenſis Epiſcopus*: Supplicationibus &c. *tertiam Orationem dat Oſtienſis Epiſcopus, vel Archipresbyter, ſi deſit Epiſcopus*. Ex quibus patet, deceptum eſſe Joannem Garnerium, cum in Notis ad Titulum VIII. Capitis II. Libri Diurni Romanorum Pontificum ſcripſit, fuiſſe privilegium Eccleſiæ Oſtienſis conſecrare Romanum Pontificem, *antequam ulli Epiſcopi in numero Cardinalium cenſerentur*. Nam cum prima mentio ſeptem Epiſcoporum Cardinalium medio Seculo octavo occurrat; Seculo tamen decimoquarto ineunte, quo Jacobus Gajetanus laudatum Ordinem XIV. compoſuit, hoc privilegium Oſtienſi Epiſcopo adhuc competebat, licet jam a longo tempore plures alii Epiſcopi in Cardinalium Collegium cooptarentur. Addit ibidem Garnerius: *Nunc vero, cum inter eos*, ſcilicet Cardinales, *plures ſint Epiſcopi, qui tres aliis ætate præeunt, conſecrandi Pontificis jure gaudent*. Verum ex dictis convincitur, aliam rationem quærendam eſſe, cum Conſecratio Romani Præſulis devoluta ſit ad tres S. R. E. Cardinales antiquiores.

VI. Hoc porro privilegium Archipresbytero Oſtienſis Eccleſiæ jam Seculo VI. fuiſſe conceſſum, uti notat Pagius in Præfatione ad Vitas Romanorum Pontificum, Num. VIII. ex eo deducitur, quod cum, teſte Anaſtaſio Bibliothecario, poſt electionem Pelagii, qui creatus Pontifex fuit anno DLV. *non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtia, & ordinaverunt eum Pontificem*. Licet enim Andreas ab Anaſtaſio appelletur tantum Presbyter, norunt tamen Eruditi, Archipresbyterum Presbyteri, ſicut Archidiaconum Diaconi nomine, ſæpe ab antiquis exprimi. Eadem ſine dubio de cauſa, ut citato loco idem Pagius ſubdit, Joannes Veliternenſis Epiſcopus, qui Romanam Sedem medio Seculo XI. ſub Benedicti X. nomine invaſit, a Presbytero Oſtienſi conſecratus, ſeu benedictus eſt. Ceterum licet Conſecratio ipſa Romani Pontificis ſecundum antiquas Patrum conſtitutiones ſpectaret maxime ad Epiſcopum Oſtienſem, qui etiam Pallio in ea Conſecratione utebatur, eique aſſiſterent Portuenſis, & Albanenſis Epiſcopi; ac præterea licet hi tres in Benedictione Pontificis, quando alias eſſet conſecratus, tres ſpeciales orationes dicerent, idemque agerent in Coronatione Romanorum Imperatoris; tamen, ut notat in hoc Romano Cæremoniali Patricius, *ad tollendas contentiones jampridem introductum eſt, ut Prior Epiſcoporum Cardinalium cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis id munus obire debeant, & in Pontifice, & in Cæſare*. Sic ſuis ſervari ait ſe vidiſſe temporibus, ut non haberetur ſcilicet *ratio Eccleſiarum, ſed prioritatis Epiſcopalis*. Conſecrationem addit ſuo ævo non accidiſſe, *niſi in Sixto IV. quæ tunc*

Digitized by Google

tunc facta fuit secrete, & per Dominum Rothomagensem, qui erat Episcopus Ostiensis, & non Prior, sed non publicum.

VII. Ceterum, quamvis ea esset vetus Romanæ Ecclesiæ disciplina, ut Episcopus Ostiensis Romanum Pontificem consecraret, qui etiam Pallio in ea Consecratione utebatur, eique assisterent Portuensis & Albanensis Episcopi, sciendum hic tamen illud, quod ubi die xxx. Novembris anno MDCC. in Festo S. Andreæ Apostoli Clemens XI. consecratus fuit in Episcopum (erat enim Presbyter Tituli S. Silvestri in Capite, ubi electus fuit Pontifex) in Basilica Vaticana apud Altare S. Petri, Consecrationem ipsam accepit a Cardinale Bulliono Episcopo Portuensi, cum Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo Sacri Collegii Decanus propter gravem ætatem annorum LXXXVIII. omnino inhabilis esset ad consecrandum Pontificem. Episcopi assistentes fuerunt Cardinales Acciajolus Episcopus Tusculanus, & Carpineus Episcopus Sabinensis; sacræque huic actioni Cardinales omnes Cappis violaceis amicti interfuerunt, uti rem narrat in suo ms. Diario Apostolicus Cæremoniarius Candidus Cassina, qui etiam ait, in ipsa Consecratione Bullionum nequaquam usum fuisse Pallio, quod ipsum scilicet competit Episcopo Ostiensi, cujus ille gerebat vices. Qui plura de hac disciplina, quæ Consecrationem spectat Romani Pontificis, scire desiderat, legere inter alios potest eruditissimum Lupum Tomo VI. Operum editionis Venetæ, ubi Concilium Brixiense enarrans multa vetera monumenta affert. Non recte tamen ait, Consecrationem ipsam Romani Summi Pontificis non per quosvis, sed per solos Ostiensem, Portuensem, & Albanensem Episcopos posse fieri, esse antiquissimum Romanæ Ecclesiæ morem, & haud dubie Apostolicum Institutum.

§. XIV.

Ordo procedendi ex Capella S. Gregorii ad Altare, & quæ fiant antequam Electus intret ad Altare.

Paratis omnibus Ordinibus, Pontifex incensum mittet in thuribulum, & Prior Diaconorum cum Ferula Processionem ad Altare majus ordinabit hoc modo. Familiares Papæ, minores Nobiles, Cubicularii; Nobiles majores, & Barones, Conservatores, & Oratores laici, & non Prælati; Secretarii, & Advocati mixtim, ita ut duo antiquiores ex utroque ordine sint in digniori loco; Acolythi, Clerici Cameræ, Auditores, Acolythus thuriferarius, Acolythi ceroferarii, qui septem numero esse deberent; Subdiaconus cum Cruce Papali, & aliis Subdiaconis; Subdiaconi duo Latinus & Græcus cum Libris Evangeliorum; Diaconus Græcus; & nota, quod pro Epistola, & Evangelio in lingua Græca solebant vocari in hac celebritate Monachi ex Monasterio Cryptæ ferratæ. Deinde Abbates forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Oratores, Prælati, Abbates Urbis, qui in hoc die sunt privilegiati, Episcopi assistentes Papæ, Patriarchæ; Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales; Diaconi duo assistentes, & inter eos medius Diaconus lecturus Evangelium; demum ipse Pontifex, qui si pedibus suis incedet, ipsi Diaconi assistentes fimbrias Pluvialis portabunt, & major Princeps caudam. Octo Nobiles, seu Oratores baldachinum supra ejus caput ferent. Deinde sequetur Auditor, qui Mitram ministrat medius inter duos Cubiculares secretos, & inter eos est Secretarius Papæ, si non est Prælatus. Deinde Protonotarii, & Curiales Clerici non parati. Ante Pontificem immediate minister Cæremoniarum præcedit cum duabus arundinibus, super alteram stupam, super alteram vero candelam ardentem portans. Et cum Pontifex Capellam S. Gregorii exierit, Cæremoniarius ad eum conversus, ignem stupæ immittit, & genuflexus alta voce dicit: *Pater Sancte, sic transit gloria mundi*; quod tertio facit distincto æquali spatio, antequam perveniant ad portam Capellæ. Procedunt deinde omnes per navim ipsius Capellæ S. Gregorii, ubi sepulchra sunt Romanorum Pontificum, & cum illam exierint, flectunt ad dextram, & per portam, quæ est ante Altare, ingrediuntur Capellam, & ascendunt etiam ad dextram, antequam Papa cancellos Capellæ intret. Tres ultimi Presbyteri Cardinales veniunt ei obviam, & osculantur os, & pectus Pontificis a seniori incipientes; deinde ante Diaconos assistentes procedunt. Cum autem perventum fuerit ad Altare, Pontifex deposita Mitra facit orationem super Faldistorium; deinde surgens remoto Faldistorio, facit Confessionem more solito, stans hoc ordine. A Pontificis dextra stat Episcopus Cardinalis Consecrator, vel assistens, si non est Consecrator; & post eum Diaconus Cardinalis assistens; a sinistris stat Diaconus Cardinalis lecturus Evangelium, & post eum Diaconus Cardinalis assistens, post quem genuflexus manet Subdiaconus Latinus cum Libro Evangeliorum, & Manipulo Pontificis, quem illi imponit, dicto, *Indulgentiam &c.* Interim Cantores cantant Introitum Missæ, & *Kyrie eleison*. Et hæc quidem supradicta circa descensum ex Palatio ad Ecclesiam, & quæ in Capella S. Gregorii, & usque ad factam Confessionem superius dicta sunt, præterquam de parando Consecrante, servantur

Digitized by Google

tur etiam, quando electus Episcopus non est consecrandus, sed benedicendus, & coronandus tantum. Nunc de ipsa Coronatione subjungemus.

COMMENTARIUS.

I. IDem quod in hoc §. præscribitur, servatum jam antea legimus ante nostri hujus Cæremonialis editionem ab Augustino Patricio concinnatam. Teste Burchardo diu Apostolicarum Cæremoniarum Magistro in suo Cæremoniali, ubi enarrat electionem Innocentii Papæ VIII. cujus deinde jussu Patricius Cæremoniale hoc nostrum ordinavit, §. cxciv. & sequenti: *Omnibus paratis, ministrante Reverendissimo Domino Vicecancellario naviculam, Papa imposuit incensum pro Processione, ut moris est. Tum Reverendissimus Dominus Cardinalis Senensis Prior Diaconorum, accepta Ferula, sive Baculo albo longitudinis palmorum quatuor, vel circa, ordinavit Processionem de Capella prædicta ad Altare majus &c.* Est plane antiquus ritus, ut in hac Processione thuribulum adhibeatur, incensumque in illud ponat Pontifex; id enim expresse edicunt Cæremoniales antiqui codices, ac præsertim Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite XII. *Episcopus*, inquit, *accepta navicula cum incenso de manu Acolythi, porrigit eam Papæ, & osculatur manum ipsius, & imposito incenso in thuribulum per Papam, Episcopus vadit ad locum, ubi sunt alii Episcopi Cardinales processionaliter ordinati &c.* Gestari etiam jam olim consueviſſe Romæ Ferulas in Processionibus ab Archidiacono, & Priore Subdiaconorum, qui Precessiones ipsas dirigebant, docet Romanus antiquus Ordo XII. Auctore Cencio Cap. XXXIX. afferrique in eum ritum possent innumera veterum Scriptorum testimonia, quæ supervacaneum est hic recensere. Sane meminit Processionis fieri solitæ ante Coronationem Papæ Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cap. XII. ubi inter alia docet, ordinari ipsam Processionem ab Archidiacono, sive Priore Diaconorum.

II. Ordo solemnissimæ hujus Processionis, quam consentanee huic nostro §. describunt Burchardus in suo Cæremoniali, ubi enarrat Coronationem Innocentii VIII. & ut alias Apostolicos Cærimoniarios mittam, Grassus in ms. suo Diario, ubi Leonis Papæ X. Coronationem recenset, juxta præscriptum laudati Romani Ordinis XIV. Cap. XIII. is erat: *Procedit*, inquit, *Subdiaconus cum Cruce indutus Tunicella propter solemnitatem. Hunc sequuntur Abbates, Episcopi, & Archiepiscopi. Post hos vadunt Presbyteri Cardinales, quos sequuntur Episcopi Cardinales secundum prioritates suas. Post hos vadunt Acolythi in navicula, thuribulo, & incenso. Post ipsos septem Subdiaconi cum Tunicellis portantes septem candelabra cum facula; in medio quorum vadit ille, qui dicturus est Epistolam portans Librum Evangeliorum, & cum eo qui dicturus est Epistolam Græcam; & post eos qui lecturus est Evangelium Græcum. Diaconi Cardinales sequuntur ordine suo; inter quos est ille, qui dicturus est Evangelium, ultimus vel cum ultimo, duo Diaconi Cardinales, unus a dextris, & alius a sinistris ducunt Dominum Papam; circa quos est Subdiaconus, qui servit de Mitra portans tobaleam.* Ita memoratus Romanus Ordo XIV. apud laudatum Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 225.

III. Nulla in hoc Ordine, sicut nec in Cæremoniali Davantriæ mentio illius ritus, quem hic noster §. commemorat, ut nempe in ipsa Processione *ante Pontificem immediate Minister Cæremoniarum præcedat cum duabus arundinibus, super alteram stupam, super alteram vero candelam ardentem portans; & cum Pontifex Cappellam S. Gregorii exierit, Cæremoniarius ad eum conversus, ignem stupæ immittat, & genuflexus alta voce dicat: Pater sancte sic transit gloria mundi &c.* Fuisse in usu hunc ritum anno MCCCCIX. quo Pisis ubi electus fuit Alexander V. *recepit insignia coronationis Nonis Julii*, testantur Acta Concilii Pisani Tomo VI. Spicilegii Dacheriani relata, in quibus ita legimus: *Die Dominica immediate sequente, quæ fuit dies septima Julii, dictus Dominus Papa Alexander fuit coronatus in Ecclesia Cathedrali, ubi fuit celebrata Missa solemnis. Ex illa die fuerunt multa solemnia, ut puta de stupis combustis, dicendo*: Sic transit gloria mundi; *de Epistola, & Evangelio in Missa Græce, Hebraice, & Latine; de impositione Tiaræ &c.*

IV. Quo ritu fieret ipsa stupæ combustio in Summi Pontificis Coronatione, diserte exponit Burchardus in suo Cæremoniali, ubi enarrat Coronationem Innocentii Papæ VIII. sic enim inquit §. CXCVIII. *Quum primum Papa fuit extra Capellam S. Gregorii prædictam, imposui parvum manipulum stupæ in summitate cannæ meæ, & genuflexi, cannam ipsam dextra manu erectam tenens, quam Socius meus accendit, me interim ad Pontificem verso, & alta voce dicente: Pater Sancte sic transit gloria mundi.* Ter id consueviſse fieri, & quidem a Cæremoniario Apostolico, canendo ea verba, *Pater Sancte, sic transit &c.* tradit Grassus in suo ms. Diario, ubi describens Coronationem Leonis X. hæc habet: *Ego stupam ardentem ter Papæ obtuli, in cantu dicens: Pater Sancte sic transit gloria mundi.* Eadem legere est in Coronationibus aliorum Pontificum Romanorum, ut videre est in mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, in quibus una cum aliis ritibus in nostro hoc §. descriptis fit & mentio combustionis stupæ sub ea verborum formula: *Pater Sancte, sic transit gloria mundi.*

V. Similem huic ritum adhibitum fuisse Seculo VI. in Coronatione Imperatorum, addiscere ex eo licet, quod scribit Leontius in Vita S. Joannis Eleemosinarii Alexandrini Episcopi Cap. XVII. his verbis: *Postquam coronatus est Imperator, nullus universi Senatus & adstantium exercituum antiquum memoriale aliquod nunciat, sed mox illi, qui dicuntur monumentorum ædificatores, sumunt quatuor, aut quinque minutias marmorum pusillas de diversis coloribus, & ingrediuntur ad eum, & dicunt*: Domine, quali metallo Imperium tuum jubes fieri monumentum tuum? *insinuantes videlicet ei, quia tanquam homo corruptibilis, & transitorius curam habeto tuæ ipsius animæ, & pie regnum dispone.* Hanc fuisse seculi VI. in Oriente praxim,

Digitized by Google

xim, quo vivebat laudatus Joannes Eleemosynarius notat, Martene Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IX. Num. IV. ubi etiam observat simile aliquid viguisse ibidem adhuc Seculo XI. probatque ex Epistola XVII. Libri I. S. Petri Damiani, ubi hæc habet: *Apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, ut, cum Imperator quis dignitate creatur, mox, ut Imperialibus fuerit infulis redimitus, Coronæ simul ac Sceptri gloria decoratus, cum denique Procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obvius, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus offerat; in alia vero stuppam lini subtiliter pexam, ac pili pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flamma subito vorante consumitur; ut in altero considerare debeat quod est, in altero valeat videre quod habet. In cineribus siquidem se cinerem recognoscit; in stuppa jam colligit in die Judicii quam subito mundus ardebit: quetenus dum se simul, ac sua, tam vana, tam floccipendenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat.*

VI. Quod Pontificiæ Coronationis Cæremonias attinet, commenti plane sunt quidam, in Pontificis Romani Coronatione dici solitum aliquando fuisse: *Pater Sancte, non videbis dies Petri*. Verum uti observat Victorellus in Notis ad Ciaconium in Vita Benedicti XII. dicti XIII. Antipapæ, Augustinus Patritius, qui in hoc Titulo II. sui Cæremonialis, seriem & ritum Pontificiæ Coronationis diligenter recenset, ne verbulum quidem de hac re habet, unde id inter fabulas reputatur, & ab aliquo non bene feriato Viro scripta esse oportet. Licet enim mysterio non vacare quidam credant, quod nullus in tanto numero legitimorum Pontificum, quamvis juniori ætate permulti creati fuerint, inventus hactenus aliquis sit, qui annos XXV. Romanæ Sedis S. Petro attributos, non solum non sit prætergressus, sed nec quidem attigerit, non tamen propterea inde inferri potest, consuevisse dici Pontificibus in Coronatione: *Non videbis dies Petri*. Quis enim, ait Spondanus anno MCDXXIV. Num. III. futurorum adeo securus, ut nulla præcedente revelatione Divina, rem tantam possit asserere?

VII. Porro de ea re interrogatus ab Alexandro II. Pontifice S. Petrus Damiani, citato Lib. I. Epistola XVII. respondit, tribus de causis id accidere. Primo, ut Ecclesiæ Caput supremum agnoscens, brevibus periodis ejus vitam concludi, sanctum timorem exinde conciperet, ac laudato fine innocenter morti occurrere præparetur. Secundo, quia Mundus totus in Pontificis Vitam oculos collimat, qui tanquam obscuratus sol ad se cunctorum lumina trahit. Tertio, dum Papa vitæ usura fruitur, ad spirituale animarum regimen peculiari incumbat studio, de cujus custodia post tempus breve erit Summo Pastori Deo arctam rationem redditurus. His addi & possunt quæ S. Bernardus scripsit in Epistola sua CCXXXVII. ad Eugenium III. Papam; *Quantorum*, inquit, *in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te Prædecessores tui citissimæ, & certissimæ decessionis admonent; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciat tibi*. Concludit tandem cum hoc utilissimo documento Epistolam, dicens: *Quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem*. Atque hæc satis sint de ritu combustionis stupæ; quod autem reliquos spectat ritus in hoc §. præscriptos, jam partim supra, partim infra in sequentibus Commentariis opportunius enarrabimus.

§. XV.

Hoc totum caput prætermittitur, si Papa erat prius Episcopus consecratus; in eo namque Consecratio Episcopalis continetur.

Cantores ut finierint *Kyrie eleyson*, quiescent. Electus procumbet super Faldistorium ante Altare, ad ejus dextram Consecrator, & ad sinistram Diaconus Evangelii super scabella, Diaconi assistentes post Pontificem, duo Episcopi Cardinales seniores hinc inde super scabella, alii omnes ubi commodum erit; genuflexi procumbent omnes cum Mitris in capite, & Diaconus Evangelii incipiet sine Mitra Litaniam, & omnes respondent replicando. Cum perventum fuerit ad locum ubi dicitur, *Ut hunc Electum*, & etiam tertio dicitur ab eodem Diacono, & tam Consecrator, quam omnes alii in Episcopali dignitate constituti præsentes, & parati, erecto capite, & extensa dextra, non tamen moventes se de locis suis benedicunt consecrandum tertio, ut in Ordinario. Finita Litania, omnes surgunt, & Consecrator stat ad infimum gradum Sedis Papalis, vertens faciem ad Altare, medius inter duos seniores Episcopos Cardinales, qui etiam Stolam habere debent, & Librum. Electus Pontifex ante eum stabit medius inter assistentes Diaconos vertens faciem suam ad faciem Consecrantis. Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, qui aderunt parati cum suis Libris, omnes accedent, & circulum facient, & omnia cum Consecratore dicent voce tamen submissa, depositis Mitris, & omnibus stantibus. Episcopus Cardinalis a sinistris super Pontificem dicit hanc Orationem: *Oremus. Adesto supplicationibus nostris Omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostræ gerendum est mynisterio, tuæ virtutis compleatur effectu*. Deinde Episcopus Consecrator Orationem cum nota. *Oremus. Propitiare quæsumus Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu Sacerdotalis gratiæ, benedictionis tuæ infunde in eum virtutem. Per Dominum nostrum &c.* Qua finita usque *in unitate Spi-*

Digitized by Google

ritus Sancti Deus, ponit Librum Evangeliorum apertum inter cervicem, & spatulas Electi, quem Diaconi Cardinales retinent usque ad finem; & tam Consecrator, quam alii duo Episcopi Cardinales ponunt primo manus super ejus caput nihil dicentes, & similiter faciant omnes præsentes parati, in Episcopatus ordine constituti. Consecrator autem extensis manibus dicit Præfationem consuetam; *Per omnia sæcula sæculorum &c. Honor omnium dignitatum*, ut supra notavimus, quum electus Papa consecratur alio die quam isto. Et ungit Electi Caput, deinde Manus. Tum imponit ei Anulum, & demum dat ei Librum Evangeliorum, & tandem ambo lavantur, & mundantur, ut diximus plene in eodem loco. Pontifex sedet in Faldistorio sibi parato in plano inter Sedem eminentem, & Altare, dum lavat; Consecrator in alio loco sibi commodo, & lotus deponit paramenta Pontificalia, & cum Pluviali, ac Mitra assistit Pontifici, ut prius. His finitis, non dicuntur illæ tres Orationes, quæ dici solent, quando Electus non consecratur, quia erat Episcopus. Sed mox mundatis manibus, & capite, ducitur ante Altare; & de manu Prioris Diaconorum accipit Pallium de Corpore, & Altari Beati Petri sumtum, ut inferius dicemus. Et hæc quidem omnia ab eo loco, ubi incipit, *Cantores ut finierint* Kyrie eleyson, *quiescent*, dimittuntur, si electus erat prius consecratus Episcopus.

N O T A.

Quum de iis, quæ in hoc continentur §. nonnulla superius, alia vero inferius explicata jam fuerint, supervacaneum propterea censemus hoc loco immorari, actumque iterum, ac sæpius agere.

§. XVI.

De Benedictione, electi Pontificis jam consecrati Episcopi.

Sic electus Pontifex jam Episcopus, est tantum benedicendus, & coronandus hac die, hoc modo proceditur. Servatis omnibus, quæ supra diximus usque ad cantatum Introitum & *Kyrie eleyson*, Papa facta Confessione, accipit immediate Mitram, & sedet in Sede sive Faldistorio sibi parato inter Sedem eminentem & Altare, vertens faciem ad ipsum Altare, & tres primi Episcopi accedunt ad Pontificem, & faciem ante illius faciem tenentes sine Mitra, illorum junior super Pontificem stantem sine Mitra, ipse in medio duorum stans primam dicit Orationem, videlicet: *Oremus. Deus qui adesse non dedignaris ubicumque devota mente invocaris, adesto quæsumus invocationibus nostris, & huic famulo tuo N. quem ad culmen Apostolicum* (1) *judicium tuæ plebis elegit, ubertatem supernæ benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad hunc apicem pervenisse.* Secundam dicit immediate secundus Episcopus Cardinalis stans & ipse in medio, videlicet: *Supplicationibus nostris Omnipotens Deus effectum consuetæ pietatis impende, & gratia Spiritus Sancti famulum tuum N. perfunde, ut qui in Capite Ecclesiarum nostræ servitutis ministerio constituitur, tuæ virtutis soliditate roboretur.* Et tertiam antiquior, idest Prior Episcoporum Cardinalium in eodem loco stans, videlicet: *Deus qui Apostolum tuum Petrum inter ceteros Apostolos Primatum tenere voluisti, eique universæ Christianitatis molem super humeros imposuisti: respice quæsumus propitius hunc famulum tuum N. quem de humili Cathedra violenter sublatum in Thronum ejusdem Apostolorum Principis sublimamus, ut sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur, quatenus Ecclesiasticæ universitatis onus te adjuvante digne ferat; & a te, qui es beatitudo tuorum, vicem meritam recipiat. Per Christum Dominum nostrum.* Dictis Orationibus, Papa etiam sine Mitra accedit ad Altare, & Prior Diaconorum, secundo adjuvante, videlicet partem Pallii pendentem elevante, capit Pallium de Altari, & imponit Pontifici, & solus dicit: *Accipe Pallium, scilicet plenitudinem Pontificalis Officii ad honorem Omnipotentis Dei, Gloriosissimæ Virginis Mariæ ejus Matris, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*; & firmat cum spinulis. Accepto Pallio accedit ad Altare sine Mitra, illud osculatur primum, & deinde Librum Evangeliorum, quem Subdiconus a sinistra parte offert; imponit incensum in thuribulo, Diacono Evangelii offerente naviculam; incensat Altare more solito, & accepta Mitra in cornu Altaris, stans a Diacono incensatur, & (2) non recipit Diaconos tunc ad osculum, ut alias, sed ascendit ad Cathedram eminentem, & sedens recipit ad reverentiam Cardinales, & Prælatos omnes paratos; Cardinales ad osculum pedis, manus, & oris; alios

(1) Ita legitur in Editione Romana anni 1560. Sed in Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1557. *inditium*.
(2) Sic in ipsa editione Romana, sed in Veneta & Colonienſi: *& in os recipit Diaconus tunc osculum*.

Digitized by Google

alios paratos ad oſculum pedis, & manus. Finita reverentia, ſurgit Papa ſine Mitra, & legit Introitum, & *Kyrie eleiſon*, ſuſtinente Librum Cardinali Epiſcopo cum aliis aſſiſtentibus. Deinde in voce dicit: *Gloria in excelſis Deo. Pax vobis*; & Orationes opportunas, videlicet de die, & de Spiritu Sancto, & ultimo dicit ſecretam Orationem pro ſe, quæ habetur in Conſecratione Epiſcoporum.

COMMENTARIUS.

I. NOtatum jam ſuperius compluries fuit, quod in Romano Ordine XIV. docet Jacobus Gajetanus, Cap. XII. Epiſcopum ſcilicet, qui in Papam electus eſt, non conſecrari denuo, ſed benedici aliquo die Dominico, quo & coronatur. Ergo, *ſervatis omnibus, quæ ſupra diximus, uſque ad Introitum*, & Kyrie eleiſon, *Papa facta confeſſione*, inquit noſtrum Cæremoniale, *accipit immediate Mitram, & ſedet in Sede, ſive in Faldiſtorio ſibi præparato inter Sedem eminentem, & Altare, vertens faciem ad ipſum Altare, & tres primi Epiſcopi accedunt ad Pontificem &c.* Eſt hic plane antiquus Ritus, cujus mentionem faciunt Cæremoniale Gregorii X. & Codex ms. Pierſanctianus, ubi ita inquiunt: *Facta confeſſione, aſcendit Sedem præparatam, & ibi coram ipſo veniunt Epiſcopi Cardinales, & dicunt Orationes illas tres, quæ ſunt in Ordinario ſecundum ordinem in ipſo Ordinario ſcriptas*. Loquitur & de eodem ritu expreſſius Romanus Ordo XIV. auctore memorato Jacobo Gaetano, Cap. XIV. ubi ſic inter alia inquit: *Inde procedens*, a Choro ſcilicet, *vadit proceſſionaliter uſque ad Altare, ſed non aſcendit ad Altare. Tunc facta Confeſſione aſcendit Sedem præparatam, non eminentiorem, ſed ſedet in Faldiſtorio in plano poſito inter Altare & Sedem eminentiorem; & ibi coram ipſo veniunt Albanenſis, Portuenſis, & Oſtienſis Epiſcopi, vel Archipresbyter Oſtienſis, ſi non ſit Epiſcopus. Qui Albanenſis Epiſcopus dat primam Orationem, ſcilicet*: Deus qui ad eſſe &c. *ſecundam Epiſcopus Portuenſis*: Supplicationibus &c. *tertiam Epiſcopus, vel Archipresbyter Oſtienſis*: Deus qui Apoſtolum tuum Petrum &c.

II. Quamquam vero memorati hi tres Epiſcopi, Albanenſis, Portuenſis, & Oſtienſis, *in benedictione Pontificis, quando alias eſſet conſecratus, tres ſpeciales Orationes ſuper eum dicebant*, ut docet ſupra Cæremoniale noſtrum Romanum in §. XII. ad tollendas tamen contentiones, uti ibidem dictum fuit, *jam pridem introductum eſt, ut Prior Epiſcoporum Cardinalium cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis id munus obire debeant*. Quandonam ritus iſte invaluit, non audeo definire, videtur tamen invaluiſſe labente ſeculo XIV. quando ſcilicet ſcriptus eſt laudatus Codex Pierſanctianus, in quo nulla fit mentio memoratorum Epiſcoporum Cardinalium Albanenſis, Portuenſis, & Oſtienſis. Quicquid ſit, antiquæ ſunt ipſæ Orationes, leguntur que non modo in recitato Romano Ordine XIV. Capite XIV. ſed & in Pontificali Colbertino, & in aliis, ac præſertim in Cæremoniali Burchardi, in quibus tamen ad primam Orationem poſt illa verba, *ad culmen Apoſtolicum*, legitur, *commune judicium tuæ plebis &c.* Verbum, *commune* deeſt in noſtro Cæremoniali, quod a Patricio ordinatum eſt, in ejuſque prima editione Veneto anni MDXVI. & Colonienſi anni MDLVII. non legitur *judicium*, ſed *inditium*. Præterea ubi ad ſecundam Orationem in noſtro Cæremoniali in fine legitur, *noſtræ ſervitutis miniſterio*, in Romano Ordine XIV. apud Mabillonium habetur, *noſtræ ſervitutis myſterio*. Sed forte hæc varietas exſcriptori Codicem minime intelligenti tribuenda eſt. Ubi tandem ad tertiam Orationem in citato noſtro Cæremoniali dicitur, *eique univerſæ Chriſtianitatis molem ſuper humeros impoſuiſti*, in eodem Romano Ordinæ XIV. & in Colbertino Pontificali legitur: *eique univerſæ Chriſtianitatis molem ſuperimpoſuiſti*.

III. Dictis Orationibus, ex præſcripto noſtri Cæremonialis *Papa etiam ſine Mitra accedit ad Altare, & Prior Diaconorum, ſecundo adjuvante, videlicet partem Pallii pendentem elevante, capit Pallium de Altari, & imponit Pontifici, & ſolus dicit*: Accipe Pallium &c. *& firmat cum ſpinulis*. Eſt hic plane antiquus ritus, quem ita recenſet Romanus Ordo XII. auctore Cencio Cap. XLVIII. Num. LXXXI. *Conſecratione, finita Prior S. Laurentii Sacri Palatii ponit Palleum ſuper Altare, quod ipſe Prior propria manu debet parare, & ſtatim Archidiaconus cum ſecundo Diacono dant in manu Pontificis, & ſolus Archidiaconus dicit Pontifici*: Accipe Pallium &c. *& nihil aliud; ſtatimque ipſe Archidiaconus cum Priore Baſilicario aptat idem Palleum ſuper Pontificem, & intromiſſis ſpinulis aureis tribus ante & retro & ſiniſtro latere, in capite quarum ſunt innixi tres hyacintini lapides, & ſic ornatus accedit Pontifex ad Altare, & ibi celebrat honorifice Miſſam*. Juxta præſcriptum Cæremonialis Gregorii Papæ X. cui concinit Codex Pierſanctianus, dictis Orationibus, Pontifex *Sedet in ſede, & recipit dictos Cardinales, & Prælatos alios, & facit ea quæ hic continentur a verbo illo*, omnes alios Prælatos ad pedem & oſculum: *quibus receptis, venit ad Altare, & inibi deſuper ſumat Palliam paratum per Priorem Subdiaconorum Cappellanorum, ſive per Priorem Baſilicæ Sanctæ Sanctorum; & duo Priores Diaconi Cardinales tenent Pallium ipſum; & tunc Prior illorum duorum ſolus dat Pallium Summo Pontifici ſub his verbis*: Accipe Pallium &c. *& aptato Pallio ipſo ſuper eum cum tribus ſpinulis aureis, ut eſt moris, aſcendit Summus Pontifex ad Altare &c.* Eadem ſunt, quæ de Pallio dando Papæ per Priorem Diaconorum Cadinalium, docet nos citatus Romanus Ordo XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. XV.

IV. Rituum praxim, quos noſtrum Cæremoniale in hoc §. XVI. præſcribit, expreſſius docet Burchardus in ſuo Cæremoniali §. cc. & ſeq. ubi enarrat ritus in Ordinatione Innocentii Papæ VIII. ſervatos. Facta Confeſſione, inquit, Papa non aſcendit ad Altare, ſed ad Sedem in plano ſibi paratam inter eminentem, & Altare, juxta infimum gradum Solii, ubi ad Altare verſus ſedit, Mitram in capite tenens, quam recepit, facta Confeſſione, antequam de loco Con-

Digitized by Google

sessionis recederet, & cum ea ante recessum Cruci prædictæ in Altari positæ fecit reverentiam. Papa sic in dicta Sede sedente, accesserunt ante eum tres primi Episcopi Cardinales, videlicet, Vicecancellarius Episcopus Portuensis Collegii Decanus, Neapolitanus Episcopus Sabinensis, & Sancti Marci Prænestinus, omnibus Prælatis, ac aliis in suis locis remanentibus. Hi tres ante Pontificem inter ipsius Sedem prædictam, & Altare, juxta tamen infimum gradum Altaris, ad ipsum Pontificem versi se locarunt, quisque eorum suum Capellanum de Mitra sibi servientem post se habens. Omnes etiam alii Cardinales, videlicet, Episcopi, & Presbyteri ad dextram, Diaconi vero ad sinistram Papæ accesserunt inter Solium & Altare stantes, Capellanos suos de Mitra eis servientes post se habentes. Omnibus sic stantibus, depositis Papæ, ac omnibus Mitris, surrexit Pontifex, & Cardinalis Sancti Marci tertius & ultimus ex prædictis tribus, stans in medium ante dictum gradum Altaris, facie ad Pontificem versa, & ad dextram suam habens Vicecancellarium, atque ad sinistram Neapolitanum Cardinales, qui quasi sibi ipsis facies vertebant, sicuti assistentes Episcopi in Consecrationibus Episcoporum astare solent, magis tamen ad Pontificem tendentes, dixit hanc Orationem, nullum versiculum præmittens, neque *Dominus vobiscum*, absolute incœpit dicens in tono Orationum solemnium & festivalium consueto: *Oremus. Deus qui adesse &c.* Addit mox idem Burchardus, ad Orationis conclusionem respondisse tunc Cardinales, *Amen*, ipsumque tenuisse Librum prædicto Cardinali Orationem dicenti, stantem ad ejus sinistram.

V. Teste eodem Burchardo, dicta Oratione prædicta per Cardinalem Sancti Marci, Cardinalis Neapolitanus venit ad locum, in quo ille steterat, qui etiam accessit ad locum, in quo Neapolitanus steterat, Papa, & aliis omnibus, ut prius stabant, sine Mitris manentibus, & ipse Neapolitanus, eodem Burchardo Librum, ut ipse testatur, juxta ejus sinistram tenente, similiter absolute incipiens dixit in tono prædicto. *Oremus. Deus qui Apostolum &c.* ad conclusionem inquit respondisse Cantores, *Amen*. Quicquid sit, finitis Orationibus supradictis, ut idem Burchardus narrat in §. CCVI. amota fuit Sedes Papæ in plano, ut supra dictum est, posita, & omnes Cardinales, demtis Assistentibus, ad sua loca sunt reversi. Papa vero cum bireto sine Mitra, accessit ad inferiorem gradum Altaris, quo ibidem constituto, Cardinales Senensis, & Sancti Georgii ad sinistram Papæ coram eo elevatum Pallium tenuerunt, quod Senensis Prior Diaconorum solus in ambas manus apertum accipiens, Papæ illud imposuit dicens: *Accipe Pallium &c.* Tum idem Prior, adjuvantibus ipsum aliis Diaconis, & Subdiaconis, tres spinulas ipsi Pallio infixit more consueto. Atque hæc sunt quæ narrat idem Burchardus testis oculatus, & tunc temporis Apostolicarum Cæremoniarum director.

VI. Accepto Pallio, ut inquit nostrum Cæremoniale, *Pontifex accedit ad Altare sine Mitra, illud osculatur primum, & deinde Librum Evangeliorum, quem Subdiaconus a sinistra parte offert, imponit incensum in thuribulo, Diacono Evangelii offerente naviculam, incensat Altare more solito &c.* Paucis ritus hos omnes complexus est Romanus Ordo XII. auctore Cencio, ex cujus præscripto, *Pallio ornatus accedit Pontifex ad Altare, & ibi celebrat honorifice Missam*. Pauca etiam sunt, quibus ritus ipsos recenset Cæremoniale Gregorii X. Romanus Ordo XIV. & Codex Piersanctianus: *Ascendit*, inquiunt, *Summus Pontifex ad Altare, & facit incensum*. Sane ex Cæremoniali Joannis Burchardi, ubi enarrat ritus Sedis vacantis post obitum Sixti IV. & electionem Innocentii VIII. §. CCVIII. *Dato Pontifici Pallio, ut præmittitur, Cantores incæperunt Introitum pro Missa, & Kyrie eleison, & Papa ascendit ad Altare, & illud detecto capite osculatus est; deinde etiam Librum Evangeliorum per Subdiaconum more solito sibi oblatum; tum ibidem imposuit incensum, Priore Diaconorum Evangelium dicturo naviculam ministrante, & incensavit Altare, deinde per eundem Priorem incensantus fuit ibidem ipse Papa in cornu Epistolæ cum Mitra stans; quo incensato, non accepit Diaconos assistentes ad osculum, ut moris est, sed ascendit ad Sedem eminentem, & Prælatos paratos omnes ad reverentiam venientes accepit, Cardinales ad pedis & oris, Prælatos vero ad pedis & manus osculum*. Mos ergo ante Burchardum erat, ut incensatus Pontifex tunc Diaconos assistentes ad osculum exciperet. Porro in Nota ad nostri Cæremonialis Textum jam advertimus, in editione Veneta anni MDXVI. & Colonienſi anni MDLVII. post ea verba, *a Diacono incensatur*, ita legi: *& in os recipit Diaconos*, non vero Diaconus, *tunc ad osculum*, assistentes scilicet, ut ait Burchardus; *sed ascendit ad Cathedram & sedens recipit ad reverentiam Cardinales, & Prælatos omnes paratos &c.* ut in nostro Cæremoniali. Ratio porro ejus moris ea esse videtur, quod in hac actione Cardinales nondum præstiterunt obedientiam Papæ; tunc enim juxta receptum ritum eos ad osculum recipit in Altari peracta thurificatione, cum scilicet illi jam antea odedientiam ipsi Pontifici præstitissent.

VII. Finita reverentia, *surgit Papa sine Mitra*, uti idem nostrum Cæremoniale inquit, *& legit Introitum*, & Kyrie eleison, *sustinente Librum Cardinali Episcopo, cum aliis assistentibus; deinde in voce dicit*, Gloria in excelsis Deo. Pax vobis, & *Orationes opportunas &c.* Incensato Altari, ex præscripto Cæremonialis Gregorii X. itemque Ordinis Romani, auctore Gajetano, & ms. Piersanctiani Codicis, *Pontifex demum sedit ad eminentem Sedem, & dicit*, Dominus vobiscum, *vel* Pax vobis, *cum* Gloria in excelsis, *ut dies requirit, & postea dicit Orationem Dominicæ alte, & aliam dicit pro se secrete*. Recensetur Oratio Dominicæ in his Cæremonialibus, quia scilicet juxta eorum præscriptum Ritus ipse Consecrationis, Benedictionisve novi Pontificis die Dominica peragebatur, Sed audiamus laudatum Burchardum, qui enarrans ritum servatum post electionem Innocentii Papæ VIII. §. CCIX. ita scribit: *Facta reverentia*, Cardinalium scilicet & Prælatorum, ut supra, *surgit Pontifex, deposita Mitra, & cum assistentibus tantum Cardinalibus dicit Introitum*, & Kyrie eleison, *Cantoribus interim continuo* Kyrie eleison *cantantibus. Missa dicta est de Octava Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis*. Tum vero

Digitized by Google

ro ſequenti §. ccx. ita ſubjicit: *Dictis per Pontificem, Introitu, & Kyrie eleiſon, ceſſarunt Cantores, & Papa dixit*: Gloria in excelſis Deo, *quod cum aſſiſtentibus complevit more ſolito; tum in dicta Sede dixit*: Pax vobis, & *Orationem de Octava; qua ſub ſua concluſione completa, dixit aliam Orationem, etiam alta voce dicens*: Oremus. Deus qui corda fidelium &c. *quam etiam ſub ſua concluſione complevit; & ea completa interim, quoad Cantores reſponderent*, Amen, *dixit ſecrete aliam pro ſe, ſtans, ut prius, videlicet*: Adeſto ſupplicationibus noſtris Omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ vir tutis impleatur effectu. Per Dominum. Sed de hac oratione jam ſupra.

§. XVII.

De Laudibus faciendis Pontifici ante Epiſtolam.

Dictis Orationibus, ſedet Pontifex, & Prior Diaconorum cum Ferula deſcendit ad Confeſſionem Beati Petri cum Subdiaconis, Auditoribus, Scriniariis, ideſt, Secretariis, & Advocatis; quibus in duas acies diſtributis, ita ut in qualibet acie ſint ex omnium ordine, faciunt Laudes Pontifici ſtantes capitibus detectis. Papa, & omnibus aliis ſedentibus in locis ſuis, Prior Diaconorum incipit ſolus alta voce quaſi legendo, *Exaudi Chriſte*. Subdiaconi, Auditores, Scriniarii, & Advocati reſpondent: *Domino noſtro Innocentio a Deo decreto Summo Pontifici & univerſali Papæ vita*; & ſic tertio dicitur per Priorem, & toties per illos reſpondetur. Subſequenter idem Prior Diaconorum dicet: *Salvator Mundi*; & illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva*; & ſic ter dicetur, & ter reſpondebitur. Deinde idem Prior dicit: *Sancta Maria*; & illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva*; & bis dicetur, & bis reſpondebitur. Inde Prior idem ſubjunget: *Sancte Michael*; & illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva*. Et tunc deinceps ſemel dicetur, & ſemel reſpondebitur. Sequitur Prior. *Sancte Michael. Sancte Gabriel. Sancte Raphael. Sancte Joannes Baptiſta. Sancte Petre. Sancte Paule. Sancte Andrea. Sancte Stephane. Sancte Leo. Sancte Gregori. Sancte Benedicte. Sancte Baſili. Sancte Sabba. Sancta Agnes. Sancta Cecilia. Sancta Lucia.* Finitis Laudibus, dicitur Epiſtola Latine, & deinde Græce, & proceditur in Miſſa ut alias uſque ad finem. Datur Benedictio, ſed non publicantur tunc Indulgentiæ.

COMMENTARIUS.

I. FActas acclamationes, ac Laudes olim in electionibus Epiſcoporum, notavimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. *De Conſecratione electi in Epiſcopum*. Id quammaxime ſervatum in Conſecratione, & Coronatione Romanorum Pontificum, docent jam nos paſſim in eorundem Vitis Anaſtaſius, Baronius, Pagius, aliique Scriptores. Juxta Romanum Ordinem XI. auctore Benedicto Baſilicæ S. Petri Canonico ſcriptum ante annum MCXLIII. ut notat Mabillonius in ſua ad ipſum Ordinem Nota, in uſu plane erant Laudes ipſæ, quæ in hoc noſtro §. recenſentur; ſic enim inquit Num. XXII. *Cum autem venit Pontifex ad Baſilicam Zachariæ Papæ, antequam deſcendat, deſcendunt Cardinales ad faciendum Laudes. Tunc Prior Cardinalis Sancti Laurentii foris muros depoſita Mitra dicit*: Jube domne benedicere. *Pontifex benedicit eum; qui alta voce dicit*: Summo, & egregio, ac ter Beatiſſimo Papæ Innocentio vita. *Reſpondent Cardinales omnes*: Deus conſervet eum, *tribus vicibus*. Salvator Mundi. *Cardinales reſpondent*: Tu illum adjuva, *& vicibus tribus*. Sancta Maria, tu illum adjuva, *per omnem Chorum Sanctorum tres Sanctos. In fine*: Omnes Sancti adjuvate illum, *tribus vicibus*. Kyrie, *tribus vicibus. Et pro laude accipiunt tres ſolidos. Judices vero ſe repræſentant, & dicit Primicerius*: Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit eum; & alta voce dicit*: Hunc diem. *Reſpondent Judices*: Multos annos, *tribus vicibus*. Tempora bona habeas. *Reſpondent Judices*: Tempora bona habeamus omnes. *Tunc Dominus Pontifex deſcendit de equo. Primicerius Defenſores, & Secundicerius ſuſcipiunt eum per manus, & ducunt uſque in Cameram.*

I. Ordini XI. Romano addimus Romanum Ordinem XII. auctore Cencio, qui non modo Laudum Ritus meminit quæ fieri ſolitæ erant in novi Pontificis inauguratione, ſed & Epiſtolæ, atque Evangelii, quæ tunc in Miſſa Latine, & Græce pronunciabantur; ſic enim ille inquit: *Laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus, & Subdiaconis, & Scriniariis; Epiſtola Latina cum Græca, & Evangelium Latinum cum Græco, & omnes aliæ ſolemnitates tunc fiunt*. Pauca quidem hæc ſunt, ſed tamen ſatis exprimunt antiquum ritum, quem multo luculentius recenſuit ſeculo XIII. Cæremoniale Gregorii X. & ineunte Seculo XIV. Romanus Ordo XIV. ac deinde etiam Codex Pierſanctianus: *Oratione finita*, inquit laudatum Gregorii X. Cærimoniale, *Dominus Papa reſidet in Sede, & Prior Diaconus Cardinalis portans Ferulam in manibus cum Diaconis, Subdiaconis, Scriniariis, & Judicibus, omnes induti ſolemniter, deſcendit ante Altare, & facit duas acies, ſive fila, unam ex una parte, & unam ex reliqua, æqualiter dividendo, & ponit primo Diaconos juxta Altare, ſecundo Subdiaconos, tertio Judices, quarto Scriniarios in ordine; & ipſe Prior Diaconus*

Digitized by Google

conus incipit Laudem sic alta voce, tamen quasi legendo: Exaudi Christe; *& Judices, & Scriniarii procedunt similiter in cantu quasi legendo*: Domino nostro Papæ a Deo decreto Summo Pontifici, & universali Papæ Vita. *Item idem Prior dicit secundo*: Exaudi Christe; *& Judices, & Scrinarii Antiphonam, ut prius, & sic facit tertio. Idem Prior dicit*: Salvator Mundi; *& Judices, & Scriniarii Antiphonam*: Tu illum adjuva; *& cetera facit. Tertio item idem Prior dicit bis*: Sancta Maria; *& illi Antiphonam*: Tu illum adjuva. *Eodem modo dicit tamen semel*: Sancte Gabriel, Sancte Raphael, &c. *aliis respondentibus*: Tu illum adjuva. *Quibus finitis, Prior dicit*: Kyrie &c. *& hoc facit tertio, & postea omnes similiter dicunt alta, & una voce*: Kyrie &c.

III. Hactenus Cæremoniale Gregorii X. cui pene ad verbum concinunt Romanus Ordo XIV. & Piersanctianus Codex. Nomen S. Michaelis desideratur quidem in citato Cæremoniali, & in Piersanctiano Codice, atque in Cæremoniali Burchardi, sed legitur tamen in Romano Ordine XIV. & in aliis omnibus Cæremonialibus editis. S. Andreæ nomen extat non modo in Cæremoniali Gregorii X. Romano Ordine XIV. & Piersanctiano Codice, sed & in nostro Romano Cæremoniali juxta editionem Romanam anni MDLX. desideratur tamen in editione I. Veneta ejusdem Cæremonialis anni MDXVI. & in Colonienſi anni MDLVII. Sed his omissis, describendum hic ritum censeo, quem servatum docet Burchardus in Ordinatione Innocentii VIII. Papæ, ita in suo Cæremoniali inquiens ad §. CCXII. & seqq. *Finitis, ut supra, orationibus prædictis, Papa sedet in Sede eminenti prædicta, imposita sibi Mitra, & Prior Diaconorum Cardinalium, videlicet Senensis Ferulam in manu accipiens, & portans, sequentibus ipsum Subdiaconis, Auditoribus, & Secretariis, ut supra dictum est, indutis, descendit ad portam cancelli, ubi in plano ibidem inter Altare, & portam secit duas lineas ab Altari ad portam, ad dextram, & sinistram, in qualibet linea de quolibet ex dictis tribus Ordinibus, Officiales collocans, primos versus ad Altare Subdiaconos, tum Auditores, & Secretarios, ita quod de linea ad lineam sibi invicem facies vertant. Quibus sic ordinatis, & omnibus detectis capitibus existentibus, Cardinalis Senensis stans & ipse detecto capite, medius inter duos primos Subdiaconos, ad Altare versus dixit alta voce quasi legendo*, Exaudi Christe. *Subdiaconi, & Secretarii, & Auditores responderunt suo ordine stantes*: Domino nostro Innocentio a Deo decreto Summo Pontifici, & universali Papæ vita. *Quod tertio dictum est per Cardinalem prædictum, & toties ab aliis prædictis responsum. Deinde idem Cardinalis Senensis dixit*: Salvator Mundi. *Subdiaconi, & alii prædicti responderunt*: Tu illum adjuva. *Quod bis per Priorem dictum, & toties per illos responsum; sicque Laudes continuatæ, prout infra*, nempe, *Sancte Gabriel, Sancte Raphael &c.* Porro mirum videri debet, in recitato Burchardi loco, sicut & in Piersanctiano Codice, & in Colbertino Pontificali, non modo nomen Sancti Michaelis, sed etiam Sanctæ Mariæ desiderari, cum alias utrumque nomen expresse recenseatur in Cæremoniali Gregorii X. in Romano Ordine XIV. & in aliis multis Cæremonialibus Libris.

IV. Quicquid sit, finitis Laudibus, ut ait nostrum Cæremoniale, *dicitur Epistola Latine, & deinde Græce, & proceditur in Missa, ut alias usque ad finem*. Ritus est plane antiquissimus, ut in Missa Papali, Summo Pontifice Sacra facienti, non modo duo Subdiaconi inserviant, quorum alter Græcus Græca lingua, Latinus alter lingua Latina Epistolam canit, verum & duo Diaconi, quorum alter Latinus Latine Evangelium, alter Grecus Græce pronunciat. Quod olim & in Constantinopolitana Ecclesia usurpatum fuisse, liquet ex Nicolai I. Papæ Epistola ad Michaelem Imperatorem, qui Latinam linguam ex contemtu barbaram appellabat. At nedum Græce, & Latine, sed & Hebraice Sacri Evangelii lectionem publice in Papali Missa, ac præsertim in Summi Pontificis inauguratione, certis etiam constat monumentis Historiæ. Ut alia sileam exempla, in solemni inauguratione Alexandri Papæ V. celebrata in Concilio Pisano anno MCCCCIX. Epistolam, & Evangelium tribus linguis pronunciatum esse, nimirum Græce, Hebraice, ac Latine, testantur Acta ejusdem Concilii apud Dacherium Tomo VI. Spicilegii, pag. 334. Porro quod nostrum §. spectat, eidem plane concinit, quod de Coronatione Innocentii Papæ VIII. scribit in suo Cæremoniali Burchardus §. CCXVI. *Laudibus sic expletis, quæ dum dicerentur, Papa sedit in Solio suo, ac Cardinales, ac Prælati omnes in suis locis cum Mitris sedebant, Prior*, Diaconorum scilicet Cardinalium, *& alii prædicti redierunt ad loca sua, videlicet Prior in cornu Epistolæ Altaris in scabello suo sedit, alii in terram; & Subdiaconus in loco solito dixit Epistolam Latinam, & post alius Græcam, & concinnata est Missa ordine consueto, Papa celebrante nihilo penitus immutato; qua finita, Papa in Altari sine Mitra dedit benedictionem, & non Indulgentiam*. Indulgentia quippe publica deinde fuit data a duobus Diaconis Latina primum, & postea vulgari lingua, postquam scilicet a Priore Diaconorum impositum fuit Capiti Pontificis Regnum triplici Corona ornatum, populo acclamante, *Kyrie eleison*, ut infra in §. sequenti. Ceterum consuevisse olim in nonnullis nostri Regni Neapolitani Ecclesiis Epistolam, atque Evangelium Græce, ac Latine pronunciari in Missa, diximus jam in nostro Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Cap. II. ubi etiam notavimus, semel in anno Dominica Palmarum Brundusii in Sallentinis Epistolam item & Evangelium Græca lingua ex prisca, & immemorabili ejusdem Latinæ Ecclesiæ consuetudine recitari consuevisse.

§. XVIII.

De Coronatione Papæ super gradus Ecclesiæ.

Sacris Missarum solemniis rite peractis, proceditur ad Coronationem. Pontifex reassumtis Chirothecis, & Anulis, cum omnibus paramentis suis, in quibus celebraverat, & cum

Digitized by Google

& cum Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus omnibus, ut in Miſſa paratis, procedit ad ſuggeſtum ſuper gradus Baſilicæ Apoſtolorum Principis ex materia conſtructum, & ornatum, ibique in Sede eminenti ſibi parata ſedet, & cum omnes Prælati convenerint, & populus ex Baſilica in plateam exierit, Diaconus a ſiniſtris deponit Mitram conſuetam e Capite Pontificis, & Diaconus a dextris Tiaram, quod *Regnum* appellant, & triplici corona ornatum, Pontificis Capiti imponit, populo acclamate, *Kyrie eleiſon*, & Diaconus a dextris Latine, a ſiniſtris vero vulgariter publicant plenarias Indulgentias. Tum paratur Proceſſio ad Lateranum; ſed quoniam plerumque antequam hæc completa ſint, hora eſt ſatis tarda, & longa ad Lateranum reſtat via, multaque ibi adhuc ſunt peragenda, conſueverunt aliquando Pontifices, & Patres ſuſtentationis gratia aliquantulum Cibi ſumere. Paratur refectio in Atrio Domus Archipresbyteri Baſilicæ pro Prontifice, & Cardinalibus; pro aliis Prælatis in vicinis Domibus Canonicorum. Coronato Pontifice veniunt ad refectionem, & interim parantur, quæ ad Proceſſionem ſunt opportuna.

COMMENTARIUS.

I. NOtavimus jam alias ſupra, primam Coronationem Summorum Pontificum videri illam, quæ facta eſt Nicolao Papæ I. in Romanum Pontificem electo, & conſecrato anno DCCCLVIII. Teſtatur quippe in ipſius Pontificis Vita eruditus Pagius, atque in Hiſtoria Romanorum Pontificum ſumme verſatus, minime ſe *legiſſe aliquem ex Romanis Pontificibus antea coronatum fuiſſe*. Certe, poſtquam Nicolaus ipſe in Baſilica Lateranenſi inthronizatus fuiſſet, *poſtmodum a Nobilibus, & populo*, ait in ejus Vita Anaſtaſius, *in Baſilicam Beati Petri deductus, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede, factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper ſacratiſſimum Corpus Apoſtoli celebravit*. Additque mox ad rem noſtram: *Denſis tandem Optimatum, populique agminibus, cum Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, iterum Lateranum perductus coronatur. Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus, & populi plenitudo magnifice gratulatur*. Facta videtur hæc Coronatio in Eccleſia Lateranenſi, licet poſtea Pontifex ſemper coronatus ſit in Vaticana Baſilica, e qua redibat coronatus in Lateranum. Unde idem Pagius ſuſpicatur, in Anaſtaſio, ubi legitur, *Lateranum perductus coronatur*, legendum eſſe, *Lateranum perductus coronatus*.

II. Puto equidem, longe ante Nicolaum I. coronari conſueviſſe Romanos Pontifices poſt ſuam Conſecrationem, eo capitis ornamento, quod dicitur Regnum, cujus meminit Romanus Ordo IX. Num. VI. apud Mabillonium Tom. II. Muſei Italici, ubi etiam ſcriptum fuiſſe exiſtimat Ordinem ipſum tempore Leonis III. electi Romani Pontificis anno Chriſti DCCXCV. Ergo laudatus Ordo IX. Romanus de Coronatione novi Papæ agens, ſic inter alia inquit: *Ingreſſus in Sacratarium jam tunc ſedet in Sella Apoſtolica. Egrediens inde, cum ad inferiores gradus Sancti Petri deſcendit, ibi ſtat equus, vel ſella præceſſoris Pontificis, & ad ſedendum paratus. Et accedunt Patroni Regionum, uno incipiente, ceteris reſpondentibus, in hunc modum canunt ei laudem*: Dominus Leo Papa, quem Sanctus Petrus elegit, in ſua Sede multis annis ſedere: *Hoc uſque ter dicto, accedit Prior ſtabuli, & imponit ei in capite Regnum, quod ad ſimilitudinem caſſidis ex albo fit indumento; & tunc demum aſcendit ſuper equum, & vallatur a Judicibus, conſtipanturque plateæ cuneis populorum, expectantium eum, & cantantium laudem*. Antiquum itaque eſt Papale Regnum jam ante Nicolaum I. uſitatum, eratque ad ſimilitudinem Caſſidis factum ex albo indumento. Antiqua pariter eſt illa laudis formula, quæ dicebatur in creatione, ſive inauguratione novi Pontificis, nempe, *Dominum N. Papam S. Petrus elegit*; uti præter allatum Leonis Papæ III. exemplum, conſtat ex Actis Vaticanis, ubi narrant inthronizationem, & Coronationem Gregorii Papæ VII. *Et continuo univerſitate Cleri, & Populi acclamante*: Dominum Gregorium Papam Sanctus Petrus elegit; *indutus rubea chlamyde, ſicut moris eſt, & Papali Mitra inſignitus, invitus, & mœrens in B. Petri Cathedra fuit inthronizatus*; in Baſilica nempe Lateranenſi, uti alibi dictum fuit.

III. Omiſſis aliis id genus exemplis, certum plane illud eſt, Paſchalem II. electum in Romanum Pontificem anno MXCIX. non modo in Vaticana Baſilica conſecratum fuiſſe, ſed etiam coronatum. Scribit ſiquidem in ejus Vita Pandulphus, ſex Epiſcopos, nempe Oddonem Oſtienſem, Mauritium Portuenſem, Galterium Albanenſem, Bozonem Lavicanum, Milonem Prænestinum, & Ottonem Nepeſinum, inter Miſſarum ſolemnia in Baſilica S. Petri Paſchali manum impoſuiſſe, ibidemque ipſum etiam coronatum fuiſſe: *Primus*, inquit, *in conſecratione Oddo Oſtienſis, qui ad hoc, utitur Pallio, & benedixit, & linivit cum Chriſmate. Catholice igitur a Catholicis, & Orthodoxis Epiſcopis in Pontificem conſecratus, translato in ſe Pallio, expletiſque, quæ reſtabant, Miſſarum ſolemniis, cum plenitudine laudum, cum ingenti applauſu Populi, plebiſque, cum alacritate Patrum, ac devotione, Dominus Paſchalis Papa II. coronatus in Urbem rediit*; ideſt, ad Lateranenſe Patriarchium, quod Romæ ſitum dicitur, cum Baſilica Vaticana, totaque Urbs Leonina trans Tiberim extra Romam etiamnum ſita cenſeatur. Paſchalis itaque electus, ut in ejus Vita idem Pagius notat, in Baſilicam Lateranenſem deductus eſt, ibique inthronizatus die Sabbati XIII. Auguſti, anni MXCIX. poſtridie XIV. ejuſdem menſis conſecratus eſt in Baſilica Vaticana Sancti Petri, ibique coronatus, ad Patriarchium Lateranenſe ductus eſt: contra quod factum in Nicolao I. inſinuat Anaſtaſius Bibliothecarius, cujus locum ſupra attulimus; cum Pandulphus di-

Digitized by Google

dicat, Paschalem II. in Vaticana Basilica coronatum, indeque in Lateranense Palatium rediisse. Atque hic est ritus, quem recenset Cencius in Ordine Romano XII. Cap. XLVIII. Numero LXXXII. ubi ita inquit: *Missa autem celebrata*, in Basilica scilicet S. Petri, *revertitur ad Palatium*, Lateranense scilicet, *coronatus cum Processione, & honore arcuum &c.*

IV. His notatis, quod ritum attinet in nostro hoc præsenti §. XVII. expressum, luculentissime jam olim ipsum recensuit Cæremoniale Gregorii X. Num. VIII. & non multo post Romanus Ordo XIV. Cap. XIX. *Omnibus*, inquit, *rite peractis, ipse Summus Pontifex, & omnes Cardinales, & alii Prælati, & Subdiaconi, quilibet in gradu suo induentur vestimentis pretiosis albi coloris, Episcopi Pluvialibus, Presbyteri Casulis, Diaconi Dalmaticis, Subdiaconi Tunicellis, Acolythi Superpelliceis, & alii Capellani; Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Patriarchæ Pluvialibus; & Judices, & Scriniarii, similiter Præfecti, & Advocati erunt induti Pluvialibus, & Primicerius in Pluviali, & Mitra, & Cantores in Superpelliceis; & Papa omnia pretiosa ornamenta habebit, & Pallium, & Mitram optimam, & Chirotecas, & Anulum Pastoralem, & sic cum omnibus venit vel ad portam, vel ad gradus Ecclesiæ, & ibi Prior Diaconorum Cardinalium extrahit sibi Mitram, & ponit ei Coronam, quæ vocatur Regnum, in capite, toto populo acclamante*, Kyrie eleison; *& sic cum omni ornatu &c.* Hactenus Romanus Ordo XIV. auctore Jacobo Gajetano, a quo aliquantulum variant Cæremoniale ipsum Gregorii X. Codex Piersanctianus, ac demum, ut alia omittam, Pontificale Colbertinum, quod exscriptum fuit ab erudito Martene, qui illud inseruit Libro I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, in Capite VIII. Articulo XL. estque Ordo XVII.

V. Est hic porro antiquus ritus, ut recens ordinati Romani Pontifices Corona, quæ Regnum dicitur, exornarentur, ejusque exemplum habemus quidem non modo in laudato superius Leone III. sed & in Alexandro III. electo anno MCLIX. qui, ut inquit Auctor Anonymus hujus temporis in Codice Vaticano a Baronio laudatus, *præeunte Spiritus Sancti gratia, consecratus est in Summum Pontificem, & secundum solitum Ecclesiæ morem, Regno de more insignitus, Mitra turbinata scilicet cum Corona.* Sed & ipsemet Alexander in Epistola ad Gerardum Episcopum Bononiensem data, testatur, se *die Dominico* apud Nymphas munus consecrationis accepisse, *& sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnifice* fuisse, & solemniter coronatum. Mos ergo ille coronandi Romanos Pontifices antiquissimus erat, licet ante Nicolaum I. uti jam quidam putarunt, nullum ejusmodi Coronationis exemplum occurrat, sicut nec ante hæc tempora *Mitræ turbinatæ*, cujus meminit auctor ille Anonymus; quam Mitram verisimile est, ut in ejusdem Alexandri Papæ III. Vita notat Pagius, fuisse Mitram Pontificalem hodiernam, cum eo tamen discrimine, quod recentes Scriptores Nicolaus Alemannus in Dissertatione historica, *De parietinis Lateranensibus*, & ex eo alii adducunt, quod tunc scilicet Mitra illa, seu Tiara esset cum unico coronamento, cui Bonifacius VIII. secundum addiderit, Urbanus vero V. tertium.

VI. Sed antequam de hisce additamentis dicamus, observandum hic censeo, ac notandum quod idem Pagius docet loco citato, Romanum scilicet Pontificem non solum post suam Electionem, & Consecrationem, sed etiam pluribus aliis diebus in anno, etiam ante hæc tempora, fuisse coronatum, ut constat ex Benedicto Vaticanæ S. Petri Basilicæ Canonico, cujus Romanum Ordinem XI. vulgavit Mabillonius Tomo II. Musei Italici sub nomine *Polliciti*, qui Auctor sub Innocentii II. Pontificatu vixit. In eo enim Ordine plures recensentur solemnitates, in quibus coronari mos erat Romanum Pontificem, quas simul refert Petrus Manlius, seu Mallius S. Petri itidem Canonicus in Libro, quem Alexandro III. dicavit, cujus exterpta refert idem Mabillonius citato Tomo II. pag. 158. *Hæ sunt Festivitates*, inquit, *in quibus Dominus Papa solebat coronari. In Festo videlicet Sanctorum quatuor Coronatorum; in Festivitate S. Martini Papæ, qui dicitur Titulus Æquitii; in Festo S. Clementis; in Dominica de Adventu ad Sanctam Mariam in Præsepe; in Dominica de Jerusalem*, seu secunda Adventus *ad Sanctam Crucem; in Dominica de Gaudete*, seu tertia Adventus *ad Sanctum Petrum; in Nativitate Domini; in Festo S. Stephani; in Epiphania Domini ad Sanctum Petrum; in Dominica Ego sum Pastor bonus* (seu secunda post Pascha); *in Ascensione Domini; in Penteeoste; in Festivitate S. Petri; in Festivitate Sancti Silvestri; in Anniversario suo.* Ubi tamen desiderantur aliquot dies a Pollicito memorati, scilicet Dominica, *Lætare Jerusalem*, seu quarta Quadragesimæ, dies Resurrectionis, ac Feria secunda Paschatis.

VII. Alexander itaque III. post suam Consecrationem coronatus est *Pontificali Regno, vel Regno de more insignitus, Mitra turbinata scilicet cum Corona*, ut ait Anonymus Vaticanus laudatus. Romanus porro Pontifex tres Mitras diversas habebat, de quibus loquuntur Cæremoniale Gregorii X. jussu editum, & Romanus Ordo XIV. Jacobi Gajetani S.R.E. Cardinalis Diaconi Tituli S. Georgii ad Velum aureum a Bonifacio Papa VIII. creati. Certe in prædicto Gregorii X. Cæremoniali ita quidem Num. XII. legitur: *Primo notandum est, quod Dominus Papa Mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, & Mitram aurifrisiatam in circulo, & in titulo. Mitra aurifrisiata in circulo & in titulo utitur in Officiis Festivis, & aliis, excepto a Septuagesima usque ad Pascha, & ab Adventu usque ad Natale, & quando cantat pro Defunctis. Et est illa ratio, quia Coronam repræsentat, & activæ, & contemplativæ vitæ discursum. Mitra vero cum aurifrisio in titulo sine circulo utitur, cum sedet in Consistorio, & judicat; unde Coronam Regalem repræsentat. Alba utitur diebus Dominicis, & aliis non festivis ab Adventu Domini ad Vigiliam Nativitatis Domini, in Vesperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur Dominica de* Gaudete, *in quo die in Laudibus est quinta Antiphona* Juste, *quia tunc Dominus Papa facit quandam solemnitatem, quæ talis est.* Enarrat mox eam solemnitatem, & ait, tunc Papam equitare ad Sanctum Petrum, & portare *Mitram aurifrisiatam in eundo, & redeundo.* Easdem tres Mitras memo-

Digitized by Google

morat inter alios laudatus Jacobus Gajetanus in citato Romano Ordine XIV.

VIII. At vero licet Summus Romanus Pontifex his tribus tantum Mitris per annum uteretur, in die tamen Coronationis suæ utebatur Phrygio, quod a Suggerio Abbate San-Dionysiano qui claruit anno MCXXX. in Vita Ludovici VI. Francorum Regis, pag. 318. dicitur *Ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum*; & ab Auctore Actorum Alexandri Papæ III. *Regnum*, seu *Mitra turbinata cum Corona*. Mitram quidem cum Regno, seu Phrygio confundunt aliqui; sed Phrygium, seu Regnum diversum fuisse a Mitra, constat ex memorato Jacobo Gajetano, qui Libro II. de Coronatione Bonifacii VIII. apud Bollandianos ad diem XIX. Maii in Vita S. Petri Cælestini, postquam versu CL. ex fabulosa, ut videtur, Constantini Magni donatione retulit, Constantinum *proprium sibi Phrygium, seu Regnum* Silvestri, in vertice pressisse, versu deinde CCCX. Ita canit.

Progrediens Princeps Lateranum summus in Orbe
Appulit, haud Phrygium, Mitram sed vertice gestans,
Pondere confectus nimio.

Idem Gajetanus in citato Romano Ordine XIV. Cap. XIX, eumdem ritum confirmat, ubi agens de Corona, quæ vocatur Regnum, imponenda Papæ per Priorem Diaconorum, sic inter alia inquit: *Prior Diaconorum Cardinalium extrahit sibi Mitram, & ponit ei Coronam, quæ vocatur Regnum, in capite &c.* Idem legitur in Cæremoniali Gregorii X. uti notavimus supra Num. III. ubi etiam integrum Romani Ordinis XIV. locum descripsimus.

IX. Mitra itaque diversa erat a Phrygio, seu Regno, quod, ut ex dictis patet, erat Corona, seu ut loquitur Auctor Actorum laudati Alexandri Papæ III. *Mitra turbinata cum Corona*. Cum ergo Pontifex ante Coronationem haberet *Mitram optimam*, ut ait Cæremoniale Gregorii X. vel, ut inquit Romanus Ordo XIV. cap. XII. *Mitram pretiosissimam*: eaque deposita, ut coronaretur, acciperet *Coronam, quæ vocatur Regnum*, aut *Mitram turbinatam cum Corona*, scitissime inde idem Pagius notat in Alexandri Papæ III. Vita, Phrygium, seu Regnum, seu Coronam, seu Mitram turbinatam cum Corona, esse Tiaram Pontificalem hodiernam, quæ tunc erat cum Corona, seu cum unico coronamento, cui Bonifacium VIII. secundum, Urbanum vero V. tertium addidisse, ex eo deducitur, quod a S. Silvestro ad Bonifacium VIII. in effigiebus antiquis Romanorum Pontificum Tiaræ unico, a Bonifacio VIII. ad Urbanum V. duplici, & ab Urbano V. triplici coronamento amiciantur. Denique Innocentius III. in Sermone de S. Silvestro, *Romanus Pontifex*, inquit, *in signum Imperii, utitur Regno, & in signum Pontificis utitur Mitra*. Regnum itaque diversum erat a Mitra, sed non differebat tamen a Mitra turbinata.

X. Hac Mitra turbinata utebatur Pontifex non solum in die Coronationis, sed etiam in die suæ inthronizationis, ut constat ex Actis Vaticanis, quæ de electione Gregorii Papæ VII. sic inquiunt: *Indutus rubea Chlamyde, sicut moris est, & Papali Mitra insignitus invitus & mœrens in Beati Petri Cathedra fuit inthroniza-*

tus; anno scilicet MCLXXII. in Basilica Lateranensi, in qua exequiæ Alexandri II. celebrabantur, ut in laudati Gregorii vita Pagius docet; qui etiam deinde in Vita Alexandri III. observat, in recitato Actorum Vaticanorum loco per Mitram Papalem intelligi videri Mitram turbinatam, quæ a Pandulpho Auctore Vitæ Paschalis II. diserte vocatur *Tiara*; ipsique imposita dicitur in sua inthronizatione: *Chlamyde coccinea*, inquit, *induitur a Patribus, & Tiara Capiti ejus imposita, comitante turba cum cantu Lateranum versus &c.* Eadem Mitra turbinata, seu Tiara, seu Phrygio, seu Regno utebatur Pontifex in multis aliis magnis Festivitatibus, ut nos docet Chronographus Mauriniacensis, qui describens solemnem pompam inaugurationis Ludovici VII. Francorum Regis ab Innocentio II. factæ in Concilio Remensi anno MCXXXI. ait: Innocentius *Romani Pontificis omnibus insignibus indutus, ac, ut sibi consuetudinis est in sacris magnisque Festivitatibus, Phrigio coronatus &c.* Suggerius quoque Abbas San-Dionysianus loquens de eodem Innocentio II. solemnitatem Paschalem in Monasterio S. Dionysii celebrante sic habet: *More Romano se ipsos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes Capiti ejus Phrygium, ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt &c.* Denique idem Suggerius in Vita Ludovici VI. Francorum Regis, Cap. IX. loquens de Paschale II. in Francia existente, *Cumque Turonis*, inquit, *apud S. Martinum, ut mos est Romanus, Phrygium ferens*, Lætare Jerusalem *celebrasset &c.* seu Dominicam IV. Quadragesimæ. In multis aliis Festivitatibus anni consueviſse olim Romanos Pontifices Phrygio coronari, docent nos Romani Ordines a Mabillonio editi, atque exempla multa illustria ab Eruditissimo Sacræ penitioris antiquitatis indagatore Petro Moretto allata in celeberrimo Opere, *De Presbyterio*.

XI. Verum quidem est, Mitram illam turbinatam, seu Tiaram, non videri differre a Mitra illa aurifrisiata in circulo, & in titulo; quia juxta laudatum Cæremoniale Romanum Gregorii X. jussu editum, Pontifex utebatur *in officiis festivis, & aliis*, sed Jacobus Gajetanus Cardinalis in Ordine suo XIV. Romano non obscure indicat, ipsam Mitram aurifrisiatam, diversam fuisse a Regno, seu Phrygio, & consequenter a Mitra turbinata, seu Tiara; nam Cap. XII. ubi agit de Episcopo in Papam electo, ait: *Electus in Papam induitur omnibus paramentis pretiosis, & solemnibus aptis tempori, & diei, & ponitur pretiosima Mitra in Capite*; quæ certe alia non videtur a Mitra aurifrisiata in circulo & in titulo; illam tamen postea distinguit a Phrygio, seu Regno. Capite enim XIX. loquens de Coronatione Papæ, quæ fiebat in Ecclesia S. Petri post Consecrationem: *Post Missam*, inquit, *idem Summus Pontifex .... cum omnibus venit ad portam, vel ad gradus Ecclesiæ, & ibi Prior Diaconorum extrahit sibi Mitram, & ponit ei Coronam, quæ vocatur Regnum, in capite*. Distinguit igitur Gajetanus pretiosissimam illam Mitram aurifrisiatam in circulo, & in titulo a Phrygio, seu Regno, ideoque & a Mitra turbinata, seu Tiara Pontificali. Quod spectat ad Mitram *cum aurifrisio in circulo sine titulo*, qua juxta citatum Cæremoniale utebatur Pontifex in Consistorio, cum hæc Coronam regalem

Digitized by Google

repræsentaret; ut ibidem habetur; & ex alia parte Innocentius III. mox laudatus dicat, Pontificem in signum Imperii uti Regno; Sugerius vero Phrygium fuisse ornamentum Imperiale circulo aureo concinnatum scribat; forsan hæc Mitra diversa non erat a Mitra turbinata, seu a Regno, & Phrygio.

XII. Sed quicquid de hac re sit, licet hujus Mitræ turbinatæ, sive Papalis, sive Tiaræ, ante Gregorium VII. Paschalem II. & Alexandrum III. nulla nobis occurrat mentio, non inde tamen sequitur, eam non fuisse antiquiorem, quod satis indicant tum Acta Vaticana de Gregorio VII. tum Pandulphus de Paschali II. tum Auctor Actorum Alexandri III. dum scribunt, eos Pontifices Mitra Papali, vel Tiara, vel Mitra turbinata fuisse insignitos, *sicut moris est*, vel *de more*, quem valde antiquum fuisse, eruitur, ut cum Annotatore Baronii notavit Pagius in Vita Gregorii VII. ex Auctore fabulosæ donationis Constantini, qui scribit, S. Silvestrum ab eodem Imperatore proprio Regno, seu Phrygio fuisse ornatum; ex quo id saltem evincitur, eo tempore, quo illa donatio supposita est, Romanos Pontifices Phrygio, seu Regno, seu Tiara Pontificali fuisse coronatos, alioquin ejus mentionem fabulosæ suæ donationi non inseruisset impostor, ne se impostorem proderet. Cum autem hæc suppositio antiqua sit, & quam tardius facta sub finem Seculi VIII. vel ipso Seculi IX. initio, quo Ridulphus Archiepiscopus Moguntinus Collectionem Decretalium Pontificum ex Hispania in Galliam detulit, cui hæc falsa donatio inserta erat, evidenter patet, jam ante finem Seculi VIII. Pontifices Romanos Phrygio, seu Regno, seu Tiara Pontificali fuisse coronatos; ex quo & sequitur, eorum Coronationem esse valde antiquam, quamvis, uti jam notatum superius fuit, ante Leonem III. & Nicolaum I. seu ante Seculum VIII. & medium Seculum IX. ejusdem vestigia non invenerimus.

XIII. Ex his porro patet, Ægidium Viterbiensem S. R. E. Cardinalem a Leone Papa X. creatum, deceptum esse, quando de Paulo II. anno MCDLXIV. Pontifice electo ita scripsit: *Incredibili pretio emit, sacravitque Mitram maximam, insolito pretiosissimarum gemmarum pondere opplevit; qua ornatus cum prodiret, oculos omnium luce radiisque feriebat. Vocari cœpta est maxima illa Mitra Regnum Mundi, quam Paulus sublimi fastigio surgentem regna ... pretio superantem primus reddidit, primus lectissimarum gemmarum toto Orbe quæsitarum luce exornavit ambitum trium Coronarum, quarum usus ex arcanis agnosci solum potest.* Ex superius enim dictis liquet, Mitram illam Seculo VIII. jam fuisse vocatam Regnum, & post Urbanum V. fuisse cum triplici coronamento. Corruit & quod Cardinalis Papiensis, licet tempore Pauli II. vixerit, de eo scribit Libro II. Commentariorum: *Porro autem gemmis, lapillisque admodum delectatus, conquisitis undique pretiosissimis, Mitram, quæ tribus educta Coronis, Regnum appellatur, atque a Pontificibus, multis ante seculis desita erat gestari, novam confecit, atque adhibuit.* Regnum enim non multo ante Paulum II. a Romanis Pontificibus gestatum constat ex Ordine Romano XV. Auctore Petro Amelio, qui anno MCCCXCI. vivebat. Loquens enim hic Auctor Cap. XII. de secundis Vesperis Nativitatis Domini, sic ad rem recte inquit: *Ibi Dominus Papa descendit, & deposito Regno, accipit Mitram.* Tum Capite sequenti loquens de die S. Stephani: *Ascendens equum*, ait, *& de manu Diaconi, qui stat a dextris, Regnum accipiens, induit ipsum &c.* Pontificia itaque triplicis coronamenti Corona antiquior est, quam putavit Ægidius Viterbiensis, & a Romanis Pontificibus seculo ante Paulum II. gestata. Porro non omittendum hoc loco, quod de ipso Regno, Tiarave Pontificia scribit Grassus in suo ms. Diario, ubi agit de Coronatione Leonis X. anno MDXIII. *Fecimus fieri novum Regnum levissimum alioquin ditissimum, & spectabile, & Cardinalis de Farnesio lectis prius verbis ad id facientibus illud imposuit, & Socius meus voluit, quod Cantores cantarent,* Kyrie eleison; *& quoniam solet esse mos, quod Pontifex in illo loco & actu non soleat aliquid aliquibus denegare, præsertim Cardinalibus, & Cardinales diversi tot & tanta petiissent; Papa respondit eis ridens, quod potius acciperent suam Thiaram, & ipsi Pontifices facti concederent, aut caperent illud quod volebant.*

XIV. His de origine, ac vario usu Regni, seu Coronæ Romanorum Pontificum explicatis, redeo nunc ad nostri §. Textum, quem lubet praxi illustrare Coronationis Innocentii Papæ VIII. de qua sic inter alia in suo Cæremoniali scribit Burchardus §. CCXVII. *Data in Altari Benedictione, Papa, retento Pallio, ac omnibus aliis paramentis, reassumsit Mitram pretiosam, Chirothecas, & Anulum Pontificalem, ac alios Anulos, & accessit Sella portatus sub Baldachino ad suggestum in loco Benedictionis præparatum, præcedentibus ipsum omnibus Cardinalibus, Prælatis, & aliis paratis in suis paramentis, & Mitris, ac ornamentis, seu habitibus, prout Missæ interfuerunt, processionaliter, sine tamen luminaribus, & incenso. Papa in suggesto constituto sedit in Sede eminenti ibidem parata, ubi expectato, quod Populus Ecclesiam exiret, & in platea congregaretur, extracta per Cardinalem Sancti Georgii Papæ Mitra, Cardinalis Senensis Prior prædictus,* Cardinalium scilicet Diaconorum, *imposuit Papæ Regnum, nobis circumstantibus acclamantibus,* Kyriæ eleison, *alta voce semel tantum.* Additque mox idem Burchardus oculatus testis, & qui, ut erat Apostolicarum Cæremoniarum Magister, sacram actionem dirigebat, §. CCXVIII. *Papa sic coronato, idem Senensis pronunciavit populo plenarias Indulgentias populo concessas verbis Latinis, & post eum Cardinalis Sancti Georgii verbis vulgaribus ad populum versi stantes.* Similia legere est in ms. Diario Paridis Grassi, ubi enarrat Coronationem Leonis Papæ X. & apud Novidium Lib. II. Sacrorum Fastorum, ubi poeticis coloribus depingit solemnitatem Coronationis Pauli Papæ III. quæ acta fuit die v. Novembris anno Christi MDXXXIV.

XV. Quoniam tandem plerumque, ut ait nostrum Cæremoniale, *antequam hæc completa sint, hora est satis tarda, & longa ad Lateranum restat via, multaque ibi adhuc sunt peragenda, consueverunt aliquando Pontifices, & Patres, sustentationis gratia, aliquantulum cibi sumere.* Parari ait refectionem *in Atrio domus Archipresbyteri Basilicæ,* Vaticanæ scilicet, *pro Pontifice, & Cardinalibus, pro aliis Prælatis in*

Digitized by Google

in vicinis Domibus Canonicorum. Teſte Burchardo in deſcriptione Coronationis Innocentii Papæ VIII. pronunciatis Indulgentiis, de quibus dictum ſuperius fuit, *deſcenderunt omnes de ſuggeſto, & Papa cum Cardinalibus tantum, & paucis ſervitoribus intravit domum reſidentiæ Reverendiſſimi Cardinalis Sanctæ Mariæ in porticu Archipresbyteri Baſilicæ prædictæ,* ideſt Vaticanæ, *in cujus Curia, ſive horto ordinata fuit collatio pro eiſdem Pontifice, & Cardinalibus; Prælati vero, & Officiales, ac aliæ dignæ perſonæ intrarunt Domum Canonicalem Domini Celſi de Melinis ejuſdem Baſilicæ Canonici, prædicti Domui Cardinalis contiguam, ubi & pro ipſis collatio ordinata erat, & ibidem collationem fecerunt cum pinochiatis confectionibus, malvaſia, & hujuſmodi paratis. Fuerat tamen pridie ordinatum, quod collatio hæc fieret, antequam Papa ſuggeſtum aſcenderet, & coronaretur, itaque poſtmodum coronatus ſine mora ad Lateranum equitaret, quod & magis conveniſſet; ſed hoc mane nobis de Baſilica exeuntibus, aliquibus viſum eſt id magis placere, ſic quod ordo prius datus perverſus eſt, & male facta collatione, Papa, Cardinales, Prælati, & alii omnes parati, prout in ſuggeſtu fuerunt, deſcenderunt per gradus ad plateam Baſilicæ prædictæ, ubi equos ſibi paratos, & coopertis ornatos, prout ſupra in præparatione dictum eſt, equos aſcenderunt ituri ad Lateranum.* Hucuſque Burchardus narrans Coronationem Innocentii VIII. quem ait eadem die profectum fuiſſe Lateranum cum ſolemni Proceſſione, de qua nos inferius dicemus in Commentario ad §. ſequentem, in quo plura ſcitu digna adnotabimus.

XVI. Notandum hic vero illud, peracta Coronatione apud Vaticanam S. Petri Baſilicam non ſemper Pontifices ſtatim proceſſiſſe ad Baſilicam Lateranenſem, ſed multos poſt dies, uti addiſcimus ex ms. Diario Paridis Graſſi, qui enarrans Coronationem Leonis Papæ X. apud eandem Baſilicam S. Petri peractam, ſolemnem ejuſdem ad Lateranum Proceſſionem dilatam in aliud tempus fuiſſe ſcribit. Teſte eruditiſſimo Petro Moretto in celebri Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VIII. Numero VII. *Paulus III. poſt Coronationem ſuam, quæ acta fuit ad Sancti Petri die V. Novembris anno MDXXXV. minime proceſſit ad Lateranum, ſed parata pompa ſtetit ibidem, ibidemque jactus habendi per viam, traditio Presbyterii, convivium, aliaque completa ſunt.* Ut alia exempla omittam, noſtris temporibus Benedictus XIII. electus Pontifex die XXIX. Maji anno MDCCXXIV. licet die IV. Junii in Dominica Pentecoſten coronatus fuerit, nonniſi die XXIV. Septembris ſolemnem Lateranenſis Baſilicæ poſſeſſionem cepit: *Deſcendens hora XX. ex Cameris Quirinalis Palatii ad Atrium, equumque album de more conſcendens, præcedente Cruce, cum conſuetis Ordinibus Prælatorum, ac ſequentibus Dominis Cardinalibus equitantibus, ceteriſque de more &c.* uti rem narrat in ſuo ms. Diario Franciſcus Bolza Cæremoniarius Apoſtolicus ad diem ipſam XXIV. Septembris anni MDCCXXIV. Et in ejuſdem Vita Alexander Borgia.

§. XIX.

Ordo Proceſſionis ad Lateranum.

Sumta refectione, Pontifex, & omnes deſcendunt ad equitandum, & hoc ordine proceditur ad Lateranum. Primi incedent Valiſarii Cardinalium ſuo ordine, & deinde eorum familiæ, & omnes laici mixtim, ut eis placuerit. Tum per ordinem iſti ſequentur, Barbitonſor, & Sartor Papæ cum valiſiis rubeis, in quibus ſunt veſtes, quæ pertinent ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum, Familiares, & Scutiferi Papæ, Nobiles Curiæ minores, & nepotes, affineſque Dominorum Cardinalium, ſcala Papæ panno rubeo cooperta, quam portat equus albus ductus per unum ex Parafrenariis purpurea veſte indutum; qui poſtquam Papa aſcendit equum cum iſta ſcala, vadit in ordine ſuo, dextra equi habenas, ſiniſtra rubrum ferens baculum. Hunc ſequuntur duodecim Curſores Papæ etiam rubris veſtibus induti equeſtres portantes duodecim Vexilla rubra bini & bini. Inde tredecim Vexilliferi capitum Regionum Urbis cum ſuis Vexillis. Deinde (1) duo Curſores cum vexillis Cherubin aliquantulum majoribus aliis Vexillis, etiam veſtibus rubeis, & equeſtres omnes Vexilliferi. Tum Vexillifer Populi Romani cum Vexillo, & inſigniis Populi Romani. Deinde Vexillum album cum Cruce nigra, quod portat Procurator Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum. Vexillum cum armis Papæ, quod aliquis magnus Nobilis portat. Vexillum (2) Eccleſiæ etiam magnum alius Nobilis portat. Et demum Vexillum Ordinis Hieroſolymitani rubeum cum alba Cruce, quod Procurator ejus Ordinis portat. Iſti quinque Vexilliferi habebunt equos cataphractos, ſive bardatos, & coopertos tela ſericea uſque ad talos equorum cum inſignibus ſuis. Ipſi autem erunt armati, ac ſi prælium eſſent ingreſſuri, demta galea cum lacernis ex tela etiam ſericea cum (3) inſigni, & ſinguli (4) Vexilliferi habebunt quatuor pedites cum lacernis bocaſinis cum inſignibus Dominorum. Hunc Ordinem Vexillorum inveni ſervatum; ſed mihi non placet, neque vi-

(1) In editione Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1557. deſunt ea verba, *deinde duo Curſores cum vexillis*, quæ tamen habentur in editione Romana anni 1560. (2) In citatis primis editionibus deſiderantur & ea verba, *Vexillum Eccleſiæ etiam magnus alius Nobilis portat*; ſed leguntur in ipſa Romana editione. (3) In editione Romana legitur, *cum diviſa*. (4) In eadem, & *quinque Vexillifer habebit*.

Digitized by Google

videtur debitus ordo, nam non honoramus signum, nec signi figuram, sed signati dignitatem; unde ponimus Vexillum Civitatis, in qua est Pontifex, in principio, ut minus dignum, deinde Vexillum Ordinis Militaris Beatæ Mariæ Theutonicorum, in quo est Crux nigra in albo campo. Tum Vexillum Papæ, inde Vexillum Ecclesiæ, & bene hactenus. Demum in loco honorabiliori Vexillum Ordinis Militaris Hierosolymitani cum alba Cruce in rubeo campo, quod mihi videtur præter omnem convenientiam, nam signum Crucis albæ in campo rubeo non est signum universitatis Christianorum, sed illius tantum Ordinis Militaris, sicut & nigra in albo alterius Ordinis est signum; Universitatis autem Christianæ signum est Crux rubea in albo. Ergo Vexillum Ordinis Hierosolymitani non est præferendum signo Papæ, aut signo Ecclesiæ; locus igitur suus esset post Vexillum Ordinis Theutonicorum, & non post omnes. Si autem adesset Vexillum Cruciatæ, Crux rubea in albo campo, quia est universale omnium Christianorum, illud jure optimo ponendum esset in loco digniori. Post Vexilla procedunt duodecim equi albi sine sessoribus, phaleris aureis, coopertisque de cremesino ornati, quos duodecim Parafrenarii ducunt rubea veste induti, & baculum rubeum in sinistra portantes. Hos sequuntur quatuor Nobiles Pilea quatuor de cremesino supra baculos quosdam deferentes, qui Scutiferi honorarii vocantur, Cubicularii deinde sequuntur equitantes in suo habitu, Oratores laici, & non Prælati simul cum Baronibus, & majoribus Nobilibus. Tum Subdiaconus Apostolicus cum Cruce Papali, & suis Collegis pariti, ut in Missa, & apud Crucem duo Magistri Ostiarii cum suis virgis. Post hos duodecim Familiares Papæ rubea veste induti portantes duodecim intorticia accensa ante Sacramentum Corporis Christi pedites. Inde duo Familiares Sacristæ equestres etiam rubeo induti portantes laternas argenteas cum lumine ante Sacramentum; & post eos ducitur per Familiarem Sacristæ rubeo etiam indutum, & baculum in sinistra habentem equus albus mansuetus ornatus, ut illi duodecim, portans Sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene (1) tinniens, & supra portatur Baldachinum cum armis Papæ, & Sacramento per Cives Romanos, qui inter se mutantur ter decies, ut unaquæque Regio habeat suam partem. Post Sacramentum equitat immediate Sacrista, qui, ut ceteri Prælati, habet equum totum coopertum de bocasino, & ipse, & omnes alii parati sunt, ut in Missa cum paramentis, & Mitris. Sacrista in manu gestat album baculum. Sequuntur deinde duo Præfecti navales, & in eorum absentia duo Nobiles induti, ut Advocati, & Secretarii præter Almutiam; & post eos ipsi Secretarii, & Advocati cum Almutiis. Cantores deinde equitant cum Superpelliceis. Tum Acolythi, Clerici Cameræ, & Auditores cum Superpelliceis supra Rochettum. Subdiaconus Græcus, & Latinus, & Diaconus Græcus, ut in Missa. Sequuntur dehinc Prælati cum equis coopertis, & ipsi cum Mitra, & Pluviali. Abbates Forenses, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates Urbis, Episcopi assistentes Papæ, Patriarchæ, Diaconi cum Dalmaticis, Presbyteri cum Planetis, Episcopi Cardinales cum Pluvialibus. Procedunt deinde duo Diaconi assistentes Papæ, & inter eos medius Prior Diaconorum, si ipse dixit Evangelium. Prior Diaconorum Ferulam in manu portare debet, & totam Processionem ordinare, & illa ordinata equitare in loco suo. Procedit tandem Summus Pontifex super equum album phaleratum coopertum a parte posteriori stragula (2) purpurei coloris, qui vulgo dicitur Cremisino, sub Baldachino, quod octo magni Nobiles, sive Oratores Principum portant. Tum Papa per scalam, quam superius diximus, ascendit equum, major Princeps, qui præsens adest, etiamsi Rex esset, aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, & deinde ducit equum per frenum aliquantulum. Si Imperator, aut Rex soli essent, idest, non adesset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero esset alius Rex, Dignior a dextra, alius a sinistra frenum tenerent. Si non sint (3) Reges, digniores ducant equum. Et postquam Imperator, Rex, sive alius magnus Princeps aliquantulum aquum duxerit, substituantur alii duo magni Nobiles eorum loco, & mutentur. Si vero Pontifex non equo, sed sella veheretur, quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator, Rex, (4) aut quivis Maximus Princeps adesset, in honorem Salvatoris Jesu Christi sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debent; sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis Familiares, qui pondus sustinent, itaut Principes in signum piæ Religionis ac reverentiæ, magis quam ad onus subeundum, manus apposuisse videantur; qui etiam

(1) Ita in laudatis editionibus Veneta, & Colonienſi; in Romana autem legitur: *tintinnabulum bene ſonantem*. (2) Ita in Romana editione, in aliis aut ſupra laudatis legitur: *ſtragiola cremeſina*. (3) Ita quoque in ipſis Veneta & Colonienſi editionibus, in Romana, *ſi vero ſint Reges duo, plures digniores &c.* (4) Rex deeſt in editionibus Veneta & Colonienſi.

Digitized by Google

etiam mutabuntur pro hominum & itineris diſpoſitione. Similiter & octo Nobiles, qui Baldachinum ſuper caput Pontificis ferunt, mutabuntur poſt aliquod ſpatium, & equos ſuos aſcendentes in ordine ſuo equitabunt; eorum loco Nobiles Cives Romani uſque ad Lateranum Baldachinum portabunt, mutabunturque per vices, ſicut de Baldachino Sacramenti diximus. Ante Pontificem Conſervatores, capita Regionum, & alii Magiſtratus, ac Nobiles Urbis pedites præibunt, & Prætoriani Milites cum eis accincti enſibus circiter centum, & baculum in manibus portantes ad cuſtodiam (1) & defenſionem corporis Pontificis. Circa Pontificem aliquando ante, aliquando poſt equitabit Mareſcallus, ſive Soldanus Curiæ cum duobus ſaccullis pecuniarum ante ſellam, & ipſas pecunias projiciet ſuper populum ad preſſuram dimovendam, ut infra dicemus.

COMMENTARIUS.

I. SOlemnis Proceſſionis, qua ipſe Romanus Pontifex Maximus poſt ſuam Coronationem peractam, uti dictum eſt, apud Baſilicam Vaticanam, ab ea procedit deinde ingenti cum pompa ad Lateranenſem Baſilicam, exemplum plane inſigne, & pervetuſtum habemus in Nicolao I. Pontifice electo anno DCCCLVIII. de quo ita inquit in ejus Vita Anaſtaſius Bibliothecarius: *In Baſilicam Beati Petri deductus, præſente Cæſare conſecratus, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede, factus eſt Pontifex, & Miſſarum ſolemnia ſuper Sacratiſſimum Corpus Apoſtoli celebravit. Denſis tandem Optimatum, popuque agminibus, cum Hymnis, & canticis ſpiritualibus iterum Lateranum perductus coronatur* (legendum forte *coronatus*, uti alias notavimus.) *Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus, & populi plenitudo magnifice gratulatur.* Occurrunt id genus exempla & in aliis ſequioris ævi Romanis Pontificibus, & ut alios omittam, ſummo quidem honore deductus fuit poſt ſuam Conſecrationem ad ipſam Lateranenſem Baſilicam Paſchalis II. electus Pontifex anno MCXCIX. ut teſtatur in ejus Vita Pandulphus, ſic inter alia inquiens: *Catholice igitur a Catholicis, & Orthodoxis Epiſcopis in Pontificem conſecratus, translato in ſe Pallio, expletiſque, quæ reſtabant, Miſſarum ſolemniis, cum plenitudine laudum, cum ingenti applauſu populi, plebiſque, cum alacritate Patrum, ac devotione, Dominus Paſchalis Papa II. coronatus in Urbem rediit*, ideſt, ad Lateranenſe Patriarchium, ubi primum intronizatus fuerat, quod Romæ ſitum dicitur, cum Baſilica Vaticana, totaque Urbs Leonina trans Tiberim extra Romam etiamnum ſita cenſeatur. Paſchalis itaque electus in Baſilicam Lateranenſem primo deductus eſt, ibique intronizatus die Sabbati XIII. Auguſti anno MCXIX. poſtridie XIV. ejuſdem menſis conſecratus eſt in Baſilica Vaticana, ibique coronatus, ad Patriarchium Lateranenſe cum Proceſſione ſolemni deductus eſt.

II. Præter exempla, mentionem & ejus ritus faciunt Romani antiqui Ordines, ac præſertim Ordo XII. auctore Cencio, Cap. XLVIII. itemque Ordo XIII. & XIV. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici. Sed audiamus primum Cæremoniale Gregorii Papæ X. juſſu editum, quod idem Mabillonius appellat Romanum Ordinem XIII. Ergo ex hujus Cæremonialis præſcripto ubi poſita fuit Corona Pontifici, quæ vocatur Regnum, in capite, toto Populo clamante, *Kyrie eleiſon &c.* ut ſupra, *cum omni ornatu quilibet Cardinalis, & Prælatus equitat equum opertum panno albo: Subdiaconi vero, Capellani, Scriniarii, & alii equitant ornate veſtiti, non tamen habent equos coopertos. Papa equitat equum magnum phaleratum, & coopertum tantum ex parte poſteriori, & de ſcarlato, in parte vero anteriori non coopertum.* Pergit Cæremoniale, & ita mox ad noſtram rem ſubjicit: *Sic omnibus equos aſcendentibus, Prior Diaconorum cum ferula ordinat Proceſſionem hoc modo. Primo procedit equus Domini Papæ phaleratus; ſecundo vadit Subdiaconus cum Cruce; tertio duodecim (2) Bandonarii cum duodecim Vexillis rubeis, & duo alii cum duobus Cherubin (3) cum lanceis; quarto duo Præfecti navales induti Pluvialibus; quinto Scriniarii; ſexto Advocati; ſeptimo Judices; octavo Cantores; nono Diaconi & Subdiaconi, qui legant Epiſtolam & Evangelium in Græco; decimo Abbates Forenſes; undecimo Epiſcopi; duodecimo Archiepiſcopi; decimotertio Abbates Urbis; decimoquarto Patriarchæ, & Epiſcopi Cardinales; decimoquinto Presbyteri Cardinales; decimoſexto Diaconi Cardinales: decimoſeptimo Dominus Papa, & Subdiaconi cum tobalea, & ſerviens qui portat (4) Umbraculum, & ſic venit uſque ad Palatium ſuum, ſive ad Eccleſiam juxta Palatium ſuum.* Atque hic idem ordo Proceſſionis iiſdem fere verbis legitur etiam in ms. Codice Pierſanctiano, in Ordine XIV. Romano auctore Jacobo Gajetano, atque in Colbertino Pontificali, in quo tamen tertio loco leguntur non bandonarii, aut brandonarii, ut in Codice Pierſanctiano, ſed *banderarii*.

III. Nobiliorem hujus Proceſſionis apparatum ac ordinem deſcribunt quidem in ſuo Cæremoniali Burchardus, & Paris de Graſſis in ſuo Diario, quorum alter Innocentii Papæ VIII. alter Leonis Papæ X. ſolemnem poſt ipſorum coronationem ad Lateranum profectionem recenſent. Sed ſolemnis æque eſt apparatus, quem noſtrum Cæremoniale in hoc §. præſcribit, in quo nonnulla notabimus magis ſcitu digna, & curioſo lectori gratiora. Sciendum autem primum, quod licet in hoc §. mentio fiat tredecim Regionum Urbis, dum ordinem prædictæ Proceſſionis deſcribens, ſic inter alia inquit: *Inde tredecim Vexilliferi capitum Regionum Urbis cum ſuis Vexillis*; Sixtus deinde V. ut in ejus Vita refert Ciaconius, *Romanæ Urbis XIII. Regionibus aliam appoſuit: Burgum enim, ut populari voce utar, quartamdecimam Regionem eſſe voluit, & pro inſigni Leonem pyra tenentem con-*

(1) In editionibus Veneta & Colonienſi deeſt, *& defenſionem*; legitur in Romana. (2) In Pierſanctiano Codice legitur, *brandonarii*. (3) Ibid. *in lanceis*. (4) Ibid. *unum Umbraculum*.

Digitized by Google

concessit; ideſt gentis ſuæ Perettæ ſtemmata. Sane legendus Floravantes Martinellus in ſua Roma ex ethnica Sacra, Cap. IV. inſcripto, *De Regionibus Urbis*, ubi inter alia notat, ipſam Gentilium Romanorum Urbem jam ab Auguſto Cæſare in Regiones XIV. fuiſſe diviſam, probatque teſtimoniis Svetonii in citati Auguſti Vita Cap.XXX, Ejuſdem numeri mentionem facit Tacitus dum ſcribit Urbem ipſam in Neroniano incendio arſiſſe, ſic inquiens; *In Regiones XIV. Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant; tres ſolo tenus dejecti; ſeptem reliquis tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta*. Licet autem eandem decimo Neronis anno ſuis reſurrexiſſe e flammis hiſtorici teſtentur, Scriptores nihilominus ſacri veteres de ſeptem Regionibus tantum verba faciunt, quod duabus forſan ſimul junctis, per has a Miniſtris ſua munia exerceri Summi Pontifices decreverint, uti idem Martinellus citato loco obſervat, ubi etiam ait, in Urbe Roma noſtro hoc ſeculo Regiones XIV. numerari, ſed ab antiquis tamen diverſas.

IV. Præ ceteris vero notatu dignus ritus eſt ille, geſtandi ſcilicet in ipſa equitatione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: *Tum Subdiaconus Apoſtolicus*, ait noſter §. *cum Cruce Papali, & ſuis Collegis parati, ut in Miſſa* procedunt, *& apud Crucem duo Magiſtri Oſtiarii cum ſuis virgis. Poſt hos duodecim Familiares Papæ rubea veſte induti, portantes duodecim intortitia accenſa ante Sacramentum Corporis Chriſti pedites; inde duo Familiares Sacriſtæ equeſtres rubeo induti portantes laternas argenteas cum lumine ante Sacramentum; & poſt eos ducitur per familiarem Sacriſtæ rubeo etiam indutum, & baculum in ſiniſtra habentem equus albus manſuetus, ornatus, ut illi duodecim, portans Sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens, & ſupra portatur baldachinum cum armis Papæ, & Sacramento per Cives Romanos, qui inter ſe mutantur ter decies, ut unaquæque regio habeat ſuam partem*. Ejuſdem ritus mentionem faciunt Burchardus, & Paris de Graſſis, in Diariis ſuis, ubi alter Innocentii VIII. alter vero Leonis X. equitationem enarrat, ad capiendam Lateranenſis Baſilicæ poſſeſſionem. Sed & ante hos Pontifices ſervatum fuiſſe eum ritum in ſolemni per Urbem equitatione Pauli II. cum Friderico III. Imperatore, teſtis eſt Auguſtinus Patricius in deſcriptione adventus ipſius Friderici Romam ad eundem Paulum II. Pontificem, Num.XXII. *Incedebat*, inquit, *Subdiaconus Crucem præferens*. Tum vero paulo poſt: *Crucem vero ſequebantur primo Clerici Pontificalis Capellæ, quorum alter laternam cum lumine præferebat in honorem Sacræ Euchariſtiæ, alter vero loculum Pontificalis Mitræ*. Paucis tandem interjectis, ſubjicit: *Poſt hos ducebatur equus albus Sacratiſſimum Chriſti Corpus vehens in capſula ornatiſſima reconditum, quem præcedebat Sacriſta Pontificis baculum teretem manu ferens; & ſupra Sacram Hoſtiam ſericeum umbraculum ferebatur; circumcirca vero funalia multa accenſa*.

V. Occurrunt paſſim & alia exempla, quæ nobis eundem exhibent ritum ſervatum non modo Seculo XV. ſed ineunte etiam ſeculo XVI. ac præſertim anno Chriſti MDXXX. in ſolemni equitatione Clementis VII. & Caroli V. per Civitatem Bononiæ, ubi celebrata fuit hujus Imperatoris Coronatio feſto die S. Matthiæ Apoſtolo dicato. Delata tunc enim fuit & Sacra Euchariſtia, teſte Paulo Jovio Lib.XXVII. Hiſtoriæ ſui temporis, ubi ita inquit: *Nec multum inde ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea umbella loculo cryſtallino incluſa, & ſellæ generoſi, & tamen pacati equi ſuperimpoſita, laterna ingens ante, & circum dena funalia ferebantur*. Porro de Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo Commentarium edidit eruditus Sacrarii Apoſtolici Præfectus ac Epiſcopus Tegaſtenſis Angelus Rocca, legiturque Tom. I. ejus Operum pag.33. & ſeqq. ubi inter alia ſcite notat, quod alias & iis, qui ſaltem a limine Annales, & mores priſcos Eccleſiæ ſalutarunt, exploratiſſimum eſt, complures ſcilicet olim Fidelium, maxime Clericorum, dum longinquo ſe darent itineri, hoc ſe Euchariſtiæ Viatico inſtruere ſolitos fuiſſe. Hoc tandem antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum ſane pulcherrimum in Eccleſia hæſit omnium principe, & magiſtra, alibi prorſus obliteratum. Certe Archiepiſcopus Beneventanus dum ſuam Diœceſim viſitaret, Sanctiſſimum Sacramentum publice ante ſe deferre ſolebat, eaque conſuetudo ad Pauli II. uſque tempora duravit, ut ms. Codex in Archiepiſcopio Beneventano aſſervatus teſtatur apud memoratum Roccam loco citato pag.42.

VI. Ceterum tametſi antiquus ritus ſit, ut Romano Pontifici Urbe alio proficiſcenti Sacra Euchariſtia prægeſtetur, idque idem Rocca variis exemplis oſtendat, recentior tamen eſt ille, ut per Urbem procedenti ipſa Divina Euchariſtia præferatur. Cenſet laudatus Auctor, ritum deferendi Sacramentum in ſolemni illa Romanorum Pontificum equitatione ad capiendam poſt ſuam ipſorum Coronationem Lateranenſis Baſilicæ poſſeſſionem, admiſſum fuiſſe ab iis, qui non pro Viatico, ſed ad ſolam majeſtatem Pontificiam repræſentandam Sanctiſſimum Sacramentum longo in itinere aſportari ſolitum opinati ſunt. Quicquid ſit, geſtatio ipſius Sacramenti in ſolemni per Civitatem equitatu jam diu in deſuetudinem abiit, *vel quia multis ab hinc annis, ut ajunt, equitatio ſine paramentis Eccleſiaſticis, minuſque proinde ſolemnis fieri ſolet; vel quia in hujuſmodi equitatione id ita, re magis perſpecta, faciendum videtur. Præcelſum namque ac Venerabile Sacramentum præter Sacroſanctum Viaticum a Romanis Pontificibus in itinere, & a Parochis ad ægrotos pie ac religioſe aſportari conſuetum; ſingulis annis per publicas Civitatum, & Oppidorum, ceterorumque locorum vias, in Feſto Sacratiſſimi Corporis Chriſti die, ſingulari veneratione, ac ſolemnitate, ut Sancta Synodus Tridentina inquit, in Proceſſionibus circumferri ſolet, ac debet*. Ita idem laudatus Rocca in citato erudito Commentario pag.46. & ſeq.

VII. Sed age enarremus nunc alium ritum, quem & hic noſter §. recenſet, ut nimirum *ſi Pontifex non equo, ſed ſella veheretur, quatuor majores Principes, etiamſi inter eos Imperator, Rex, aut quivis Maximus Princeps adeſſet, in honorem Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſellam ipſam cum Pontifice humeris ſuis portare aliquantulum debeant*. Addit mox, adeſſe tunc etiam debere quatuor validos Pontificis familiares, qui pondus ſuſtineant, *ita ut Principes*

in

Digitized by Google

in ſignum piæ Religionis, ac reverentiæ magis, quam ad onus ſubeundum, manus appoſuiſſe videantur. Fuit hic plane antiquus ritus, ut vel novus Epiſcopus in Throno Pontificali conſtituendus, ad eum *in Sella aurea* ſecundum veterem Eccleſiæ Gallicanæ uſum manibus Epiſcoporum deportaretur, ut colligimus ex Eddio in Vita S. Wilfridi Eboracenſis Archiepiſcopi, qui in Francia ſacrum Epiſcopalis Ordinationis munus conſequutus fuerat, claruitque Seculo VII. Sic enim ille Cap. XII. inquit: *Ibique ſtatim conventio magna facta eſt non minus quam duodecim Catholicorum Epiſcoporum, e quibus unus erat Ægelberctbus Epiſcopus, qui eum propter fidem ſuam indicatam in Sella aurea ſedentem more eorum ſurſum elevaverunt, portantes in manibus ſoli Epiſcopi intra Oratoria, nullo alio attingente, Hymnoſque & cantica in Choro canentes*. Atque huc forte reſpicit S. Gregorius Turonenſis Lib. III. *Hyſtoriæ Francorum*, Cap. II. ubi de Ordinatione S. Quintiani in Arvernenſem Præſulem, ſic loquitur: *Convocatis Pontificibus, & populo, eum in Cathedra Arvernæ Eccleſiæ locaverunt*.

VIII. Notat hæc eruditus Martene Libro I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo X. Num. XIX. ubi etiam cenſet, mutatum poſtmodum fuiſſe eum ritum in ſolemnem illam deportationem, qua recens conſecrati Epiſcopi cum primum accederent ad ſuam Eccleſiam Cathedralem, nobiliorum Virorum humeris deportabantur, ipſumque ritum ab annis circiter DCCCL. viguiſſe in Eccleſia Antiſſiodorenſi, ut patet ex Hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium, Cap. XXII. ubi Gerannus delatus dicitur *humeris Religioſorum ad Aulam primicerii Martyrum Chriſti Stephani*. Rurſus Cap. L. de Heriberto, qui ſeptem ab hinc ſeculis claruit legitur, quod ipſe *in die ordinationis ſuæ ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem Cathedræ innixus Epiſcopali ad S. Protodiaconi matrem Sedem nobilium humeris deportatus eſt*. Quinam eſſent illi Nobiles, diſcimus ex Cap. LXVII. ubi recenſentur *Comes Antiſſiodorenſis, Baro de Donzejo, Dominus de Tnocejo, Dominus de Verano in Puſaja*. Atque hic ritus, uti concludit memoratus Martene, in omnibus paſſim Galliarum Eccleſiis vigebat, ut patet ex geſtis Guillelmi Majoris Andegavenſis Epiſcopi, ex Metropoli Turonenſi Joannis Maan, ex Hiſtoria Eccleſiæ B. Mariæ Carnotenſis, Auctore Sebaſtiano Rovillar, aliiſque, vigetque etiam nunc in Aurelianenſi.

IX. Ridendi itaque ſunt Novatores hæretici, qui ritum ipſum ſuſtollendi ſuper humeros Pontificem Maximum ignoranter temereque impugnare conantur. Non eſt profecto faſtus, vel ſuperbiæ nota, ut ipſi obtendunt, ſed potius paſtoralis vigilantiæ myſterium, ut docet Macrus in ſuo Hierolexico, verbo *Sellare*. Nam quid aliud nomen Epiſcopi, quam ſuper inſpectorem, ac invigilantem curæ Græce ſonat? Dum ergo Papa tanquam Epiſcoporum Epiſcopus ab univerſo Chriſtiano grege colitur, conſentaneum profecto eſt, ut eminentiori ſella deferatur, & a nobis ejus ſubditis tanquam itineris gloriæ director, Fideique pharus, ac mundi lux videatur. Fidelis enim populus non abſcondit ſuam hanc Pontificiam lucernam, nec ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum erigit, ut luceat omnibus, qui in Domo Chriſti ſunt. Sed ſupervacaneum eſt Novatores duræ cervicis refellere his rationibus, cum inferiores Romano Pontifice Maximo Antiſtites, uti oſtenſum eſt, jam ſoliti fuerint, vel longe ante annum Chriſti milleſimum aurea ſella deferri, geſtata non modo laicorum Virorum nobilium humeris, ſed aliquando etiam Epiſcoporum, nulluſque fuit, qui eum ritum reprehenderet. Porro teſte Burio in Vita Stephani III. qui electus Pontifex fuit anno DCCLXVIII. *ſuorum humeris eſt deportatus ad Baſilicam Lateranenſem; unde mos profluxit in nonnullis ſolemnitatibus Papam humeris deportandi*. Sella, ſeu Sellari deferri conſueviſſe Summos Romanos Pontifices jam longe ante annum Chriſti milleſimum, & quidem cum ad Eccleſiam peragebant ad celebrandam Miſſam Pontificalem, docent nos inter alios duo pervetuſti Romani Ordines, primus nempe, Num. VI. & ſecundus, Num. II. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, ubi prædicti Ordines ita ad rem inquiunt: *Cum vero Eccleſiam introierit Pontifex, non aſcendit continuo ad Altare, ſed prius intrat in Secretarium, ſuſtentatus a Diaconibus, qui eum ſuſceperint de Sellari deſcendentem, ubi cum intraverit, ſedet in Sella ſua*.

X. Jam vero mirum videri non debet, ſi ſellam ipſam, qua ex antiquo more deferri inquibuſdam ſolemnitatibus Romanus Pontifex ſolet, humeris ſuis Imperatores, Reges, ac magni Principes geſtent. Exhibetur enim id obſequii *in honorem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti*, cujus ille vices gerit in Terris, ſicut in honorem ejuſdem Chriſti Domini noſtri obſequia illa referuntur, genuflectendi ante Pontificem, deoſculandi ipſius pedes, eidemque equitanti ſtratoris officio perfungendi, uti infra dicemus in Commentariis ad Titulum IV. ubi enarrabimus ritus ſolemnis equitationis novi Imperatoris, & Summi Pontificis poſt ipſius Cæſaris Coronationem.

§. XX.

Ubi & quando Mareſcallus, ſive Soldanus Curiæ projiciat pecunias ſuper populum.

Primum jactum pecuniarum faciet, cum Summus Pontifex incipiet ſe movere, alium apud Pontem Hadriani, tum in (1) Platea apud Montem Jordanum, inde in Platea Parionis, deinde alium apud S. Marcum, poſtea apud S. Hadrianum, & demum ubicumque magnam preſſuram apud Pontificem viderit, ut facilius poſſit pertranſire, ad partem tranſverſam jaciat pecunias. Poſt Pontificem immediate ſequuntur duo Cubicularii ſecreti medium tenentes Auditorem Rotæ Decanum, qui ſervit de Mitra, & dein-

(1) In editione Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1557. legitur, *in area*.

Digitized by Google

deinde duo Medici cum Secretario principali in medio, ſi ille non eſt Prælatus. Subſequitur deinde Umbella rubei (1) coloris, quam unus ſerviens armorum præter galeam totus armatus eques portat. Poſtremo equitant Vicecamerarius, ſi non eſt paratus, & omnes Prælati non parati, Protonotarii, Auditor contradictorum, ſi non ſit paratus, & ſimiliter Corrector Litterarum, qui ſi ſint parati, equitant in loco ſuæ promotionis, & omnes Togati. Vicecamerarius baculum in manu portat, & pertinet ad eum curare, ut ordo a Priore Diaconorum datus ſervetur in proceſſione. Et ſecundum antiquas conſuetudines Camerarius Papæ non portat Ferulam, ſi eſt Cardinalis, ſed ejus Vicarius, & Vicecamerarius; quia non ad Cardinalem, ſed ad Camerarium id pertinet. Hoc igitur ordine ad Lateranum procedunt.

COMMENTARIUS.

I. VArios pecuniarum jactus in populum factos in ſolemni equitatione novi Pontificis poſſeſſionem Lateranenſi Baſilicæ capturi commemorant paſſim tum veteres Codices Cæremoniales, tum varii Scriptores. Introductum fuiſſe eum morem, non tam cauſa Pontificiæ liberalitatis, quæ alias ſumma erat in ea celebritate, quam, *ut ſic multitudo populi, quæ impedimentum præſtat Domino Papæ, removeri poſſit, denariis ipſis colligendis intendens*, jam longe ante hoc noſtrum Cæremoniale ab Auguſtino Patricio ordinatum, teſtatus eſt Cencius Camerarius in Ordine Romano XII. Capite XVI. Num. XXXVIII. ubi etiam ait, munus illud projiciendæ pecuniæ ad Seneſchallum pertinuiſſe: *Incipiente*, inquit Pontifice, *equitare, Seneſchallus poſt eum vadens, facit de denariis jactum unum, ut ſic multitudo populi &c.* Ob eandem cauſam ad impediendam ſcilicet multitudinem, ne Pontificem opprimeret, factos etiam variis in locis alios pecuniarum jactus, idem Auctor citato loco affirmat; confirmavitque deinde Joannes Burchardus Apoſtolicus Cæremoniarius in ſuo Cæremoniali Sedis vacantis poſt obitum Sixti IV. uſque ad Innocentium VIII. in Pontificem electi die XXIX. Auguſti anno Domini MCDLXXXIV. proceſſum ad Lateranum, adnexoſque ritus expletos die Dominica XII. Septembris, qua idem Innocentius coronatus eſt.

II. Ergo Ordinibus, qui Papam antecedebant, ipſoque equitante memoratis, ita laudatus Burchardus ibidem inquit: *D. Philippus de Canonicis Bononienſibus Scutifer Papæ, & Mareſchallus, Curiæ Soldanus nuncupatus equeſter duas ſcartellas* (legendum ſcarſellas) *ſive duos ſaccos monetæ, videlicet, carolenis, bajocchis, quatrenis, & denariis plenos, ad ſellam equi ante ſe habens pecunias ejuſmodi, in locis deputatis, & aliis ubi oppreſſionem videbat, populo projiciebat*; idque factum narrat, *procedente Pontifice de platea S. Petri*; & ubi a Judæis exceptus, & *ad Montem Jordanum, S Marcum, S. Adrianum*, alibique. Memorat deinde & alios jactus, quibus omiſſis, notandum illud, quod de impetu, atque inſolentia populi, & de Pontificis periculo ſubdit: *Cum Papa perveniſſet juxta Eccleſiam S. Clementis, deſcendit de equo, & aſcendit Sedem, in qua ..... dimiſſo baldachino portatus eſt. Quod factum eſt pro eo, quod in Laterano pro equo Pontificis habendo, & baldachino, quæ Romani ſibi deberi prætendunt, tanta inſolentia, & impetu fieri ſolent non ſine Pontificis periculo; ad id evitandum, quod Pontifex ſic portaretur, ordinatum fuit. Sed non minus periculum exinde evenit; nam Soldati, qui Pontificem portabant, & alii ſocii ſui circa eos exiſtentes, tanto furore Pontificem portarunt, quod Pontificis receptio in oſtio, ſive porticu Lateranenſi, & ejus locatio in Sede ſtercoraria, & jactus pecuniarum fieri non potuerunt.* Addit mox etiam Burchardus, Pontifice deſcendente de ſede, eam Soldatos vi rumpentes, & lacerantes, ſibi vindicaſſe.

III. Quamquam vero eruditi Auctores nos doceant, ſolemnem iſtam equitationis pompam, qua dudum ſacro habitu induti, & infulati Summi Pontifices, Cardinales, Prælati, aliique Romanæ Curiæ Officiales ad Lateranum eodem die Coronationis ipſorum Pontificum, procedere ſolebant, prætermiſſam tandem fuiſſe poſt Leonis Papæ X. Pontificatum, *tum pro majori commoditate, tum etiam propter nimiam, & exceſſivam impenſam, quæ in tali pompa fieri neceſſe erat, licet re vera nobiliſſimum ſpectaculum, & tanto Pontificatu dignum eſſet*, uti notat in ſuo ms. Diario Franciſcus Mucantius enarrans Geſta Gregorii Papæ XIII. viguit tamen mos uſque ad Pium V. Pontificem, ut ipſa celeberrima Coronationis hora inconditæ multitudini in S. Petri aream confluenti, publicæ lætitiæ cauſa pecuniæ diſpergerentur. Verum, quod ruente quamtumultuoſiſſime turba, atque aliis alios opprimentibus, & in præripienda pecunia collidentibus, ætate tantum, & viribus validiores, & audaciores hoc munere potirentur, reliqui vero non ſolum ea liberalitate excluderentur, ſed ex his plures obtriti, & conculcati miſerabiliter interirent: *his incommodis, ut mederetur Pius*, inquit in ejus Vita Gabutius Libro I. Cap. IX. *atque, ut ſublato periculoſo turbulentæ largitionis inſtituto, pauperum tenuitati prudentius conſuleret, deſtinatam huic operi pecuniam, ac præterea mille aureos, quibus quotannis eodem die convivium magnifice, & ſplendide Cardinalibus, & Regum, Principumque Legatis inſtruebatur, piorum Cœnobiis egentibus, & aliis inopibus erogavit, eo convivii more deinceps omnino ſublato.* Atque hæc fuit una ex rebus præclare geſtis a laudato S. Pontifice Pio V. initio ſuo Pontificatus.

IV. Sed hiſce omiſſis, ut ritum noſtri Cæremonialis enarremus, fiebat jactus juxta ipſius præſcriptum a Mareſchallo, ſive Soldano Romanæ Curiæ. Mareſchallorum mentio quidem occurrit in Ordine Romano XII. Auctore Cencio Cap. XXXIX. Num. LXVI. viderique de ea voce poſſunt Macrus in Hierolexico, & Dufreſne in mediæ, & infimæ Latinitatis Gloſſario. Quod

(1) In Romana editione anni 1560. legitur, *rubei croceique coloris.*

Digitized by Google

Quod vero Soldani vocabulum ſpectat, jam ante editionem noſtri Cæremonialis a Patricio ordinatam, illius meminit in ſuo Cæremoniali Burchardus, cujus locum ſupra attulimus, expreſſeque docet, in ſolemni illa equitatione Innocentii Papæ VIII. ad Lateranum, jactum pecuniæ factum fuiſſe a D. Philippo de Canonicis Bononienſibus Scutifero Papæ, atque Mareſchallo, Curiæ Soldano nuncupato. Quod foret deinde princeps Soldani munus, explicatur Motu proprio Julii Papæ II. familiarem ſuum ad ejuſmodi munus aſſumentis, anno MDVII. ejuſque tenorem legere eſt apud eruditiſſimum Morettum in Appendice III. ad Lucubrationem, *De Presbyterio*, pag. 373. & ſeqq. Notat autem idem Morettus in citato Opere, Parte III. Sectione VIII. in Nota ad Num. II. in calce paginæ 268. Soldani dignitatem poſtremis temporibus evaſiſſe venalem, & antequam extingueretur, propriam fuiſſe illuſtris familiæ de Capite ferreo. Extincta vero eſt per Pontificem Gregorium XIII. proventu ad Sodalitii S. Hieronymi Caritatis commodum translato, in beneficium pauperum potiſſime detentorum carceribus erogando, uti oſtendunt Litteræ Apoſtolicæ apud Scannarolam, *De viſitatione Carceratorum*, in Appendice §. I. Capite IX. Georgius in Vita Nicolai V. ait officium Soldanatus ſublatum fuiſſe a Pio V.

§. XXI.

De Judæis, & Lege.

Cum Pontifex pervenerit ad Montem Jordanum, Judæi illi obviam veniunt, & genuflexi Legem Pontifici offerunt, lingua Hebraica Legem laudantes, & hortantes Pontificem, ut illam veneretur. Pontifex vero, illis auditis, in hanc ſententiam reſpondet: *Sanctam Legem, Viri Hebræi, & laudamus, & veneramur, utpote quæ ab Omnipotenti Deo per manus Moyſis Patribus veſtris tradita eſt, obſervantiam vero veſtram, & vanam Legis interpretationem damnamus, & improbamus, quia Salvatorem, quem adhuc fruſtra expectatis, Apoſtolica Fides jam pridem advenisſe docet, & prædicat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.* Sed quoniam nonnumquam accidit, ut Judæi, populi multitudine opprimantur, ſolent aliquando impetrare pro eorum ſecuritate, ut hoc faciant ſuper antemurali Arcis Sancti Angeli in angulo ad viam, qua itur ad Palatium.

COMMENTARIUS.

I. MOs & ille antiquus fuit, ut novo Romano Pontifici poſt Coronationem ad Lateranum ſolemni cum pompa progredienti obviam venirent Judæi, eique genuflexi Legem offerrent, ut eam veneraretur. Cæremoniale Gregorii X. Num. x. poſt relatum pecuniæ jactum *ad Turrim Stephani Petri, qui eſt Parionis, & hodie dicitur Turris de Campo*; ita deinde ſubjicit: *Ibi Dominus Papa ſtat, & veniunt illuc Judæi cum Lege, facientes ei laudem, & offerunt ſibi Legem, ut adoret.* Idem tradit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. x. ubi etiam & hæc addit: *Et tunc Papa commendat Legem, & damnat obſervantiam Judæorum, ſive intellectum, quia quem dicunt venturum, Eccleſia docet, & prædicat jam veniſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Teſte Burchardo, ubi agit de Coronatione Innocentii VIII. ejuſque ſolemni ad Lateranum profectione, §. CCXLVI. *cum Papa perveniſſet prope Caſtrum Sancti Angeli, ſe firmavit, & Judæi, qui ad inferiores merulas in angulo dicti Caſtri verſus Plateam ſe cum ornatu, & Lege ſua receperant, obtulerunt Papæ Legem adorandam, & honorandam verbis Hebraicis in hanc ferme ſententiam Papam acclamantes.* Addit verba Hebræorum, ac reſponſum Pontificis. Ceterum quod ait, peractam fuiſſe hanc cæremoniam in angulo Caſtri S. Angeli, cum alias juxta antiquum ritum peragi illa debuiſſet ad Montem Jordanum, cauſam ſatis explicat idem Burchardus §. CCXLVII. ubi ita inquit: *Solebat tamen alias id in Monte Jordano fieri, ſed propter inſolentiam, quæ a Romanis, & aliis, Judæis fiebat, conceſſum eſt ipſis, fieri hic*; nempe in angulo Caſtri S. Angeli. Idipſum docet & noſtrum Cæremoniale in fine hujus §. quia ſcilicet nonnunquam accidit, ut Judæi, populi multitudine opprimerentur, ideoque aliquando obtinuere pro eorum ſecuritate, ut eam cæremoniam facerent *ſuper antemurali arcis S. Angeli in angulo ad viam &c.*

II. Quicquid ſit de hoc abuſu, antiqui illius ritus, ut Judæi ſcilicet in ea ſolemni Papæ ad Lateranum deductione, Legem illi ſuam offerrent, jam ante Cæremoniale Gregorii X. meminit Romanus Ordo XII. auctore Cencio apud doctiſsimum Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, Cap. XVI. Numero XXXVIII. *Sciendum*, inquit, *quod Domino Papæ ante turrim primo dictam*, Stephani ſcilicet, *Judæi occurrunt, & ei Legem ſuam præſentant, faciuntque laudes; pro quibus laudibus recipiunt a Camerario in Presbyterium viginti ſolidos proveſinos.* Rurſus Capite XLVIII. Num. LXXXII. ait: *Miſſa autem celebrata*, in Baſilica ſcilicet S. Petri, ubi Papa coronabatur, *revertitur ad Palatium*, Lateranenſe ſcilicet, *coronatus cum proceſſione, & honore arcuum, præſentatione Legis a Judæis &c.* Fuiſſe hunc ritum longe antiquiorem Cencii ætate, conſtat plane ex occurſu, & plauſu facto ab ipſis Judæis Eugenio Papæ III. ut in illius Vita tra-

(1) In editione Romana anni 1560. poſt Palatium ſequitur, *reſpicienti*.

Digitized by Google

tradit Nicolaus Cardinalis Roſſelius Aragonius apud Muratorium Tomo III. Scriptorum rerum Italicarum pag. 439. col. 2. *Judæi quoque non deerant tantæ lætitiæ, portantes in humeris ſuis Legem Moſaicam*. Porro, ut memoratus Cencius nos docet, Cap. XXXII. Num. LVI. præter Legis repræſentationem, præſtabant Judæi ipſi & aliam obſequii ſpeciem Pontifici die ipſa Coronationis ſuæ: *Judæi repræſentant Domino Papæ in die Coronationis ſuæ Legem in via, & ei faciunt laudes, & tres libras, unam piperis, & duas libras de cinnamomo afferunt ad Cameram*.

III. Inter alia antiqua exempla, quæ ad comprobandum eum ritum, occurſus ſcilicet Judæorum Pontifici Lateranum progredienti cum præſentatione Legis, & laudum celebratione, celebre eſt illud quod in Bonifacii VIII. Coronatione maxima pompa ad Lateranum contendentis, in ſuo Poemate narrat Cardinalis Cajetanus Stephaneſius, quod inſertum eſt a Sociis Bollandianis Tomo IV. menſis Maji ſub die XIX. ſic enim Poeta hic hiſtoricus de ipſo Judæorum obſequio ſcribit.

Ecce ſuper Tyberim poſitum de marmore pontem
Tranſierat provectus equo, turrique relicta
De campo, Judæa canens, quæ cæcula corde eſt,
Occurrit veſana Duci Parione ſub ipſo,
Quæ Chriſto gravidam Legem plenamque ſub umbra
Exhibuit Moyſi: veneratus & ille figuram
Hanc poſt terga dedit cauto ſermone locutus.

Non modo hoc ritu occurriſſe Judæos Romanis Pontificibus, ſed & aliorum quoque Eccleſiarum Epiſcopis, veſtigia quæ ſuperſunt moris hujus apud alias Nationes, ſatis declarant. Vir profundæ eruditionis Petrus Morettus in ſua Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione IV. in Nota ad calcem paginæ 236. teſtatur ex relatione ſibi a Viro fide digno facta, non diſſimilem occurſum factum fuiſſe ingredienti pompa ſolemni Olomucenſi Epiſcopo, ac Principi Wolfango Hannibali Cardinali de Schrattembach Oppidum ditionis ſuæ populoſiſſimum, *Chremſierium* appellant.

IV. Quod verba attinet, quæ in ea Legis præſentatione Judæi Pontificem alloquebantur, referente laudato Burchardo §. CCXLVII. hæc erant: *Beatiſſime Pater, nos Hebræi nomine Synagogæ noſtræ ſupplicamus S.V. ut Legem Moſaicam ab Omnipotenti Deo Moyſi Patri noſtro in Monte Sinay traditam nobis confirmare, & approbare dignemini, quemadmodum alii Summi Pontifices S.V. Prædeceſſores confirmarunt, & approbarunt*. Reſponſum Pontificis affert quidem noſtrum Cæremoniale, quod tamen nonnihil variat ab eo reſponſo, quod citato loco refert Burchardus: *Commendamus*, inquit, *Legem, veſtram autem obſervantiam, & intellectum condemnamus, quia quem venturum dicitis, Eccleſia docet, & prædicat veniſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Ceterum expertos tunc fuiſſe & ipſos Judæos liberalitatem Pontificis, conſtat ex recitato ſuperius Cencii teſtimonio, ubi ait: *Pro laudibus recipiunt a Camerario in presbyterium viginti ſolidos proveſinos*. Rurſus ſcribit idem Auctor Cap. XLVIII. Num. LXXXII. *Judæis pro repræſentatione Legis*, facta ſcilicet Pontifici in ſolemni illo ad Lateranum proceſſu, *tale presbyterium dari, & taliter, quale datur in Coronationibus Domini Papæ*. Sed de Presbyterio, variiſque Romanorum Pontificum largitionibus factis præſertim occaſione ſuæ Coronationis, ac ſolemnis ad Lateranum profectionis, videri poſſunt, quæ in unum congeſſit, digeſſitque amicus noſter eruditiſſimus Petrus Morettus in celebri Tractatu, *De presbyterio*, in quo plane invenitur totius penitioris ſacræ antiquitatis theſaurus.

§. XXII.

De iis, quæ fiunt ad Eccleſiam Lateranenſem, & primo de Sede Stercoraria ante Portam Eccleſiæ.

Cum Pontifex ad Eccleſiam Lateranenſem pervenerit, deſcendit in porticum Eccleſiæ, & a Canonicis illius Eccleſiæ honorifice paratis excipitur cum Cruce. Deſcendit Pontifex ex equo, & Prior Canonicorum Lateranenſium offert Crucem oſculandam Pontifici, quam Diaconus Cardinalis accipit, & ad os Pontificis, cui prius Tiaram extraxit, ponit. Oſculata Cruce, Pontifici ponitur Mitra, & Regnum datur in manibus Auditoris; ipſe vero Pontifex a Priore, & Canonicis prædictis ducitur ad marmoream Sedem ante Portam principalem a ſiniſtra ſtantem, quæ *Stercoraria* appellatur, & ibi eum ſedere faciunt; qui ita tamen ſedet, ut jacere potius videatur; ad quem mox accedentes Cardinales, elevant eum honorifice, dicentes: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & Solium gloriæ teneat*. Surgens Pontifex accipit de gremio Camerarii ſibi aſſiſtentis quantum pugno poteſt complecti pecuniarum; ubi tamen nihil prorſus ſit argenti, aut auri, & ſpargit inter populum dicens: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do*. Pons ligneus recta linea a porta Eccleſiæ principali ad Altare majus excitatur cum pluteis hinc inde pectoribus tenus, altitudo circiter quinque pedum, latitudo ſex, aut ſeptem, qui alteri ponti conjungitur ſimili modo conſtructo a porta qua aſcenditur per Eccleſiam ad Sancta Sanctorum venienti; quod fit, ut Pontifex a populi multitudine non opprimatur; circa Altare a gradibus & ſupra omnia circumcirca tabulis clauſa eſſe debent, ut per pontem tantum ad Capellam intretur. Præſidentibus igitur Canonicis, & cantantibus, *Te Deum laudamus*, Pontifex cum Cardinalibus intrat

Digitized by Google

trat Ecclesiam, & ante Altare majus supra Faldistorium procumbens sine Mitra aliquantulum orat. Deinde surgens benedicit populo, dicens: *Sit nomen Domini benedictum &c.* Inde cum Mitra ascendens ad Sedem eminentem, sedens recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses.

COMMENTARIUS.

I. EXplicandi nunc sunt varii ritus, qui servari olim consueverunt, ubi post solemnem Processionem novus Pontifex ad Basilicam Lateranensem pervenerat: *Descendit*, inquit nostrum Cæremoniale, *in porticum Ecclesiæ, & a Canonicis illius Ecclesiæ paratis excipitur cum Cruce*. Tum statim addit: *Descendit Pontifex ex equo, & Prior Canonicorum Lateranensium offert Crucem osculandam Pontifici*. Periculosus erat iste descensus ob pravum morem, atque insolentiam Romanorum qui aliquando gladiis decertabant, ut equum ipsum Pontificis raperent. Testem ejus rei habemus Auctorem Commentariorum Pii II. Lib. II. de ipso Pio ita scribentem: *Pius II. Pontifex Maximus Romæ coronatus est apud Basilicam S. Petri* III. *Nonas Septembris anno salutis quinquagesimo octavo supra mille quadrigentos, petiitque ipsa die Lateranum solemni pompa; quo in loco vix necem evasit inter eos, qui propter equum, quo insederat, gladiis decertabant; servatus est divina ope &c.* Erat equus primo occupantis, abusu scilicet ejus ævi, nam alias juxta antiquum morem, quem recenset Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. XXII. quod inscriptum est, *De officio Senatorum Urbis in ipsa solemnitate*, Processionis scilicet Coronati Pontificis ad Lateranum, Senatores ipsi, *postquam Dominus Papa De equo falerato descendit juxta Sedem stercorariam, ipsum equum recipiunt, & adducunt, quem Curialiter reddunt Camerario, ut moris est*.

II. Neque vero solum ob equum, verum etiam ob Baldachinum, sub quo deducebatur Pontifex ad Lateranum, certari quammaxime consueviſſe vel Seculo XV. labente, testatur Burchardus in suo Cæremoniali, ubi Innocentii VIII. electi in Pontificem anno MCDLXXXVI. processum ad Lateranum ipsum describit, sic inter alia inquiens §. CCLXVII. *Cum Papa pervenisset juxta Ecclesiam S. Clementis, descedit de equo, & ascendit Sedem, in qua .... dimisso Baldachino portatus est. Quod factum est pro eo, quod in Laterano pro equo Pontificis habendo, & Baldachino, Romani sibi deberi prætendunt, tanta insolentia, & impetus fieri solent, non sine Pontificis periculo; ad id evitandum, quod Pontifex sic portaretur, ordinatum fuit; sed non minus periculum exinde venit; nam Soldati, qui Pontificem portabant, & alii socii sui circa eos existentes, tanto furore Pontificem portarunt, quod Pontificis receptio in ostio, sive porticu Lateranensi, & ejus locatio in Sede Stercoraria, & & jactus pecuniarum fieri non potuerunt; imo & tanta vehementia per balthresçam a porta Basilicæ ad majus Altare paratam, furore populi subsequente, portarunt, quod ipse Pontifex, & Cardinales fuerunt in periculo cadendi cum balthresca. Cardinalis Senensis, & quidam alii periculum videntes, de balthresca saltarunt, propterea non fuerunt omnia hic suo ordine observata*. Addit mox §. CCXLVIII. quod ubi Papa ad Altare majus pervenit, tunc Sedem, de qua descendit, *Soldati vi rumpentes, & lacerantes sibi vendicarunt*.

III. Hinc tantæ insolentiæ coercendæ, teste Paride Grasso in suo ms. Diario, ubi agit de sacra Processione ad Lateranum cum Pontifice Leone X. recens electo, & coronato, inter alia *ordinatum fuit, & factum bannimentum, quod nullus portaret arma cujusque generis, & quod nullus impediat transeuntem pompam, sub pœna suspendii, & maxime nequis diripiat aliqua exposita pro hoc more pompæ*: Tum paulo inferius subjicit: *Nequa scandala apud Lateranum orirentur propter raptum Baldachini, & equi, ac Sedis Papalis, Papa ordinavit Conservatoribus, & Capurionibus, ut illa quiete recuperarent, ipsi eis donarent solitum, ac aliquid plus, sed vix cessatum est a scandalis*. Est antiquus abusus, qui & in aliis Ecclesiis invaluit, ubi scilicet ad eas recens Episcopi ordinati primum accedebant, uti ostendimus Tomo I. Cæremonialis Episcoporum in Commentario ad §. III. Capitis II. ubi inter alia ex veteribus monumentis relatis ab Ughello Tomo II. Italiæ Sacræ in Episcopis Mutinensibus, Num. XXXI. mentionem fecimus celebris de equo controversiæ, super quo Episcopus insederat, dum post Consecrationem ad suam Civitatem primum accederet, inter Episcopum Mutinensem, & Canonicos acriter agitatæ. Unum est, quod & hoc loco addam, quod nempe scribit Paris de Grassis in ms. Diario Leonis X. de equo scilicet, quo usus hic Pontifex fuit in suo primo ad Basilicam Lateranensem processu: *Pontifex*, inquit, *etiam albo equo vectus est, cui non contradixi, quia sic expedit ei triumphanti .... & equus ejus fuit ille idem, super quo captus fuit in prælio Ravennatum; sic enim ipse in eo triumphare voluit, in quo etiam victus fuerat; statuitque, ut deinceps nemo mortalis illum ascenderet quoad moreretur naturaliter; frenum ejus duxerunt quatuor, hi videlicet, Dux Ferrariæ, Dux Urbini, Dominus Camerini, & Magnificus Dominus Laurentius de Medices nepos ejus*, Papæ scilicet Leonis X. Equi frenum, quo vehi soliti fuerunt Summi Pontifices, teneri ex antiquo more consueviſſe a Magnis Principibus, docent nos passim Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, ex quibus etiam addiscimus, equo, quo aliquando usus fuit Romanus Pontifex Maximus, nulli usui fuisse, præsertim vero mulieri, uti de S. Joanne I. Papa & Martyre legimus in Breviario Romano ad diem XII. Maji, ubi ita inquit: *Cum ei nobilis vir ad Corinthium equum, quo ejus uxor mansueto utebatur, itineris causa commodasset, factum est, ut Domino postea remissus equus ita ferox evaderet, ut fremitu, & totius corporis agitatione semper deinceps Dominam expulerit, tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eum Jesu Christi Vicarius; quamobrem illi equum Pontifici donaverunt*.

IV. Sed his omissis, ubi Pontifex ad Ecclesiam

Digitized by Google

siam Lateranensem pervenerit, *descendit in porticum Ecclesiæ*, inquit nostrum Cæremoniale, *& a Canonicis illius Ecclesiæ honorifice paratis excipitur cum Cruce*. Antiqui & hujus ritus meminit Cæremoniale Gregorii Papæ X. jussu editum, Num.x. sic inter alia inquiens: *Venit*, Papa scilicet coronatus, *ad plateam Lateranensem, & ducitur ad porticum, quæ vadit ad Ecclesiam S. Joannis Laterani; & ibi ante porticum stat Prior Laterani, & Canonici cum eorum comitiva, induti solemniter, & cum Cruce Processionali Papam, cum descendit, recipiunt*. Eundem ritum legere est in Ordine XIV. Romano Auctore Jacobo Gajetano, Cap.xx. in Pierfanctiano ms. Codice, in Pontificali Colbertino, & in aliis hujusmodi Libris. Rursus ex nostro Cæremoniali ubi *descendit Pontifex ex equo, Prior Canonicorum Lateranensium offert Crucem osculandam Pontifici &c.* juxta ritum scilicet, qui & cum Episcopis servatur, quum primum ad suas Ecclesias jam consecrati perveniunt, uti diximus Tomo I. Cæremonialis Episcoporum in Commentariis ad Titulum II. qui inscriptus est, *De primo accessu Episcopi, vel Archiepiscopi, ad suam Diœcesim, vel Provinciam*. Videri etiam & de eo ritu possunt, quæ scripsimus Tomo III. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XX. Teste Paride Grasso in suo Diario anni MDXIII. Leo X. ubi ad Lateranum pervenit, *osculatus est Crucem, & aspersus, atque incensatus*. Porro notat Franciscus Mucantius in suo ms. Diario ubi enarrat gesta Pontificatus Gregorii Papæ XIII. qui electus fuit anno MDLXXII. tunc temporis non fuisse observatum, *quod in nostro Cæremoniali cavetur, ut cum Summus Pontifex Ecclesiam ingreditur, primus Diaconus Cardinalis offerat illi Crucem & incensum; hodie enim id a primo Presbytero Cardinali fit*. Subditque mox idem Auctor Cæremoniarius & ipse Apostolicus: *Quid magis congruit, cogitandum*.

V. Quod nostram rem attinet, teste Burchardo in Cæremoniali Electionis, & Coronationis Innocentii Papæ VIII. §.CCXLIX. ob populi tumultum hic aliique ritus omissi fuerunt; sic enim inquit: *Erat autem ordinatum, quod Papa ad Lateranum pervento per scalam suam, quæ ibi parata erat, de equo descenderet, & Prior, & Canonici Lateranenses qui processionaliter ibidem aderant, in Superpelliceis, & Almutiis ipsum reciperent, & in Sede marmorea Stercoraria nuncupata collocarent, ut jacere potius, quam sedere videretur, ac deinde Cardinales ipsum elevarent dicentes*: Suscitat de pulvere &c. *& Pontifex tres jactus ibidem faceret, & diceret*: Argentum & aurum &c. *& cum Prior Crucem, quam manu gestabat, Cardinali Mediolanensi Archipresbytero Lateranensi, si interesset, & propter podagram officium hujusmodi peragere posset, alioquin Priori Diaconorum Cardinalium, offerret, qui eam Pontifici porrigeret osculandam, & inde eam ipsi Priori restitueret: post hæc Priore ipso, & Canonicis Antiphonam*, Ecce Sacerdos magnus &c. *deinde*, Te Deum laudamus, *decantantibus, processionaliter incedentibus, ad Altare majus procederent, ubi Papa depositio Regno oraret in Faldistorio genuflexus; deinde accepta Mitra in Altari populo benediceret solemniter, dicens*: Sit Nomen &c. *absque Indulgentiarum publicatione*: *Benedictione data cum Mitra ad Sedem marmoream eminentem prædictam accederet, & in ea sedens, Priorem, & Canonicos prædictos ad pedis osculum reciperet, deinde ad Palatium Lateranense duceretur. Sed propter tumultum prædictum hæc sic ordinata observari non potuerunt, quæ, ut prius dictum est, acta sunt*. Ita citato loco Burchardus.

VI. Deosculata Cruce, *Pontifex a Priore & Canonicis prædictis*, Basilicæ scilicet Lateranensis, *ducitur ad marmoream Sedem ante portam principalem a sinistra stantem, quæ Stercoraria appellatur, & ibi eum sedere faciunt &c.* inquit nostrum Cæremoniale, quod quidem concinit Romanis antiquis Ordinibus XII. XIII. & XIV. priscisque Scriptoribus qui de ea solemni Pontificum Romanorum ad Lateranum profectione scripserunt. Certe laudatus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XLVIII. Num.LXXVIII ita inquit: *Ducitur a Cardinalibus ad Sedem lapideam, quæ sedes dicitur Stercoraria, quæ est ante porticum Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis, & in ea eundem electum ipsi Cardinales honorifice ponunt &c.* Item Cæremoniale Gregorii X. quod a Mabillonio Tomo II. Musei Italici appellatur Romanus Ordo XIII. Num. x. hæc habet: *Postquam Papa descendit, faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quæ vocatur Stercoraria &c.* Ordo demum Romanus XIV. Auctore Gajetano Cap.xx. ait: *Descendit ad dictam Sedem Stercorariam, & deponit Regnum, & accipit Mitram, & postquam Papa descendit, sedet in dicta Sede marmorea, quæ vocatur Stercoraria, & veniunt omnes Cardinales &c.* Similia leguntur in Colbertino Pontificali, Pierfanctiano Codice, in Cæremoniali Burchardi, & in antiquis Pontificum Romanorum Diariis, ubi agitur de solemni ipsorum ad Lateranum processu.

VII. Porro de hujus Sedis, quæ tot imposturis hæreticorum præbuit ansam, ut notat eruditus Morettus, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VI. ad calcem paginæ 249. origine, conditione, & fortuna quamplures quidem Auctores scripserunt, sed multa paucis complexus est doctissimus Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. XVIII. ubi primum recte docet, eos, qui istius Sedis originem ad pseudopapissam Joannam referunt, facile ex hoc revinci, quod nulla hujusmodi Sedis mentio ante Seculum duodecimum facta invenitur. Quod ut melius intelligatur, notare juvat, quod idem laudatus Auctor advertit, hunc scilicet morem ab aliquot seculis in novorum Pontificum institutione observari solitum, ut electus in Ecclesiam Lateranensem introductus, primo in Throno Pontificali, qui in apside illius Basilicæ ante hac extabat, collocaretur, ubi *omnes Episcopos & Cardinales*, ut loquitur in memorato Ordine XII. Romano Cencius, *ad osculum* admittebat; deinde vero *ad Sedem lapideam, quæ dicitur Stercoraria*, in porticu ejusdem Basilicæ inter duas fores existentem adduceretur, in eaque sederet, cum interim caneretur hic versiculus ex Psalmo CXII. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem*. Postea perductus ad Capellam S. Silvestri prope Lateranense Palatium, ubi duæ erant sedes porphyriticæ, primo sederet ad dexteram in una ex illis sedibus, ubi a Priore Basilicæ S. Laurentii Ferulam acciperet, *quæ est signum regiminis, & correctionis*,

Digitized by Google

ctionis, & claves ipsius Basilicæ, quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi & aperiendi, & ligandi atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus; demum cum ipsa Ferula, & clavibus accederet ad alteram Sedem similem, & ejusdem lapidis, & tunc redderet eidem Priori tam Ferulam, quam etiam ipsas claves.

VIII. Hæc ex ipso Cencii Libro ad verbum fere referre visum est (male enim locum ipsum in citato Commentario prævio ad Romanum Ordinem Mabillonius retulit) ut omnes intelligant, Sedem illam, quæ Stercoraria dicta est, non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, neque enim pertusa erat, uti aliquando propriis oculis agnovit idem Mabillonius, sed quod Pontifice in ea stante, hæc Psalmi CXII. verba canerentur: *& de stercore erigit pauperem*. Hæc sedes ex marmore constat, aliæ vero duæ ex Porphyrite. Non alia de causa sedes ipsas pertusas fuisse, quam quod in antiquis Romanorum thermis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ sunt, quæ ad novi Pontificis sessionem adhiberentur, notavit idem laudatus Auctor in suo Itinere Italico, Tomo I. Musei Italici, pag. 58. Quicquid sit, harum sedium primus videtur meminisse Pandulphus in vita Paschalis II. cujus locum mox inferius referemus. In creatione siquidem Romanorum Pontificum post Leonem IV. cui pseudopapissam illam successisse fabulantur, qui electi sunt, omnes *in Solio Patriarchali* intra Basilicam posito collocati perhibentur, non vero in istis sedibus, quæ extra Basilicam positæ erant. Sic Benedictum III. Leonis IV. successorem electum anno DCCCLV. Electores teste in ejus Vita Anastasio, *cum hymnis, & canticis spiritualibus, ampla exultatione, & ineffabili gaudio, in Patriarchium Lateranense perducentes, Pontificali Solio, ut mos est Pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt*. Idem contigit in Nicolao I. Benedicti Successore, quem electum anno DCCCLVIII. Electores, ut idem Anastasius tradit in ejus Vita, *sacris acclamationibus in Lateranum introducentes, Solio imposuerunt Apostolico*. Ex quo intelligitur, nihil tum novatum fuisse.

IX. Primus, ut mox dicebam, notatque Mabillonius in citato Commentario ad Romanum Ordinem, Cap. XVIII. Pandulphus istarum sedium mentionem facit in Paschale II. cujus creationem, quæ jam contigit anno MXCIX. hoc modo commemorat: *Sic eo diu renitente, a Primiscriniis, & Scribis Regionariis, mutato nomine, sibi acclamatum est*: Paschalem Papam S. Petrus elegit. *His aliisque laudibus solemniter peractis, Chlamyde coccinea induitur a Patribus; & Tiara capiti ejus imposita, comitante turba cum cantu, Lateranum vectus, ante eam porticum, quæ ducit ab Australi plaga ad Basilicam Salvatoris, quam Constantinianam dicunt, adducitur. Equo descendit, locaturque in sede, quæ ibidem est; deinde in Patriarchali; ascendensque Palatium, ad duas Cureles devenit. Hic baltheo succingitur, cum septem exinde pendentibus clavibus, & septem sigillis; ex quo sciat, se secundum septiformem Spiritus Sancti gratiam, Sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo auctore præest, regimini, in claudendo, aperiendoque, tanta ratione providere debere, quanta solemnitate id quod intenditur, operatur. Et locatus in utrisque, data sibi Ferula in manum, per cetera Palatii loca solis Pontificibus Romanis destinata, jam Dominus, vel sedens, vel transiens, electionis modum implevit.* Et mox: *Die altero, mense vi. xiiij. die, primo consecrandus in Pontificem, consecraturique Pontificem Pontifices cum frequentia populi plebisque, Basilicam Beati Petri invadunt &c.* Addit & alia, sed hæc ad rem nostram sufficiunt.

X. Duo præsertim in recitato hactenus loco occurrunt animadvertenda. Primum est, Pontificem Lateranum equo vectum, ad portam Australem, quæ primaria est, equo descendentem, locatum fuisse in sede, quæ ibidem erat, *deinde in Patriarchali*. Ubi vides, sedem illam, quæ in porticu Basilicæ Lateranensis extabat, distingui a Patriarchali Solio, quod sub apside Basilicæ positum erat. Alterum est, Electum ipsum Pontificem, deductum ad Palatium Lateranense, deveniisse *ad duas cureles*, in quibus vicissim sedit, accepitque baltheum cum septem clavibus, totidemque sigillis. Atque hæ sunt duæ sedes illæ porphyreticæ, & quidem pertusæ, quas ait Mabillonius in citato suo Commentario, se vidisse in Claustro Canonicorum Lateranensium cum prædicta Sede Stercoraria, quo nomine Cencius primo usus invenitur in memorato Romano Ordine XII. Idem Pandulphus in Honorio II. qui electus Pontifex fuit anno MCXXIV. nulla hujus Sedis mentione facta, tradit Pontificem ipsum electum *in syrnis, quæ ante Ecclesiam Beati Silvestri sitæ sunt*, compositum fuisse, quo vocabulo Pandulphus duas illas Sedes porphireticas significat. Sane post Cencium Sedes illa, in qua primum Pontifex, ubi ad Basilicam Lateranensem pervenit, sedet, Stercoraria est appellata, eoque nomine ipsam appellarunt passim sequioris ævi Romani Ordines, atque Scriptores passim, qui ritum processionis ad Lateranum cum novo Pontifice coronato describunt.

XI. Ex his intelligi par est, quod & idem Mabillonius notat, prædictarum sedium usum jam longe ante natam putidam illam Joannæ pseudopapissæ fabulam, in creatione Summi Pontificis invectum fuisse, tametsi hujusce ritus causa ignoretur. Porro perseveravit ritus ipse ad Leonem X. qui pro more vectus Lateranum, *sedit in sede illa apud portam Ecclesiæ jacente ad latus dexterum*, uti Paris de Grassis in ejus Diario scribit. *Postea itum est ad Capellam S. Silvestri; & primo sedens, quasi jacens, Papa accepit a Priore Canonicorum claves, deinde Ferulam; & deinde illico Papa surgens, ivit ad aliam Sedem, & jacuit; accepitque ab eodem Priore Canonicorum cingulum rubeum cum bursa, in qua sunt duodecim lapides vitrei, qui etiam nunc ostenduntur; & statim Papa surgens consignat Ferulam, & claves eidem Priori; cingulum vero retinet, donec acceptam pecuniam argenteam de manu, vel gremio Camerarii, ter projicit, dicens*: Dispersit, dedit pauperibus &c. *Et mox deponit cingulum cum bursa, & vadit ad Capellam Salvatoris*. Hactenus Paridis Diarium, in cujus verbis quædam occurrunt paulo diversa a laudati Pandulfi narratione de electione Paschalis II. Hic enim mentionem facit de baltheo cum septem clavibus, totidemque sigillis; ille vero cum baltheo conjungit bursam, in qua duodecim lapilli erant. Paridi consentit Cencius in Ordine XII. Romano, ubi ait, Electum cingi zona

Digitized by Google

zona rubea de serico, *in qua dependet bursa purpurea, in quo sunt duodecim sigilla pretiosorum lapidum, & muscus*. Eadem metrice reddit Cardinalis Gajetanus Stephanesius, ubi de Coronatione Bonifacii VIII. sic inter alia inquit,

. . . . . Zonaque Pater succingitur illic,
Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
Bis senos referens pretiosos, sculpta sigilla,
Et muscum, quæ magna notant præsagia . . . .

XII. Sed tandem, ut recte Mabillonius monet, *totus ille sedium ritus penitus abolitus est post Leonem X. cum Romanos fabulæ tam male inventæ, quam facile creditæ, pudere cœpit; cujus ritus origo hanc fabulam uno, vel altero seculo præcessit*. Hinc scite notat eruditus Morettus, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VIII. Num. VI. certo falsum esse, quod scribit Guillelmus Burius, ut cæteros præteream maxime heterodoxos Auctores, in sua brevi Notitia Romanorum Pontificum, ubi in Joanne VIII. ita scribit: *Adhuc*, nimirum nostris temporibus, *Sedi*, stercorariæ scilicet, *imponitur Papa cum deportatur ad Basilicam Lateranensem pro Pontificatus possessione accipienda, & paulo post in altera . . . . . a Cardinalibus adorandus*. Abolitus enim, uti dictum est, fuit hic mos alias antiquus, post Leonem X. Papam. Leo siquidem ipse, ut in suo Diario ms. scribit Paris de Grassis, *sedit in Sede illa apud portam Ecclesiæ, ad quem jacentem in latus dextrum tres Priores ordinum Cardinalium dixerunt super eum, dum elevarent*: Suscitat de stercore. Desiisse hunc ritum post Leonem docet post Mabillonium idem Morettus citato loco, additque etiam Num. VII. Paulum III. post Coronationem suam, quæ acta fuit apud S. Petrum die V. Novembris anno Domini MDXXXIV. minime processisse Lateranum, sed paratam pompam stetisse ibidem, ibidemque jactus pecuniarum habendos per viam, traditionem presbyterii, convivium, aliaque, de quibus inferius suis locis dicemus, completa fuisse. Ceterum & illud hoc loco notandum, quod observat Franciscus Mucantius Cæremoniarius Apostolicus in suo ms. Diario, ubi enarrat gesta Pontificatus Gregorii Papæ XIII. ad diem XXVII. Maji anni MDLXXII. quo nempe capta fuit ab ipso solemnis possessio Basilicæ Lateranensis, celebrem illam ad Lateranum equitationem, quam recenset nostrum hoc Cæremoniale, *ultimo loco a Leone Papa X. cum omnibus suis circumstantiis observatam fuisse, tum pro majori commoditate, tum etiam propter nimiam excessivam impensam, quæ in tali pompa fieri necesse erat, licet re vera nobilissimum spectaculum, & tanto Pontificatu dignum esset*.

XIII. Sed persequamur ordinem nostri Cæremonialis in hoc §. XXII. expressum: *Surgens Pontifex*, inquit, *accipit de gremio Camerarii sibi assistentis, quantum pugno potest complecti pecuniarum, ubi tamen nihil prorsus sit argenti, aut auri, & spargit inter populum, dicens*, illud scilicet, quod Apostolorum Princeps claudo pauperi petenti ab eo eleemosynam, dum Templum ingrederetur, ut in Actis Apostolicis Cap. III. *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do*. Esse & hunc antiquum ritum in Romani Pontificis inauguratione usitatum, docet nos antiquus Ordo Romanus, Auctore Cencio, Cap. XLVIII. Num. LXXVIII. ubi postquam retulit sessionem Pontificis in memorata Sede Stercoraria, & Psalmi CXIII. verba tunc dicta, *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, & Solium gloriæ teneat*; ita mox subjicit: *Post aliquantulum stans juxta eandem sedem, Electus accipit de gremio Camerarii tres pugillatas denariorum, & projicit dicens*. Argentum & aurum non est mihi ad delectationem; quod autem habeo hoc tibi do. *Tunc autem accipit &c.* Eundem ritum legere est in Cæremoniali Gregorii X. Pontificali Colbertino, Codice Piersanctiano, & Romano Ordine XIV. Auctore Jacobo Gajetano, in quibus omnibus expresse habetur, stantem Pontificem juxta ipsam Sedem accipere *tres pugillatas denariorum de gremio Camerarii*, & projcere inter populum, dicendo scilicet: *Argentum & aurum non est mihi &c.* Verbum illud, *ad delectationem*, quod legitur in Romano Ordine, Auctore Cencio, in his omnino desideratur. Factum ter pecuniæ jactum a Bonifacio Papa VIII. ubi ad Sedem ipsam Stercorariam sedit, testatur etiam in suo Poemate Cardinalis Gajetanus Stephanesius sic dicens.

. . . . En sedes capiens a stercore nomen
In platea est circa Templum despecta parumper
Visa novis, quia fœda loco, quia Maximus Heros
Hoc fortasse die recubans ubi primitus illic
Adforet adventu positus ter missile jactat
In populum, faturque dicens: Non aurea nobis
Argentumve nitens nobis ad gaudia non sunt,
Quod tamen est, hoc promta manus dispergere
tentat.

Dicitur ea Sedes *fœda loco*, quod in porticu Basilicæ inferiori constituta esset, ut ex antecedentibus intelligitur. Ceterum licet Augustinus Patricius Auctor nostri Cæremonialis, quod dedicavit Innocentio Papæ VIII. dicat, surgentem Pontificem de Sede Stercoraria accipere *de gremio Camerarii sibi assistentis quantum pugno potest complecti pecuniarum*; ipse nihilominus Innocentius Papa VIII. ut testatur in Cæremoniali Electionis, & Coronationis illius Joannes Burchardus §. CCXLVIII. *accepit de gremio D. Falconis Thesaurarii sui tres pugillatas quatrenorum, & denariorum minutorum successive, & inter populum projecit, dicens*, nempe: *Argentum & aurum &c.* Item teste Paride Grasso in suo Diario, ubi enarrat ritus servatos in eo solemni processu Leonis Papæ X. ad Lateranum anno MDXIII. *Papa stans accepit de gremio Camerarii tres pugnos quatrinorum, & projiciens dixit*: Argentum & aurum &c.

XIV. Peracta cæremonia largitionis pecuniæ per Papam juxta Sedem Stercorariam stantem, per pontem ligneum recta linea a porta Ecclesiæ principali ad Altare majus excitatum, cum pluteis hinc inde pectoribus tenus, altitudinis circiter quinque pedum, latitudinis sex, aut septem, qui alteri ponti conjungitur simili modo constructo a porta qua ascenditur per Ecclesiam ad Sancta Sanctorum venienti, quod fit, ut Pontifex a populi multitudine non opprimatur, *præcedentibus Canonicis, & cantantibus*, Te Deum laudamus, *cum Cardinalibus intrat Ecclesiam, & ante Altare majus supra Faldistorium procumbens, sine Mitra aliquantulum orat &c.* Ita plane inquit nostrum Cæremoniale, concinens plane antiquo ritui, cujus mentionem faciunt Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, aliique sequioris ævi Cæremoniales Libri Ec-

Digitized by Google

Ecclesiæ Romanæ, ex quibus recte notavit Doctissimus Morettus, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VI. Num II. *intra Ecclesiam multifarias*, Papam honorari tunc consueviſſe *per Hymnum*, Te Deum, *a Canonicis cantatum, quos ad pedem, & osculum excipiebat, super eminenti Sede constitutus.* Sane juxta nostri hujus Cæremonialis præscriptum surgens deinde Pontifex a Faldistorio, supra quod procumbens aliquantulum oravit, *benedicit populo, dicens*: Sit Nomen Domini benedictum &c. *Inde cum Mitra ascendens ad Sedem eminentem, sedens recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses.*

XV. Atque hic est plane antiquus ritus, cujus inter alios mentionem facit Cencius in Romano Ordine XII. Cap. XLVIII. Num. LXXXIII. ubi ita inquit: *Ducitur per porticum ipsam ad Ecclesiam Basilicæ Lateranensis, & ascendens Sedem post Altare, recipit Canonicos ejusdem Ecclesiæ ad pedes, & deinde ad osculum pacis*. Expressius ritum ipsum recenset sequenti Numero LXXXIV. ubi agens de Papa electo & consecrato extra Urbem, sic inquit: *Intrat Ecclesiam Lateranensem, & fiunt alia omnia, sicut superius est enarratum, hoc excepto, quod cum descenderit ad Sedem Stercoratam, & per porticum vadens, Ecclesiam Lateranensem intraverit, non statim ascendit ad Altare, seu ad Sedem, sed veniens interius ex Choro majori ante Cruces, finito*, Te Deum laudamus, *dicit*, Adjutorium nostrum in Nomine Domini &c. Sit Nomen Domini benedictum &c. Benedictio Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. *Hoc facto, ducitur ad Altare & prostratus orat; qui postquam oraverit, Sedem majorem ascendit, & ibi Canonicos ejusdem Ecclesiæ ad pedes recipiet, & ad osculum pacis*. Juxta Cæremoniale Gregorii X. post projectas in populum *tres pugillatas denariorum*, de quibus paulo superius dictum fuit, *Priore, & Canonicis præsentibus, cantando, ducitur per ipsam porticum*, Papa scilicet, *, ad Ecclesiam Basilicæ Lateranensis, ubi orat, & dicit*, Sit Nomen Domini; *& deponit Regnum, & assumit Mitram, & sedet in magna Sede post Altare, ubi recipit prædictos Priorem, & Canonicos Lateranenses ad pedem, & ad osculum*.

XVI. Præstat nunc audire Romanum Ordinem XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cap. XX. ubi memorati hactenus ritus præclarius fusiusque enarrantur. In hoc itaque Ordine post projectos denarios a Papa in populum, & dicta illa verba, *Argentum & aurum &c.* sine illo additamento, *ad delectationem*, ut in Romano Cencii Ordine, *tunc duo Cardinales ministrant ei, & accipientes eum, ducunt ad Ecclesiam S. Salvatoris per viam, ubi erat dicta porticus. Venientibus autem eis a dicta Sede Stercoraria acclamatur*: D. N. Sanctus Petrus elegit. *Sicque ducitur per dictos Cardinales usque post Altare, & ibi orat; quo intrante, & orante, cantatur a Canonicis*: Te Deum laudamus. *Postquam vero oraverit, dicit super Altare, & super populum*: Sit nomen Domini benedictum. *Respondetur*: Ex hoc nunc & usque in seculum; *& postea ducitur ad Sedem eminentem marmoream, & ibi recipit Lateranenses Canonicos ad pedem, & osculum.* Verba illa acclamationis: *D. N. Sanctus Petrus elegit*, occurrunt passim in electionibus veterum Romanorum Pontificum Gregorii VII. Paschalis II. & aliorum plurium, uti videre est apud Pagium in illorum Vitis; præsertim vero apud Cencium in Romano Ordine XII. Capite XLVIII. ubi dicta eadem verba leguntur in Cœlestini III. inauguratione, postquam scilicet Papa ter in populum denarios projecit, dicens, *Argentum & aurum non est mihi ad delectationem &c.* Tunc enim accipit ipsum electum Prior Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis, cum uno de Cardinalibus, vel uno de Fratribus suis, & venientibus per eandem porticum juxta ipsam Basilicam Salvatoris exclamatur: *D. Cœlestinum S. Petrus elegit*. Cœlestinum nempe III. sub cujus Pontificatu Cencius Ordinem ipsum XII. Romanum scripsit, ut eruditus Mabillonius notavit ibidem.

XVII. His obiter dictis, non omittendus hoc loco ritus, quem describit in suo Cæremoniali Burchardus de electione & Coronatione Innocentii Papæ VIII. circa receptionem Capituli Basilicæ Lateranensis ad osculum pedis, & benedictionem solemniter impertitam. Sic enim ait §. CCXLVIII. *Accepit deinde Priorem, & Canonicos prædictos tantum, & alios Beneficiatos ad pedis osculum*. Subditque mox: *Tum stans deposita Mitra propter suam Crucem, quæ per Subdiaconum more solito coram eo retinebatur, populo solemniter benedixit, dicens*, scilicet, *Sit Nomen Domini*. Ubi nota 1. non solum Canonicos, sed & Priorem, ac Beneficiatos receptos fuisse ad osculum pedis; cum alias nostrum Cæremoniale de solis loquatur Canonicis. II. præmissam fuisse solemni benedictioni eam ad pedis osculum receptionem; ex Cæremoniali siquidem nostro primum datur solemnis populo benedictio, & deinde admittuntur Canonici ad osculandum pedem Pontificis. III. tandem expressam fieri a Burchardo mentionem ejus ritus, Crucis scilicet retinendæ per Subdiaconum coram Pontifice Benedictionem populo impertiente, cum alias Cæremoniale de eo ritu penitus sileat. Ceterum, quod Benedictionem spectat præmissam deosculationi pedis, quam Canonici facere debent Pontifici, concinit quidem nostrum Cæremoniale Cæremoniali Gregorii X. cujus verba supra attulimus; notandum tamen quod ex ejusdem Cæremonialis præscripto Papa tunc non solum Canonicos Lateranenses, sed & Priorem *recipit ad pedem, & ad osculum*.

XVIII. Teste Paride Grasso in suo ms. Diario, ubi enarrat ritus a Leone X. Papa servatos, post jactum pecuniæ *ingressus est pedes Ecclesiam in ponte, & illico levati sunt cataractes pontis, ne populus sequeretur, & sic perrexit ad Altare majus, ubi facta super Faldistorio oratione solita, ascendit, & osculatus est, super quo in medio erat capsula cum Sacramento; deinde stans in cornu Epistolæ, versa facie ad Crucem suam inter ostium cancellorum ipsius Altaris benedixit more solito; & publicata est Indulgentiam plenaria in Latino solum, quia vilis plebs illa erat, cui esset interpretanda. Deinde obtulit super Altare eodem centos ducatos, asserens quod Thesaurarius postmodum daret eis ad partem solitum, & ultra XXV. plures solito. Inde ascendit ad Solium suum jam prius paratum, ubi solos Canonicos ad osculum pedum admisit. Quo facto, Prior Canonicorum nomine Capituli petiit certas gratias, quas Papa in parte concessit*. Sed ut nihil omittamus a nostro Cæremoniali præscriptum

Digitized by Google

criptum, quod lignei pontis constructionem spectat, teste eodem Grasso, *pons ligneus erectus est a porta Basilicæ, quæ est apud porticum e regione Altaris, usque ad gradus Altaris Evangelii, altus pedes circa decem cum parapectis desuper, & largus pedes xx. & gradibus; deinde usque ad portam, qua itur ad Aulam Concilii similiter factus est; hinc inde autem, quantum sit Tribuna major, posita sunt tabulata firmissima absque aliquo aditu, nisi illo, qui erat per pontem.* Ita Grassus in laudato Diario ms. quod extat in celebri Bibliotheca Casanatensi.

§. XXIII.

De Laudibus, quæ fiunt Pontifici in Aula Concilii.

Deinde Pontifex per ipsum pontem ascendit ad Palatium Lateranum per portam, quæ est in Ecclesia; & cum perventum fuerit in prima Aula, quæ Aula Concilii appellatur, sedet Pontifex in Sede sibi parata, apud tabulam lapideam in capite Aulæ, quæ dicitur mensura Christi; & hinc inde apud eum stant Domini Cardinales. Prior vero Presbyterorum Cardinalium stans ante Papam convenienti intervallo, cum Subdiaconis, Auditoribus, Advocatis, & Scriniariis facit Laudes Domino Nostro, ut fecerat Prior Diaconorum in S. Petro, incipiens, *Exaudi Christe &c.* Prior. Presbyterorum prædictus, & alii, qui faciunt Laudes, stant detecto capite. Pontifex vero sedet cum Mitra, & alii Cardinales stant cum Mitra. Hoc tamen fieri solebat introitum ipsius portæ in primo plano, antequam ad Aulam prædictam veniatur; commode tamen in hunc locum translatus est hic actus propter illius loci angustiam.

COMMENTARIUS.

I. Data per Pontificem Benedictione, ascendit mox Pontifex per ipsum pontem, de quo actum superius fuit, ad Palatium Lateranense, per portam, quæ est in Ecclesia; & ubi in Aulam primam pervenit, quæ Aula Concilii appellatur non modo in nostro hoc Cærimoniali, sed & in illo quod concinnavit Burchardus de electione, & Coronatione Innocentiii Papæ VIII. *sedet Pontifex in Sede sibi parata apud tabulam lapideam in capite Aulæ, quæ dicitur mensura Christi; & hinc inde apud eum stant Domini Cardinales; Prior vero Presbyterorum Cardinalium stans ante Papam convenienti intervallo, cum Subdiaconis, Auditoribus, Advocatis, & Scriniariis facit Laudes Domino Nostro, ut fecerat in Sancto Petro &c.* Fuse de his Laudibus fieri novo Pontifici solitis egimus jam supra in Commentario ad §. XVI. Agit & de hoc ritu, repetendi scilicet Laudes Papæ, & quidem per primum Cardinalem Presbyterum, Cæremoniale Gregorii X. Num.x. ubi ita inquit: *Quo facto*, idest receptis Canonicis Lateranensibus ad pedis osculum, ut dictum est ad finem Commentarii præcedentis, *ducitur ad Palatium, & dum venerit ad portam Palatii, unde intratur Palatium per Ecclesiam, ponitur ibi Faldistorium, & ibi Papa sedente, Prior Presbyterorum Cardinalium, ordinatis Judicibus & Scriniariis in filo, facit ibi Laudem, sicut Diaconi Cardinales fecerant in Missa ante Epistolam post Orationem,* in Basilica scilicet S. Petri.

II. Meminit & ejus ritus Pontificale Colbertinum, iisdemque illum verbis describit, quibus a Cæremoniali Gregorii X. relatus fuit; sed in eo tamen variat, quod ubi Cæremoniale ipsum ait, *sicut Diaconi Cardinales fecerant*; Pontificale Colbertinum inquit, *sicut Diaconus Cardinalis fecerat*. Singulari etiam numero utitur Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap.xx. ubi prædictum ritum ita recenset: *Quo facto, ducitur per Cardinales ad Palatium Zachariæ Papæ, quod vulgariter dicitur Casa-major, & venit ad portam Palatii. Inde intrat Palatium per Ecclesiam. Intra portam, qua ascenditur ad dictum Palatium, & portam ipsius Palatii ponitur Faldistorium, ubi sedet Dominus Papa, in illis scilicet gradibus, ubi solet sedere, quando cantatur* Gloria, laus &c. *& ibi Papa sedente, Prior Presbyterorum Cardinalium, ordinatis Judicibus, & Scriniariis in filo, facit ibidem Laudem, sicut Diaconus Cadinalis fecerat in Missa ante Epistolam post Orationem in Basilica S. Petri.* Præclarius ceteris enarravit hunc plane ritum Burchardus in suo Cæremoniali electionis & Coronationis Innocentii Papæ VIII. §. CCL. ubi ita inquit: *Benedictione per Pontificem, ut supra, data, ascendit per Basilicam prædictam ad Palatium Lateranense, & cum pervenisset ad primam Aulam magnam, quæ Aula Concilii nuncupatur, positum fuit Faldistorium ante gradus lapidis supra quatuor columnas positi, quæ mensura Christi appellatur, ubi Papa sedit, renibus ad dictum lapidem versis.* Tum vero mox ita subjicit sequenti §.CCLI. *Interim Reverendissimus D. Cardinalis Novariensis Subprior Presbyterorum Cardinalium loco Cardinalis Mediolanensis Prioris eorundem Presbyterorum, qui infirmus erat, sine Ferula, ordinatis coram Pontifice in dicto Faldistorio cum Mitra sedente, & Cardinalibus hinc & inde circa ipsum cum Mitris stantibus, Subdiaconis, Auditoribus, Secretariis, & Advocatis eo ordine, prout Prior Diaconorum in Basilica S. Petri fecerat, ita quod inter Pontificem & eos esset spatium circa trium cannarum, stans sine Mitra inter primos Subdiaconos cum aliis prædictis discopertis capitibus stantes, ad Pontificem versus fecit Laudem alta voce quasi legendo dicens*: Exaudi Christe; *illis respondentibus*: Domino Nostro Innocentio &c. *tribus vicibus, & eo ordine, ac de verbo ad verbum voce, & tono, prout Prior Diaconorum superius in dicta Basilica S. Petri fecerat.*

§.XXIV.

Digitized by Google

§. XXIV.

De duabus Sedibus perforatis apud Capellam S. Silveſtri.

Finitis Laudibus, procedit ad Capellam S. Silveſtri. Ibi ante portam Capellæ ſunt duæ Sedes porphyreticæ perforatæ, & ibi ſedet Pontifex (1) ſuper primam; ad quem Prior Eccleſiæ Lateranenſis accedit, & genuflexus dat Pontifici Ferulam in manu in ſignum correctionis, & regiminis, & claves ipſius Eccleſiæ, & Palatii Lateranenſis in ſignum poteſtatis claudendi & aperiendi, ligandi atque ſolvendi. Surgit deinde Papa cum Ferula, & clavibus, & ſedet in alia Sede porphyretica ad aliam partem, & ibi reſtituit eidem Priori Ferulam, & claves; & ab eodem præcingitur ſuper Planetam ſedens cum Cingulo quodam ſericeo rubeo cum burſa etiam ſericea & rubea, in qua ſunt duodecim lapides pretioſi cum muſco. Tum Pontifex præcinctus, & ſedens, e gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam quotquot poteſt manu continere, & ſuper populum ſpargens, dicit: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*; & hoc tertio facit. In his duabus Sedibus Pontifex ſedet, ut in prima Stercoraria.

COMMENTARIUS.

I. LAudibus peractis juxta antiquum ritum, cujus mentionem faciunt Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Capite XLVIII. Cæremoniale Gregorii X. Num. X. Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. XX. Pontificale Colbertinum, aliique paſſim Cæremoniales Codices, *procedit Papa ad Capellam S. Silveſtri*; ſive, ut ait laudatus Ordo XII. *Judices eundem Electum*, Papam ſcilicet, *accipientes, ducunt eum per Palatium uſque ad Baſilicam S. Silveſtri.* Ex præſcripto autem Cæremonialis Gregorii X. Colbertini Pontificalis, & Romani Ordinis XIV. *ducitur Papa ab ipſis Cardinalibus per Palatium uſque ad portam Eccleſiæ S. Silveſtri, ubi ſunt duæ Sedes porphyreticæ &c.* Egimus nos jam & de his Sedibus ſupra in Commentario ad §. XXI. ubi de illa famoſa Sede tractavimus, quæ *Stercoraria* appellatur; ſed agendum hic iterum de ipſis cenſemus, tanquam in proprio, & opportuniori loco.

II. Ergo, ut noſtrum Cæremoniale inquit, *ante portam Capellæ ſunt duæ Sedes porphyreticæ perforatæ, & ibi ſedet Pontifex ſuper primam &c.* Ita plane legitur in Cæremonialis editione Veneta anni MDXVI. & in Colonienſi anni MDLVII. perperam vero in Romana anni MDLX. legitur, *duæ ſedes porphyreæ perforatæ, & nude ſedet Pontifex ſuper primam.* Fœdus eſt typographi error, legendum enim nudæ cum diphtongo, & deinde ponendum eſt punctum, hoc modo: *Ante portam Capellæ ſunt duæ Sedes porphyreæ perforatæ, & nudæ. Sedet Pontifex ſuper primam &c.* Atque hæc eſt lectio, qua uſus eſt Burchardus in Cæremoniali Electionis, & Coronationis Innocentii VIII. §. CCLII. ſic dicens: *Laudibus finitis, Papa ductus eſt ad Capellæ portam S. Silveſtri, juxta quam poſitæ ſunt duæ Sedes porphyreæ nudæ, ad quarum primam a dextris portæ poſitam Papa ſedit &c.* Oportuit locum illum Romanæ editionis notare, ingerit enim ſenſum turpiſſimum, occaſionemque præbet calumniatoribus, credulisve ignorantibus dicendi, adinventas fuiſſe has Sedes ad cognoſcendum Pontificem an eſſet maſculus. Fuit hæc plane inepta Platinæ opinio, eaque impoſturæ conati ſunt malevoli aliam pſeudopapiſſæ Joannæ impoſturam confirmare. Platinam confutans Panvinius, ſcite inquit: *De Sedibus porphyreticis Laterani, ex quibus Papa, an eſſet maſculus cognoſcebatur, aliquid dicere ſuperfluum eſt, & inane exiſtimo, cum omnia fabuloſa ſint, & ab imperito vulgo ficta.* Ceterum non alia de cauſa Sedes illas perforatas veriſimile eſt, quam quod in antiquis Romanorum thermis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ ſunt quæ ad novi Pontificis ſeſſionem adhiberentur, ut ſcite notarunt Martinellus, & Mabillonius, & deinde Sarnellius Libro VIII. Epiſtola XXXI. & Pagius in Vitis Romanorum Pontificum Tomo I. ubi de Joanna pſeudopapiſſa agit poſt Leonis Papæ IV. vitam.

III. His ita explicatis, quod noſtrum attinet ritum, antiquus profecto ille eſt, ut nimirum in his Sedibus novus Pontifex ſedeat, & quidem ante portam Eccleſiæ S. Silveſtri. Audiendus eſt primum Cencius, qui in citato Romano Ordine XII. Cap. XLVIII. & ritum refert, & rationem etiam docet, ita inquiens: *Ubi vero ventum eſt ante Baſilicam ipſam*, nempe S. Silveſtri, *ſuper cujus arcum, qui ſuſtentatur de duabus columnis porphyricis, eſt Imago quædam Salvatoris, quæ a quodam Judæo percuſſa olim in fronte ſanguinem emiſit, ſicut hodie cernitur, idem Electus ſedet ad dexteram in Sede porphyrica, ubi Prior Baſilicæ S. Laurentii de Palatio dat ei Ferulam, quæ eſt ſignum regiminis, & correctionis, & claves ipſius Baſilicæ, & ſacri Lateranenſis Palatii; quia ſpecialiter Petro Principi Apoſtolorum data eſt poteſtas claudendi & aperiendi, & ligandi atque ſolvendi, & per ipſum Apoſtolum omnibus Romanis Pontificibus; & cum ipſa Ferula, & Clavibus accedit ad alteram Sedem ſimilem, & ejuſdem lapidis; tunc reddit eidem Priori tam Ferulam, quam etiam ipſas Claves; in qua dum aliquantula mora quieſcit, cingitur ab eodem Priore zona rubea de ſerico, in qua dependet burſa purpurea, in qua ſunt xij. ſigilla pretioſorum lapidum, & muſcus. Qui ſiquidem electus in illis duabus Sedi-*

(1) Ita in I. Veneta editione anni 1516. in Romana vero anni 1560. *Et nude ſedet Pontifex ſuper primam.*

Digitized by Google

bus ſic ſedere debet, ac ſi videatur inter duos lectulos jacere, ideſt, ut accumbat inter Principis Apoſtolorum Primatum Petri, & Pauli Doctoris Gentium prædicationem. In zona notatur continentia caſtitatis; in burſa gazophylacium, quo pauperes Chriſti nutriantur, & viduæ; in xij. Sigillis xij. Apoſtolorum poteſtas deſignatur: muſcus includitur ad percipiendum odorem, ut ait Apoſtolus: Chriſti bonus odor ſumus Deo. *In qua ſecunda Sede dum ſedet electus, recipit omnes Officiales Palatii ad pedes, & poſtea ad oſculum; & deinde ſedens ibidem recipit de manu Camerarii denarios argenteos val. x. ſol. pro veſ. & projicit eos ſuper populum, & hoc facit tertio, dicendo*: Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Ter factum a Bonifacio VIII. Papa in ea Sede compoſito argenteorum nummorum jactum, tradit Cardinalis Gajetanus Stephaneſius in ſuo Poemate, ubi ſic inter alia inquit.

Suſceptos effuſa manus ter ſpagere nummos
Inchoat, ac fatur: Juſtus diſperſit abunde
Pauperibuſque dedit; manet hæc in ſecula ſecli
Juſtitiæ virtus .....

IV. Eadem plane, quæ in recitato ſuperius loco Romani Ordinis XII. ſtatuta & deinde fuerunt in Cæremoniali Gregorii X., Ordine Romano XIV. citatis locis, & in Colbertino Pontificali, in quibus etiam hæc leguntur: *Ei iſtis duabus Sedibus Papa taliter ſe habet, ut videatur potius jacens, quam ſedere, & nulla iſtarum Sedium, nec etiam Stercoraria eſt cooperta, vel parata, ſed nuda*. Quæ verba etiam extant in Pierſanctiano Codice, & in aliis Cæremonialibus Libris. Cur in his Sedibus ſederet Pontifex, jam audivimus ex deſcripto paulo ſuperius Cencii teſtimonio, qui etiam, & zonæ, & burſæ, & ſigillorum, ac muſci, quæ in ea cæremonia adhibebantur, myſticam rationem reddit. Quando primum & harum Sedium uſus cœperit, non conſtat. De his ait Mabillonius, nihil inveniri ante XII. Seculum, quo tempore illarum fit mentio apud Cencium uno ſeculo ante fabulam de Papiſſa Joanna, ideſt, ante Martinum Polonum, qui primus eam fabulam vulgaſſe dicitur; ſive potius alium Auctorem qui claruit poſt medium Seculum XIII. Quiſquis autem ejus fabulæ primus Auctor fuerit, rectiſſime notat Pagius, hallucinatos fuiſſe recentes Criticos, *qui fabulæ a tribus, aut ad ſummum a quatuor ſeculis excogitatæ magnam antiquitatem tribuerunt*. Ceterum ritus ille, qui ad altius inſinuandam novo Pontifici humilitatem primum inductus fuerat, poſt receptam apud malevolos, nimiumve credulos de pſeudopapiſſa fabulam, ita infamis evaſit, ut ob hoc commentum penitus abrogaretur; quod Seculo XVI. poſt Leonem X. factum jam alias notavimus.

V. Teſte Graſſo ſervatus fuit hic ritus a Leone Papa X. initio Pontificatus: quo tamen omiſſo, lubet profecto deſcribere hoc loco, quod de eodem ritu Burchardus tradidit in ſuo Cæremoniali de Electione, & Coronatione Innocentii Papæ VIII. ſic enim inquit §. CCLII. *Laudibus finitis, Papa ductus eſt ad Capellæ portam S. Silveſtri, juxta quam poſitæ ſunt duæ Sedes porphyreæ nudæ, ad quarum primam a dextris portæ poſitam, Papa ſedit quaſi jaceret; quo ſic ſedente, Prior Lateranenſis prædictus dedit Papæ Ferulam in manu in ſignum regiminis, & correctionis, & claves ipſius Baſilicæ, & Lateranenſis Palatii in ſignificationem poteſtatis claudendi & aperiendi, ligandi atque ſolvendi*. Pergit laudatus Auctor, additque deinde §. CCLIII. *Pontifex, receptis, ut ſupra, Ferula, & Clavibus, ſurrexit de Sede prædicta, & acceſſit ad aliam a ſiniſtris dictæ portæ poſitam, in qua ſimiliter ſedit, quaſi jaceret. Sicque ſedens, Ferulam, & claves Priori prædicto reſtituit; qui Prior deinde Pontifici adhuc, ut præfertur, ſedenti, ſuper Planetam junxit zonam de ſerico rubeo cum burſa purpurea illi appendente, in qua erant duodecim lapides pretioſi modici valoris cum duodecim ſigillis, & muſcho; licet antiqui Libri ponant, prædicta fieri debere per Priorem Baſilicæ S. Laurentii, quæ Sancta Sanctorum dicitur; tamen quia hodie illa, & Lateranenſis Baſilica idem ſunt, & illa nullum Priorem habet, prædicta fiunt per Priorem Lateranenſem*. Sed nec omittenda, quæ ſtatim ſubjicit ſequenti §. CCLIV. *Papa ſedens*, inquit, *cinctus, ut præfertur, accepit de gremio D. Falconis de Sinibaldis Protonotarii Thæſaurarii ſui tres pugillatos carlenorum, & alterius monetæ argenteæ, quas populo projecit, dicens*: Diſperſit, dedit pauperibus juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.

§. XXV.

De deductione Pontificis ad Sancta Sanctorum, & de Presbyterio.

Ducitur deinde Pontifex ad Sancta Sanctorum, ubi ſupra Faldiſtorium ſine Mitra genuflexus orat. Inde ſurgens cum Mitra revertitur ad Capellam S. Silveſtri, in quam intrans, ſedet ſuper Sedem ibi paratam; tum deponit Mitram, Chirothecas, Pallium, Planetam, & aſſumit Pluviale, ac Mitram ſimplicem, & ſedens dat Presbyterium hoc modo. Cardinalibus duos aureos, & duos groſſos argenteos. Veniunt Cardinales, & profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque ei Mitram apertam, in qua Pontifex immittit pecuniam. Illi, accepta pecunia, manum Pontificis oſculantur; pecunias capit Pontifex e gremio Camerarii. Alii Prælati genuflectunt ante Pontificem & accipiunt unum aureum, & unum groſſum, & oſculantur dextrum genu Papæ. Alii vero Prælati, & Officiales (1) non parati accipiunt in manu tantundem, & oſculantur pedem. Dato Presbyterio, Pontifex cum Cardinalibus aſcendit ad Palatium Lateranenſe, & ſi non facit ſolemne convivium, deponit paramenta ſua, intrat Cameram,

(1) Ita legitur in Romana editione anni 1560. In editione Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1557. ea vox, *non parati*, deeſt.

Digitized by Google

ram, quieſcit, & prandet, ſeu cœnat. Cardinales ducuntur ad Cameras ſibi ordinatas, quieſcunt, recreantur, & expectant Pontificem, ſi vult redire ad S. Petrum eadem die; ſin autem revertuntur Domum.

COMMENTARIUS.

I. PEractis cæremoniis in duabus Sedibus porphyreticis perforatis apud Capellam S. Sylveſtri, de quibus actum fuit in Commentario præcedenti, *ducitur deinde Pontifex ad Sancta Sanctorum*, & quidem ex antiquo ritu, cujus mentionem facit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, ubi ita inquit: *His peractis ducitur per ipſam porticum ſub iconas Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, quæ per mare Romam venerunt nullo ductore, & intrat Baſilicam S. Laurentii &c.* hæc enim Baſilica dicta eſt vulgo deinde *Sancta Sanctorum*, uti notat Romanus Ordo XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. XXI. ubi antiquum ipſum ritum his verbis recenſet: *Deinde ducitur ad Sancta Sanctorum, quæ per mare venerunt, nemine ducente, & intrat dictam Baſilicam S. Laurentii, quæ vulgariter dicitur Sancta Sanctorum; & ante Altare ſuam orationem facit, cantantibus Priore & Canonicis Baſilicæ ipſius Sanctæ Sanctorum*, Te Deum laudamus; *& poſtea reducitur ad Capellam S. Silveſtri &c.* Deduci Pontificem ad Sancta Sanctorum, ibique ante Altare Orationem facere, tradunt quidem Romanus Ordo XII. Cæremoniale Gregorii X. Colbertinum Pontificale, Codex Pierſanctianus, aliique Libri Cæremoniales, in quibus tamen nulla fit mentio ritus illius, quem memorat laudatus Ordo XIV. Romanus decantandi ſcilicet ibidem Hymnum, *Te Deum laudamus*. Porro teſte Burchardo in Cæremoniali Electionis & Coronationis Innocentii VIII. §. CCLIV. non modo hic Pontifex *ductus fuit ad Baſilicam S. Laurentii Sancta Sanctorum appellatam, in qua coram Altari genuflexus ſine Mitra oravit in Faldiſtorio; verum etiam finita Oratione voluit offerre ſuper Altare, & nullus de ſuis Cubiculariis pecunias ſecum habentibus aderat, neque Theſaurarius.* Additque mox mutuo ſe dediſſe Pontifici *Florenos renenſes duos*, & unum ducatum, quod plures ſecum non haberet, *quos Pontifex contulit ſuper Altare*.

II. Facta Oratione in Baſilica S. Laurentii dicta deinde *Sancta Sanctorum*, de qua peculiarem Librum penitioribus notitiis refertum non ita pridem ſcripſit, edditque Romæ in publicam lucem Clariſſimus Joannes Marangonius jam noſtri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter; *inde ſurgens cum Mitra*, inquit noſtrum Cæremoniale, *revertitur ad Capellam S. Silveſtri, in quam intrans, ſedet ſuper ſedem ibi paratam, tum deponit Mitram, Chirothecas Pallium, Planetam, & aſſumit Pluviale, & Mitram ſimplicem, & ſedens dat Presbyterium &c.* Juxta Romanum Ordinem XII. auctore Cencio, Cap. XLVIII. Num. LXXXII. Papa poſtquam in memorata Baſilica S. Laurentii, ſeu Sancta Sanctorum, *peregerit prolixam ante proprium & ſpeciale Altare Orationem, pergit ad Papalem Cameram, ubi cum ſua voluntate pauſaverit, vadit ad menſam*. Ex præſcripto autem Cæremonialis Gregorii X. Papa poſt factam in Baſilica S. Laurentii Orationem, *poſtea reducitur ad Capellam S. Silveſtri, in qua intrat, & ſedet in loco præparato, & facit Presbyterium*. Tum vero ſubdit: *Poſtea redit ad Cameram, in qua deponit Caſulam, & Pallium, & aſſumit Mantum, & vadit comedere, ut ſupra dictum eſt. Primo tamen recipit juramentum ſecundum formam*. Ego talis &c. *a Senatore*. Variat ab his non nihil Romanus Ordo XIV. citato Capite XXI. ubi Papa poſt decantatum Hymnum, *Te Deum laudamus*, a Priore & Canonicis Baſilicæ Sanctæ Sanctorum, *reducitur ad Capellam S. Silveſtri, in qua intrat, & ſedet in loco parato cum ornamentis ſuis, tenente eo Mantum ſuper Scapulas, & Mitram ſuper Fanonem, ſeu Orarium, & dat Presbyterium*. Additque mox: *Poſtea redit ad Cameram, in qua deponit Caſulam, & Pallium, & aſſumit Mantum, & vadit comedere*. Concludit tandem & ait: *Solebat tum primo recipere juramentum a Senatore ſecundum formam*, Ego talis &c. *Verum hujuſmodi juramenti receptio diu eſt quod fuit omiſſa*.

III. Antequam ultra progrediar, gratam rem facere Lectori cenſeo deſcribere hoc juramentum, quod olim novo Pontifici Senator Urbis præſtabat, quodque in ipſo Cencii Ordine Romano XII. Cap. XLVIII. Num. LXXXVI. legitur hoc modo: *Ego N. Urbis Romæ Senator ab hac hora in antea fidelis ero tibi Domino meo Papæ Urbano. Non ero in facto, atque in conſilio, neque in conſenſu, ut perdas vitam, aut membrum, aut capiaris mala captione. Conſilium, quod mihi credes per te, vel per Litteras aut nuntium, me ſciente, ad damnum tuum nulli pandam. Tuum certum damnum ſi ſcivero, pro poſſe meo illud impediam: Quod ſi per me impedire non potero, illud tibi ſignificabo per meipſum, vel per literas, aut nuntium, ſeu talem perſonam, de qua pro certo credam, quod illud tibi debeat fideliter inſinuare. Papatum Romanum, & Regalia Beati Petri, quæ habes, ad retinendum, & defendendum: quæ vero non habes, ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines adjutor ero ſecundum poſſe ac ſcire meum; nominatim autem S. Petrum, Urbem Romanam, Civitatem Leoninam, Tranſtyberim, Inſulam, Caſtellum Creſcentii, S. Mariam Rotundam, Senatum, monetam, honores, & dignitates Urbis, Portum Oſtienſem, & tenimentum Tuſculani, & generaliter omnia Regalia intra Urbem, & extra. Cardinalibus, familiis tuis, & eorum venientibus ad Romanam Eccleſiam, morantibus apud eam, & recedentibus ab ea, plenam, & veram ſecuritatem præſtabo. Hæc omnia juro me obſervaturum bona fide; ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*. Hactenus Juramentum fidelitatis a Senatore Urbis fieri jam ſolitum novo Pontifici, etiam longe poſt medium Seculum XIII. uti conſtat ex Cærimoniali edito juſſu Gregorii X. qui electus Summus Pontifex fuit anno MCCLXXI. *Primo tamen*, inquit, *recipit* Papa *juramentum ſecundum formam*, Ego talis &c. *a Senatore*. Neceſſarium autem fuit per ea tempora

hujusmodi juramentum, quia tunc scilicet summa erat Senatoris Urbis non modo potentia, sed & insolentia, de qua jam diximus Tomo III. Conciliorum, & alibi.

IV. Quod Presbyterium attinet, quod ex antiquo ritu præberi tunc a Papa solitum fuit, fuse ac eruditeagit de ea re Vir Clarissimus Petrus Morettus in suo admirando Opere, *De Presbyterio*. Occurrit ea vox passim in Ordine Romano XI. & aliis sequentibus, præsertim ubi agitur de ea novi Pontificis ad Lateranensem Basilicam Processione. Ex nostri Cæremonialis præscripto Papa ubi ad Capellam S. Silvestri redit, *sedet supra Sedem ibi paratam, tum deponit Mitram, Chirothecas, Pallium, Planetam, & assumit Pluviale, & Mitram simplicem, & sedens dat Presbyterium hoc modo. Cadinalibus duos aureos, & duos grossos argenteos. Veniunt Cardinales, & profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque ei Mitram apertam, in qua Pontifex immittit pecuniam &c.* Ritum hujusce largitionis exponit præsertim Romanus Ordo XIV. Jacobi Gajetani Cap. XLV. his verbis: *Ibi*, nempe in Capella S. Silvestri, *depositis, Pallio, Casula, & Chirothecis, & accepto Manto ad scapulas, sedet in loco præparato, & dat cuilibet Cardinali, & Prælato Presbyterium solitum hoc modo. Ipse Papa sedet in Sede, & quilibet Cardinalis, & Prælatus, extracta sibimet Mitra, deferens eam in manu, vadit coram eo; flexis genibus tenet Mitram apertam ante Papam, qui ponit in illam pecuniam, quam dat ei in uno scypho argenteo Camerarius, & quam dicit Liber Cameræ, qui vocatur Polypticus, & ille, qui recipit pecuniam in Mitra, osculatur genu Domini Papæ. Idem vero Camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ, & assistunt ipsi Camerario Clericus Cameræ, & duo mercatores. Ipsi vero Camerarius, & Clericus Cameræ sint induti Superpelliceis.* Eadem legere est apud eundem Gajetanum Cap. LXXXV. ubi agit de Presbyterii largitione facta a Papa post Vesperas, & pedum lotionem, quam appellant *Mandatum*, Feria V. majoris hebdomadæ. Consueverunt quippe olim Romani Pontifices in variis temporibus Presbyterium largiri, ut passim docent Romani Ordines a Mabillonio allati Tomo II. Musei Italici, & egregie explicati ab eruditissimo Petro Moretto in citato Opere, *De Presbyterio*.

V. Porro licet olim, ut ex recitato Gajetani Romano Ordino constat, Cardinales quoque *flexis genibus* Presbyterium a Papa acciperent, invaluit tandem deinde usus, ut stantes profunde caput inclinent ante Pontificem, eique Mitram apertam porrigant, in quam ille pecuniam immittit, acceptaque pecunia, manum Pontificis osculentur. Ita plane statuit nostrum Cæremoniale, & hic ritus servatus quidem jam fuerat in Electione, & Coronatione Innocentii Papæ VIII. teste in suo Cæremoniali Burchardo §. CCLV. ubi ritum ipsum ita describit: *Rediit deinde Pontifex ad Capellam S. Silvestri, in qua, depositis sibi Mitra, zona, Pallio, Planeta, Anulis, & Chirothecis, recepto Pluviali, & Mitra, & Anulis reassumtis, sedit in Sede eminenti ibidem in medio Capellæ sibi parata, versus ad ostium illius; quo sic sedente, accesserunt singuli Cardinales, Mitras ante se in manibus portantes, & post eos eodem modo omnes Prælati parati, quibus sigulariter coram Papa constitutis, Papa dedit Presbyterium, videlicet singulo Cardinali duos ducatos, & duos carlenos, & cuilibet Prælato unum ducatum, & unum carlenum; totidem etiam dabat cuilibet, Officialibus, & Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, Acolythis, videlicet usque ad prædictos Navales inclusive, quos prius Papa recipiebat de gremio præfati Thesaurarii sui. Cardinales, recepto Presbyterio, osculabantur manus Papæ capite inclinato stantes; Prælati vero omnes similiter genu flexi osculabantur pedem Papæ. Post Subdiaconos, inter Auditores, quia magna conculcatio fuit, accessi & ego ad Pontificem, qui mihi dedit ducatum unum, & carlenum unum Papales cunei sui.*

VI. Datum quoque a Leone Papa X. Presbyterium in ipsa Capella S. Silvestri, docet in ejus Diario ms. Paris de Grassis, ubi post enarratum ritum oblationis factæ ad Altare Capellæ Salvatoris, ita deinde subjicit: *Quo facto, rediit ad Capellam S. Silvestri, ubi postquam sederet, deposuit omnia Missalia Sacramenta* (puto legendum, *paramenta*) *usque ad Stolam exclusive, & sine Fanone induit Pluviale leve, & simplex, ac Mitram levem ex damascino, sedensque dedit omnibus Cardinalibus duos ducatos, & duos julios, quod Presbyterium vocatur, ex quibus solus Camerarius percepit in duplo, alii omnes, ut dixi, duos; Prælati, & omnes alii usque ad Præfectos Navales, unum ducatum, & unum julium. Ex laicis nemo accepit; quod fuit bene factum; nam Presbyterium ideo vocatur, quia Presbyteris, aut Presbyterorum ministris datur.* Consueviisse deinde nonnullos e Cardinalibus non modo duplicatam, verum etiam triplicatam Presbyterii portionem accipere, constat ex ms. Diario Joannis Pauli Mucantii, quod inferius nos describemus. Notandus autem hoc loco Grassus, qui ait ideo non datum fuisse laicis a Leone X. Presbyterium, quod *Presbyterium ideo vocatur, quia Presbyteris, aut Presbyterorum ministris datur*. Sed plane labitur, cum hoc genus Presbyterii ideo potius hoc nomine appelletur, quod a summo Presbytero, idest Pontifice Maximo donetur; fuitque ritus antiquus, ut Presbyterium ipsum a Papa non modo laicis, sed & Hebræis daretur.

VII. Juxta antiquum quidem ritum jam non modo Cardinales, & Prælati, verum etiam alii Clerici, ac laici homines, imo & Judæi experiebantur tunc liberalitatem Summi Pontificis. Tradit id quidem non uno in loco Cencius in suo Ordine XII. præsertim Cap. XLVIII. Num. LXXXII. *Clericis Romanis pro thuribulis, Judæis pro repræsentatione Legis, Laicis Romanis pro arcu tale Presbyterium datur, & taliter, quale datur in Coronationibus aliis Domini Papæ*. Longum esset alia citati Romani Ordinis loca afferre, videri enim possunt in eodem Ordine Romano apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, & apud Morettum in Opere, *De Presbyterio*, ubi etiam aliorum Ordinum loca in rem ipsam recenset. Porro mos erat antiquus, ut Papæ post Coronationem solemni pompa ad Lateranensem Basilicam procedenti, Romani triumphales arcus erigerent, Clericique cum Crucibus, vexillis, & thuribulis occurrerent, Judæi vero cum repræsentatione Legis, ac Laudibus eidem obviam irent; & hæ erant causæ

ob

Digitized by Google

ob quas Pontifex his Presbyterium largiebatur. Audiendus iterum Cencius in recitato Romano XII. Cap.XVI. Num. XXXVIII. *Sciendum, quod Domino Papæ ante turrim primo dictam Judæi occurrunt, & ei Legem suam præsentant, faciuntque Laudes; pro quibus Laudibus recipiunt a Camerario in Presbyterium viginti solidos provesinos. Notandum præterea, quod a S. Petro usque ad Palatium Domini Papæ fiunt arcus a Romanis honorabiles in via, per quam transit; & Clerici omnes Romani occurrunt eidem induti undecumque possunt, cum thuribulo; in remunerationem cujus honoris, Romanis pro arcubus datur Presbyterium triginta quinque librarum provesinarum, & dimidiæ; Clericis vero pro thuribulis triginta trium librarum provesinarum, ut in sequentibus plenius apparebit.*

VIII. Ritum quo Clerici eum novo Pontifici honorem exhibebant, docet Cæremoniale Gregorii X. Num. XI. ubi agit de adventu Papæ Romam extra Urbem consecrati, vel electi: *Omnes*, inquit, *Ecclesiæ Urbis ei obviant honorifice cum Processione, & veniunt omnes Clerici induti cum Crucibus, vexillis, & thuribulario, & capsa cum thure; & quælibet Ecclesia occurrit ipsi Papæ cum thuribulo, & ipsa capsa, & idem Dominus Papa de thure cum cochleare in thuribulo ponit, & illi Papam cum eo incensant, & faciunt ita omnes Ecclesiæ.* Nihil hic de largitione, sed & pauca memorantur ex agminibus, quæ Pontificem tum excipere consueviſſe, varia submonent Historicorum testimonia allata ab eruditissimo Moretto in memotato toties præclarisimo Opere, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VI. Num.XII. Certe venientem Callistum II.de prostrato Burdino pseudopontifice exultantem perhonorifice excepit Roma anno MCXX. tertio Nonas Junii, in occursum effusis pueris cum ramis, Judæis, ceterisque Ordinibus, quemadmodum refert Epistola Eginonis apud Baronium Tomo XII. Annalium. Talem occursum breviter descripsit, quin & actionem initæ possessionis Nicolaus Cardinalis Rossellius Aragonius in Vita laudati Callisti II. Papæ apud Clarissimum Muratorium Tomo III. Scriptorum Rerum Italicarum sic inquiens: *Idem Beatissimus Pontifex, secundum antiquam consuetudinem, solemniter est receptus*, Romæ scilicet, *& in Beati Petri Cathedra solemniter positus, atque Lateranense Palatium per mediam Civitatem, præparatis arcubus de more in ipsa via, cum gaudio magno deductus.*

IX. Pleniori sermone ab eodem Scriptore Nicolao Cardinali Aragonio narrantur occursus, plaususque facti Pontifici Eugenio III. ubi Romam pervenit: *Occurrit ei*, inquit, *maxima, & frequens populi multitudo cum ramis .... & ad ejus vestigia continuo corruentes, post pedum oscula elevabantur ad oris oscula; præcedebant signiferi cum bannis*, (al. *bandis*); *sequebantur Scriniarii, & Judices; Judæi quoque non decrant tantæ letitiæ, portantes in humeris suis Legem Mosaicam. Universus etiam Romanus Clerus psallebat in unum, dicens*: Benedictus, qui venit in Nomine Domini. *Sic itaque cum magno populorum gaudio, & clamore idem Pontifex in Palatium conscendere meruit.* Hactenus ille edoctus a vetustiorum chartarum lectione, forte etiam Vaticani Codicis, e quo Eugenio ipsi Pontifici milites, Judæos, & Clericos obviam processisse, colligit memoratus Baronius ad annum Christi MCXLV. Tandem, ut alios omittam, quos idem Morettus citato loco recenset, Romam accedenti Alexandro III. *exiverunt obviam in longum spatium Clerus Romanus cum vexillis, & Crucibus, quod nulli Romanorum Pontificum recolitur factum*, uti ajunt ejusdem Alexandri Papæ III. Acta apud eundemBaronium. Neque vero solus Clerus Alexandro occurrit, verum etiam, ut tradit laudatus Cardinalis Aragonius, *Senatores, & Magistratus populi cum concrepantibus tubis, Nobiles cum militia in apparatu decoro, & pedestris popularitas cum ramis olivarum, Laudes Pontificis consuetas vociferarunt.*

X. Vere autem & tunc qui occurrebant, liberalitatem Pontificum, ut in die primæ Coronationis, sentiebant; quamquam non illa suam omnem promebat amplitudinem, ut scite notat Morettus ibidem, Num.XIII. probatque ex hoc celebri Cencii testimonio, qui in Romano Ordine XII. Cap.XLVIII. Num.LXXXV. ita scribit: *Sciendum, quod Presbyterium Scholarum non ita datur, sicuti si fuerit* Papa *consecratus in Urbe; de Presbyterio enim eorum tunc medietas resecatur, exceptis Judæis, & Clericis Urbis, & Addextratoribus. Præterea Senatores Urbis Dominum Papam debent addextrare, sive venerit consecratus, sive non, a porta Civitatis usque ad locum, ubi fuerit descensus, sive descenderit ad Ecclesiam Lateranensem, sive ad Ecclesiam B. Petri; in remunerationem cujus servitii x. sol. pro equo debent habere; verumtamen Schola Addextratorum debet habere xx. sol.* Verbum addextrare, unde Addextratores veniunt, idem est, ac a lateribus stare incedentium maxime Principum vectorum equis, quos *dextrarios, magnosque* vocant litteræ Anglorum Regis Eduardi III. Plura de ea voce videri possunt apud Dufresnium in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario.Sane quotquot aliquando Pontificem incedentem equitantemque comitarentur, addextratores dici potuisse, notavit Morettus, *De Presbyterio* Parte III. Sectione III. pag.220. in Nota, ubi & alia scitu digna curiosus Lector inveniet.

XI. Quamquam vero una cum aliis ritibus Presbyterii largitio in Processione Lateranensis Basilicæ observata fuerit ab Innocentio Papa VIII. ut ex citato superius testimonio Burchardi liquet, itemque a Leone Papa X. ut docet in ejus Diario Paris de Grassis, ac deinde etiam a Paulo III. sed ubi is vero coronatus fuit apud Basilicam Vaticanam: multum tamen postea sub Pontificibus ipsi Paulo III. & Clementi VIII. intermediis variatum est, omissa maxime non semel Presbyterii largitione; uti addiscere licet ex ms. Diario Joannis Pauli Mucantii Apostolici Cæremoniarii, præcipue ubi pompam ejus largitionis describit datæ a Clemente VIII. cum possessionem iniret: *Usus iste*, inquit Mucantius, *dandi Presbyterium jam in dissuetudinem abierat, sicut & alia multa, quæ in hoc possessionis actu fiebant, ut ex Lectione Libri Cæremonialis advertere unicuique licebit. Reverendissimus D. Cardinalis Gesualdus Sacri Collegii Decanus tanquam Sacræ Congregationis Rituum Præfectus hunc in pristinum restitui curavit, ne bonæ & laudabiles Cæremoniæ, cujusmodi hæc est, omnino perirent, & ut hæc renovaretur, jam inde a creatione Gregorii XIV. & Innocentii IX. fel.*

Digitized by Google

fel. record. Pontificum procuraverat. Sed, quia prænotati Pontifices statim post Coronationem ad Lateranum equitaverunt, non superfuit tempus statim ad numismata cudenda, prout nunc factum fuit, cum ultra duorum mensium spatium a Coronatione Sanctissimus Dominus noster Clemens VIII. ad hunc possessionis actum interfuerit. Quare hæc omnia Reverendissimo Cardinali Gesualdo debemus, qui propterea maxime laudandus est, tamquam hujus antiquæ cæremoniæ, & laudabilis consuetudinis restitutor. Atque hic adnotare lubet, quod & ante observavit Doctissimus Morettus, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VVII. Num. VIII. per intermedia tempora fuisse jam multa abolita ex præscriptis in Cæremoniali, qualia sunt occursus Judæorum, ac Processio Pontificis cum sacris habitibus, jactus pecuniæ per viam, convivium solemne, & alia olim servata.

XII. Tunc plane, ut sequenti Numero IX. idem Auctor subjicit, in reliquis universæ actionis partibus novi plures paulatim non dubie invecti mores. Sed qua methodo Presbyterii cum affinibus Cæremoniis ab instauratore Clemente VIII. celebrata sit, idem refert Mucantius. Ait ergo, descriptis equitationis pompa, gestis circa Ecclesiam Lateranensem a Capitulo cum Archipresbytero, de cujus quoque oratione loquitur, recitata, cum claves juxta Cæremoniale præsentaret, & nonnullis intra Ecclesiam actis, præsertim præstita obedientia per Cardinales, quod, ea tunc finita, *Pontifex ad Altare*, majus nempe, *accessit, eoque, deposita Mitra, in medio osculato, super illud aurea scuta* L. *obtulit, quæ inclusa in rubra crumena sericea R. P. D. Bartholomæus Cæsius suæ Sanctitatis Generalis Thesaurarius Pontifici ministravit.* Notat inde, Papam ex Altari solemnem benedictionem populo impertiisse, ac deinde subdit: *Data Benedictione, præcedente Cruce, & Cardinalibus, rediit Pontifex versus Altare Sanctissimi Sacramenti, ante quod, deposita Mitra, genuflectit, sed non oravit ..... Facta genuflexione, ascendit iterum Sellam gestatoriam, & loco Mitræ Thiaram, seu Regnum, accepit, licet secundum institutionem debuisset cum Mitra ire usque ad Salam. Sed ita melius fuit, & convenientius, ut Pontifex cum Thiara duceretur ad Aulam prædictam, & cum Thiara, seu Regno, daret Cardinalibus Presbyterium.* Addit mox quædam de accessu ad Aulam, de collocatione Papæ super Sedem eminentem, de Cardinalibus quasi circulum hinc inde facientibus, ac de laudibus cantatis per antiquiorem Presbyterum Cardinalem, quæ omnia consentanea plane antiquis sunt ritibus a nobis supra explicatis.

XIII. His ergo omissis, quod Presbyterium spectat, de quo in præsenti agimus, hæc habet idem Mucantius: *Laudibus expletis, Pontifex singulis Cardinalibus dedit Presbyterium; hoc est, duo numismata, alterum aureum, alterum argenteum, quæ Sanctitatis suæ Thesaurarius Revrendissimo D. Cardinali Sfortiæ, Diacono assistenti a dextris porrigebat, & ipse Pontifici, qui illa in vacuum Mitræ singulorum Cardinalium accedentium ponebat, prout fit in distributione Agnorum Dei. Decanus vero portionem duplicatam accepit, ideſt, duo numismata aurea, & duo argentea, sicut & alii Cardinales Officiales, ut solet fieri in distributione candelarum, palmarum, & Agnorum Dei. Quam duplicatam portionem accepit etiam Reverendissimus Ascanius Columna, quem ob orationem factam, dum Pontifici claves Ecclesiæ tradidit, ut supra dixi, tanquam celebrantem tractare voluit, sicut expresse dixit, dum ei numismata tradidit. Reverendissimus Dominus Cardinalis Montaltus triplicatam portionem accepit, tanquam Vicecancellarius, & Summista, quam & triplicatam prætendebat Reverendissimus Rusticuccius, sed non habuit, nisi duplicatam. Numismata autem prædicta erant in duabus crumenis, quas tenebat Thesaurarius prædictus; sed decentius fuisset, si in bacili argenteo locata essent, & Thesaurarius genuflexus ante Pontificem illa sustinuisset, & Diaconus Cardinalis a dextris ad manus Pontificis porrexisset, & Pontifex Cardinalibus; licet in Libro Cæremonialis dicatur, quod Papa de gremio Camerarii pecunias accipiat, & distribuat &c. Sed Thesaurarius ad cautelam, ne facile possent sibi numismata subripi, illa in crumenis conservabat, & opportune distribuebat. Fuit autem hoc Presbyterium datum solis Cardinalibus, quamvis post Cardinales non solum Episcopis, sed etiam ceteris Officialibus dandum fuisset, ut in eodem Cæremoniali dicitur. Pontifex vero quandiu* (melius, *quia diu*) *faticaverat, noluit amplius continuare. Ordinavit autem, ut Episcopis Presbyterium prædictum daretur per Thesaurarium, prout factum esse credo. An vero aliis Officialibus datum sit, ignoro.* Hæc Mucantius in citatis Diariis a pagina 149. ad paginam 153. Tomo II. seu Tomo XVIII. Diariorum, quæ occulit Archivum Secretum Vaticanum, sub die XII. Aprilis, qua possessionem cepit Clemens VIII. electus Pontifex III. Kalendas Februarii anno MDXCII.

XIV. Post Clementem Papam VIII. servatum fuisse religiosissime ab ejus Successoribus Presbyterium dandi ritum in possessione Basilicæ Lateranensis, testes habemus seculi præcedentis Scriptores. Tres erunt ceterorum specimen, quorum primus sit Paulus Alaleo Cæremoniarius Pontificius, qui in ms. Diario, quod servatur in Archivo secreto Vaticano, captam possessionem describens die XIX. Decembris anni MDCXXIII. ab Urbano VIII. in Papam jam pridem Electo, & Coronato, ita inquit: *Reliquit, data Benedictione, supra Altare unam bursam sericeam rubram, intusque erant quinquaginta duplæ aureæ in totum c. aur. &, recepta Mitra, accepit Regnum tunc, quia pro commoditate Papæ non fuerunt cantatæ laudes in Aula magna, & datæ medaliæ, prout tempore fel. record. Pauli V. sed Papa fecit medalias* (Presbyterii, ut notat Morettus) *dare Illustrissimis Dominis Cardinalibus hodie mane, & sic ante operam factam solvit per manus Domini Thesaurarii Generalis juxta distributionem, quæ fit in distributione palmarum, & candelarum pro Cardinalibus, qui habent officium, & etiam fecit illas dare Dominis Canonicis Basilicæ Lateranensis argenteas tantum pro sua liberalitate, quia tempore fel. record. Pauli V. fuerunt datæ tantum Illustrissimis Dominis Cardinalibus per manus suas, & Oratoribus de Solio per manus Thesaurarii... Oratores non habuerunt medalias sicut tempore fel. record. Pauli V.* Ita Alaleo, ex quo addiscimus ritum servatum non modo tempore Urbani Papæ VIII. sed etiam Pauli V.

XV. Ri-

Digitized by Google

XV. Ritum ipſum ut ſervarit Alexander VII. ubi ampliſſima pompa, & ſolemni proceſſione die IX. Maji anni MDCLV. cepit poſſeſſionem ejuſdem Baſilicæ Lateranenſis, tradit Carolus Valeſius in Libello Pontifici ipſi oblato, ubi inter alia ita ſcribit: *Ante principem Aram geſtatus Alexander, preces Deo fudit, & in Solio .... conſidens purpuratos Patres ſolemni ritu demiſſa obſequia deferentes excepit; tum ad Aram, qua incluſa eſt lignea Ara, in qua D. Petrus Sacra peragere conſueverat .... accedens, mediæque impreſſo ſacro oſculo, marſupium ab Ærarii Præfecto porrectum nitentibus refertum aureis Chiſio ſtemmate pretioſiſſimis, illi impoſuit, demiſſique in æternum Numen obſequii æterni pignus & monumentum dimiſit ... Cardinales*, in Aula ſcilicet Palatii poſt Laudes Papæ cantatas, *dimiſſa ex auguſtis capitibus Mitra, ſinguli ordine ſuo, flexis* (quod tamen fortaſſe verum non eſt, *genibus, in ea aureum, argenteumque majoris formæ numiſmata Alexandri effigie, & ſtemmatibus nitentia, quæ vocantur Presbyteria, in amoris pignus, & præmium obſequii, in geſtæ rei monumentum, ex amantiſſima, & liberali manu Alexandri accepere*. Tum vero paulo poſt ita ſubjicit: *Reſtitutis Religioſi agminis Ordinibus ex Aula Pontificia ad Lateranenſis Baſilicæ ſuperiorem porticum, pompa ducta eſt, atque e ſublimi a Cardinalibus, & Præfecto Ærarii argenteus imber in confertiſſimam populi multitudinem .... effuſus eſt*, Alexandro VII. adjungimus Alexandrum VIII. de quo eruditiſſimus Ciampinus in Libro, *De Abbreviatoribus*, pag. 104. ita ad rem noſtram ſcribit: *In porticu*, Baſilicæ nempe Lateranenſis, *ſolita ſcamna pro Eminentiſſimis Cardinalibus, & Solium pro Pontifice parata erant, in quibus iidem conſederunt; & Pontifex, Lateranenſi Capitulo ad pedis oſculum admiſſo, deinde Eminentiſs. Cardinalibus ſolitum Presbyterium diſtribuit*.

XVI. Labentis Seculi XVIII. uſum teſtatur doctiſſimus ipſe Morettus in ſua citata toties Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione VIII. Num. XII. ubi curſim exponit praxim noviſſimam integræ ſolemnitatis poſſeſſionum, rededucta ex iis, quæ vel oculis excepit ſuis, vel in divulgatis authenticis deſcriptionibus, & ineditis Codicibus Magiſtrorum Cæremoniarum Sanctæ Sedis, Candidi Caſſinæ, & Placidi Ghezzii geſta legit ſub Clemente XI. Innocentio XIII. ac Benedicto XIII. Ergo nunc, poſtquam diſtinctis diebus Papa electus, adoratuſque publice a Sacro Senatu, & conſecratus, ſi forte conſecrandus ſit, coronatuſque eſt ad S. Petrum, dies ex ejus placito indicitur agendæ ſolemni equitationi ad Lateranum. Ut illa advenit, hora præſtituta, cunctorum Ordinum, qui procedere tenentur, populique accurrere volentis commoditati opportuna, inchoatur equitatio a Palatio Vaticano, niſi aliud placuerit Pontifici, ut ſane Benedicto XIII. placuit, cui propter nimios diei XXIV. Septembris anni MDCCXXIV. calores, qua poſſeſſionem iniit, melius viſum, dediſſe celebritati exordium a Palatio Quirinali. Ordines Romanæ Curiæ, & Laici Senatum, populumque repræſentantes, Papam aut albo inſidentem equo, quod factum per Clementem XI. die X. Aprilis anni MDCCI. & Benedictum XIII. mox memoratum, aut Sella, Lecticave delatum, quod factum per Innocentium XIII. die XVI. Novembris anni MDCCXXI. præcedunt, ſubſequuntur, comitanturque ea ratione, quam explicatam quivis intueri poterit in Epiſtola LXXX. Jani Nicii Erithræi, Tomo I. Epiſtolarum, ubi geſta in poſſeſſione capta per Innocentium X. die XXIII. Novembris anni MDCXLIV. elegantер minutimque deſcribit, & in laudati Caroli Valeſii Opuſculo legitur a pagina 68. ad 76.

XVII. Qua tranſit pompa (tranſit autem per Burgum *novum* appellatum, pontem S. Angeli, viam Parionis, Forum Paſquilli, Maximorum, ac Cæſarinorum Palatia, Domum Profeſſorum Societatis Jeſu, Capitolium, Arcus Septimii, & Titi, latus Coloſſæi, Titulumque S. Clementis) Domus, Palatia, Templa, rudera antiquitatis, arbores, incultique muri circumpoſitis ſtromatis, viridantibus foliis, auricalcho in bracteas redacto, aliiſque ornamentis, quorum aliqua Romanæ plebis, atque etiam Hebræorum expenſis aptantur, peramenum ingerunt ſpectaculum. Cum Pontifex ſuperavit elegantiſſime circumveſtiti Capitolii verticem, quem aliquando Romanus Magiſtratus illuſtriorem reddit, Arcu excitato veterum magnificentiam æmulante, ſubſiſtit ad gradus Palatii principis ob occurſum Senatoris, qui verbis, factiſque, claves enim porrigit Domino, Quirinæ gentis lætitiam, jugemque obedientiam profitetur, polliceturque. Quod ut recenti exemplo oſtendam, ubi Benedictum XIII. ad Lateranum ſolemnis poſſeſſionis capiendæ gratia procedentem, teſte in ejus Vita Alexandro Borgia Archiepiſcopo Firmano, Num. XXX. Marius Marchio Frangipani in Capitolio excepit, his verbis gratulatus eſt: *Vetuſtos Capitolii triumphos inſtauras, & refers, Beatiſſime Pater; hic olim Senatus, Populuſque Romanus læti excipiebant cives ſuos in patriam reduces, bellica virtute conſpicuos; hic modo Senatus, Populuſque Romanus Te præclariſſimo civium ſuorum ſanguine genitum venerabundi excipiunt, ad patriam veluti reducem, eximiis virtutibus, & dignitate omnium maxima ornatum. Tibi itaque, Sanctiſſime Pater, Civi, Principi, Paſtorique ſuo omnia venerationis, obſequii, fidelitatis argumenta pollicentur, & offerunt*. Decreverat Senatus, Populuſque Romanus triumphalem Arcum optimo Civi, Principi, ac Parenti, quem ſtatuere conſuevit Summis Pontificibus Romano ſanguine progenitis, erigere, ſed Benedictus XIII. mira humilitate, ac modeſtia hos honores inhibuit.

XVIII. Pone hortos Farneſios ſub Arcu impenſis extrui ſolito Ducis Parmæ ac Placentiæ hortorum poſſeſſoris non uno titulo Romæ obſtricti, eſt enim Romanæ Eccleſiæ Feudatarius, procedit Pontifex, procedenſque faciles præbet aures Ablegato ejuſdem Ducis in Urbe degenti perpaucis ſubjectionem Heri ſui rememoranti, adprecantique proſpera, diuturnamque dominationem. Laudato Benedicto XIII. Franciſcus Farneſius Parmæ, & Placentiæ Dux ad Palatinos hortos ſuos triumphalem Arcum erexit hoc titulo.

BENEDICTO XIII. PONT. MAX.
Heroum, Pontificum, Divorum,
Virtute, Sacerdotio, pietate,
Nepoti, Succeſſori, Hæredi,
Chriſtiani Orbis Principi,
Parentique Optimo
Franciſcus Farn. Parmæ & Plac. Dux &c.

Le-

Digitized by Google

Legebatur autem & in ipso Arcu hæc inscriptio, quæ & in figuris ejus Arcus legitur, & in Diariis Cracassianis, & apud memoratum Borgiam loco citato.

Ad supremam Petri Cathedram
Triumphantis, militantisque Ecclesiæ votis
Jam diu evocatum
Sacras cum Ecclesiarum omnium Matre,
Cælo, Terraque plaudentibus
Feliciter nuptias adeuntem
BENEDICTUM XIII.
Lætitia, ac veneratione prosequitur
Farcisius Farnesius Dux.

XIX. Ubi novus Pontifex inter lætas, ac fausta acclamantes populi voces ad Lateranum pervenit, occurrentem sibi reperit Clerum Lateranensem cum Archipresbytero, qui tamen illico retrocedunt, præstolanturque in propyleo Basilicæ descendentem ex equo, sellave Pontificem. Ut descendit, genuflectit, osculaturque Jesu Christi crucifixi imaginem ab Archipresbytero oblatam; dein surgit, paratoque Solio sedet, induitur sacris albis pretiosis vestibus, aureaque redimitur Mitra, & Cardinalem ipsum Archipresbyterum audit Urbi, atque Orbi gratulantem de assumtione sua, dum binas ei Claves porrigit, auream unam, alteram argenteam, in aureo scypho per Vicarium dicti Archipresbyteri, aut eo absente, per antiquiorem Canonicum delatas. Alloquutione finita, admissoque Cardinale oratore ad osculum pedis, manusque, atque amplexum, admissis etiam Canonicis, aliisque de Clero ad pedis osculum, mandatoque facto Thesaurario, ut singulis Canonicis numisma unum argenteum concedat, descendit e Solio, cum Cardinalibus, ac ceteris Patribus, qui interea ad scamna ibi disposita confederant, & sacra assumserant indumenta, aliisque qui steterant, Basilicam tanquam Sponsam Viro suo ornatam ingressurus. Ingressus ad ostium ab eodem Archipresbytero accipit aspersorium, quo se, & circumstantes aspergit, terque thurificatur. Ascendit postmodum gestatoriam Sellam, proceditque sub Baldachino, quod sustinent Ecclesiæ Canonici, præeunte Papali Cruce delata per juniorem Rotæ Romanæ Auditorem Subdiaconum Apostolicum Tunica sericea amictum, mediumque inter duos Signaturæ votantes Acolythos Pontificios candelabra gestantes, & concinentibus Hymnum, *Te Deum laudamus*, Palatinis Psaltibus. Ad adorandum primo devehitur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, inde ad veneranda Petri & Pauli Capita, demum ad orandum inter Aram maximam. Quæ ut agat, de Sella semper descendit, quam prorsus dimittit perrecturus ad Solium sub abside erectum.

XX. Solio assidens strepentes inter acclamationes, precationesque, seu *Laudes* a Priore Presbyterorum Cardinalium Planetam induto, cum Auditoribus Rotæ, & Advocatis Consistorianis, omnibus Pluviali circumvestitis, elata voce cantatas, singulis solisque Cardinalibus Presbyterium distribuit. Quod ita conficitur. Thesaurarius Generalis Cappa indutus manet a dextris Solii in ejusdem plano flexis genibus, tenetque ante se, sive manu sinistra sustinet reclusa marsupia duo, seu potius unum duplicis sectionis, quarum altera aurea continet, altera argentea numismata, singula papyraceo involucro obducta, quæ ipse ordinate proferat, porrigatque proximiori assistenti Diacono Cardinali, qui eadem tradit Pontifici Cardinalibus accessuris dispensaturo. Accedunt Cardinales, & prorsus more modoque, quo *ad obedientiam*, ut ajunt, accedere consueverunt, manum Pontificis aurifrisio Pluvialis tectam osculantur, vacuum Mitræ præsentant, in eam projicit Pontifex numisma unum aureum valoris quinque circiter ducatorum auri de Camera, & unum argenteum pondus quinque juliorum non excedens, manum illi osculantur, redeuntque ad sedilia Chori, stantesque expectant actionis finem. Ea autem expleta, secedit Thesaurarius, cujus curæ permittitur, ut horum numismatum participes fiant quotquot ex Ordinibus Curiæ, aliisque descripti sunt in Catalogis Cameræ Apostolicæ, veluti dignatione tali honorandi. Pontifex vero se confert ad Aram maximam, populoque illinc solemniter benedicto, deponit super mensam pretiosam crumenam cum oblatione centumquinquaginta scutorum monetæ argenteæ recens cusæ sibi per laudatum Ærarii Præfectum traditam, Regno coronatur, parilique paulo ante notatæ pompa defertur ad superiorem porticum ubi populo subjacentem aream opplenti, lætisque vocibus acclamanti Benedictionem impertit. Quo facto, pergit ad thalamum paramentorum, exutusque sacris vestibus, grates agit Cardinalibus, & minus solemni ritu, vel ad Vaticanum, vel ad Quirinale domicilium revertitur.

XXI. Porro nequid omittam de hac sacra actione possessionis Basilicæ Lateranensis, quam novi Pontifices inire ex antiquo ritu solent post Coronationem in Basilica Vaticana peractam, ornatur tunc quammaxime Lateranensis ipsa Basilica una cum variis inscriptionibus tam foris, quam intus in laudem novi Pontificis solemnem possessionem capientis. Ut alia exempla omittam, pro Benedicto XIII. præ foribus Basilicæ hæc legebantur inscripta, teste in ejus Vita laudato superius Alexandro Borgia Firmano Archiepiscopo.

Occurre Sponso, gratulare Principi,
Excipe Patrem, venerare Pontificem
BENEDICTUM XIII.
Primogenita Christi, Domina Gentium
Omnium Mater, & Caput Ecclesiarum
Lateranensis Ecclesia.
Reclude hos postes æneos, illosque resera,
Qui plausibus exultantium respirantibus
Inclytum roboent, quo decorantur.
Nomen Cælestini III.
Ut sacros Atavi hic quiescentes cineres
Virtutum omnium triumphans comitatu
Et fauste nunc feliciterque ingrediens
Exhilaret Pronepos.

Intus vero,

Ingredere Sanctam Hierusalem novam
O Doctor Optime, Maxime Principum,
Tot tantisque meritis ipsis a cunis.
Sanctissime Pontifex
BENEDICTE
Id omnium una vox & singulorum omnis
Plurimis & ex innumeris firmat argumentis.
Sed Populi fileant, mirentur Principes.
Et sacri tantum resonent concentus
Ne sublimis, & constans tua
Humanis, quas semper respuit, laudibus

Tri-

Digitized by Google

Tristetur Humilitas.
Hæc Te nam docuit Avitos fugere,
Sed ut celsissimo, licet invitum
Muneraret Principatu.

Ad Aram vero maximam hæc habebantur.

Ascende primum Majestatis Solium
Summos & plures quod adhuc Pontifices
Gemino tibi sanguine cognatos redolet Parentum,
Utrisque dignus, ac non impar Avis,
Quos inter satis Felix, & Gregorius.
Sanctorum, & Magni celebres insignibus
Apostolorum Petri, ac Pauli Capita,
Et Christum Pacis hic largitorem
Pari quo Proavus tuus
Nicolaus III.
Cultu supplex adora,
Ut Pacem Tibi, Sponsæque servet Tuæ.
Quam in Te uno, plurimosque in annos
Mire dum datus es proximiori
Et experimur, & deprecamur omnes.

De ipso Benedicto XIII. ubi se se mihi præbet occasio, libenter loquor, quod eum noverim Pontificem numeris omnibus absolutum, Ecclesiasticæ disciplinæ tenacem custodem, atque antiquorum sacrorum rituum servatorem.

XXII. Tandem, ut ad nostrum §. redeam, *dato*, inquit, *Presbyterio, Pontifex cum Cardinalibus ascendit ad Palatium Lateranense, & si non facit solemne convivium, deponit paramenta sua, intrat Cameram, quiescit, & prandet, seu cœnat. Cardinales ducuntur ad Cameras sibi ordinatas, quiescunt, & recreantur, & expectant Pontificem, si vult redire ad S. Petrum eodem die; sin autem revertantur Domum.* Est & hic antiquus ritus, ut Presbyterii nempe largitionem & alia largitio exciperet, videlicet solemne convivium, testemque habemus ejus ritus Romanum Ordinem XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite XLV. cui etiam concinit Colbertinum Pontificale, ubi ita inquit: *Dato Presbyterio, idem Dominus Papa a duobus Cardinalibus Diaconibus ducitur ad mensam solemniter paratam, & sedet ibi, Episcopo Cardinale sibi dante aquam, duobus Diaconibus tobaleam tenentibus; & eo loto, factaque benedictione mensæ, vadunt omnes sedere. Sedet autem Papa in una Sede eminenti solus, diversis, & magnis vasis aureis, & argenteis super mensam positis. In alia vero mensa, quæ est ad dextram, sedent Episcopi, & post eos Presbyteri Cardinales; in parte sinistra Diaconi Cardinales; & post mensas Cardinalium erunt mensæ omnium Prælatorum, & aliorum Nobilium. Et attende, quod Papa stabit, dum comedit, indutus, & calceatus, ut dictum est, cum Mitra. Cardinales vero omnes habebunt Superpellicea cum Camisciis, & Mantellis, & Mitris albis simplicibus, & ita comedent; & omnes Prælati similiter. Coram Papa servient laici majores natu, & Nobiliores qui præsentes erunt. Comestione sumta, Papa lavabit manus ut prius; & quilibet Cardinalis similiter sedendo lavabit se, serviente fundente aquam Cardinali lavanti. Cardinales autem, qui assistunt, teneant tobaleam, unus ex sua parte lavantis, alter ex altera, & sic sibi invicem mutuo serviant. Quibus omnibus lotis, & redditis gratiis, Papa reducitur a duobus Cardinalibus ad Cameram, ubi sacris exutus vestibus quiescit. Cardinales vero, & alii Prælati redeunt ad hospitia sua equites cum Mitris parati, sicut in comestione steterunt.* Hucusque Gajetanus in citato Romano Ordine XIV. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici.

XXIII. Morem esse antiquum, & quidem longe vetustiorem Gajetani ætate, ut Papa post Consecrationem peractam in Basilica Vaticana, uti suo loco diximus, pergens ad Lateranum, ibidem lauto parato convivio cibum sumeret, ac Presbyterio non modo sacros homines, sed & laicos quoque donaret, præter jam adducta superius, docet nos Anastasius in Vita Valentini Papæ electi anno DCCCXXVII. sic inquiens: *Ejus Consecrationis die sereno jam illucescente cum lumine jam dictum Antistitem ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam omnes pariter Romani a Palatio deducentes*, Lateranensi scilicet, *eum Majestate divina auxiliante, in alto Throno Summum consecravere Pontificem, qui mox almificæ Sedis culmina scandens Beati Petri Apostoli & cælestis Regni Clavigeri, Divinis Deo Laudibus, & Sacrificiis pie oblatis, amplo & magnifico Romanorum cœtu ad Palatium*, nempe Lateranense, *cum ingenti gaudio remeavit, atque lautissimis dapibus sumtis, multis, & diversis munerum donis sacram plebem, & Senatum, populumque Romanum optime ditavit.* Tunc ergo, ut in ejusdem Valentini Papæ Vita notat Pagius Num. III. post relatum hunc Anastasii locum, hi erant Consecrationis ritus, nempe, ipsa novi Pontificis Consecratio ad Sanctum Petrum, impositio ejusdem in Sedem S. Petri, oblatio Sacrificii per novum Pontificem, Convivium, munera in sacram plebem, & Senatum, ac populum erogata, quæ *Presbyteria* vulgari nomine appellabant. Addit & huic possent aliorum Pontificum exempla, quæ ritus hosce magis magisque confirment, sed sat erit hoc loco describere quod de Innocentio III. electo anno MCXCVIII. scribit apud eundem Pagium in illius Vita Auctor Anonymus, sic dicens: *Processit solemniter coronatus per Urbem a Basilica S. Petri usque ad Lateranense Palatium, comitantibus Præfecto, & Senatore, cum Magistratibus, & Nobilibus Urbis. Populus autem cum Psalmis, & floribus, cum Hymnis & Canticis obviam illi catervatim venerunt, factaque Laude tam infra Ecclesiam S. Petri, quam ante Lateranense Palatium, postquam ascendit in Domum majorem, quæ Leonina vocatur, Presbyterio per Ordinem distributo, solemne convivium celebravit.* Atque hæc iis simillima plane sunt, quæ de quibusdam Romanis Pontificibus in illorum Vitis Pagius refert, ubi eorundem inaugurationis, Coronationis, atque possessionis pompam enarrat.

XXIV. Sed, ut quod hactenus diximus, recentiorum temporum exemplis comprobemus, teste Auctore Commentariorum Pii Papæ II. Libro II. peractis solemnibus ejus Processionis, *regale convivium apparuit, non Cardinalibus tantum, sed omnibus Legatis Principum, & qui aderant, Proceribus Urbis, & Optimatibus.* De Innocentio Papa VIII. ita scribit Burchardus §. CCLVI. *Dato Presbyterio Papa sic paratus ascendit ad Palatium Lateranense ad Cameras sibi paratas, ubi quievit aliquantulum, & fecit prandium solus cum suis Domesticis.* Tum postquam dixit §. CCLVII. quod *Cardinales fuerunt ad Cameras in Canonica, & alibi pro eis paratas, & similiter fecerunt prandium*, ita demum subjicit se-

Digitized by Google

ſequenti §. CCLVIII. *Pro Romanis, & Officialibus Curiæ paratæ fuerunt multæ menſæ, & cibaria in abundantia in Palatio Lateranenſi in inferiore illius parte, ubi omnes cum magna confuſione pranſi ſunt; ego remanſi in prandio in Camera Reverendiſſimi Domini Cardinalis S. Marci*. De Leone X. ſcribit in ejus Diario ms. Paris de Graſſis hunc in modum: *Denique*, poſt datum ſcilicet Presbyterium, de quo ſupra dictum eſt, *aſcendit ad Palatium*, ſcilicet Lateranenſe, *ubi in Aula Paramenti depoſuit paramenta more ſolito; & prandio parato, pranſus eſt ſimpliciter abſque cæremoniis. Cardinales forte decem in alia menſa comederunt, cum tamen in copia exuberanti prandium pro omnibus factum fuiſſet*. Intermiſſam conſuetudinem inſtruendi hujuſmodi convivii reſtauratam fuiſſe a Paulo Papa IV. tradit inter alios in Notis ad Ciaconium eruditus Victorellus in Vita hujus Pontificis: *Die Coronationis, intermiſſa conſuetudine revocata, nobile convivium Paulus extrui juſſit*.

XXV. Cum iterum de Convivio Pontificis cum Cardinalibus, & Prælatis dicendum ſit mox in ſequenti Titulo, omiſſis hic aliis, quæ eam in rem dici plenius poſſent, notanda ſunt demum ea noſtri Cæremonialis verba, ex quorum præſcripto Cardinales poſtquam quieverint, recreatique fuerint, *expectant Pontificem, ſi vult redire ad S. Petrum; ſin autem revertuntur Domum*. Sane ne a memoratis Pontificibus recedamus, de Pio II. citato loco refertur, quod *eadem nocte in ſuas Ædes ad Vaticanum rediit*. Teſte Burchardo §. CCLIX. Innocentius Papa VIII. *eadem die circa horam vigeſimam indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, alba pretioſa, Capellum habens ex veluto cremeſino, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus, equeſter rediit ad Palatium Apoſtolicum apud Sanctum Petrum eo ordine quo fel. rec. Sixtus Papa Quartus in hujuſmodi habitu equitare ſolebat*. De Leone X. tandem ſcriptum reliquit in ms. Diario memoratus Graſſus, *quod facto prandio, quia hora tarda erat, Papa reverſus eſt ad Palatium per eandem viam, niſi quod a Domo de Maximis divertit ad Campum Floræ, ubi quaſi non inchoavit, & tunc per vias omnes luminaria accenſa ſunt, & perveniens ad pontem licentiavit Cardinales, & ipſe in Caſtro S. Angeli remanſit, & pernoctavit*, Porro de Paulo IV. jam dictum eſt, eum minime proceſſiſſe ad Lateranum, ſed peractam pompam ſtetiſſe apud S. Petrum, ubi coronatus fuit, ibidemque & pecuniæ jactus habendos per viam, & Presbyterii traditionem, & convivium ipſum completa fuiſſe.

DE CONVIVIO SOLEMNI PONTIFICIS CUM CADINALIBUS, ET PRÆLATIS.

TITULUS III.

§. I.

Sed quoniam Majores noſtri conſueverunt in die Coronationis, & Feria Quinta in Cœna Domini ſolemne convivium celebrare iiſdem ferme cæremoniis, aliquid etiam de ſolemni Papali convivio hoc loco dicemus; maxime cum etiam noſtra ætate factum ſit a Pio Secundo, & Paulo item Secundo Summis Pontificibus.

COMMENTARIUS.

I. Fieri conſueviſſe a novo Pontifice ſolemne convivium, & quidem poſt ſuam ipſius Coronationem, non modo Cardinalibus, ſed & Oratoribus Principum, atque Optimalibus Urbis, docent nos inter alia jam ſuperius adducta, Pii II. & Pauli II. exempla, de quibus mentio fit in hoc Titulo. Certe peractis cæremoniis captæ poſſeſſionis Baſilicæ Lateranenſis ab ipſo Pio II. anno MCDLVIII. *regale convivium apparuit, non Cardinalibus tantum, ſed omnibus Legatis Principum, & qui aderant, Proceribus Urbis, & Optimatibus*. De ſplendidis, magnificiſque conviviis Pauli II. fuſe agit nuperus Auctor Vindiciarum, quas memorati Papæ Vitæ ex Codice Angelicæ Bibliothecæ deductæ præmiſit, Cap. IV. & VI. ubi etiam addit, ſolitum illum fuiſſe in anni decurſu aliquem ex Cardinalibus, ſeu Principum Oratoribus convivam habere, una adhibitis pleriſque non vulgaris auctoritatis Prælatis, ac Viris doctis, magnamque diei partem in iis conviviis peragendis conſumere, *tum pro diverſorum ordine ferculorum, tum etiam exacto convivio pro jocalibus, elegatiſſimiſque aliis rebus oſtentandis*, ut loquitur Canenſius, qui Vitam Pauli II. ſcripſit. Quo Auctore pariter comperimus, convivium cunctis Sacri Senatus Patribus, ac cæterorum Ordinum Prælatis ingenti rerum apparatu publice exhibuiſſe die Coronationis ſuæ in Palatio Lateranenſi. Adeo autem ea convictus voluptate Paulus capiebatur, ut, eodem Canenſio teſte, cum ei renunciatum fuiſſet, ipſos Senatorii Ordinis Patres una omnes conveniſſe in Palatio Riccardi Cardinalis Tituli S. Euſebii juxta Templum S. Petri ad convivium teſtamento ipſius legatum, tacitus ipſe, atque inſperatus adveniens, ipſe quoque feſtivus ac facetus diſcubuerit, collocata ſibi Sella in ultima menſæ parte, omnibuſque prohibitis ſuo loco amoveri.

I. Convivia quoque, ut idem Auctor Vindiciarum ejuſdem Pauli Vitæ ex eodem Canenſio narrat Cap. IV. ante Ædes quas Paulus juxta Baſilicam S. Marci conſtruxerat, publice Romanis Magiſtratibus, & univerſo populo, poſt diem Agonalium tanta dapum vinorumque omnis generis copia exhibuit, ut poſt Magiſtratuum, populique refectionem, ea reliquiarum vis ſuper-

Digitized by Google

perfuerit, unde pauperum turba lances ſcyphos ſcutellas plenas deportaret. Præerant his epulationibus Marcus Barbus Cardinalis, aliique Pontificii Prælati, quorum erat diſcumbentes circumluſtrare, ac certatim hortari, ut ſe ſe ex appoſitis dapibus abunde reficerent, quod eſſet Pontifici quamgratiſſimum. Ipſe autem Pontifex ad majorem erga Romanum Populum benevolentiam, atque animi hilaritatem oſtendendam, nummos argenteos paſſim, ut tradit idem Canenſius, in omnem plebem diffundebat. Hæc omnia ſat opportune a Paulo inſtituta fuiſſe, teſtatur Platina in laudati Pauli Vita, poſtquam ſcilicet bellicis rebus compoſitis ad otium converſus fuiſſet, & apertius præterea declarat, octo fuiſſe pallia, quæ curſu certantibus in carniſprivio proponebantur ſingulis diebus; curſum, & ſtadium fuiſſe ad Arcu Domitiani uſque ad Ædes S. Marci, unde Pontifex ipſe Paulus voluptatem percipiebat; additque, vel pueris cœno oblitis poſt curſum, carlenum ſingulis unum condonatum.

III. Adverſus hæc ipſa Pauli convivia aſperum monitorem ſe quidem præbuit Jacobus Cardinalis Papienſis in Epiſtola ſua ad ipſum Paulum, numiſmata, quæ ille fundamentis ædificiorum parietibuſque admiſcebat, titulos, quos iiſdem ædificiis incidi jubebat, ludos, & epulas una ſimul ſententia condemnans: *Similia*, inquit, *his moliris, multa illuc uno affectu tendentia, ut Pontificatus tuus poſt te non ſileatur. Ignoſce, Paule, veram laudem iſta non habent, Sacerdotalis non putantur officii. Vanitas eſt his intendiſſe. Sapiens nemo numiſmata, & titulos, & laſciva plebis delinimenta probavit. Peccatum etenim continent. Videntes ea, audienteſque poſteri, ſectatorem quendam inanis gloriæ te fuiſſe conjicient. Ita quod minime quæris, ignominiam pro laude invenies.* Enumerat poſtea Sacerdotalis officii munera, & tandem ſubdit: *His titulis, & numiſmatibus, & ludis, & epulis paratur ſolida, & perennis gloria, illa ſecularia, ut inania ſunt, ita evaneſcunt quamprimum, nec fructum acceptabilem habent.* Quis non miretur, adeo non libere dicam, ſed accuſatorie in Romanum Pontificem ſcribere potuiſſe? Scite autumat laudatus Auctor Vindiciarum Vitæ Pauli II. Papæ, Cap.VI. Litteras haſce, aliaſque hujuſmodi, ſcriptas quidem a Cardinali Papienſi, non vero miſſas ad Paulum fuiſſe, qui utique ſui officii putaſſet tantam non libertatem modo, ſed aſperitatem reprimere.

IV. Sane non deſunt Sanctorum veterum Epiſcoporum exempla, qui convivio Optimates excipiebant, idque, ut alios omittam, ex S. Ambroſii Mediolanenſium Præſulis Vita addiſcimus, ubi teſte Paulino, Cap.XV. Comes Arbogaſtes gloriabatur, quod ab eo ſæpius menſæ adhibitus fuiſſet: *Noſſe ſe virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari ſolitum.* Unde & tunc ei adgratulati ſunt amici, hinc in illum derivatas eſſe tot victorias, qui conjunctus eſſet peculiari neceſſitudine cum eo Epiſcopo, cui Cæli propitii eſſent, cujus ad juſſionem ſol ſtaturus eſſet: *Ideo vinci omnes, quia ab illo Viro diligeris, qui dicit ſoli, ſta, & ſtat.* Alia tamen fuit ratio, quam tenuit S. Martinus Turonum Epiſcopus, quippe qui, ut in ejus Vita narrat Severus Sulpitius Dialogo I. Cap.XVII. interpellatus aliquando a Vincentio Galliarum Præfecto, ut in Monaſterio prandium ei præberet, exemplo Ambroſii, qui Conſules, & Præfectos domi frequenter & convivio excipiebat, conſolari eundem noluit: *Memini, Vincentium Præfectum Virum egregium, & quo nullus ſit intra Gallius omni virtutum genere præſtantior, dum Turones præteriret, a Martino ſæpius poposciſſe, ut ei convivium in ſuo Monaſterio daret; in quo quidem exemplum B. Ambroſii Epiſcopi præferebat, qui eo tempore Conſules, & Præfectos ſubinde paſcere ferebatur; ſed virum altioris ingenii, nequa ex hoc vanitas, atque inflammatio obreperet, noluiſſe.* Si vero non acquieverit S. Martinus, cum ultro obvius prodiret Ambroſius optimatibus ſecum pranſuris, nihilomagis id ſtupendum inquit Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib.III. Cap.XXXVI. Num.VIII. quam quod Joannes nec manducans nec bibens, & Chriſtus menſæ cum publicanis accumbens, eodem tamen utrobique collimabant, ut omnibus omnia fierent, quo omnes Deo lucrarentur. Ambroſius civilem & humaniorem vivendi rationem, Monaſticam Martinus profitebatur; mores in ſpeciem diverſiſſimi ab una charitatis cæleſti radice effloreſcunt.

V. Teſte Palladio, ſolus conſuevit veſci Chryſoſtomus, variiſque adductus eſt rationibus, ne Optimates convivio exciperet. I. ut minore ſumptu id faceret. II. ne adminiſtratoribus rerum Eccleſiæ anſam daret, expenſas exaggerandi, & ex rebus Eccleſiæ ſuas augendi. III. ne ſiquos ex Proceribus invitaret ad prandium, alii offenderentur, & ſi omnes alliceret, ingens Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ fieret jactura: *Frugi erat nimium.* inquit, *deliciarumque omnium adverſarius, ſacrilegum exiſtimans, ſiquid in ejuſmodi impenderetur; ſimul ut diſpenſatoribus furti occaſiones amputaret, ne obſoniorum pretia in brevibus ſuis multiplicantes, quæ erant in uſus pauperum deputata, ſibi ipſis vindicarent. Præterea Civitatis ingenia cogitans, conſiderabat, oportere, ſe ut Chriſti diſpenſatorem, aut dignitates omnes ex æquo honorare, aut ſe ſubicere nèmini. Inſpiciens autem & menſæ tumultus, & impenſarum magnitudinem, exhorruit rem.* Optabile quibuſdam fuiſſet, Epiſcopos ut ſaltem, aut Clerum ſaltem ſuum menſæ adhiberet Chryſoſtomus, ſed reſpondet Palladius in ejuſdem S. Antiſtitis Vita Capite XIII. nec hæc quidem niſi magnis expenſis fieri poſſe, in quas nollet Sanctiſſimus Pater effundi pauperum alimenta, & ſolatia ægrorum: *Si quam celerrime illi multo cum apparatu exquiſitas epulas ſectarentur, iniquum, & indignum erat, infirmorum, & pauperum cibos, eorum qui ſani eſſent, libidini exponere.*

VI. Quicquid ſit de hiſce exemplis, conſueviſſe jam olim Romanos Pontifices Maximos doctrina ac pietate etiam conſpicuos publico ac ſolemni convivio præſertim celebritatem Coronationis ſuæ ac poſſeſſionis captæ Baſilicæ Lateranenſis decorare, jam abunde in Commentariis ſuperioribus oſtendimus, præſertim vero ex celeberrimo teſtimonio Auctoris Cæremonialis juſſu Gregorii Papæ X. editi, & Jacobi Gajetani qui in Romano Ordine XIV. Cap. XLV. ritum in hiſce conviviis ſervandum enarrat. Cui addi & poteſt quod in ſuo Ordine Romano XV. ſcribit Petrus Amelius Cap. LXX. & ſeqq. ubi agit de comeſtione ſeu convivio fieri jam olim ſolito

Digitized by Google

a Papa Feria v. in Cœna Domini, atque de Cæremoniis in eo servandis. Ceterum, ut rem altius repetamus, docet quidem eruditissimus Morettus in sua Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione III. §. XI. morem fuisse Amelii ætate antiquiorem, ut sanctioris hebdomadis dies, potissimum vero quintam in Cœna Domini per publicam Papalem magnificentiam pariter decorari; probatque primum auctoritate Benedicti Canonici Basilicæ S. Petri, qui in Ordine Romano XI. exarato, ut notavit Mabillonius, ante annum MCXLIII. Num. XLI. congestis pluribus super Cœna Domini, & lotione pedum XII. Subdiaconorum per Pontificem agenda, ac descriptis variis modulationibus Primicerii Cantorum, & Cardinalium, ita inquit: *Finitis Vesperis, cantant*: Dominus Jesus postquam cœnavit; *& Dominus Papa dat unicuique Episcopo quatuor solidos; unicuique Cardinali tres solidos. Quibus finitis*, in Basilica scilicet Sancti Laurentii prope Palatium, *vadunt ad Cœnam in Basilicam Theodori, quæ est Panetaria, ubi fit continua lectio a Subdiacono. Perfecta Cœna, redit in Cameram, ubi se expoliat.*

VII. Uberiore eloquio largitiones præfatæ diei significavit Cencius Camerarius in Ordine Romano XII. Capite XII. quod inscriptum est, *Quomodo datur Presbyterium in Cœna Domini*, ubi inter alia mentionem facit convivii, quod ipsa quinta die in Cœna Domini fieri a Pontifice consueverat: *Sicque Dominus Papa*, ait, *cum aliis omnibus supradictis vadit indutus ad Basilicam Zachariæ, quæ Panetaria diebus his nuncupatur, ibique induti cum Dalmatica, & Pluviali sedent ordinati cum Mitris, lavantes manus supra mensam, sicut moris est. Sed Dominus Papa solus est in mensa. Archiepiscopus vero si adfuerit, debet ex uno latere primus sedere; deinde Episcopi, & Presbyteri Cardinales; ex alio latere Diaconi Cardinales cum Primicerio; ex alio latere Acolythus repræsentat Librum, & minor Diaconorum legit versus duos ad mensam.* Meminit & hujus ritus Cæremoniale jussu Gregorii Papæ X. editum Num. XXII. sed audiendus est Jacobus Gajetanus, qui in Romano Ordine XIV. Cap. LXXXVI. inscripto, *De comestione in Cœna Domini*, sic ad rem inquit; *Dato Presbyterio, Dominus Papa sic paratus, ut diximus, a duobus Diaconibus Cardinalibus ducitur ad mensam solemniter paratam, & ibi sedet, Episcopo Cardinale sibi dante aquam, & duobus Diaconibus Cardinalibus, uno a dextris, alio a sinistris tobaleam tenentibus, ipsoque qui a dextris, atiam anulum tenente, dum lavatur.* Agit deinde Capitibus sequentibus de ordine sedendi in mensa, de inservientibus, ac de aliis ritibus in eo convivio servandis, qui totidem fere verbis leguntur apud laudatum Petrum Amelium a Capite LXIX. usque ad LXXIV. Fuisse porro convivium istud splendidum, opiparumque iidem Auctores nos docent, ubi agentes de secunda lotione manuum in Cœna Domini, hæc addunt: *Omnibus lotis dantur species, & vinum.* Species res aromaticæ erant, ut pluribus ostendit Dufresne in suo Glossario, ubi etiam addit, species dici, *quicquid diebus jejuniorum vespere apponitur, ut bellaria, fructus, cichoreum aceto, & oleo conditum &c.* Quicquid sit, convivium illud fuisse splendidum, prædicti Auctores Gajetanus & Amelius citato loco testantur his verbis: *Memorandum, quod omnes Capellani Domini Nostri Papæ commensales quasi non commensales debent eo die comedere cum Domino Camerario splendide.* Ita Amelius Capite LXXII. a quo non nihil variat Gajetani Ordo Romanus, Capite LXXXIX. ubi legitur, *commensales, & non commensales.*

VIII. Porro Feriam quoque VI. Parasceves consuevere Summi Pontifices alia largitione sed conditioni tamen diei consona honestare. Agens enim de ea die Cencius in Romano Ordine XII. Cap. XIII. in fine ait: *Notandum, quod Dominus Papa nulli de familia dat ad potandum, nec coctum ad comedendum: dat vero ei tantummodo panem, & aquam, & herbas de consuetudine*, nimirum, ut notat Morettus in Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione III. Num. XVII. *lactucas agrestes, quarum edendarum consuetudinem sua quoque ætate perseverantem differens de usibus ejusdem diei Novidius expressit Lib. III Fastorum Sacrorum eo versiculo.*

Nos & amara dies lactuca pascit agresti.

Quamquam veteres Christiani duobus integris diebus Parasceves, & Sabbati Sancti, vel nihil omnino gustarent, vel pane, herbis, & leguminibus contenti essent, ut docet eruditus Filesacus in Opella, *De Quadragesima Christiana*, Cap. XV. consueverunt nihilominus ipsa quinta Feria Cœnæ Domini non modo cibis delicatioribus vesci, verum etiam aliquando ea die prorsus jejunium solvere, forte in memoriam Cœnæ a Christo cum Apostolis celebratæ. Sed hic abusus, qui vel primis Christianæ Religionis seculis in Oriente invaluit, correctus jam primum fuit a Patribus Concilii Leodiceni, quod habitum fuit anno CCCXIV. Can. L. cujus verba juxta Editionem Dionysii Exigui hæc sunt: *Quod non oporteat in Quadragesima in ultimæ septimanæ quinta Feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.* Plura in hunc Canonem notavimus nos nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIX. Concilii Trullani, ubi etiam fuse explicuimus Canonem XXIX. Concilii III. Carthaginensis, quo edicitur, *ut Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.*

IX. Quod tandem ea consuetudo, ut Fideles nempe ipsa V. Feria in Cœna Domini antea ederent, & satiarentur, postea vero communicarent, magis magisque augeretur, memoratæ Trullanæ Synodi Patres citato Canone XXIX. post allatum Chartaginensem Canonem, & explicatam rationem ejus consuetudinis, ajentes, *tunc fortasse propter aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles*, Patres Carthaginenses ea dispensatione usos fuisse; statuunt mox, *Apostolicas & paternas traditiones sequentes non oportere in Quadragesimæ postrema septimana, Quinta feria ieiunium solvere, & totam Quadragesimam iniuria afficere.* Sane dum Africanum illum morem, cibi sumendi ante sacram Synaxim Feria V. ante Paschæ diem solemnem exponit S. Augustinus, quem nec plane probat, aut damnat, rationem peculiarem affert cur id Africani Christiani facerent, sic scribens in Epistola sua CXVIII. ad Januarium sub finem: *Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo*

Digitized by Google

certo die per annum, quo ipſam Cœnam Dominus dedit tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri, & accipi liceat Corpus, & Sanguinem Domini &c. Quicquid ſit, ob eam rationem Cœnæ ſcilicet a Chriſto cum Apoſtolis celebratæ, videtur mos ille invaluiſſe vel apud Monachos ipſos, uti conſtat ex eorum antiquis uſibus apud Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XIII. ut feria V. Cœnæ Domini, ſervato quidem jejunio, cibi tamen lautiores ab ipſis Monachis ſumerentur. Id quod alii quoque Scriptores nos docent.

§. II.

De præparatione Aulæ, ſedium, & menſarum.

Parabitur igitur Aula convivii aulæis, & pannis ſericeis, aureiſque pro temporis & loci conditione. In capite Aulæ erit Suggeſtum, (1) ad quod triplici gradu aſcendetur, longum pro latitudine aulæ. In medio ſurget quadratus thalamus palmi altitudine, ſuper quo menſa paratur Pontificis. Apud parietem erit Sedes Papalis, ad quam parvo, & deinde magno ſcabello aſcendetur, ornabiturque Sedes cum panno aureo pendente ſupra caput. Menſa erit alta ad juſtam proportionem a ſiniſtra ſuper ſuggeſtum. Parabitur alia menſa pro credentia Papæ cum vaſis aureis, & argenteis, vino, & aqua, & aliis conſuetis. Credentiam appellant menſam, ſupra quam vaſa argentea, ſive aurea, & inſtrumenta ad convivium opportuna præparantur. Et ſimiliter in divinis, ſupra qua ad ſacrificandum neceſſaria continentur. Dicitur & credentia actus ipſe præguſtationis cibariorum, & aliarum rerum. Hæc exponere voluimus, quoniam crebro in hoc Opere de credentia mentionem facturi ſumus. Antiqui Cæremoniarum Codices Dreſſatorium dixerunt. A dextra parte Aulæ infra Suggeſtum parabuntur menſæ pro Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus, & paulo inferius pro aliis Prælatis; ſed (2) pro Cardinalibus erunt aliquanto altiores, & ſedilia habebunt gradum unum, ſuper quem tenebunt pedem Cardinales. A ſiniſtra e regione menſæ Cardinalium parabitur menſa pro Diaconis Cardinalibus ejuſdem altitudinis, & cum gradu; & inferius aliæ menſæ pro Oratoribus, Nobilibus, & Officialibus. In fine Aulæ, vel in Aula præcedente, ſi erit commoda, parabitur magna credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam, & alia ſuper longam menſam cum vaſis, quibus in (3) convivio utentur.

COMMENTARIUS.

I. QUÆ in hoc §. ſtatuuntur de præparatione Aulæ, ſedium, atque menſarum in Papali convivio, explicata jam ante fuerunt in Cæremoniali Gregorii X. juſſu edito, Num. IX. in Romano Ordine XIV. Jacobi Gajetani, Cap. LXXXVI. & ſeqq. ac in Romano pariter XV. Ordine Petri Amelii, Cap. LXX. & ſeqq. Ergo juxta iſtorum præſcriptum *ſedet in una menſa eminente ſolus Papa cum diverſis & magnis vaſis aureis & argenteis: in alia menſa ſedent Epiſcopi, in alia Presbyteri poſt eos: in alia parte ad ſiniſtram Diaconi Cardinales; & poſtmodum menſæ omnium Prælatorum, & aliorum Nobilium.* Ita plane in citato Gregorii X. Cæremoniali, ſed audiamus Jacobum Gajetanum, qui in ipſo Romano Ordine XIV. rem ipſam luculentius deſcripſit, Capite LXXXVII. ita inquiens: *Sedet autem Papa in una menſa eminenti ſolus, diverſis & magnis vaſis aureis & argenteis ſuper menſam poſitis. In alia vero menſa, quæ eſt ad dextram Papæ in longum Aulæ, ſedent Epiſcopi Cardinales; inter quos etiam ſedent, ſi ſint Patriarchæ quatuor Eccleſiarum Patriarchalium principalium ſecundum ordinem prioritatis, & poſterioritatis Eccleſiarum ſuarum; ita tamen quod quilibet Patriarcha ſedeat inter duos Epiſcopos Cardinales, & poſt eos in alia menſa Presbyteri Cardinales. In parte autem ſiniſtra, quæ etiam eſt in longum Aulæ, ſedent Diaconi Cardinales omnes ſecundum ordinem prioritatis ſingulorum in ſtatu, in quo ſunt Cardinalatus; nam priores primo in menſa ſedent, & poſt menſas Cardinalium erunt menſæ omnium aliorum Prælatorum, & Nobilium, &c.*

II. Eadem pene ad verbum docet in ſuo Romano XV. Ordine, Cap. LXXI. Amelius, qui tamen poſtquam dixit, primum Patriarcham ſedere inter primum Epiſcopum Cardinalem, & ſecundum Epiſcopum, ita ſtatim ſubdit: *Niſi eſſet ibi Rex, quia ille ſederet inter duos Epiſcopos*, Cardinales ſcilicet, & *Patriarcha inter ſecundum Epiſcopum, tertius poſt tertium, & ſic deinceps, ita tamen quod ſemper inter duos Epiſcopos quilibet eorum ſedeat; & ita in Miſſa.* Conſuevisſe olim Patriarchas quatuor principalium Eccleſiarum, nempe Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, poni mixtim inter Epiſcopos Cardinales, notavit etiam in noſtro hoc Cæremoniali Auguſtinus Patricius infra §. VII. qui inſcriptus eſt. *De quatuor Patriarchis*, ubi etiam ait, ſublatum ſuo ævo fuiſſe eum morem, *propter declinationem, ſive potius extinctionem illarum*, nempe Eccleſiarum, *cum ſint quadammodo titulares*; ideoque poni eos dicit *immediate poſt Cardinales*. Ceterum ſi veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus jam non modo Patriarchæ, ſed & Epiſcopi præcedebant S. R. E. Cardinales, qui tamen ex quo cœperunt ſoli Romanum Pontificem eli-

(1) In editione 1. Veneta anni 1516. & Colonienſi legitur, *Suggeſtus ad quem &c.* (2) Ibid. &. (3) Ibid. *in communi.*

Digitized by Google

eligere, & quidem circa medium Seculum XI. tunc quoque cœperunt ipſorum Patriarcharum, & Primatum jura tranſcendere, ut alibi diximus ex celebri teſtimonio S. Petri Damiani, qui eodem Seculo claruit.

III. Quod tandem credentiæ apparatum ſpectat, de qua hic noſter §. loquitur, dicitur paſſim in antiquis editis, manuque exaratis Cæremonialibus Abacus, Tabula, ſeu Menſa, in qua vaſa ad convivia reponuntur, vel etiam menſula, quæ vaſa Altaris continet, de qua plura videri poſſunt in noſtro Cæremoniali Epiſcoporum Lib. I. Cap. XII. ubi de ea re, ſicut & de aliis multis locuti fuimus.

§. III.

De Imperatore, & Rege, ſi ſunt in Convivio.

Si huic convivio intereſſet Imperator, paratur pro eo Sedes ad dextram Pontificis, & menſa ſuper plano ſuggeſtus, ſuper quam ſolus comedet Imperator. Sedes habebit ſcabellum parvum viride, & erit ornata panno aureo, non tamen habebit pendentem ſuper caput. Similiter parabitur pro eo credentia juxta credentiam Papæ a ſiniſtris, & ibi erunt Familiares Imperatoris pro ſuo ſervitio. Si vero adeſſet Rex aliquis, paratur etiam credentia pro eo paulo remotior ab ea. Sedes vero nulla paratur, quia ſedet in menſa poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Imperator, ſive Rex habebunt tot ſervitores, quot eis opportunum videbitur. Cardinalibus vero (1) ſingulis ſufficiunt quaterni miniſtri, quorum unus vinum propinet, alter carnes concidat, alter de cultello fercula inferat, quartus præguſtet vinum, & aquam, & alia ſubminiſtret. Pontifici ſervire ſolent nobiliores qui ſunt in Curia laici, etiamſi ſint Fratres, aut Filii Regum, præſertim in illorum præſentia.

COMMENTARIUS.

I. COnſueviſſe una cum Papa & Cardinalibus, in diverſis tamen menſis convivari Imperatores, ac Reges, non modo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & Romanorum Pontificum Vitæ, ſed & Cæremoniales Libri luculenter nos docent, præſertim vero Romanus Ordo XV. auctore Amelio, Cap. LXXI. ubi poſtquam dixit, *coram Papa* ſervire *laicos majores natu, & Nobiliores, qui præſentes erunt, ſecundum officia illis diſtributa per Magiſtrum Hoſpitii*, ita mox ſubjicit: *Notandum tamen, quod in menſa primo primum ferculum ponit coram Papa aliquis de principalioribus & Nobilibus, etiamſi eſset Rex; quo poſito, ſi Rex foret, vadit ad ſedendum inter duos primos Epiſcopos Cardinales, niſi Romanorum Imperator*, adeſſet; *quia tunc iret ad menſam ſuam a latere dextro Papæ paratam cum thalamo gradu minori & baſſiori illo de Papa, & ſecundum ferculum portaret Rex; quo etiam poſito, vadit ad ſedendum in menſa a ſiniſtris inter primos duos Diaconos Cardinales; & ſic faciebat Dominus Carolus primus Rex Siciliæ, & omnes deſcendentes ab eo Reges*. Notandum quoque & illud, quod laudatus idem Amelius ſubjicit: *Quoniam tunc Imperator Conſtantinopolitanus erat in Curia, & ſedebat inter duos primos Epiſcopos Cardinales, qui primo & primum ferculum coram Papa poſuerat: ſecundum Rex Siciliæ qui tunc erat præſens: alii autem Nobiles majores, qui, ſi eſſent Filii Imperatoris, vel Regum, ſerviunt Papæ in menſa, videlicet unus de cupa, alius de cutellis ad incipiendum*, (legendum, *de cultello ad incidendum*, ut in Romano XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. LXXXVIII.) *alii adſtant comedenti, alii ſequuntur portantem ferculum*; ſive ut legitur in citato Ordine, *ſequuntur fercula, portantes & ipſi inciſoria Papæ &c.* Porro, ut Siciliæ, & Hungariæ Reges Coronis Regiis redimiti epulanti Pontifici Bonifacio VIII. inſervierint, ac primis ferculis ab ipſis appoſitis, inter Cardinales menſæ accubuerint, notat Raynaldus ad annum MCCXCV. Num. VI. in fine, & ex eo Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ* Lib. II. Cap. CXIV. Num. V. ubi etiam tradit, quod cum ipſe Rex Siciliæ Carolus ad Peruſiam veniſſet una cum filio Carolo Martello Rege Hungariæ, & in Conſiſtorium ingreſſus eſſet, inter Cardinales Epiſcopos ſedit, filius vero ejus Rex Hungariæ inter Cardinales Diaconos, probatque ex teſtimonio ejus ævi Poetæ Jacobi Cardinalis Stephanenſii ſic ſcribentis:

Pontificum patrem medium, mediumque ſecundum.
Inter Levitas primos.....

II. Extat in ms. Cæremoniali Davantriæ ritus ſervandus, ubi Rex cum Summo Pontifice convivatur. Sic etenim inter alia inquit, ubi Ordinem, & modum exponit, ſervatum in Regis Navarræ adventu Perpinianum ad pſeudopontificem Benedictum XIII. ſive Petrum de Luna: *Poſt ibunt ad menſam, & Dominus Noſter* Papa ſcilicet, *ſedebit in menſa ſua, prout conſuevit; & dictus Rex ſedebit in menſa ſua ſolus cum panno aureo ad ſpatulas, & coxino de panno auri, & alio non de panno auri ad pedes; & portabuntur dicto Regi omnia cibaria cooperta, ſed coram eo non fiet proba, & ponentur in menſa Papæ cibaria per Camerarium ſuum, & coram Rege per Theſaurarium Domini Noſtri*. Tum paulo inferius, ubi agit de collatione, & ſpeciebus dari poſt prandium ſolitis: *Item Domino Regi*

(1) Ita plane legitur in prima Editione Veneta anni 1516. & in Colonienſi anni 1557. In Romana vero anni 1560. *Cardinalibus vero quatuor quilibet ſufficiunt, quorum unus ſerviat de vino, alius de cultello, alius fercula inferat, alias ſtet ad credentiam, qui vinum & aquam & alia ſubminiſtret.*

Digitized by Google

gi servietur de speciebus cum dragerio cooperto, cui non fiet proba, & sedebit inter primum Dominum Cardinalem & secundum; qui Rex tenebit coxinum panni auri subtus se, & hoc de prima die. Additque mox: *Aliis autem diebus Rex si comedat coram Papa, & sint ibi Domini Cardinales, sedet inter primum & secundum Dominorum Cardinalium cum panno aureo ad spatulas Regis solius, & coxino de panno auri, & alio ad pedes non de panno aureo &c.* Porro dragerium, cujus meminit hoc Cærimoniale, teste erudito Dufresne, patera erat, vel pyxis, ubi drageæ servabantur; drageja autem erat pastillus saccaratus.

III. Quod ministros spectat convivis inservientes, varios recenset eruditus Julius Cæsar Bulengerus, Lib. IV. *De Conviviis*, Carptores Scissores, Structores, Architiclinos, Prægustatores, Pocillatores, aliosque complures. Carptorem scindendi obsonii magistrum vocat Seneca in Libro, *De vita beata*, Cap. XVII. ejusque officii meminit etiam in Epistola XLVII. ad Lucilium, ubi sui ævi conviviorum luxum describit: *Alius*, inquit, *pretiosas aves scindit, pectus, & clunes certis ductibus circumferens, eruditam manum in frustra excutit.* Tum vero paulo inferius: *Adjice Obsonatores, quibus Dominici Palatii notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet aspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit, quid jam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat.* Sed, ut alios omittam convivii ministros, moris antiqui fuit, ut Prægustatores essent, qui Principum cibos, ac potus explorarent, quique idcirco dicti sunt Exploratores, Prætentatores, aliisque id genus nominibus appellati. Primum Romæ Augustum, ac deinde Tiberium Prægustatores adhibuisse, asserit memoratus Bulengerus Libro IV. citati Opusculi, Cap. V. probatque ex hac veteri inscriptione: *Tiberius Claudus flamma clausus Tiberii Augusti Prægustator*; & ex alia, quæ est hujusmodi: *Genio Cælius Herodinus Prægustator D. Augusti.* Occurrit id officii apud Tacitum non uno in loco, ac præsertim Lib. XII. Annalium in fine, ubi dicitur *Halotus inferre epulas, & explorare gustu solitus*, veneno occidisse Claudium mandante Agrippina; idque etiam ex quorundam traditione asserit Suetonius in Claudio Cæsare, Cap. XLIV. ubi ita scribit: *Veneno quidem occisum convenit; ubi autem, & per quem datum, discrepat. Quidam tradunt, epulenti in arce cum Sacerdotibus, per Halotum spadonem Prægustatorem; alii domestico convivio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.*

IV. Sane quod ut plurimum Principum vita veneni insidiis obnoxia esset, mos pene omnium nationum fuit, ut in eorum mensis Prægustatores essent, qui non modo cibos, sed etiam potus explorarent. Apud Q. Curtium Libro X. Historiarum, *Philippus, & Cottas potum Regis prægustare soliti erant.* Teste Xenophonte Lib. I. Pædiæ Cyri Persarum Regis, *Pocillatores Regum postquam dederint phyalam Principi haurientes cyatho ex ea in manum dexteram effusa sorbent.* Pocillatores, seu Pincernæ, ministri a poculis sunt, ænochoi etiam dicti, qui vinum convivis aqua mistum præberent. At vero, licet ipsi Prægustatores instituti jam olim fuerint in Principum mensis, ut explorarent scilicet, an cibi, seu potus veneno infecti essent, constat tamen ex antiquis Scriptoribus, ac præsertim ex memoratis Tacito, ac Suetonio, Prægustatores ipsos insidiatos fuisse Principum vitis, eosdemque veneno occidisse. Innumera pene hac in re afferri possent exempla tum vetera tum recentiora, quibus docemur, Summos ipsos Pontifices, ac S. R. E. Cardinales propinato ipsis veneno a suis Pincernis, seu ministris a poculis, periisse. Certe de Leone X. tradunt Scriptores, eum obiisse ex *lento veneno ipsi a quodam ejus cubiculario, atque a poculis ministro propinato, cuius tamen inquisitionem, ut Jovius ait, Cardinalis Mediceus sopitam voluit, ne forte in nomen alicuius magni Principis inexpiabili cum invidia redundaret.* Ita Spondanus ad annum MDXXI. Num. X. ubi Leonis Papæ X. obitum narrat, qui Romæ contigit anno ipso MDXXI. quarto Nonas Decembris.

§. IV.

De habitu Pontificis, & Prælatorum.

Pontifex igitur cum paramentis Pontificalibus si celebravit illa die usque ad Dalmaticam inclusive, & cum Sandaliis indutus, supra Dalmaticam Manto rubro aperto a parte anteriori, & Mitram habens in capite supra Fanonem, medius inter Diaconos ducitur ad mensam. Cardinales, & Prælati omnes habent Superpelliceum super Rochettum, sive supra vestes sui Ordinis, si sint Religiosi, & Mitram albam in capite. Supra Superpelliceum Cardinales, & Prælati seculares habent Mantellum sine cauda, apertum a parte ante, & coloris violacei, sive obscuri: Religiosi vero coloris sui Ordinis, sed eodem modo aperto. Ceteri omnes in suo habitu quotidiano. Aderunt Familiares Pontificis, & alii servitores in copia. Aderunt etiam servientes armorum bene ornati cum suis baculis argenteis, qui præire debent ante fercula, & removere multitudinem a via.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in hoc §. statuuntur de habitu Pontificis, Cardinalium, ac Prælatorum in solemni convivio, jam fusius luculentiusque longe ante hoc nostrum Cæremoniale ab Augustino Patricio ordinatum præscripta fuerunt in Romano Ordine XV. Auctore Amelio, Cap. LXX. ubi inter alia ita inquit: *Papa dum comedit, sit paratus, ut dictum*

Digitized by Google

ctum est supra, usque ad Dalmaticam inclusive, habens Mantum rubeum ad scapulas, Fanonem, sive Orale in capite, & Mitram aurifrisiatam super Fanonem, & Anulum pretiosum non Pontificalem in digito, & Sandalia in pedibus, prout in Missa, demtis Chirothecis, Pallio, & Casula. Recenset deinde Cardinalium, ac Prælatorum tum Regularium, tum Secularium vestes, sic dicens: *Cardinales vero omnes tam seculares, quam Religiosi, habebunt Cottas sine superpelliciis cum subtis, seu Rochettis tantum, & Mitras simplices de garnello in capite, & Mantellos de brunetto ad scapulas; sed seculares habebunt Mantellos de brunetto rosaceo: Religiosi vero habebunt Mantellos coloris suæ Religionis, & ita parati comedunt, & omnes alii Prælati simpliciter sic induti, facta tamen inter eos discretione de secularibus, & Religiosis quoad Mantellos in colore, sicut dictum est de Cardinalibus.* Sed nec omittendum, quod idem Amelius ad nostram rem subjicit: *Sed nota*, ait, *modum Mantellorum omnium tam secularium, quam Religiosorum. Retro inter duas scapulas conjunguntur duæ partes chlamydis, & bene sumitur per spatium palmi, & stat dissutum; & illud, quod est sutum, quod conjungit duas partes chlamydis, stat super collum, & chlamys pendet ante pectus ab utraque parte usque ad terram, & etiam retro usque ad terram dumtaxat & sine cauda, sed in forma circulari, & sphærica, nec partes conjunguntur chlamydis ante pectus.* Hactenus laudatus Amelius in citato Ordine XV. cujus testimonio addiscimus, ritum in hoc nostro §. præscriptum jam olim fuisse usitatum, & quidem etiam ante ipsum Amelium, cujus testimonium totidem fere verbis legitur in Romano Ordine XIV. auctore Jacobo Gajetano, Capite LXXXVII. cujus verba supervacaneum est hoc describere.

III. Sed & ante hos Scriptores mentionem profecto facit de habitu Pontificis, Cardinalium, Prælatorumque in mensa convivii, Cæremoniale antiquum Gregori Papæ X. jussu editum Numero IX. ubi postquam dixit, Papam duci *a duobus Cardinalibus Diaconis ad mensam solemniter paratam, & ibi sedere &c.* deinde ita subdit: *Et attende, quod Papa stabit, dum comedit, indutus, & calceatus, ut dictum est, & cum Mitra: Cardinales vero omnes habebunt Superpelliceum cum Camisiis, & Mantello, & Mitra alba simplici in capite, & comedent omnes Prælati similiter cum Mitra.* Eadem leguntur in aliis multis sequioris ævi Cæremonialibus. Hinc non mirum videri quibusdam debuit, quod receptis nuper Romæ a Societate Confalonis hospitibus quibusdam Regnicolis, qui ad Urbem Jubilæi gratia venerunt, Presbyteri, qui eis præerant, Rochetto, & Mozetta, ac Bireto induti, prout venerant, mensæ assidissent, & ita cibum sumsissent.

§. V.

De Magistris Sacri Hospitii, & Domus Pontificiæ.

Magister Sacri Hospitii, & Magister Domus provideant in tempore de modo & ordine ferculorum; de servitoribus, qui prius, & qui posterius, & quod quælibet mensa habeat Præfectos suos; quæ vina (1) prius & quæ deinceps, & per quos ferenda, & sic de aliis rebus opportunis.

COMMENTARIUS.

I. Inter alios conviviorum ministros relatos ab erudito Bulengero Lib. IV. *De conviviis*, recensetur, Cap. IV. *Structor*, idest, *mensæ Magister, cui cura est totius ministerii.* Habuerunt jam olim Romani Pontifices hujusmodi Officialem, qui dicebatur, *Dominus Hospitii*, uti videre in Ordine Romano XI. Auctore Benedicto Canonico Basilicæ S. Petri, Num. VII. sive Magister Hospitii, uti nos docet Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite LXXXVIII. *Coram Papa*, inquit, *serviunt laici majores natu, & nobiliores, qui præsentes erunt, secundum officia illis distributa per Magistrum Hospitii.* Dicitur nunc Magister Sacri Hospitii, cujus adhuc aliqua est, licet levissima, cura in publicis Papalibus epulis, ut ex hoc nostro §. liquet. Idem etiam reputatur veluti nobilis laicus in primariis sacris functionibus exceptor introductorque Ordinum Pontificii Sacelli, necnon custos interior augusti confessus, & nonnihil ageret, si qui Romam convenientes Principes supremi introduci publice deberent in Palatium. Notat hæc eruditus Morettus in Nota ad Lucubrationem, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione VI. pag. 65. ubi etiam ait, proprium esse hujus Magistri ministerium Familiæ Comitum, quam nobilioribus Romanis passim vetusti Scriptores accensent. Post Columnesios Ursinos, Sabellios, primi sunt in Ordine VIII. ritum Coronationis Imperatoris Occidentis Romæ habendæ per manus Papæ describente apud Martene Lib. II. *De Benedictionibus Imperatoris*, pag. 181. Jacobus quoque Cardinalis Stephanesius inter clariores laicos, qui Bonifacii VIII. Coronationi interfuerunt, Romanos etiam nobiles Comites recensет, sic in suo Poemate scribens:

Interea titulis redimiti, sanguine, & armis,
Illustresque Viri Romana ex stirpe trahentes
Nomen in emeritos tantæ virtutis honores
Intulerat se se medios, festumque colebant.
Ex ipsis devota domus præstantis ab ursa
Ecclesiæ; vultumque ferens demissius altum
Festa Columna jocis; necnon Sabellia mitis,
Stephanides Senior; Comites: Aniballica proles.

II. Ex præscripto hujus §. cautum est, ut non modo *Magister Sacri Hospitii*, sed & *Magister Domus provideant in tempore de modo & ordine ferculorum, de servitoribus, qui prius, & qui po-*

(1) Ita in editione Romana anni 1560. in Veneta 1. & in Colonienſi: *Quæ vero prius &c.*

Digitized by Google

posterius, & quod quælibet mensa habeat Præfectos suos &c. Magister domus, idem est, ac Major Domus, seu Præfectus Palatii Apostolici, cujus antiqua munia, & conditionem describit eruditus Dufresne in suo Glossario verbo, *Vicedominus*, & verbo, *Major Domus*, ubi ita inquit: *Quidam præterea observarunt, Majores Domus a Summo Pontifice ex ordine Cleri, interdum etiam Episcopali electos, Viros scilicet prudentia, & rerum gerendarum peritia insignes, quibus Episcopii, vel Patriarchii Lateranensis cura, & administratio committebatur, in gubernanda Domo, domesticis, & hospitibus excipiendis, eorumque causis rite, & ordine cognoscendis, quos Vicedominos appellabant, quod fuit Senescallorum officium &c.* Ergo Vicedominus olim in Ecclesia Romana idem erat, ac hodie Major Domus, ut etiam advertit Morettus, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione I. pag. 202. in Nota, postquam scilicet locum Romani Ordinis ex collectione Hittorpiana recensuit, qui est hujusmodi: *Descendunt Primates Ecclesiæ ad accubita invitante Notario Vicedomini, & bibunt ter de græco, primo; de pactysi secundo; de procavia tertio; postquam biberint omnes Presbyteri, & Acolythi per singulos titulos, redeunt ad faciendos Vesperos &c.* Extant hæc verba in antiquo Romano I. Ordine apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, Num. XII. cum aliqua tamen varietate descripta in hunc modum: *Descendunt Primates Ecclesiæ ad accubita, invitante Notario Vicedomno, & bibunt ter, de græco semel, de pactis semel, de procoma semel. Postquam biberint omnes Presbyteri, & omnes Diaconi, seu Subdiaconi, vel omnes Acolythi per singulos titulos, redeunt ad faciendos Vesperos, & bibent de dato Presbyteri.* Ex quibus addiscimus, antiquum fuisse Vicedomini, seu Majoris domus Pontificiæ munus, quæ vina elargiri deberent.

III. Apud accubita expletam fuisse prænotatam largitionem, memorati Ordines Romani nos docent. Erant autem illa accumbentium sedilia dispositа per Aulam magnificentissimi ædificii, quod *Triclinium* vocabant frequentius, aliquando vero *Accubitum*; neque unum erat Romæ præsertim ad Vaticanum, & Lateranum, ut docet Morettus citato loco, Num. XVI. Amplissimum certe extructum a Gregorio IV. ad princeps Patriarchium Lateranense: *Fecit*, inquit Liber Pontificalis, *in Patriarchio Lateranensi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum absida de musivo &c.* Sed magnificentius posteritas censuit, cui construendo amplificandoque vacarunt Leones duo Romani Pontifices Maximi, a quibus appellatum novimus Leonianum. Fuerunt autem Leo III. & Leo IV. ut ex eodem Pontificali Libro addiscimus, qui quidem in Leone III. hæc habet: *Fecit in Patriarchio Lateranensi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum absida de musivo .... in quo loco, & accubita collocavit, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem, & pavimentum ipsius marmoribus diversis stravit.* De Leone autem IV. ita scribit: *De priscis, vel antiquis Sacri Palatii usibus, atque ordinibus, qui ..... diversa consuetudine fuerant delata ..... omnia ordinare avide conatus est. Nam & accubitum, quod Domnus Leo bonæ memoriæ III. Papa a fundamentis construxerat, & omnia ornamenta, quæ ibi paraverat, quæ nimia vetustate, & oblivione antecessorum Pontificum deleta sunt, &c.* Plura de Triclinio ad usum convivii videri possunt apud Bulengerum Libro I. *De conviviis*, Cap. XXXIV. & alibi.

IV. Sed his omissis, quod Præfectum Palatii Apostolici, seu Majorem Domus Pontificiæ, ejusque munia, ac dignitatem spectat, differit inter alios Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Discursu VIII. Quantum vero ad Magistrum Sacri Hospitii attinet, pervetustum est hoc officium in Ecclesia Romana, & variis nominibus jam olim vocatum, variaque ipsius munia recensentur passim in hoc nostro Cæremoniali a Patricio ordinato, & in aliis etiam antiquioribus. Porro quod ipsum Magistri Sacri Hospitii munus summæ dignitatis, atque auctoritatis sit, hinc Summi Pontifices pluribus jam ab hinc seculis eidem præfecerunt nobilissimam, ac pervetustam Romanam Comitum Gentem, unde Pontifices plures extiterunt, nostroque hoc ævo, ut alios omittam, non sine elogio memorandus Innocentius XIII. qui ob res in brevi Pontificatu duorum annorum, mensium novem, & dierum undetriginta, egregie gestas, sni posteris desiderium reliquit. Ergo eximium Magistri Sacri Hospitii munus, quod jam olim præstantissimæ Romanæ Comitum Genti donarunt Romani Pontifices Maximi, & inter alios Julius II. anno MDXII. Clemens VII. anno MDXXVII. Gregorius XV. anno MDCXX. & Innocentius XI. peculiaribus Apostolicis Diplomatibus, quæ in Archivo memoratæ Comitum Domus asservantur, BENEDICTUS XIV. a primordio sui gloriosissimi Pontificatus novo muniit robore, Apostolicis de ea editis Litteris, in quibus, & ipsam illustrem Comitum Gentem de Ecclesia optime meritam commendat, & prædictorum Diplomatum, quæ & rata habet, mentionem facit.

§. VI.

De prima lotione manuum Pontificis, & ordine sedendi in mensa.

Pontifex, remota prius mensa sua, ad partem sedeat in Sede sua cum Mitra, & Mantum post collum (1) aptetur, ut nihil ante pectus dependeat. Cardinales, Principes, & Prælati, & alii convivæ stent ante mensas paratas. Nobilior laicus etiam Imperator, aut Rex aquam ad lavandas Pontificis munus primo ferat hoc ordine. Magister Sacri Hospitii cum Clerico Cæremoniarum, quem adesse oportet in ordinandis his rebus omnibus cum servientibus. Et si Imperator, aut Rex aquam ferre debet, cum aliquibus etiam Principibus (2) sociatus, Imperatorem, aut Regem ad credentiam ducit. Si est Nobilis inferior, solus erit, & in credentia aquam prius a Ministris probatam

(1) Ita in editione Romana; in Veneta autem I. legitur, *apertum*. (2) In ipsa Veneta, *sociatis*.

Digitized by Google

batam accipit in pelvibus, fertque consuetis cæremoniis ad Pontificem, præeunte uno ex Auditoribus cum mantili ad tergendum manus. Prior Episcoporum Cardinalium, & duo Diaconi assistentes, depositis in manibus servitorum mantellis, sic in Rocheto serviunt Papæ dum lavat, Episcopus aquam cum portante infundendo, & Diaconi mantile, quod ab Auditore acceperant, hinc inde tenendo. Dum Papa lavat manus, non Prælati, sed laici omnes genuflectunt. Cardinales, & Prælati stant capite detecto. Cum Papa laverit, reaptetur mensa ante eum, & tres Cardinales, qui illi servierant, capiunt suos mantellos, & Mitras, & vadunt ad loca sua, & Imperator apud sedem suam primo stans lavetur suis cæremoniis, deinde Domini Cardinales laventur stantes ante mensas cum Mitris in capite; post eos laventur Prælati stantes sine Mitris, & seculares siqui sunt, detectis capitibus. Stabunt ante mensas lavantes eo ordine quo sedere debent in mensa, Prior Episcoporum in capite ad dextram; si aderit Rex aliquis, erit in secundo loco; si plures Reges, mixti erunt cum primis Cardinalibus, primo Cardinalis, deinde Rex successive. Si erunt (1) Maximi Principes, aut Filii, vel Fratres Regum, si non serviunt Papæ, debent sedere inter Diaconos Cardinales, vel post eos, pro eorum dignitate, & conditione; primogenitus autem Regis, quia Rex futurus putatur, post primum Presbyterum Cardinalem erit, sed nullo modo inter Episcopos. Et hoc tam in conviviis, quam aliis publicis actibus, quamvis nostro tempore, aliquorum sive ambitione, sive ignorantia aliquando sit servatum contrarium.

COMMENTARIUS.

I. QUibus indutus vestibus Papa olim sederet in mensa convivii, ex antiquis Romanis Ordinibus dictum superius fuit. Quod primam lotionem manuum spectat, de qua primum in hoc §. agitur, juxta Romanum Ordinem XIV. auctore Gajetano, Capite LXXXVI. cui concinit Amelius in Ordine Romano XV. Cap. LXX. Papa paratus, ubi a duobus Diaconibus Cardinalibus ductus est ad mensam solemniter paratam, *ibi sedet, Episcopo Cardinale sibi dante aquam, & duobus Diaconibus Cardinalibus, uno a dextris, alio a sinistris toboleam tenentibus, ipsoque, qui a dextris est, etiam anulum Papæ tenente, dum lavatur*. Monent præterea memorati Ordines, *quod prædicti tres Cardinales in prima, & secunda manuum lotione, & mensæ benedictione, debent esse sine mantellis, & Mitra, dum Papæ ministrant, sed in gratiarum actione resumunt mantellos suos, & Mitras loco suo; & facta per Papam prima manuum lotione, & mensæ benedictione, de qua infra serioſius dicetur, in secunda lotione vadunt omnes ad sedendum; & tunc omnes Cardinales, cum sederint, manus suas supra mensam in platellis suis lavant, & sibi mutuo serviunt*. Ita laudati Romani Ordines XIV. & XV. ex quibus desumtum videtur, quod in hoc præsenti §. de manuum lotione ante comestionem præscriptum est, tametsi aliæ additæ sint cæremoniæ, quæ ipsam Summi Pontificis manuum lotionem spectant. Ceterum moris fuisse antiqui, ut convivæ antequam accumberent lavarent, pluribus docet eruditus Bulengerus Libro I. *De conviviis*, Capite XLI.

II. Teste Paride Grasso in suo ms. Diario, ubi acta Julii II. Papæ enarrat anno II. de solemni convivio Papæ agens, nobilior ex omnibus laicus *etiam Imperator, aut Rex* aquam ad lavandas manus Papæ deferre debet hoc ordine: *Duo Scutiferi cum torciis quatuor, Mazzorii quatuor, Magister domus, Magister Cæremoniarum, duo alii Scutiferi cum torciis, unus Cæremoniarius, aut Nobilis cum mantili ad tergendas manus, & postea Nobilis, aut Princeps portans fontes, idest boccalia duo Papalia, adjuvante Magistro Cæremoniarum, sive Aulæ, idest, Scalco, aut alio. Prior Cardinalium, & duo Diaconi assistentes, depositis in manibus servitorum suorum mantellis, sic in Rocchetto serviunt Papæ, dum lavat manus. Prior Cardinalium aquam cum portitore infundendo, & Diaconi mantile tenendo*. Addit mox, quod etiam in nostro hoc præsenti §. edicitur: *Dum autem Papa lavat manus, non Prælati, sed laici omnes genuflectunt. Cardinales & Prælati stant capite nudo*. Tum vero demum subjicit: *Cum autem Papa laverit manus, recomponatur mensa ante eum, & tres Cardinales, qui illi servierunt, capiunt sua mantella, & vadunt ad loca sua, & lavant etiam ipsi, sed stantes ante suas mensas, & dum Cardinales lavant manus, unus eis servit de mantile illud explicando, & tenendo, dum alius lavat*. Vide infra §. XII. ex quo ea verba desumsit Grassus, ubi ait, quod *dum Cardinales lavant manus, unus eis servit de mantile &c.* Ceterum quod alteram lotionem spectat, de qua nos infra in Commentario ad ipsum §. XII. ita idem Grassus scribit: *Finita cœna fit secunda lavatio manuum, & tunc secundus Nobilis laicus etiamsi Rex sit, portet aquam manibus Papæ cum prioribus cæremoniis*. Sed neque omittendum, quod de ipsa manuum lotione docet ms. Cæremoniale Davantriæ, ubi agit de Rege convivante cum Papa: *Excepta*, ait, *prima die, serviet idem Rex de speciebus Domino Papæ, & de aqua ad lavandum manus &c.*

§. VII.

De quatuor Patriarchis, & aliis.

Consueverunt antiqui ponere Patriarchas quatuor Ecclesiarum principalium inter Episcopos

(1) Ita quoque in Romana editione, in aliis autem prædictis legitur: *si erunt mixtim principes &c.*

Digitized by Google

ſcopos Cardinales mixtim; noſtro tempore, credo propter declinationem, ſive potius extinctionem illarum, cum ſint quodammodo titulares, ponuntur immediate poſt Cardinales. Deinde Aſſiſtentes Papæ, tum Oratores Prælati, inde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acolythi. Ad ſiniſtram vero erunt (1) Diaconi Cardinales, & cum eis Principes, quos prius diximus, ſi aderunt; poſt eos autem, ſi præſentes erunt, alii Principes inferiores, illi tamen qui ſolent præcedere Oratores Regum. Deinde erunt Oratores laici, & non Prælati, & cum eis Senator, & tres Conſervatores Urbis. De aliis autem laicis, quia (2) ſunt extraordinarii, nihil ponimus, nam admitti ſolent ad voluntatem Pontificis, & non ordinarie. Advertat autem Magiſter Domus, ut prius ſimul cum Clerico Cæremoniarum ponat in ſcriptis nomina, & ordinem invitatorum ad convivium, & maxime laicorum; & ſi quæ ſunt contentiones de præſidentia, componantur prius; quod ſi ibi orirentur, & nolint componi, ambo contendentes honeſte jubeantur exire; ſi tamen eſſet colorata contentionis cauſa, & non temeraria, quia tunc ſolus temerarius ejiciendus eſſet. Quod autem de Imperatore dicimus, intelligimus de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum, nam ille, ut Rex tractatur. Poterunt lavari poſt primos plures eodem ordine.

COMMENTARIUS.

I. QUatuor Patriarchæ, ſunt Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, de quibus diximus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem V. Concilii IV. Œcumenici Lateranenſis. Inſignia fuerunt eorum olim privilegia, unde non mirum, ſi *conſueverunt antiqui*, ut ait hic noſter §. *ponere Patriarchas quatuor Eccleſiarum principalium inter Epiſcopos Cardinales mixtim*. Ait in hoc eodem §. Patricius hujus Cæremonialis ordinator, poni debere ipſos Patriarchas *immediate poſt Cardinales*, ob eam nempe rationem, quod *propter declinationem, ſive extinctionem illarum*, Patriarchalium ſcilicet Eccleſiarum memoratarum, *ſint quodammodo Titulares*. Sed inepta hæc ratio eſt, tanta enim eſt S. R. E. Cardinalium dignitas, ut quemadmodum docet S. Petrus Damiani, qui claruit Seculo XI. Patriarcharum, & Primatum jura tranſcendant. Quamobrem etiamſi laudati quatuor Patriarchæ Eccleſias ſuas regerent, inferiores Cardinalibus forent ob inſignes prærogativas, quibus a Romanis Pontificibus Maximis donati fuerunt. Sed nec puto, recte loquutum Patricium, cum in hoc eodem §. ſubdit, quod de honore dicitur exhibendo Imperatori cum Pontifice convivanti, intelligi *de Imperatore Romanorum, non autem Græcorum, nam ille, ut Rex, tractaretur*. Quis enim perſuadere ſibi id poſſet, Græcos Imperatores omnium ſuperbiſſimos ei cæremoniæ ſubjici; præſertim cum ſciamus Imperatorem, qui ad Generalem Florentinam venit magnis ſumtibus Sedis Apoſtolicæ, multum honorificentiæ non modo a Cardinalibus, ſed ab ipſo Pontifice Maximo Eugenio IV. exegiſſe. Nota hæc ſunt ex Hiſtoria ipſius Concilii; unumque addiderim, quod de Regibus hoc loco præſcribitur, non ita facile obtineri poſſe ab eiſdem, tametſi & Apoſtolicæ Sedi, & Romano ipſi Pontifici obſequium omne exhibere non dedignentur. Sed hujuſmodi convivia, cæremoniaſve præſcriptas, uſu aliquando comprobata fuiſſe, nuſquam legi; multo minus cæremoniæ ipſæ hodie haberent locum.

§. VIII.

De benedictione menſæ.

Poſtquam omnes laverint, Pontifex benedicit menſam ſtans ſine Mitra, & tunc Diaconi aſſiſtunt. Finita benedictione, ſedet, imponitur Mitra, & Diaconi vadunt ad loca ſua, & ſedentibus omnibus ordine quo ſteterant, portantur fercula.

COMMENTARIUS.

I. BEnedictio menſæ, ſeu ciborum, eſt ritus plane antiquiſſimus, ejuſque frequens apud hiſtoricos mentio. Extat antiquiſſimi Ariſtææ de LXX. Interpretibus Commentarius Tomo VII. Bibliothecæ Patrum, in eoque ſic inter alia legimus: *Ut a menſis incepiamus, recte juſſit Moſes, tunc Deum laudari, cum menſæ accumbimus*. Idipſum Judæos, & primos ex Judæis Chriſtianos, *cum ſumma gravitate ſtantes, antequam diſcumberent decenter ſublatis ad Cœlum oculis, & manibus*, factitaſſe, refert Philo Judæus oculatus eorum, quæ de his ſcripſit, teſtis. Porro utilitatem, quæ ex benedictione orationeque ante cibi ſumtionem facta proficiſcitur, exponit S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia, *De Fide Annæ*, docens, eam tum ad dæmones abigendos, tum etiam ad nos ipſos in ſobrietate continendos valde prodeſſe. Tertiam hu-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. & Colonienſi, deſunt ea verba, *erunt Diaconi Cardinales*.
(2) Ita quoque in Romana editione, in aliis vero citatis legitur, *qui*.

Digitized by Google

hujus sancti instituti rationem adjecit S. Basilius Magnus in Epistola I. Gregorio Theologo scribens, ut scilicet non solum pro his caducis escis laudetur Deus, sed etiam pro iis, quæ in posterum nobis in Cælis repositæ sunt, spiritualibus escis, sanctisque deliciis. Observat hæc eruditissimus Antonius Caracciolus Clericus Regularis Parte II. Constitutionum sui Ordinis, Cap. III. Num. VIII. ex iisque addiscimus, benedictionem mensæ, seu ciborum, jam olim fuisse in usu non modo apud Monachos, & Clericos, ut patet ex Regula S. Benedicti Cap. XLIII. ubi plura notavit Martene, sed etiam apud omnes Christianos, exemplo Christi Domini, qui, ut sæpe in Evangeliis legimus, cibum benedicere solitus fuit, quem vel ipse sumsit, vel aliis distribuit: *Acceptis panibus*, inquit S. Marcus Cap. VI. *intuens in Cælum benedixit*. Lucæ quoque Cap. IX. *Respexit in Cælum, & benedixit, ac fregit, & distribuit discipulis &c.* Post resurrectionem denique, ut testatur Lucas Cap. XXIV. *accepit panem, & benedixit, & porrigebat illis*. Atque his adde quod scribit Apostolus in Epistola I. ad Timotheum Cap. IV. ubi ait, *nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*.

II. Hinc itaque mos inolevit benedicendi mensam, seu cibos, priusquam sumantur, verbis sacris, & salutari signo Crucis, ad quod alludit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XIII. ubi ait: *In quibus Crux fiat, & in panibus comedendis, & in poculis bibendis*. Formula benedictionis mensæ, quæ in fine Breviarii Romani legitur, & profecto antiqua, eamque explicat Durandus Lib. IV. *De Divinis Officiis*, Cap. LIX. ubi ita inquit: *Benedictio mensæ dupliciter inchoatur. Primo quia major incipiens dicit*, Benedicite, *& ceteri respondent*, Dominus; *quia sicut debemus Domino per gratiarum actiones benedicere, ad quod major dicendo* Benedicite, *hortatur; sic & indigemus benedici a Domino suæ gratiæ infusione, quam illi optantes postulant respondendo*, Dominus, *supple*, nos benedicat suæ gratiæ infusione. *Secundo modo, majore incipiente*, Benedicite, *ceteri similiter respondent*, benedicite, *ad ostendendum, quod ad Dei benedictionem debemus mutuo nos hortari. Potest etiam dici, quod in priori modo reverentia Dei consideratur; cum enim respondetur*, Dominus, *supplendum est*, benedicat, *quia nos digni non sumus benedicere. In secundo vero reverentia Superioris; cum enim respondetur*, Benedicite, *supplendum est*, Vos Pater; *quia minor, majore præsente, benedicere non debet; deinde majore versum inchoante, ceteri coadjuvant, ad notandum, quod inferiores coadjutores sunt Præpositorum in oneribus supportandis*. Ita Durandus citato loco, ubi etiam morem reprehendit, qui suo ævo in nonnullis Ecclesiis invaluerat, in quibus *pueri benedicebant mensas Prælatorum, pro eo quod Lectoris officium est benedicere panem*. Convenientius id fieri ait per Prælatos, *exemplo Christi, qui in Emmaus mensam coram duobus discipulis benedixit*, Lucæ Cap. XXIV.

III. Quamvis vero benedictio mensæ non sit adnexa sacro Ordini, possitque & peragi a laicis, atque ab ipsis feminis, uti docet Quartus, *De Benedictionibus*, Titulo III. Sectione VII. in Doctrina morali, Dubitatione I. decet quammaxime, ut, ubi præsens est Sacerdos, is benedicat mensam, non vero alius eo inferior; meritoque S. Hieronymus in Epistola LXXXV. Diaconos Romanæ Ecclesiæ carpit, qui supra Presbyteros se efferentes, etiam coram illis mensas benedicebant: *In Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi. Licet paulatim increbescentibus vitiis, inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, & in domesticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare*. Certe Gillebertus Lunicensis Episcopus de Usu Ecclesiastico, ait, Sacerdotem præsente Episcopo benedicere posse prandium, sed ejus tamen jussu, ut apud Regulares dari solet ea benedictio ab hebdomadario, *qui tamen benedictionem non incipit, nisi a Superiore jussus, ob reverentiam Superiori debitam*, ut inquit laudatus Quartus loco citato. Ceterum antiquus est mos, ut in Regum ac magnorum Principum mensis, Cappellani eorum majores eam benedictionem præbeant, teste Theodulpho, qui officium Archicappellani Regii describens, ita inquit:

Stat benedicturus Regis potumque cibumque.

IV. Ex aliorum Magnatum conviviis, ubi Magnates vere christiani sunt, benedicit mensam domesticus eorum Cappellanus, qui etiam cum eisdem in mensa, ut fas est, sedet; damnandusque est quorumdam Magnatum abusus, qui Christi Sacerdotem instar famuli habent, eumque mensæ cum aliis aulicis servire cogunt. Acriter illos reprehendit eruditus Saussayus in sua Panoplia Sacerdotali, ubi de hac benedictione agit, exemplumque adducit S. Martini Episcopi, qui invitatus ad mensam a Maximo Imperatore socium sibi adhibuit Presbyterum, eundemque Imperatori prætulit. Cum enim is jussisset Martino prius poculum offerri, quasi ab eo recepturus, non sine ingenti stupore vidit sibi prælatum Presbyterum Martini comitem, cui Martinus poculum prælibatum in manum prius dedit. Sed his omissis, de memorata benedictione mensæ seu convivii, quod dari olim solitum fuit a Papa, præsertim Feria V. sanctioris hebdomadæ, agunt Romani Ordines XIV. Capite LXI. & XV. Capite XXXVII. *In Cœna Domini*, inquiunt, *ad benedicendam mensam dicitur absolute sine* Gloria Patri, *Versiculus*, Christus pro nobis factus est obediens usque ad mortem, *& non amplius; & deinde dicitur*, Pater noster, *secrete; quo completo sine pronunciatione aliqua Dominus Papa signat tam mensam suam, quam alias. Hodie non dicitur*, Jube Domne benedicere, *nec*, Tu autem; *sed mensis signatis, ut dictum est, vadunt ad sedendum, prout est superius ordinatum*. Porro quod in hoc §. edicitur, faciendam esse mensæ benedictionem a Papa stante *sine Mitra*, in citato ms. Diario Julii II. compositio a Paride Grasso Papalium Cæremoniarum Magistro legitur, stante *capite nudo*.

§. IX.

De ordine & modo portandi fercula.

Primum ferculum portabit nobilior Princeps, sive Imperator, sive Rex sit. Secundum

dum alius dignior poſt eum, & ſic ſucceſſive; & ſi erunt ex illis, qui debeant ſedere in menſa, portato ferculo, ſedeant in loco ſuo. Et notandum, quod Imperator, Rex, ſeu maximus Princeps capit ferculum, quod portare debet ad Pontificem, extra portam Aulæ convivii ab aliquo familiari Pontificis illuc apportatum. Alii inferiores pro ferculo ad coquinam vadunt. Magiſter Sacri Hoſpitii, & Magiſter Domus baculos in manibus tenentes, & in habitu ſibi condecenti deducunt portantes fercula; quæ quidem fercula ad Pontificem; & Imperatorem tantum cooperta portari debent; aliis autem etiam Regibus detecta, & ſimiliter vinum; poſſunt (1) tamen portari cooperta fercula & maxime Principibus uſque ad Aulam convivii, & deinde antequam appareant in conſpectu Papæ, detegi.

COMMENTARIUS.

I. VAria præſcribit hic noſter §. & quidem non addubito, quin in convivio Papæ, ſi Imperator, vel Rex adeſſet, primum ferculum ad ipſum deferret. Si enim hi ſummi Principes ex pervetuſto ritu, de quo alias dictum eſt, vel poſtremis hiſce ſeculis non dedignati ſunt genuflectere Pontifici Maximo, pedem ejus oſculari, ac ſtapham equi tenere, multo minus, illud eidem exhibere obſequium recuſabunt, portandi ſcilicet primum ferculum. Porro difficultas in eo conſiſtit quod de Regibus in menſa Pontificis una cum Imperatore convivantibus in hoc §. edicitur; ut nimirum id inter illos diſcrimen ſervetur, ut ad Pontificem quidem, & ad Imperatorem tantum cooperta fercula portari debeant, *aliis autem etiam Regibus detecta &c.* Vix enim Reges, qui Imperatore inferiores ſe minime recognoſcunt, tunc ferrent ſibi in ea cæremonia præferri Imperatorem, cui quidem noſtris hiſce præſertim temporibus in nulla re cedunt. Notæ ſunt diuturnæ, ac repetitæ contentiones cauſa præcedentiæ inter maximorum Principum Oratores; notumque omnibus eſt, quam diminuta ſit hodie majeſtas Imperatoris, cui alias olim omnia fere Regna ſubdita erant. Sed vicit tamen, debetque omnes vincere Majeſtas Imperatoria, uti ex variis exemplis probari poſſet.

§. X.

De proba cui & quomodo facienda.

Item in præſentia Pontificis nulli omnino ſit publice præguſtatio, niſi ipſi Pontifici, & Imperatori tantum. Pro Rege autem, aut maximo Principe poterit fieri a ſuis, ſi voluerint, in credentia, vel ubi capiunt fercula. Pro Pontifice, & Imperatore fiet ibi, unde capiuntur a dantibus, & in menſa a portante, & de omnibus rebus.

COMMENTARIUS.

I. PRoba, probatio, probamentum, idem ſunt, ac præguſtatio, de qua ſupra, & aliis in locis nos fuſe jam diſſeruimus. Meminit inter alios ejus vocis Joannes Carrerius Anticardinalis, quem quidam de Thurena appellant in Epiſtola ad Joannem Armaniaci Comitem data anno MCCCCXXIX. apud Martene Tomo II. Anecdotorum, col. 1732. ubi agens de electione novi Pontificis poſt Benedicti XIII. ſeu Petri de Luna obitum peractæ, ſic ad rem inquit: *Poſt completas locutiones, dictus Dominus Rodericus*, erat is unus ex pſeudocardinalibus creatis ab ipſo Benedicto, *in comeſſationibus mutuis faciebat fieri probam, ſive credentiam dicto Domino Ægidio, licet ſibi non conſueviſſet fieri proba, ſive credentia, nec eſſet ſtatus, ſeu dignitatis, quod ei fieri deberet; unde aſſiſtentes præſumſerunt ſicut ex poſt apparuit, fore verum, quod dictus Dominus Rodericus promiſerat Domino Ægidio ipſum facere Papam.* Is Ægidius dictus Sancii Munionis Canonicus Barcinonenſis, ſuffectus in locum pſeudopapæ Benedicti XIII. appellari ſe fecit Clementem VIII. uti videre eſt apud Pagium in Vita Martini Papæ V. Num. LI. Quicquid autem de iis ſit, ex recitato Joannis Carrerii teſtimonio illud addiſcimus, prægustationem illam, quam in comeſſationibus mutuis prædictus pſeudocardinalis Rodericus de Luna volebat fieri ipſi Ægidio, fuiſſe profecto indicium ejus cæremoniæ, quæ ex antiquo ritu in menſa Summi Pontificis, ac magnorum Principum ſolita eſt exhiberi.

II. Certum vero & illud eſt, quod & nos alias abunde oſtendimus, introductos primitus fuiſſe Prægustatores in Principum menſis, ob veneni periculum, cui ipſi obnoxii ſunt; ad ipſumque periculum alludit Juvenalis Satyra VI. ubi ita pupillos ditiores admonet:

Vos ego pupilli moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ,
Livida materno fervent adipata veneno
Mordeat ante aliquis quicquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

III. Porro ut notat Scholiaſtes in ipſos Juvenalis verſus, ipſa mater, ut gratificetur ſecundo marito, veneno non raro tollit filios ex priore marito, ut ad illum rem integram deferat. Pappas vero pro eo hic accipitur, qui puerum alit, vel qui illius tutor eſt, uti ex Lexicis addiſcere licet.

§. XI.

(1) Ita quidem in Romana editione; in Veneta, & Colonienſi legitur: *poſſunt tamen portari, & debent maximis Principibus &c.*

Digitized by Google

§. XI.

De lectione Scripturæ in mensa.

Cum primum convivium incipietur, in loco convenienti ponatur pulpitum, & Subdiaconus, sive Capellanus Papæ aliquid de Sacra Scriptura legat usque in finem convivii. Interim cum silentio, & sine strepitu omnia administrentur quamdiligentissime.

COMMENTARIUS.

I. MOris antiqui legendi in mensa sacros Codices, testes sunt Patres, ac Synodi passim, qui eam lectionem inculcant. De S. Augustino ita scribit in ejus Vita Possidius Capite XXI. *In ipsa mensa magis lectionem, vel disputationem, quam epulationem, potationemque diligebat; & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat.*

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Et ideo omnem convivam a superfluis, & noxiis fabulis, & detractionibus se se abstinere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coepiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego, & alii, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus. Noxiarum, otiosarumque confabulationum vitandi gratia in mensa, institutum a Sanctis Viris fuisse, ut sacra semper adhiberetur lectio, locuples testis est Cassianus Lib. IV. *De institutis Renunciantium*, Cap. XVII. ubi ita inquit: *Illud autem, ut reficientibus Fratribus, sacræ lectiones in Cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum, noverimus; quos nulli dubium est, non tam spiritualis exercitii causa, quam compescendæ superfluæ, otiosæque confabulationis gratia, & maxime contentionum, quæ plerumque solent in conviviis generari, hoc statuere voluisse, videntes, eas aliter apud se cohibere non posse.*

II. Ex recitatis hactenus Cassiani verbis manifeste apparet, Monachos Cappadoces aliis præbuisse exemplum, ut sacra lectio adhiberetur in mensa, eumque ritum didicisse ipsos a Magno Basilio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo. Unde quemadmodum Basilio hæc laus debetur, quod primus in Oriente eam laudabilem invenit consuetudinem, ita parem promeruit laudem S. Augustinus, qui in Africanis Ecclesiis eandem consuetudinem vel instituit, vel firmavit, & inter alios S. Hilarius Arelatensis de quo ita scribit in ejus Vita Honoratus Massilienſis, Capite XII. *Cibum sine lectione non sumsit. Ab eodem in Civitatibus*, nempe Galliæ, *ita est invecta* (vel, ut legit Lirinensis Codex, *inventa*) *primitus consuetudo.* Quod Hispanias spectat, statuit quidem Toletana Synodus III. habita anno DLXXXIX. Can. VII. lectionem sacræ Scripturæ debere in omni Sacerdotali convivio haberi, vitandi causa ociosas fabulas: *Pro reverentia Dei Sacerdotum, id universa Sancta constituit Synodus, ut quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Inter alias hujus instituti causas jam hucusque allatas affertur & hæc alia ab Eutychiano, qui creatus Romanus Pontifex fuit anno CCLXXV. legiturque in Pœnitentiali Romano Titulo V. Capite II. *Recitetur sacra lectio*, inquit, *ut non tantum corporali cibo, imo verbi cælestis alimento convivantes se refectos gratulentur.* Cui concinit S. Augustinus, qui in sua Regula mandat adhiberi eam in mensa Sacrorum Codicum lectionem, *ne solæ nobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei.* Augustinum imitatus est S. Cæsareus Arelatensis Episcopus, cujus prandia, cænasque spiritualibus semper lectionis sacræ epulis abundasse, ut utriusque hominis epulo lætitia conduplicaretur, tradit illius Vitæ Scriptor, sic inter alia inquiens: *Ad prandium vero, & ad cænam mensæ suæ sine cessatione quotidie legebatur, ut uterque interior exteriorque homo satiatus, refectione duplici lætaretur.*

III. Porro ut alia exempla Sanctorum Pontificum omittam, & varias eorum Constitutiones de sacra lectione habenda in mensa, constitutum & illud est in nostro hoc præsenti §. ut dum aliquid de Sacra Scriptura legitur in solemni illo Papæ convivio, *interim cum silentio, & sine strepitu omnia administrentur quamdiligentissime*; impediretur enim auditio ejus lectionis, ideoque merito in Religiosorum mensis juxta eorum Constitutiones a Martene allatas in Opere, *De antiquis Monachorum ritibus*, & ab aliis Auctoribus, qui de Regulari disciplina scripserunt, servari silentium rigide præceptum est, pœna etiam contra contumaces constituta. Certe præscripsit in Regula sua S. Pachomius, *quod siquis vel loquutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit donec surgant alii de vescendo.* Similia legere est in aliis priscis Monachorum Regula.

§. XII.

De cæremoniis servandis cum Papa bibit.

Cum Pontifex bibit, consueverunt omnes adstantes præter Episcopos, & superioris dignitatis

Digitized by Google

tatis Viros genuflectere ; quod ſervari noſtris temporibus vidimus, quamvis in nullo Cæremoniarum Libro id legerimus.

COMMENTARIUS.

I. IDipſum, quod in hoc §. refertur, confirmat in ms. Diario Julii II. anno II. Paris de Graſſis Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, ubi de ſolemni convivio Papæ agit: *Similiter*, inquit, *vinum cum Papa bibit, conſueverunt omnes adſtantes præter Epiſcopos, & ſuperioris dignitatis viros genuflectere*. Mirum plane videri poteſt, quod Epiſcopi excipiantur, cum conſtet, quo tempore ordinatum eſt hoc noſtrum Cæremoniale ab Auguſtino Patricio Apoſtolico Cæremoniario, Epiſcopos vile erga Cardinales miniſterium exercuiſſe, teſte eodem Patricio infra Lib. III. Cap. XIII. quod inſcriptum eſt, *De reverentia Epiſcoporum erga Cardinales*; de quo abuſu jam diximus nos Tomo IV. Conciliorum in Commentario ad Seſſionem IX. Concilii V. Lateranenſis, dicemuſque iterum opportunius in explicatione prædicti Capitis XIII. Libri III. Cæremonialis. Quid quod non ſine turpi abuſu, ac ſuperbo faſtu alicubi Barones id ab aulicis ſuis obſequii exigunt, ut ubi ad eos ad menſam aſſidentes vinum deferunt, medii incedentes inter duo funalia accenſa geſtantes, genuflectant deinde omnes, caputque inclinent, dum ipſi bibunt? Dici nequit, quanta ſit Baronum quorundam ſuperbia, qui etiam æmulantes prærogativas Summi Romani Pontificis oſculari ſibi pedes a ſubditis non verentur. Sed de hujuſmodi Baronum inſania ſupervacaneum eſt amplius loqui.

§. XIII.

De ſecunda lotione, & gratiarum actione.

Epulis abunde ſubminiſtratis, fit ſecunda lotio manuum, & tunc ſecundus nobilis laicus portat aquam conſuetis cæremoniis. Prior Epiſcoporum Cardinalium, & duo Diaconi, dimiſſis mantellis, & Mitris, ut ſupra, ſerviunt, deinde revertuntur ad loca ſua. Lavantur & alii ordine ſuo, quo ſupra, ſedentes tamen; & dum Cardinales lavant, unus ſervit alteri de mantili, illud explicando, & tenendo, dum alius lavat, & ſic ſucceſſive. Ponuntur deinde vinum & confectiones, ſive ſpecies, ut habent antiqui Codices; & demum, finito convivio, Lector dicit: *Tu autem Domine miſerere nobis*, niſi ſit in Cœna Domini, quia tunc non profertur: *Tu autem*. Surgit Pontifex ſine Mitra, aſſiſtunt ei Diaconi, & redduntur gratiæ, ut in Ordinario. Omnibus completis, reducitur ad cameram ſuam, & alii ad propria diverſuntur.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum hoc loco primum eſt, ritus in hoc §. præſcriptos, deſumtos pene ad verbum eſſe ex Romano Ordine XIV. Cap. LXXXIX. atque ex Ordine XV. Capite LXXII. *Comeſtione ſumta*, inquiunt, *Papa lavat manus, miniſtrantibus ſibi Epiſcopo, & duobus Diaconibus Cardinalibus, ut prius: qui tres Cardinales, reſumtis mantellis, & Mitris ſuis, redeunt ſedere cum aliis Cardinalibus in ſuis menſis. Tunc tam ſinguli ipſorum, & quilibet Cardinalis, & unuſquiſque ſimiliter ſedendo lavabit manus ſuas, ſerviente fundente aquam Cardinali lavanti. Cardinales autem, qui aſſiſtunt, teneant tobaleam, unus ex una parte lavantis, alius ex altera, & ſic ſibi invicem mutuo ſerviant*. Subdunt mox etiam & alios ritus in eodem hoc noſtro §. relatos: *Quibus omnibus lotis, dantur ſpecies, & vinum. In fine, remotis menſis, ſurgit Dominus Papa, & omnes, & ipſo ſtante ſuper ſcabellum ſuum, miniſtrantibus ſibi duobus Diaconibus, & Epiſcopo Cardinalibus, redduntur gratiæ, ut infra ſequitur. Illis autem redditis, Papa reducitur a duobus Diaconibus prædictis ad cameram, vel anticameram ſuam, ibique ſedet in Faldiſtorio cum Cardinalibus tantum Fratribus ſuis, ipſo, & eis paratis, ut fuerat in menſa; conſequenter ſacris exutus veſtibus, diſcalciatis ſandaliis requieſcit. Cardinales vero, & alii Prælati redeunt ad hoſpitia ſua parati cum Mitris, ſicut in comeſtione ſteterunt*. Hactenus memorati Romani Ordines XIV. & XV. quorum tamen alter nonnihil a primo variat, præſertim in poſtremis recitati loci verbis, quæ quidem in ipſo Ordine Romano XV. citato Capite LXXII. ita leguntur: *Cardinales vero, & alii Prælati redeunt ad eorum hoſpitia cum Mitris eques* (forte legendum, equites) *tamen equis non paratis, nec alias coopertis; ſicut in comeſtione ſteterunt, ita recedunt*.

II. Lotis manibus, *ponuntur deinde vinum & confectiones, ſive ſpecies, ut habent antiqui Codices*. Confectiones, ſive etiam confectæ, quæ etiam, ut ait hic noſter §. in antiquis Codicibus ſpecies appellantur, ſunt dulciaria, ſeu fructus ſaccharo conditi, qui hodieque apponi in fine convivii ſolent. Porro conſueverunt jam olim Romani Pontifices diebus jejunii vinum, & ſpecies largiri ad cœnam, uti docet nos Ordo Romanus Romanus XIII. ſive Cæremoniale juſſu Gregorii Papæ X. editum, Num. XIV. in fine, ubi de Vigilia Nativitatis Domini, & de Veſperis ea die cantatis agit; iis enim finitis, Cardinales, aliique procedebant *ad Aulam Papæ, ubi parata erant vina multa, & diverſa, & claretum, & ſpecies*. Claretum vinum erat optimis aromatibus conditum, quod ita explicat Bartholomæus An-

Digitized by Google

Anglicus, Libro XIX. *De proprietatibus rerum*, Cap. LVI. ſic inquiens; *Claretum ex vino, & ſpeciebus aromaticis confectum; nam ſpecies aromaticæ in ſubtiliſſimum pulverem conteruntur; & in ſacco lineo, vel mundo cum melle, vel zuccara reponuntur. Vino autem optimo ſpecies perfunduntur, & reperfunduntur, quemadmodum fit lexivia, & tandiu renovatur perfuſio, donec virtus ſpecierum vino incorporetur, & optime clarificetur, unde a vino contrahit fortitudinem & acumen; a ſpeciebus autem retinet aromaticitatem, & odorem, ſed a melle dulcedinem mutuatur, & ſaporem.* Jam non omnia clareta, de quibus frequentiſſime loquuntur Romani antiqui Ordines, fuiſſe fictitia, ſcite admonet eruditus Morettus, *De Presbyterio*, Parte I. Sectione V. in Nota ad Num. XII. viderique de iis poſſunt, quæ inter alios ſcribit Andreas Baccius Libro VI. hiſtoriæ vinorum pag. 310. & Libro VII. pag. 357. Coterum quod etiam extra convivium ſoliti eſſent Romani Pontifices ſpecies, & vinum die Natalis Domini Pœnitentiariis, aliiſque donare, docet nos laudatum Cæremoniale Gregorii X. Num. XV. in fine, ubi ſic ait; *Eodem die omnes Pœnitentiarii cum eorum famulis, & Eleemoſynarius Hebdomadarius, & Vicecancellarius cum tota Cancellaria veniunt videre Papam, & Papa dat omnibus ſpecies, & vinum &c.*

III. Demum juxta noſtri §. præſcriptum, *finito convivio Lector dicit*, Tu autem Domine miſerere nobis; *niſi ſit in Cœna Domini, quia tunc non profertur*, Tu autem. *Surgit Pontifex cum Mitra, aſſiſtunt ei Diaconi*, ſcilicet Cardinales, *& reddunt gratiæ*, Deo ſcilicet poſt abſolutum convivium, *ut in Ordinario*, ideſt Libro Rituali. Sane ritus actionis gratiarum ſervatus in prandio dari ſolito a Papa Feria V. in Cœna Domini ita enarratur in Romano Ordine XV. Auctore Amelio, Capite LXXIII. *In fine prandii in re gratiarum actione repetitur Verſiculus*, Chriſtus factus eſt obediens, *ut ſupra* (ſcilicet *uſque ad mortem*, & non amplius) *dicitur immediate*, Pater noſter; *quo finito, Papa dicit abſolute Orationem*, Reſpice quæſumus Domine &c. *nec pronunciat*, Qui tecum; *nec*, Fidelium animæ; *ſed ſolum ſine aliqua pronunciatione Dominus Papa ſignat ſe, & omnes alios devote, nihil dicendo.* Ante Amelium meminit hujus ritus Jacobus Gajetanus in ſuo Ordine Romano XIV. Cap. XC. *In fine prandii*, inquit, *repetitur Verſus*, Chriſtus factus eſt &c. *ut ſupra. Poſtea immediate dicitur hinc inde Pſalmus*, Miſerere mei Deus, *ſine* Gloria Patri. *Poſtea ſecreto dicitur*, Pater noſter. *Quo finito, dicit Papa abſolute Orationem*, Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam &c. *& non pronunciatur*, Qui tecum; *nec* Fidelium animæ; *ſed ſolum ſine aliqua permutatione Dominus Papa ſignat ſe, & omnes devote.* Conſentanea hæc ſunt memorato Romano Amelii Ordini XV. ſed luculentius tamen explicata.

IV. Gratiarum actio refectionem immediate conſequitur, & quidem ex pervetuſto ritu, cujus mentionem facit Moyſes in Deuteronomio Cap. VIII. his verbis: *Cum comederis, & biberis, & ſatiatus fueris, memor eſto Domini Dei tui.* Quem locum egregie explanans S. Joannes Chryſoſtomus Homilia X. in Geneſim, ita inquit: *Abſurdum fuerit, ſi cum famuli noſtri, ſi quando partem aliquam eorum, quæ appoſita nobis ſunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant, nos cum tot tantiſque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo perſolvamus; præſertim cum hinc multam ſimus aſſequuturi ſecuritatem. Ubi enim precatio, & gratiarum actio, eo Sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis adverſaria poteſtas diffugit, ac diſcedit.* Servavit hunc ritum Chriſtus ipſe, quippe qui poſt Cœnam illam poſtremam, & magnam ab eo cum Apoſtolis prius quam pateretur, ſacratiſſime celebratam ſurgens, ſtanſque una cum eis Hymnum cecinit, gratias agens, ut Matthæus refert Capite XXVI. Hinc inter alias Namnetenſis Synodus Can. LIV. poſtquam edixit, ut *quando Presbyteri ad convivium conveniunt, prior eorum aliquis verſum ante menſam inciplat, cibum autem, potumque per vices benedicant, tum ſecundum ordinem ſedeant, ex eorum Clericis aliquis de Scriptura Sancta aliquid legat*; ita deinde ſubjicit: *Poſt refectionem Hymnum, Domini exemplo, dicant, ſeque talibus in locis contineant, ut ne miniſterium vituperetur.*

V. Neque vero Monachis ſolum, Clericiſque, verum etiam Chriſtianis omnibus uſitatiſſimum olim fuiſſe priſcis Chriſtianæ Religionis ſeculis, meritoque obſervatum, ut tam ante quam poſt cibum Hymni, preceſque adhiberentur, tradit Lib. I. Stromatum S. Clemens Alexandrinus, oſtendens Ethnicis quænam Chriſtianis Viris vivendi norma eſſet. Alii quoque priſci Scriptores, ac Patres, S. Baſilius, Euſebius, & ut alios omittam, Prudentius, tam crebro memorant hunc ritum, ut ſuperfluus ſim, plura ſi velim addere. Certe Prudentius inter alios Hymnos, duos compoſuit, quorum alterum ante cibum, alterum poſt cibum dixit, cujus primi verſus hi ſunt.

Paſtis viſceribus, ciboque ſumto,
Quem lex corporis imbecilla poſcit,
Laudem lingua deo Patri rependat.

Differit de eodem ritu non uno in loco S. Joannes Chryſoſtomus, præſertim vero in laudata Homilia X. in Geneſim, & ubi agit de Fide Annæ; inſtitutum enim probat laudandi Deum poſt ſumtum cibum, exemplo Annæ Samuelis Prophetæ matris: *Surrexit*, inquit, *Anna, poſtquam illi comederant, & biberant in Silo, & conſtitit in conſpectu Domini. Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis, poſt convivium accurrens ad ſupplicationem: fontes lacrymarum emiſit, mentemque præſetulit ſobriam, & vigilantem; ac poſt epulas adeo intente oravit, ut donum acciperet ſupra naturam, ſolveretque ſterilitatem, ac naturæ imbecillitatem corrigeret. Hoc igitur a femina lucri conſequuti ſumus, ut ſciamus & poſt convivium orare. Quiſquis enim ad hoc præparatus fuerit, numquam in ebrietatem, ac vinolentiam incidet, numquam edacitate diſtendetur; ſed quoniam expectationem deprecationis habet pro freno impoſitam animo, conveniente menſura attinget, ex omnibus, quæ fuerint appoſita, multaque benedictione tum animam, tum corpus implebit.* De antiquis Monachorum ritibus agendi gratias poſt refectionem videri poteſt eruditus Martene Lib. I. Cap. IX. Num. XXI. Ceterum quod quidam eum ritum olim negligerent, mox ita ipſos redarguit idem Chryſoſtomus

Digitized by Google

mus Homilia LXXXIII. in Matthæum, ubi sui, noſtrique ævi abuſum perſtringit, ſic inquiens: *Audiant omnes, qui quaſi porci, cum jam comederint, temulenti conſurgunt, quando gratias agere Deo deberent.*

VI. Omnibus tandem completis, ut in noſtro hoc §. notatur, *reducitur Pontifex ad Cameram ſuam, & alii ad propria revertuntur.* Juxta Romanum Ordinem XIV. Cap. LXXXIX. uti ſuperius dictum fuit, redditis gratiis, *Papa reducitur a duobus Cardinalibus Diaconibus prædictis ad Cameram, vel anticameram ſuam, ibique ſedet in Faldiſtorio cum Cardinalibus tantum Fratribus ſuis, ipſo & eis paratis ut fuerant in menſa; conſequenter ſacris exutus veſtibus, diſcalciatis Sandaliis, requieſcit.* Cardinales ait, & alios Prælatos redire ad hoſpitia ſua paratos cum Mitris, ſicut in comeſtione ſteterunt. Similia docet Amelius in ſuo Ordine Romano XV. Cap. LXXIII. ubi etiam ait, Papam actis gratiis, *repoſito Fanone, & Mitra ſuper caput ejus, cum Manto ad ſcapulas* reduci *a duobus Diaconibus Cardinalibus ad Cameram, vel anticameram, quæ vocatur Camera paramenti.*

§. XIV.

De habitu Pontificis, Cardinalium, & Prælatorum in convivio facto in die, quo Sacra ille publice non celebraverit.

Si autem ſolemne convivium hujuſmodi fiet in die, quo Pontifex Sacra publice non celebraverit, omnia, ut prædicta ſunt, ſervabuntur, niſi de ſacris veſtibus. Papa indutus Amictu, Alba longa, Cingulo, Stola pretioſa, & Manto rubro cum parvo caputio ſubtus, ſive, ſi calores erunt, ſine Manto cum caputio tantum, ducetur ad menſam. Cardinales, & Prælati erunt cum mantellis conſuetis ſine Superpelliceis, & ſine Mitris: alia omnia, ut ſupra.

§. XV.

De mulieribus in convivio Pontificis non admittendis.

Advertendum tamen, quod nunquam in convivio Pontificis admittuntur mulieres, etiamſi Imperatrix, Regina, vel Pontificis conſanguinea eſſet.

COMMENTARIUS.

I. NIhil dicendum occurrit in explicationem §. XIV. quod vero §. XV. ſpectat, notandum plane illud eſt, quod in ſuo Romano Ordine XV. Cap. LXXIV. docet Petrus Amelius, nempe non licere, quod aliqua mulier, quacumque dignitate præfulgeat, interveniat in comeſtione Summi Pontificis: *Item notandum*, inquit, *quod aliqua mulier numquam comedit in præſentia Romani Pontificis, etiam ſi eſſet Imperatrix, vel Regina. Ita extitit obſervatum tempore Domini Clementis V. & Domini Joannis XXII. Domini Benedicti XII. Clementis VI. nec fuit auditum, quod aliquo tempore fuerit factum.* Reprehendit mox idem Amelius morem contrarium quorundam Pontificum, qui vel ſuo ævo mulieres in conviviis admiſere: *Contrarium tamen tempore Domini Urbani V. Domini Gregorii XI. aut Urbani VI. contrarium autem ejus etiam fuit obſervatum tempore Bonifacii IX. & Joannis XXIII. Summorum Pontificum, & male.* Ita Amelius in ſuo Ordine XV. Romano, in cujus tamen codice non nemo recentiori manu ſcripſit: *Imo optime ſervare; nam & Chriſtus comedit cum mulieribus. Itaque recte fecerunt Innocentius, Alexander, & reliqui.* Loquitur plane hic auctor de Innocentio VIII. & Alexandro VI. verum id magnopere improbat in ipſo Alexandro ejus Diarii auctor, uti in citatum locum Romani Ordinis XV. Mabillonius notavit. Cæterum quod edicit hic noſter §. legitur etiam in aliis Cæremonialibus Libris.

QUÆ MUTANTUR SI CORONATIO PONTIFICIS FIAT EXTRA URBEM

TITULUS IV.

§. I.

Quæ ſupra diximus de Conſecratione, Benedictione, & Coronatione Romani Pontificis, omnia ſervabuntur etiamſi extra Urbem Romanam fient, præter infraſcripta. Cum Papa ad Eccleſiam venerit, ubi ea fieri debent, Canonici, & Capellani illius Eccleſiæ illi obviam exibunt proceſſionaliter, ſed non recipientur ad oſculum pedis, ut

Digitized by Google

Canonici S. Petri, Intrabit Pontifex in Ecclesiam, & in medio genuflexus orabit versus Altare majus, Deinde ibit ad Capellam, ubi paramenta capere debet convenienti spatio ab Altari majore distante, ut commode Processio possit inde explicari. Alia omnia usque ad actum Coronationis fient, ut dictum est; sed ipsa Coronatio fiet vel supra gradus, vel loco commodiori, & magis in conspectu populi; nam ibi parandum erit suggestum, ubi majus erit spatium ad capiendam multitudinem. Pontifex (1) coronatus poterit equitare cum solemni Processione, ut ad Lateranum consuevit, ad aliquam aliam Ecclesiam, & in via fient jactus pecuniarum, & Judæi obviabunt cum Lege, & respondebitur, & fiet, ut in via ad Lateranum. Et cum pervenerit ad dictum locum, descendet, & super Sedem in loco honesto sibi introitu Ecclesiæ præparatam sedebit, & tunc extrahetur sibi Regnum, & imponetur sibi Mitra, & adstantibus sibi hinc inde Diaconis, & deinde in ordine aliis Cardinalibus, a priore Presbyterorum Cardinalium cum Subdiaconis, & aliis Officialibus consuetis fient Laudes, *Exaudi Christe*, ut dictum est superius. Tum Pontifex ascendit ad Altare majus, præcedente Clero illius Ecclesiæ, & cantante, *Te Deum laudamus*. Procumbet super Faldistorio ante Altare majus ad Orationem sine Mitra; & finito, *Te Deum*, factaque oratione, ascendet ad Altare, & benedicet populo. Deinde assumta Mitra ascendet ad Sedem eminentem, & dat Prerbyterium Cardinalibus, & Prælatis; & finitis omnibus vadit ad locum, ubi ordinatum est convivium, vel ad Cameram suam, si privatim prandet; & omnia servantur, ut in Urbe, quæ servari possunt.

COMMENTARIUS.

I. CReati extra Urbem Summi Pontifices, jam multi a Scriptoribus recensentur, ac novissime ab erudito Sandino ad calcem Libri, de Romanorum Pontificum Vitis; fuerunt autem illi Callistus II. Urbanus III. Gregorius VIII, Clemens III. Honorius III, Innocentius IV. Alexander IV. Urbanus IV. Innocentius V, Nicolaus III. Martinus IV. Honorius IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Alexander V. Joannes XXIII. Martinus V, His & illi addi possunt, qui post Clementem V. creati in Gallia fuerunt Papæ Avenionenses, nempe Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI, Innocentius VI. Urbanus V. & Gregorius XI. de quorum omnium electione, benedictione, & coronatione extra Urbem Romam peracta videri possunt in ipsorum Vitis Spondanus, Raynaldus, Ciaconius, Pagius, aliique complures, qui vel in Annalibus Ecclesiasticis, vel peculiaribus Libris Romanorum Pontificum gesta narrarunt. Sane Martinus V. postremus e Romanis Pontificibus extra Urbem creatis, electus fuit in Concilio Constantiensi die XI. Novembris anni Domini MCDXVII. & cum tantum esset Diaconus S. Georgii ad velum aureum Cardinalis, die XX. ejusdem mensis a Joanne Episcopo Ostiensi in Presbyterum, & sequenti die Dominica in Episcopum consecratus est, ac statim more solito per Raynaldum Cardinalem Brancatium Archidiaconum grandi celebritate coronatus, exindeque de more per Civitatem ductus, regentibus hinc inde equi ejus frenum Sigismundo Romanorum Rege, & Friderico Marchione Brandeburgensi, Imperii Electore Archicamerario.

II. Ritum ejus celebritatis enarrant acta relata a Pagio in Vita ejusdem Martini V. Papæ, Num. IV. his verbis: *Die Dominica vigesima prima supradicti mensis Novembris idem Sanctissimus Dominus noster more solito, & in Coronationibus Romanorum Pontificum hactenus observari consueto, fuit apud Ecclesiam Constantiensem honorifice coronatus, & demum per Dominos Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, aliosque Prælatos, Ambassiatores, & Romanæ Curiæ Officiales, in Sacrosancta Synodo prædicta præsentes, necnon Illustrissimum Principem Dominum Sigismundum Romanorum Regem a dextero, & Illustrissimum Principem Dominum Fridericum Marchionem Brandeburgensem Sacri Romani Imperii Archicamerarium & Electorem a sinistro lateribus ejusdem Domini nostri Papæ, per equi frenum, in quo sedebat, una cum populosa multitudine processionaliter ab Ecclesia Constantiensi prædicta usque ad Monasterium S. Augustini conductus, & per circuitum ad Constantiensem prædictam fuit solemnissime reductus.* Hacten us memorata acta. Sumsit autem mox ille sigilli symbolum, sive sententiam versum illum Psalmi 53. *Averte mala inimicis meis, & in virtute tua disperde illos*; uti idem Pagius notat loco citato.

III. Sed ut rem altius repetamus, electus est quidem absens Callistus II. anno MCXIX. dum esset Archiepiscopus Viennensis, & Cluniaci tunc moraretur; non multo enim postquam electus est, Cluniaco discessit, & Viennam perrexit, ubi in Dominica Quinquagesimæ, quæ anno MCXIX. in diem nonum mensis Februarii incidit, coronatus est. Pandolphus quidem in Vita Callisti consecrationis vel coronationis ejus neque diem neque locum notavit, solum enim scribit, quod *Papa solemniter a Lamberto Episcopo Ostiensi, & aliis quamplurimis in Dei nomine consecratus est*. Diem porro & locum coronationis habemus in Epistola Hugonis Prænestini Episcopi Apostolicæ Sedis Legati ad Hugonem Nivernensem Episcopum sine die & mense datam, quæ refertur Libro I. Historiæ Vezeliacensis, Tom. III. Spicilegii Dacheriani, in qua ita inquit; *Die ipsa, qua ab invicem*

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero & Coloniensi legitur, *ornatus*.

Digitized by Google

vicem discessimus cum electo nostro, Callisto scilicet II. Papa, *duce misericordia Dei, ad partes Lugdunensium properavimus. Antequam autem Lugdunum perveniremus, Domnus Lugdunensis Archiepiscopus*, Humbaldus, *electioni nostræ assensit, & Lugduni subscripsit. Ibi facta processione solemni Dominum Papam Callistum, & nos honorifice suscepit. Nam & Engolismensis Episcopus*, nempe Gerardus, *antequam a nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ se subdiderat. Inde venimus Viennam, ubi in Dominica Quinquagesimæ Dominus Papa coronatus est.* Ex his corruit opinio Papebrochii scribentis, Callistum II. Cluniaci coronatum fuisse, *post reditum Nunciorum Roma, adulto Martio, aut fortassis ipso die Paschatis XXX. ejusdem.* Corruit & illud quod ait, Callistum die IV. Februarii electum; cum enim die IX. Februarii Viennæ coronatus fuerit, vix post suam electionem Viennam pervenire potuisset ante eundem diem, uti notat Pagius in ipsius Callisti Papæ II. Vita, Num. IV.

IV. Urbanum III. anno MCLXXXV. Veronæ eodem die, quo Lucius III. ibidem obiit, & sepultus est, ex Archiepiscopo Mediolanensi electum fuisse Summum Pontificem die XXV. Novembris, & deinde die I. Decembris prædicti anni MCLXXXV. coronatum, Scriptores passim docent, inter quos Radulphus de Diceto, qui eodem seculo claruit, postquam asseruit, Lucium III. septimo Kalendas Decembris Veronæ sepultum esse, mox ita subdit: *Humbertus Mediolanensis Archiepiscopus ipsa die Cardinalium assensu communi Papa creatus est, vocatus Urbanus. Kalendis Decembris coronatus est in Ecclesia S. Petri montis in supercilio collocata.* Successit Urbano III. Gregorius VIII. electus Ferrariæ, ibidemque consecratus Pontifex anno MCLXXXVII. ubi nempe Urbanus e vivis excesserat. Defuncto eodem anno Gregorio, & quidem morbo intempestive oppresso XVI. Kalendas Januarii, seu die XVII. mensis Decembris, *substitutus est ei Paulus Prænestinus Episcopus, genere Romanus, vocatus Clemens tertius, XIV. Kalen. Januarii*, inquit Radulphus de Diceto; sed præter diem electionis, coronationis etiam diem expressit Annalista Mailrosensis, sic inquiens: *XVI. Kal. Januarii obiit Gregorius Papa VIII. & XIV. Kal. ejusdem electus est Clemens IV. & in crastino consecratus*, nempe die vigesima mensis Decembris, quæ cum Dominica concurrebat, coronatus est. Appellat hunc Pontificem Clementem IV. Annalista Mailrosensis, quia scilicet Guibertus antipapa Clementis III. nomen sumserat, sed præterquam quod Guibertus non est numerandus inter Romanos Pontifices, quia cum magno Ecclesiæ scandalo viventi Gregorio VII. legitimo Pontifici sacrilege superinductus, ex Bullis hujus Clementis Papæ patet se ipsum vocasse Clementem III. ut videre est apud Ughellum, qui Tomo IV. Italiæ Sacræ, Romanæ editionis col. 673. unam exhibet, quæ data dicitur *Laterani.... IX. Kal. Julii, Indict. VIII. Incarnationis Dominicæ* MCXC. *Pontificatus vero Clementis Papæ III. anno III.* Diserte etiam dicitur Clemens III. a Radulpho de Diceto, & a Matthæo Pariſio, a Guillelmo Nangio, ab Auctore brevis Chronici Pisani, & ab aliis passim.

V. Erepto e vivis Innocentio III. Perusii die XVI. Julii anni MCCXVI. & die sequenti sepulto, statim, scilicet die XVIII. ejusdem mensis Cencius Presbyter Cardinalis electus est in eadem Civitate Romanus Pontifex, & deinde die XXIV. ejusdem mensis, quæ cum Dominica concurrebat, consecratus, dictusque est Honorius III. Mansit Perusii usque ad exeuntem mensem Augusti prædicti anni MCCXVI. quo iter in Urbem est aggressus, nimirum pridie Kalendas Septembris, ut ad eum annum affirmat Auctor Chronici Fossæ Novæ his verbis: *Pridie Kalendas Septembris reversus est apud Romam ad S. Petrum. Pridie Nonas Septembris receptus est in Ecclesia Lateranensi cum tanto gaudio, & veneratione, gloria, & jucunditate, quod omnes videntes, dixerunt, quod nullus de Prædecessoribus suis in receptione similis ei fuisset.* An Romæ tunc Honorius fuerit coronatus, Scriptores silent; non desunt tamen exempla Romanorum Pontificum, qui licet extra Urbem electi, & consecrati fuerint, cum primum tamen post electionem, consecrationemque Romam accesserunt, coronari voluerunt more Majorum ad S. Petrum, & Lateranum maxima cum pompa contendere. Sane Bonifacius Papa VIII. licet electus Neapoli fuerit anno MCCXCIV. die XXIV. Decembris post renunciatum scilicet Papatum a S. Celestino V. ubi Romam pervenit, Romæ consecrari, & coronari voluit solemni ritu, ac processu ad Basilicam Lateranensem.

VI. Ergo Bonifacius Pontificii decoris arbitratus Romæ supremæ suæ dignitatis insignia accipere profectus Neapoli die II. mensis Januarii anni MCCXCV. seu in crastino circumcisionis Domini, uti refert Jacobus Cardinalis Stephanesçus, seu Gajetanus in Præfatione ad Poema de Actis S. Celestini, Parte II. Cap. XIII. qui etiam Lib. I. Cap. V. de coronatione Bonifacii VIII. agens, postquam dixit, Pontificem Anagniæ magna pompa exceptum, subdit, Romanos in occursum ejus effusos, eum excepisse, & quidem Laterani primum, sic inquiens.

Roma velut sponsũ remeãtem carcere ab hostis
Exceptura foret, frontem vestita coronas
Vadit in occursum, ludĕsque excurrit in arvis
Miles, Eques, Cleruſque canens sua thura ministrat
Pontifici. Primum Laterani Templa novellum
Suscipiunt Patrem, confestim Principis Aula
Clavigeri Petri gaudens suscepit euntem.
Hic locus, hic thalamus, Sedes quoque Festa sacrando.

Quibus verbis claudit primum Librum. Secundo autem Libro Consecrationis ejus, & Coronationis pompam, & cæremonias fuse describit; *nam a longis retroactis temporibus nullius Romanæ Urbis Antistitis, sic celebris, sic præclara Coronatio memoratur*; inquit laudatus Auctor in præfatiuncula ad Librum primum. Post hæc describit ordinem Processionis a S. Petri Basilica ad Lateranum, & cæremonias in ea servatas, quas nos jam recensuimus supra in Commentariis ad Titulum II.

VII. Sed ut hoc loco de ritibus Coronationis Summorum Pontificum factæ extra Urbem, & in ipsis Civitatibus, ubi fuerunt electi, agamus, facta Perusii, ubi obierat Benedictus Papa XI. electione Clementis Papæ V. & misso ad ipsum ejus electionis Decreto in Aquitaniam, ubi is apud Lisiniacum in Pictonibus (erat enim

Digitized by Google

Archiepiscopus Burdegalensis, & incumbebat tunc visitationi Provinciæ) nuntium ejus rei accepit. Burdegalam regressus, receptum Decretum Sacri Collegii die XXIII. mensis Julii, die sequenti publicavit in ipsa Ecclesia Burdegalensi, assumpto Nomine Clementis ejus nuncupationis Quinti. Rem narrat Bernardus Guidonis his verbis: *Rediit autem de Pictavia Burdegalam Idibus mensis Julii subsequentis, receptusque fuit Burdegalæ processionaliter a toto Clero & populo cum ingenti gaudio & honore totius Civitatis & Patriæ, undique concurrentibus Baronibus & Prælatis. Adhuc tamen more tantum Archiepiscopi se gerebat ut prius, electionis suæ Decreto nondum recepto, quod postea missum sibi a Cardinalibus de Perusio recepit in Burdegala in crastino S. Mariæ Magdalenæ secrete; sed palam & publice sequenti die XI. Kalendas Augusti* (legendum IX. Kalendas Augusti) *in præsentia Prælatorum, & Magnatum, in Burdegalensi Ecclesia Cathedrali, ubi sedens in Cathedra vocari Clemens voluit, & elegit, & ex tunc cœpit agere, & se gerere sicut Papa*. His consentanea scribunt alii ejus Vitæ Scriptores apud Baluzium Tom. I. Paparum Avenionensium.

VIII. Ubi primum Legationem Cardinalium, deque sua electione Decretum accepit Clemens Pontifex, iisdem Cardinalibus mandavit, ut omni abjecta mora Lugdunum, ubi Pontificali Diademate redimiri firmum erat animo, se conferrent; quod plerisque gravissimum extitit, inquit S. Antoninus Titulo XXI. sui Chronici Cap. I. Partis III. Paruere tamen Pontifici Cardinales, exceptis duobus, qui, ut ait Westmonasterienſis in Historia, senio graves iter suscipere non potuere, additque, duos ex iis, qui itineri se dederant, ex corporis jactatione, mutationeve aeris e vita excessisse. Porro Clemens in fine mensis Augusti Lugdunum perrexit, quo Philippus Francorum Rex, ac plures Principes ampliſſima stipati clientela confluxerant: *Fuit autem coronatus solemniter in Lugduno in Ecclesia S. Justi, Dominica infra octavas S. Martini, in crastino S. Briccii, scilicet XVIII. Kalendas Decembris, Litera Dominicali C tunc currente, ubi Philippus Rex Franciæ fuit cum sua nobili comitiva*; inquit Bernardus Guidonis in ejusdem Clementis Vita quarta apud laudatum Baluzium, & apud Pagium Num. VIII. ubi ex recitato testimonio Raynaldum, aliosque Scriptores refellit, qui factam Clementis Coronationem scribunt die XI. Novembris, cum alias die XIV. peracta fuisset.

IX. Quicquid sit, Philippus Franciæ Rex initio pompæ Coronationis modico spatio pedes frenum equi Pontificis tenens, stratoris officio functus est; postea vero Joannes Britanniæ Dux, & Carolus Valesius Philippi Regis Frater id officii pedites Pontifici exhibuerunt. Sed illud funesti in ea solemnitate contigit, quod dum coronatus Clemens per Urbem de more in equo procederet, muri cujusdam vetustate, atque onere superstantis ad celebritatem conspiciendam multitudinis ruina, dum illac transiret, contingente, Dux Brittanniæ collisus paucis post diebus obierit, & Carolus Regis Frater graviter læsus fuerit. Perierunt pariter quidam alii Nobiles, ac alii plurimi, periculumque vix evasit Rex, qui ad latus Pontificis equitabat. Hæc referunt Auctores passim Vitæ Clementis V. inter quos Bernardus Guidonis post recitata superius verba, ita subdit: *Cumque de loco Coronationis ut Pontifex procederet coronatus cum comitiva Papali & Regali, concurrentibus & comprimentibus se turbis, ut viderent eum tanquam Regem Salomonem in suo diademate coronatum, depulsa maceria cujusdam muri non magni corruit prope Papam, ac etiam circumstantes; ceciditque Corona de capite ejus, & in casu avulsus fuit carbunculus pretiosus, cujus pretium dicebatur sex millia florenorum, & ipse Papa depositus est de equo, sed minime fuit læsus &c.* Illum carbunculum, seu rubinum pretiosum fuisse postea inventum, scribit in secunda Clementis Papæ Vita apud laudatum Baluzium Ptolomæus Lucensis. Addit autem memoratus Bernardus Guidonis citato loco, ex ea clade miratos tunc fuisse universos, & more vulgi multos plurima præsagiisse.

X. Clementi V. successit Joannes XXII. electus anno Christi MCCCXVI. Lugduni die VII. Augusti, coronatus vero die V. Septembris, quæ cum Dominica concurrebat: *Fuitque coronatus*, inquit Bernardus Guidonis, *more Pontificum Romanorum Lugduni in Ecclesia Cathedrali Nonis Septembris, Dominica prima ejusdem mensis*. Joanni ipsi Pontifici Avenione substitutus anno MCCCXXXIV. Benedictus XII. die XX. Decembris, suam Coronationem usque ad diem VIII. Januarii anni sequentis MCCCXXXV. distulit, de qua ita scribit inter alia ejus Vitæ Auctor, quem Raynaldus citat sub nomine Ptolomæi Lucensis: *Anno Domini MCCCXXXV. Benedictus XII. descendit de Palatio, in quo electus fuit, & ivit associatus cum Cardinalibus, ut moris est, ad locum Fratrum Prædicatorum VII. Idus Januarii, & VI. Idus Januarii in crastinum ibidem coronatus est per Dominum Neapolionem Cardinalem Diaconum &c.* Rursus qui Benedicto XII. suffectus est, Clemens nempe VI. Avenione electus die VII. mensis Maji anni MCCCXLII. die XIX. ejusdem mensis in Festo Pentecostes in Ecclesia eorumdem Fratrum Prædicatorum cum maxima solemnitate coronatus est, adstantibus, & servientibus ei, ut scribunt Auctores secundæ, & tertiæ ejus Vitæ apud Baluzium, Duce Normanniæ Philippi VI. Francorum Regis primogenito, & postea successore, Jacobo Duce Borboni, Philippo Duce Burgundiæ, Imberto, seu Humberto tunc Delphino Viennensi, & multis aliis tam Franciæ, quam Vasconiæ, ac partium aliarum Comitibus, innumerisque Baronibus, & eisdem omnibus addextrantibus sequenti die Lunæ ad Palatium Apostolicum honorifice reductus est.

XI. Omitto alios Avenionenses Pontifices extra Urbem electos & coronatos, & devenio ad illos, qui extra Urbem tempore schismatis Avenionensis creati sunt, quales inter alios recensentur Alexander V. & Joannes XXIII. quorum primus Pisis die XXVI. Junii anni MCDIX. electus fuit, & deinde VII. die Julii coronatus est solemniter, uti nos docet Theodoricus Niemus, qui hoc tempore claruit in Libro, *De schismate*, Cap. XXV. ubi ita inquit: *Hic Dominus Alexander recepit insignia coronationis suæ in Pisis Nonis Julii anno Domini MCDIX.* Quæ in ea Coronatione acta sint, referuntur in Actis Concilii Pisani ex Spicilegii Dacheriani Tomo VI. in Collectionem Conciliorum translatis, in quibus

Digitized by Google

bus ita legitur: *Die Dominica immediate sequente, quæ fuit dies septima Julii, dictus Dominus Papa Alexander fuit coronatus in Ecclesia Cathedrali, ubi fuit celebrata Missa solemnis. Ex illa die fuerunt multa solemnia, ut puta de stupis conhustis, dicendo*, Sic transit gloria mundi; *de Epistola, & Evangelio in Missa Græce, Hebraice, & Latine; de impositione Tiaræ, cum qua revestitus equitat per Villam, & omnes Prælati revestiti cum equis de panno albo coopertis; de Lege Judæorum, quæ Papæ per Judæos præsentatur; & de similibus. Quæ omnia fuerunt debite, & solemniter expedita.*

XII. Suffectus in Alexandri V. locum Joannes XXIII. die Sabati XVII. Maji anni MCDX. statim per Cardinales inthronizatus est, Bononiæ scilicet, ubi ille objerat, die vero sequenti coram eo Cardinalibus, qui in conclavi fuerant, præsentibus, Episcopus Ostiensis Missam in Pontificalibus solemniter celebravit, Joanne in Capella magni Palatii Apostolici Bononiensis in Cathedra in statu & habitu Papali existente. Deinde die Sabbati XXIV. ejusdem mensis in Presbyterum ordinatus fuit per dictum Episcopum Ostiensem, erat enim tantum Diaconus, & die Dominica sequenti XXV. per eundem Ostiensem consecratus in Ecclesia S. Petronii Bononiensis, & demum ante, & extra dictam Ecclesiam in Scadafalco alto, & eminenti, Missa prius post ipsam Consecrationem per eum dicta, sive celebrata, per primum Diaconum Cardinalem de Brancaciis, absente Cardinale de Saluciis, publice & solemniter coronatus fuit. Post quam Coronationem in statu & habitu Papali, comitantibus ipsum Cardinalibus, multis Prælatis, Nobilibus, & Civibus Bononiensibus, & aliis sine numero, honorifice, & solemniter per Civitatem Bononiensem more solito equitavit, & demum rediit ad Palatium. Hæc ex Petri Tillii monumentis a Raynaldo ad annum MCDX. Numero XX. relatis constant, a quibus non dissentiunt Niemus in ejus Vita, & Gobellinus, quorum prior ait, eum in Festo S. Urbani, seu die XXV. Maji insignibus Papalibus decoratum, seu coronatum per Bononiam publice incessisse, per vicos & plateas equitando, *prout moris est Summorum Pontificum in die Coronationis eorundem*. Gobelinus pariter ætate VI. Cap. XC. scribit eum coronatum VIII. Kal. Junii; additque, multos in ejus electione scandalizatos esse, quia ut tyrannus rexisse Bononiam, & vitæ mundanæ deditus dicebatur. Atque hæc ad nostri hujus §. eruditionem adnotare placuit, nam cætera, quæ in eo continentur, jam alibi abunde explicata fuere.

DE ADVENTU ET CORONATIONE ELECTI IN IMPERATOREM ROMANUM

TITULUS V.

§. I.

Electus Rex futurus Romanorum Imperator primum consuevit electionem suam per suos solemnes Oratores Summo Pontifici intimare, & Decretum electionis ostendere, devotionem, ac fidelem (1) reverentiam exhibere, favorem, & gratiam Apostolicæ Sedis implorare, offerre se ad quæcumque fidelitatis juramenta Romanæ Ecclesiæ præstanda, & demum unctionem, consecrationem, & Imperii Diadema humiliter postulare. Pontifices vero consueverunt viso Decreto, & examinata electione in Sacro Senatu, habitaque sufficienti informatione tam super forma electionis, quam super idoneitate, & habilitate personæ electi per Commissarios a se constitutos ad instantiam dicti Electi, ipsum Electum in spiritualem filium suum, & Ecclesiæ Romanæ suscipere, illique (2) favorem & gratiam concedere, & ipsius Regis electi persona idonea reputata, eum nominare, denunciare, assumere, & declarare Regem Romanorum, ac etiam habilem, & sufficientem declarare ad suscipiendam Imperialis Celsitudinis dignitatem, decernere, consecrationem, & coronationem per manus suas esse impendendas, & supplere omnes defectus &c. Hoc servatum legimus (3) in Karolo IV. a Clemente VI. & antea in Henrico VII. a Clemente V. & in Alberto ejus prædecessore, & Rodulpho Patre a Bonifacio VIII. & a pluribus aliis, & in Venceslao Karoli IV. filio, quem Pater adhuc vivens in Romanorum Regem ab Electoribus designari procuraverat, cujus rei approbationem cum Gregorius XI. ad quem delata erat, morte præventus decernere non posset, Urbanus VI. ejus Successor legitime confecit.

COMMENTARIUS.

I. IMperator olim Dux exercitus is dictus est, qui aliquot hostium millibus prostratis, post insignem victoriam a militibus suis, eo nomine donabatur, ut cum Pompeus in Africa superasset Domitium. Scipio in Hispania rejiciens oblatum Regis nomen, testatus est, id quod alibi magnum erat, Romæ exosum, & intolerabile esse; sibique maximum videri nomen Imperatoris. Pluribus verbis explicat quidem Dion Lib. XXXIII. quomodo Julio tributa sit appellatio Imperatoris, quæ & ad Successores pertineret, sicut & Cæ-

(1) Ita in Veneta editione anni 1516. in Romana legitur, *filialem*. (2) In Romana legitur, *sibique suos favorem, & gratiam*. (3) In Romana quoque legitur, *in personam Karoli IV.* & ita deinceps semper legitur *in personam*.

Digitized by Google

Cæsaris nomen. Certe, ut ajunt Romanæ Historiæ Scriptores, victis Pompei filiis, & confectis bellis civilibus, Senatus Romanus Julio Cæsari singulares honores decrevit, in primis autem, ut Pater Patriæ diceretur, Consul in decennium, Dictator in perpetuum, Sacrosanctus haberetur, Quintilis mensis a suo nomine Julius appellaretur, Comitia etiam tributa in potestate haberet, in acta sua Magistratus ineuntes jurarent, ut Imperator nuncuparetur, & potentiam auctoritatemque in Rempublicam obtineret; ex eoque factum est, ut qui summum jus in Republica haberent, Imperatores dicti sint, ut inter alios notat Valentinus Forsterus Lib I. *Historiæ Juris Civilis Romani*, Cap. XXVIII. Num. III. & seq. Ceterum nostris moribus receptum est, verum Imperatorem illum fieri, qui Germaniæ Septemvirorum, quos Electores vocamus, suffragiis, atque consensu, ad Christiani populi monarchiam evehitur, ut docet aurea Bulla Caroli IV. Titulo II.

II. Sunt qui ad Romanam Gregorii V. Synodum, qui electus Pontifex fuit anno CMXCVI. referunt institutionem Electoralis Collegii, seu Septemvirorum, penes quos solos esset Imperatoris eligendi potestas. Sed, ut inter alios notat Pagius in Vita ipsius Gregorii V. Num. v. silentium omnium antiquorum usque ad medium Seculum XIII. sufficeret ad eam opinionem evertendam, etiamsi aliæ probationes deessent, ex quibus etiam nonnullas laudatus Auctor affert. Primo quidem Wippo Presbyter testis oculatus electionis Conradi Salici Imperatoris, quæ facta est anno MXXIV. in Vita ejusdem Conradi refert nomina sive Pontificum, sive secularium Principum, *qui tunc in Regnis vigebant, quorum consiliis consuevit Francia*, nempe Teutonica, *Reges eligere*; pauloque post scribit: *Italiam transeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam electionem*, nempe Conradi Salici, quam describit, *nequiverunt, qui postmodum in Urbe Constantiensi cum Archiepiscopo Mediolanensi, & reliquis Principibus occurrentes Regi, sui effecti sunt, & in fidelitatem libenti animo juraverunt*. Post pauca pergit Wippo: *Condicta est dies, notatusque locus, fit publicus conventus, qualem me vidisse antea non memini &c. Inter Moguntiæ confinia, & Wormatiæ locus est amplitudine planitiei causa multitudinis maxime receptabilis &c. Ibi dum convenissent cuncti Primates, & ut ita dicam vires & viscera Regni cis & citra Rhenum castra locabant. Qui dum Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniæ Saxones cum sibi adjacentibus Sclavis; Franci Orientales Norici, Alemanni convenere. De Gallia vero Franci, qui super Rhenum habitant, Ribuarii, Lotharingi coadunati sunt*, Refert postea Wippo Conrados duos inter multos, qui eligendi essent sequestratos: *In his duobus*, inquit, *idest, in majore Chunone*, ita Conradum appellat, *& juniore diu pendebat reliqua nobilitas &c. Archiepiscopus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit .... elegit majorem Chunonem suum in Dominum, & Regem &c. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum Ordinum Viri indubitanter sequebantur &c. Tunc singuli de singulis Regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant*. Hæc fusius ex Scriptore, qui electioni præsens fuit, narrata, sat docent, Conradi Salici electionem, quæ viginti sex circiter annis post Gregorii V. mortem facta est, ad solos septem Electores non fuisse coarctatam, & ipsos etiam Italos ad eam evocatos, ideoque jure suffragii potitos esse, quia nempe Rex Germaniæ, qui eligendus erat, Longobardorum Regno præesse debebat.

III. Lotharius etiam Saxonum Dux, mortuo Henrico hujus nominis V. absque prole, electus est Imperator ab Episcopis, & Proceribus Germaniæ: *Moguntinus enim Archiepiscopus*, inquit Ordericus Vitalis Lib. XII. *qui potentia, & strenuitate pollebat, providentiaque sua, ne schisma, vel inordinata surreptio Imperii fieret, præcavebat, Episcopos, & Proceres totius Regni cum exercitibus suis convocavit, cum quibus una collectis de Imperatore constituendo tractavit. Insignia quidem ab Imperatrice procuraverat ornamenta Imperii, antequam de tanto præsumsisset negotio fari. Excellentissimi*, inquit, *Barones, qui assistitis in hac planitie, me, quæso, solerter audite, & prudenter intendentes his, quæ dicam, obedite. Pro commoditate omnium vestrum, & plurimorum, qui non adsunt, laboro .... Imperator noster sine prole defunctus est: cui Deo fidelis, & devotus, Ecclesiæque filiis utillimus successor sapienter inquirendus est.* Ita plane peroravit tunc Archiepiscopus Moguntinus, teste laudato Orderico Vitale, qui etiam postea refert, electum esse Lotharium, qui, teste Dodechino Abbate in Chronico, *tertio Kalendas Septembris*, anno MCXXV. electus, ac Aquisgrani *Idibus Septembris inunctus est Germaniæ Rex*. Ex quibus destruitur commentum adstruens, septem Electores Imperii a Gregorio Papa V. in Romana Synodo fuisse institutos, tametsi ejus opinionis sint Baronius, omnesque fere Gestorum Pontificalium Scriptores, imo & ipsi Collectores Conciliorum.

IV. Sed nec Seculo XIII. ineunte Electorum numerus ad septenarium coarctatus erat. Arnoldus enim Lubecensis, qui anno MCCIX. finem Chronico suo imposuit, ad annum Christi MCCVIII. de Ottonis IV. electione loquens, ita scribit: *Indicta est Curia in Halberstad, ubi convenerat maxima pars Prælatorum, & Principum Saxoniæ, & Thuringiæ, nec defuit Herbipolensis Chonradus. Omnes igitur Principes, qui convenerant, unanimi consensu Ottonem Romanum Principem, & semper Augustum elegerunt. Archiepiscopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente vero Bernhardo Duce cum Marchione Misnensi, & Landgravio Thuringiæ, ad quos electio Regis pertinere videbatur*. Fridericus item II. in publicis Comitiis anno MCCX. electus fuit, ut ad eum annum his verbis docet Abbas Urspergensis: *Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, Dux Bavariæ, & Landgravius Thuringiæ, & alii quamplures convenientes Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum*. Sed Principes illi, & Officiales valde diversi erant ab Electoribus, & Officialibus hodiernis, ut videre est apud Leibnitzium in Præfatione Codicis Diplomatici, ubi fuse agit de Electorum origine, & observat, sub Friderico II. formam aliquam accepisse Electorale munus, primamque veterum Electorum mentionem legi in Brevi Alexandri IV. Gerardo Moguntino directo; & in eo septem Electorum numerum non notari, qui

Digitized by Google

qui expreſſis verbis legitur in Litteris Urbani IV. *Richardo electo Regi Romanorum*, datis *apud Urbem veterem ſecundo Kalend. Septembris*, ſine ulla Chronologica nota. Refertur hoc Reſcriptum in prodromo novi Codicis Diplomatici Sectione IV. & in eo hæc verba leguntur: *Proponere curaverunt quaſdam conſuetudines circa electionem novi Regis Romanorum in Imperatorem poſtea promovendi, apud Principes vocem in hujuſmodi electione habentes, qui ſunt ſeptem numero, pro jure ſervari; & fuiſſe hactenus obſervata a tempore, cujus memoria non exiſtit.* Sectione autem VIII. diſerte dicuntur Electores, *Archiepiſcopus Trevirenſis, Archiepiſcopus Colonienſis, Bohemiæ Dux, Comes Palatinus, Saxoniæ Dux, & Marchio Brandeburgicus*; narraturque, Archiepiſcopum Colonienſem procuratorio nomine agere pro Archiepiſcopo Moguntino, ad quem pertinet electionis diem præfigere, & ejus defectu ad Comitem Palatinum.

V. Egregium hoc monumentum oſtendit, electioni Alphonſi Caſtellæ Regis, & Richardi Comitis Cornubiæ, Angliæ Regis fratris, quæ facta eſt anno MCCLVII. ſeptem Principes Electores interfuiſſe. Sed Matthæi Pariſii Auctoris coævi teſtimonium luculenter demonſtrat, numerum ſeptem Electorum fuiſſe tunc rem novam, & ſine contradictione non admiſſam; ait enim ad annum MCCLVIII. *Hi ſunt maximi Principes in Alemannia, ad quorum nutum pendet Electio ipſius Regis, quod eſt quaſi arrha Imperii Romanorum. Archipiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Trevirenſis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus, Dux Auſtriæ, Dux Sueviæ, Dux Poloniæ, Marchiſius Brandeberg, Dux de Meran, Dux Barbantiæ, qui & Lovanii, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ*; qui omnes proinde electionis jure potiri contendebant, ideoque ſeptem Electorum poſſeſſio nondum plene ſtabilita erat. Septem Virorum numerum adhuc eo tempore difficultatem paſſum eſſe, liquet etiam ex Alberto Stadenſi, & ex Erkone de Repkavio in Speculo Saxonico, qui uterque Scriptor circa annum MCCLX. floruit. Ex quibus omnibus evidenter conſtat, inſtitutionem Septemvirorum, ſeu ſeptem Imperii Electorum Gregorio V. Papæ perperam fuiſſe adſcriptam.

VI. Certum tamen eſt, quod & omnes fere Scriptores fatentur, tam ante, quam poſt ſeptenarium illum numerum Electorum in uſum vocatum, Pontifices Romanos, a quibus renovatum eſt Imperium Occidentale, jus ſuum illæſum conſervaſſe, & electiones aut approbaſſe, aut reprobaſſe. Jus illud Romani Pontificis, ut idem Pagius poſt alios notat in Vita Gregorii V. Num. IX. recognoverunt Succeſſores Caroli Magni, qui Imperatoris nomen ſibi aſſumere non præſumebant, antequam a Summo Pontifice coronati benedictique eſſent, quod teſtatur Ludovicus II. Imperator, Caroli Magni abnepos, ad Baſilium Imperatorem Græcorum ſcribens apud Ducheſnium Tomo III. *Hiſtoriæ Francorum*, ubi ita inquit: *Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt, ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc Oleo Sancto perfuſi ſunt*. Idem non obſcure indicat Monachus Anonymus Auctor Vitæ S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, qui ſedente Gregorio V. ſcripſit. Sic enim ait: *Roma autem cum caput Mundi, & Urbium domina ſit, & vocetur, ſola Reges imperare facit; cumque Principis Sanctorum Corpus ſinu ſuo foveat, merito Principem terrarum ipſa conſtituere debet*. Antea autem dixerat, Ottonem III. Imperatoriam ſibi expoſcentem dignitatem, Romam profectum eſſe, ut eam aſſequeretur. Ideo porro hic Auctor vocat Imperatorem *Principem terrarum*, quia Germaniæ Reges jus habent, ut Imperatores appellentur, utque primum inter Principes Chriſtianos locum obtineant; quod jus promanat a Romanis Pontificibus, qui ſe ad eos confirmandos & coronandos obſtrinxerunt, modo nullus occurreret in electione defectus, ut ait Innocentius III. cujus locum mox afferemus.

VII. Illud præterea certum pariter eſt, jus eligendi Imperatores a Romanis Pontificibus emanaſſe. Diſerte id quidem teſtatur laudatus Pontifex Innocentius III. in Epiſtola ad Bertholdum Zaringiæ, ſive, ut alibi legitur, Laringiæ, aut Carintheæ Ducem poſt Ottonis IV. Imperatoris electionem. In ipſa enim Epiſtola, quæ relata eſt in Cap. *Venerabilem* XXXIV. *De electione &c.* ſic idem Innocentius ſcribit: *Illis Principibus jus, & poteſtatem eligendi Regem, & Imperatorem poſtmodum promovendum recognoſcimus, ut debemus, ad quos de jure, & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere; præſertim cum ad eos jus, & poteſtas hujuſmodi ab Apoſtolica Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in perſona magnifici Caroli a Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent, & utique recognoſcunt, ſicut iidem in noſtra recognovere præſentia, quod jus, & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, ad nos ſpectat, qui eum inungimus, & coronamus. Eſt enim regulariter & generaliter obſervatum, ut ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Numquid enim ſi Principes non ſolum in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcumque, vel excommunicatum, tyrannum, fatuum, vel hæreticum eligerent, aut paganum, nos inungere, conſecrare, aut coronare hominem hujuſmodi deberemus? Abſit omnino*. Idem aſſerit Clemens V. in Clementina ſua Conſtitutione, *Romani Principes, De jurejurando*.

VIII. Porro ſpecies laudatæ Epiſtolæ Innocentii III. quæ eſt celeberrima de electione Imperatoris, multumque illuſtratur ab Urſpergenſi Abbate, qui hanc ipſam Decretalem laudavit, hæc eſt, juxta notata ab erudito Altaſerra in ſuo ad eam Decretalem Commentario. Mortuo Henrico VI. Imperatore, Principes Electores juramenti immemores, quod præſtiterant Henrico adhuc ſuperſtiti de eligendo Friderico ejus filio adhuc in cunis vagiente, & fide ei præſtanda, de electione Imperatoris tractare cœperunt. In hoc tractatu votis in diverſa diviſis, alii Philippum fratrem defuncti, alii contra Othonem e Ducibus Saxoniæ ortum in Regem Romanorum elegerunt; & quod ſupplendum eſt ex Uſpergenſi, Bertholdus Dux Varingiæ, ſeu Carinthiæ, qui ante in Conventiculo Colonienſi a quibuſdam in Regem electus fuerat, rebus ſuis diffiſus ad Philippum acceſſit, & in eum jure ſuo ultro ceſſit Imperii. Schiſmatis componendi cauſa Pontifex miſit Legatos in Germaniam, Sutrinum Epiſcopum, & Abbatem S. Anaſtaſii Ciſtercienſis Ordinis. Sutrinus Epi-

Digitized by Google

Episcopus, causa minime cognita, electionem Othonis confirmavit, repulso Philippo. Qua de re apud Pontificem per Legatos conquesti sunt Principes Germaniæ, qui Philippi partes tuebantur, quorum rationes exponuntur in citata Innocentii Epistola, sive in Capite, *Venerabilem*. Legatus Pontificis aut Electoris, aut Cognitoris, idest Judicis gessit personam; si Electoris palam falcem immisit in messem alienam, & sibi perperam arrogavit jus Principum Germaniæ, ad quos certi juris est pertinere electionem Imperatoris; si Cognitoris, perperam videtur processisse, absente, nec legitime vocato Philippo. Auditis Legatis Principum, Innocentius electionem Othonis, in quem propensior erat, ratam habuit, submoto Philippo per hanc Epistolam Decretalem, quæ hac occasione scripta est ad Bertholdum Ducem Carinthiæ, quod de numero Electorum esset, & unus e potioribus partium Philippi.

IX. Itaque vel ex hac Innocentii III. Epistola comprobatur, quod superius notatum fuit, ante Innocentium III. electionem Imperatoris fuisse non penes Septemviros, sed penes omnes Germaniæ Principes. Id juris servatum in electione Friderici Ænobarbi, testatur Guntherus Poeta Ligurinus Lib. 1.

Teutonici Sedes Chunradi morte vacabat.
Acturi sacræ de successore Coronæ
Conveniunt Proceres totius viscera Regni.

Non ante Innocentium rem redactam ad septem Electores, satis argumento est, quod inter alios Auctores Matthæus Parisius, & Albertus Stadensis, uti jam notatum fuit, & Hostiensis in citato Cap. *Venerabilem*, qui per hoc tempus vixerunt, primi sunt, qui septem Electorum meminere. Ceterum ne Pontifex jus Electorum tentare videatur, & ut eosdem sibi conciliet, primum profitetur, jus, & potestatem eligendi Regem Romanorum, in Imperatorem postmodum promovendum, de jure, ac antiqua consuetudine pertinere ad Principes Germaniæ; ejusque testimonio suffragatur memoratus Guntherus Lib. VI. sic inquiens:

..... Ad Proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto
Moguntinus habet.

Id juris sibi Romanum Imperium, ut non successione, sed electione deferatur, ex singulari prærogativa vindicare tradit Otho Frisingensis Lib. II. *De rebus gestis Friderici*, Cap. 1. *Id juris*, inquit, *Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Regem creare, sibi tanquam ex singulari vindicat prærogativa.*

X. Unde manarit jus istud electionis, valde ambigitur. Aliis placet hujus juris auctorem fuisse Othonem III. quo inclinare videtur Martinus Polonus in Chronico, ubi postquam de Othone III. meminit, statim subdit hæc verba: *Tamen postea fuit institutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur.* Communis sententia est, uti jam notavimus, electionem Imperatoris institutam constitutione Gregorii V. non sine assensu Othonis, & Principum Germaniæ edita, quæ tamen non extat. Sed hanc sententiam jam confutavimus. Quicquid sit, docet plane Innocentius III. maxime hoc jus ad Germanos Principes perveniisse a Sede Apostolica, quod iisdem verbis asseruit etiam postea Clemens V. subditque mox etiam ille, non esse, quod Principes inficientur, quin examinatio, & confirmatio electi pertineat ad Romanum Pontificem, cum & ad eundem pertineat consecratio, idest, inunctio, & coronatio. Sane spectat ad Germanicos Principes electio, ad Colonienſem Archiepiscopum Regia inunctio, Imperialis autem Coronatio ad Summum Romanum Pontificem, uti loco modo laudato idem Guntherus tradit.

..... Pastori prima recentis
Agrippina tuo conceditur unctio Regis:
Imperii nitidam summo sacrare Coronam,
Pontifici jus est; ut vero nomine possit
Non dator Imperii, sed confirmator haberi.

Et Fridericus ipse apud Rodericum Lib. 1. de gestis ejus, Cap. XVI. *Debitam*, inquit, *Patri nostro reverentiam libenter exhibemus; liberam Imperii nostri Coronam divino tantum beneficio adscribimus; electionis primam vicem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest, ceteris secundum ordinem Principibus recognoscimus; regalem unctionem Colonienſi; supremam vero, quæ Imperialis est, Summo Pontifici.*

XI. Ad Romanum ipsum Pontificem spectare Imperatoris electi confirmationem, unctionem, & coronationem, æque comprobatur ex Canone, *In Nomine Domini*, Distinctione XXIII. & ex Clementina, *Romani*, *De jurejurando*. Imo & vacante Imperio Romano Pontifex ipse Romanus succedere dicitur in Jurisdictione Imperiali, uti idem Innocentius III. docet relatus in Cap. *Licet X. De foro competente*, & Clemens V. in Cap. *Pastoralis* §. ultimo, *De re judicata*. Ceterum quod nostram rem spectat, mos plane antiquus fuit, *ut electus Rex futurus Imperator soleret primum electionem suam per suos solemnes Oratores Summo Pontifici intimare, & Decretum electionis ostendere, devotionem ac fidelem*, seu *filialem*, ut alias, *reverentiam exhibere, favorem, & gratiam Apostolicæ Sedis implorare, offerre se ad quæcumque fidelitatis juramenta Romanæ Ecclesiæ præstanda; & demum unctionem, consecrationem, & Imperii diadema humiliter postulare*. Docet hæc quidem nostrum Cæremoniale, quibus mirifice suffragatur ms. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria anno MCCXIV. scriptum, apud eruditum Martene Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IX. quod est, *De benedictione Imperatorum*, Ordine VI. ubi ita legimus: *Postquam a Principibus suis electus fuerit in Regem, & juxta morem inunctus, debet mtttere honoratos Nuncios de Principibus quidem Viros Ecclesiasticos, & seculares ad Romanum Pontificem, significans ei tam per eos, quam per Litteras suas promotionem suam, & quod velit sibi omnino obedire tanquam Patri, & ad defensionem Ecclesiæ secundum scire suum, ac posse omni vitæ suæ tempore viriliter stare &c.* Celebre est de eodem ritu inter alia exemplum Rudolphi Romanorum electi Imperatoris, qui anno MCCLXXIV. legationem misit ad Grægorium X. Papam tempore Concilii Lugdunensis II. ad sacramenta Rudolphi nomine nuncupanda, ac privilegia Romanæ Ecclesiæ a veteribus concessa Imperatoribus confirmanda, & hoc postquam Pontifex Oratores Alphonsi Castellæ Regis, qui de Imperio decertabant, re infecta, dimisisset.

XII. Hæc vero, ut majori celebritate fierent,

Digitized by Google

rent, adhibiti sunt Principes Ecclesiastici electores, aliique insignes Germaniæ Præsules, qui Imperialia diplomata perlegere, atque ad rem sequuturis ætatibus mandandam, solemnes tabulæ confectæ sunt, quas in Molis Hadrianæ Archivo asservari asserit Raynaldus, qui eas recitat ad ipsum annum MCCLXXIV. Num. VI. & seqq. ex quibus constat, Othonem Præpositum Ecclesiæ S. Guidonis, Spirensis Diœcesis, Imperialis Aulæ Cancellarium Rudolphi nomine confirmasse privilegia ab Othone IV. & Friderico II. Ecclesiæ Romanæ concessa: promisisse Rudolphum ditionem Ecclesiæ non invasurum: bellum Siciliæ Regi non illaturum; & acceptis Imperialibus ornamentis Romæ promisisse ea corroboraturum, eoque pacto obedientiam, & fidelitatem Rudolphi nomine, solemni jurejurando spopondisse Othonem. *Acta sunt hæc Lugduni*, ut legitur in fine diplomatis ea de re confecti, *in prædicto Consistorio anno MCCLXXIV. mense Junio, die Martis, VI. mensis ejusdem, Pontificatus vero anno III. Porro ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum, nos memorati Archiepiscopi, Episcopi, Burclavius, & Comes, præsentes litteras fieri fecimus, & nostrorum sigillorum munimine roborari.* Legendum plane, *die Martis, V. mensis ejusdem*; nam dies VI. mensis Junii concurrebat eo anno cum die Mercurii, ad quem errorem nec Bzovius nec Raynaldus animum adverterunt, ut notat Pagius in Vita Gregorii Papæ X. Num. XLIV.

XIII. Joannes Mariana Lib. XIII. *Rerum Hispanicarum*, Cap. XXII. scribit, Pontificem antequam electionem Rudolphi confirmaret, Legatum ad Alphonsum Castellæ Regem, inanem Imperii umbram ostentantem misisse, qui nomine ejus redituum Ecclesiasticorum decimas in Bellum Mauricum illi polliceretur, modo vano Imperii juri cederet. Quod tantum commodum Alphonsus lubenti animo acceptans, totam controversiam arbitrio Pontificis permisit, sicque Pontificem Rudolphi electionem ratam fecisse post Synodi dimissionem VIII. Idus Septembris, eaque de re Litteras dedisse ad universos Principes Christianos, atque inprimis Rudolphum monuisse, ut quantocius Romam ad se veniret, confirmaturus ea quæ Otho Legatus ejus nomine jurasset, & Coronam Imperii susceperus. Hieronymus vero Surita Scriptor & ipse Hispanus in Indiculo Lib. II. ait, Pontificem ratam habuisse Rudolphi electionem VI. Kalendas Octobris. Qui Auctores, ut notat ibidem Pagius Num. XLV. ita conciliandi sunt, ut Gregorius ipse octavo Idus Septembris Rudolphi electionem confirmarit, die vero VI. Kalendas Octobris ad eum ut ad Regem Romanorum scripserit; Litteræ enim laudati Pontificis *Radulpho Regi Romanorum illustri* inscriptæ, datæ dicuntur *Lugduni VI. Kalendas Octobris anno III.* uti videre est apud memoratum Raynaldum ad prædictum annum MCCLXXIV. Num. LV. Porro errat Auctor nostri Cæremonialis Augustinus Patricius, cum Rudolphi imperium ad Pontificatum Bonifacii Papæ VIII. refert.

XIV. Sane anno MCCLXXXV. Rudolphus ipse Imperator Oratores ad Honorium IV. misit cum litteris datis *Lausanæ X. Kal. Decemb. Indictione XIV. anno Domini MCCLXXXV.* apud Raynaldum, Num. XXII. quibus proponebat, aut simulabat se Romam venturum ad Coronam Imperii recipiendam, & flabitabat, ut diem ejus consecrationis constitueret. Quare Pontifex Litteris ad eum datis *Romæ apud S. Sabinam II. Kal. Junii anno II.* ideoque anno Domini MCCLXXXVI. diem Purificationi B. Virginis sacrum anni MCCLXXXVII. ei præfixit ad accipienda ornamenta Imperialia in Basilica S. Petri, & si nova aliqua emergeret difficultas, consilio Joannis Cardinalis Episcopi Tusculani Apostolicæ Sedis Legati ea componeretur, & interim hortatus est, ut qua par erat pompa, & apparatu, ad celebritatis augendam Majestatem se compararet. Ceterum Rudolphus licet toties promisisset Romam petere ad Imperialem coronam accipiendam, nunquam tamen promissis stare, sive legitime impeditus, sive volens neglexit, ut sunt qui excusent, & accusent. Nam & tradunt alii, eum aliquando interrogatum a suis, cur non iret Romam, apologo Æsopico respondisse, invitatis quondam animalibus diversi generis a leone, ut suam adirent Regiam, cæterisque accedentibus, solam vulpem, cum redire nullum ex eis animadvertisset, pedem retulisse, ex eaque fabula concludisse, multos ante se Reges lætos intrasse Italiam, paucos vero sine luctu, & mœrore reversos esse. Rem narrat Pagius in Vita Honorii IV. Num. VI. ex quo addiscimus, nullo modo Rudolphi Imperium referri posse ad Bonifacii VIII. Pontificatum, ut in nostro §. habetur.

XV. Certe ad ipsum Bonifacii Pontificatum spectat Alberti Austriaci filii Rudolphi electio in Regem Romanorum, quam ita recenset Pagius in ejusdem Bonifacii Papæ VIII. Vita, Num. XL. anno MCCXCVIII. Adolphus Romanorum Rex Regno & Imperio depositus est a quibusdam electoribus, Gerardo scilicet Archiepiscopo Moguntino, & a Saxoniæ, ac Brandeburgensi Ducibus in vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ, idque Moguntiæ, eademque die ab eisdem electus est in Regem Romanorum Albertus Austriæ, Rudolphi quondam Romanorum itidem Regis filius, qui cum eodem Adolpho die II. Julii congressus, eum in prælio occidit. Post cujus mortem, cum priorem suam electionem illegitimam reputaret, eo quod facta esset vivente Adolpho, & nonnullis electoribus absentibus, eam specie tenus illis resignavit, & ab omnibus uno consensu iterum electus est VI. Kalendas Augusti. Hujus secundæ electionis confirmationem per solemnes Nuncios a Pontifice petiit Albertus, qui tamen ab eo repulsam passus est, ut scribit Ptolomæus Lucensis Lib. XIV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite XXXVII. sic inquiens: *Albertus prædictus Dux Austriæ filius quondam præfati Rodulphi Regis fuit electus in Regem Alemanniæ ab electoribus congregatis Aquisgrani anno MCCXCVIII. misitque solemnes Nuncios ad Bonifacium Papam VIII. pro confirmatione electionis suæ, quam idem Bonifacius Papa primo multis juris & facti rationibus allegatis repulit prima vice, & asseruit nullam esse.* Non solum autem ejus electionem confirmare renuit, sed etiam anno Domini MCCCI. electoribus Germanici Imperii scripsit Litteras, quibus Albertum in Judicium accersivit, & Moguntino, Colonienſi, ac Trevirensi Archiepiscopis provinciam tradidit ei denunciandi, ut Oratores suos ad Sedem Apostolicam mitteret, ad impositum sibi læsæ Majestatis

Digitized by Google

statis crimen, quo cæso Adolpho se devinxerat, purgandum, ut constat ex ejus Epistola, quæ extat apud Raynaldum ad ipsum annum MCCCI. Num. II.

XVI. Porro anno MCCCIII. idem Bonifacius, ob gravissimum cum Philippo Galliæ Rege dissidium, ut haberet quem ei opponeret, ipsam Alberti Romanorum Regis electionem, quam ante rejecerat, confirmavit, recepta ab eo promissione satisfactionis omnium injuriarum, ac facinorum a se commissorum, & juramento fidelitatis, ac confirmatione privilegiorum, & donationum ab aliis Imperatoribus, Regibusque Romanorum concessarum; omnes defectus, qui in ea electione intervenerant, aut tulit, aut Apostolica auctoritate supplevit, Litteris de ea re datis *Laterani II. Kalendas Maji anno IX.* Pontificatus, quas recenset Raynaldus ad prædictum annum MCCCIII. Num. II. ubi & Num. IX. refert Litteras Alberti, quibus fidem Pontifici obstringit, veteraque Ecclesiæ Romanæ jura illi asserit, datas *apud Nuremberg anno Domini MCCCIII. Indictione prima, XVI. Kalendas Augusti*. Iisdem Litteris suis Bonifacius omnia, quæ ab Alberto a sua electione ad hujusmodi confirmationem gesta fuissent in Regni administratione, rata habuit; sed aliis Litteris eadem die datis, quas post Bzovium recenset Spondanus, omnes uniones, confœderationes, societates, & pactiones cum quibuscumque Regibus, atque Principibus in præjudicium Romanæ sedis, & Imperii ab eodem Alberto factas etiamque juramento firmatas irritavit, nullas dixit, & quæcumque juramenta quibuscumque verbis concepta relaxavit. Fuisse autem illa omnia contra Philippum Regem, testari Scriptores omnes, qui de iis egerunt, ait Pagius in Bonifacii VIII. Papæ Vita, Num. LXIV. Sane hanc inter ceteras prætexuisse Philippum offensionis causam in Bonifacium, scribit Joannes Villanius Lib. VIII. Cap. LXII. quod cum Pontifex pollicitus ei fuisset Romanum Imperium a Germanis in Gallos reducere, & primum Carolo Valesio fratri Regis assignari, nihilominus illud Alberto asseruisset.

XVII. Mortuo Alberto, & quidem occiso anno MCCCVIII. a proprio nepote Joanne Sueviæ Duce filio Rudolphi olim fratris sui, successit Henricus Dux Lucemburgius, sex, aut septem mensibus post Alberti mortem; coronatusque est eodem anno Aquisgrani in die Epiphaniæ, anno MCCCIX. ut scribit Ptolomæus Lucensis in Vita Clementis Papæ V. & dicendus est Rex Romanorum eo nomine septimus, si nulla habeatur ratio Lantgravii, qui anno MCCXLV. electus fuit contra Fridericum II. ut notat Pagius in ejusdem Clementis Vita, Num. XXII. Porro Henricus anno MCCCIX. solemnes Nuncios, scilicet duos Episcopos, & tres Comites, Avenionem ad ipsum Clementem V. misit, qui peterent confirmationem electionis, & coronationem Imperii ab eodem Papa sibi dari. Pontifex ejus electionem admisit, & confirmavit mense Julio, volens ipsum nominari Regem Alemanniæ, & Romanorum, & quod posset agere quæ Regis erant, coronationem vero Imperii promisit, tempus eidem assignans, ut a Festo Purificationis ad duos annos Romam pergeret, Coronam ibidem Imperii recepturus. Id constat ex Ptolomæo Lucensi, & Bernardo Guidonis in secunda, & quarta Vita Clementis Papæ apud Baluzium. Litteras quas de hac re scripsit Henricus ad Pontificem, legere est apud Raynaldum ad annum MCCCIX. Num. X. ex quibus constat, Nuncius illos fuisse numero septem, qui ibidem recensentur. Edidit quoque citato loco idem Raynaldus instrumentum sacramenti per Procuratorem dicti Regis præstiti, factum *anno Domini MCCCIX. die Sabbati vigesima sexta mensis Julii, Indictione septima, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papæ V. anno quarto in Palatio Papali Avinion. videlicet in Domo Fratrum Prædicatorum ejusdem loci*, in qua scilicet Pontifex residentiam faciebat. Edidit demum Litteras Clementis ad Henricum, quibus Imperialem ei Coronam promittit datas *Avenioni VIII. Kal. Augusti anno IV.* Ceterum Albertus Mussatus in Vita Henrici VII. Libro I. Cap. III. postquam dixit, Legatos Diadema Imperiale petiisse, ita deinde subdit: *Quod & facile sui obtinuerunt Legati, Litteris patentibus, termino ad hoc in certam diem præfixo, constitutione solemni, emologata etiam electione cum sacræ benedictionis præconio, cujus & Diadematis appositioni se ipsum Romæ in Sedem Pontificalem comparaturum, & effecturum despondit*. Sed de hac coronatione dicemus alio loco inferius.

XVIII. Obiit demum anno MCCCXIII. die XXIV. Augusti ipse Henricus, electique sunt anno sequenti MCCCXIV. Ludovicus Comes Palatinus Dux Bavariæ, & Fridericus Austrius, quo capto, & occiso, ut ait Ludovicus Ignatius Lib. III. *Romanorum Principum*, in Vita ipsius Ludovici Bavari, *rerum potitur, parique temeritate Imperatorem se citra Pontificis auctoritatem appellat. Qua injuria offensus Joannes XXII. illi Sacris interdixit*, quem etiam iterum iterumque excommunicatum Clemens tandem VI. hæreticum declaravit, omnique dignitate privavit, ac fidelitatis sacramento omnes, qui se ei adstrinxerant, absolvit anno MDXLVI. Bavaro exauctorato, curavit mox Clemens, Carolum Moraviæ Ducem, Joannis Bohemiæ Regi filium, Henrici VII. quondam Imperatoris nepotem, in Regem Romanorum eligi, ejusque electionem confirmavit, Decreto ea de re edito anno ipso MCCCXLVI. quod legere est apud Bzovium Num. IX. & apud Raynaldum Num. XXXIV. Extat præterea in Codice Sermonum Clementis VI. collatio facta per eum eodem die, nempe VIII. Idus Novembris, quo electionem confirmavit, in cujus calce ista leguntur: *De Fratrum nostrorum consilio dictum Karolum in specialem nostrum, & Ecclesiæ filium suscipimus, & nostros favorem, & gratiam concedentes, ipsiusque persona idonea reputata, eundem nominamus, denunciamus, assumimus, & declaramus ad suscipiendam Imperialis Celsitudinis dignitatem, ac decernentes Unctionem, Consecrationem, & Coronationem Imperialem per manus nostras sibi opportuno loco, & tempore impendendas: supplentes nihilominus omnem defectum, siquis aut ratione formæ, aut ratione personæ suæ, aut personarum Electorum suorum, seu ex quavis alia ratione, sive causa hujusmodi in electione intervenerit quovis modo, ex certa scientia, & de Apostolicæ plenitudine potestatis; præcipientes etiam omnibus Fidelibus, & Vassallis, ut sibi sicut Regi Romanorum in Imperatorem promovendo pareant efficaciter, & in-*

Digitized by Google

intendant. Quæ verba etiam leguntur in Decreto Confirmationis, eique plane concinunt, quæ in noſtri Cæremonialis textu ſtatuuntur.

XIX. Fuit hic Carolus IV. qui etiam deinde Litteris ad Gregorium XI. datis, eum rogavit, ut permitteret filium ſuum primogenitum Wenceslaum jam olim in conſortium Regni Bohemiæ adlectum, etiam in Regem Romanorum, Imperii futurum Succeſſorem, annum licet tantummodo decimumquintum ætatis agentem, ab Electoribus evehi permitteret, *cum ad hujuſmodi electionis celebrationem*, inquit Carolus in ipſis Litteris ſcriptis Nuremberg anno Chriſti MCCCLXXVI. Indictione XIV. ſecundo Nonas Martii, quæ extant apud Raynaldum, Num. XIII. *nobis viventibus procedi non valeat, ſine veſtris beneplacito, aſſenſu, & gratia, ac favore*. Spondanus Num. V. addit, permiſiſſe id quidem Gregorium, ſed ea conditione, ut Wenceslaus ante omnia exemplo Henrici VII. ipſius proavi, & Caroli patris, ex formula præſcripta juraret, ſe bona Eccleſiæ Romanæ non occupaturum, libertatem Eccleſiaſticam non violaturum, in adminiſtrationem Regni, & Imperii ante ſolemnem inaugurationem a Pontifice, vel ejus licentia ab alio factam, ſe ſe non intromiſſurum, quinimo nec ipſos Regis, aut Imperatoris titulos ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu ſuſcepturum; ſcriptis ea de re Litteris ad eoſdem Carolum, Wenceſlaum, & Principes Imperii ad principium menſis Maji. Poſt hæc Wenceslaus electus eſt Romanorum Imperator die X. Junii Francfurti, ſed ejus electionem, mortuo Gregorio XI. confirmavit deinde ante exortum ſchiſma Urbanus VI. ac poſtea etiam Urbani æmulus Clemens VII. ut in ejuſdem Papæ Urbani VI. Vita pluribus tradit Pagius Num. XXIII. & ſequenti. Atque hactenus dicta ſatis ſint ad explicandum antiquum morem in noſtro Cæremoniali deſcriptum de auctoritate Summi Romani Pontificis in confirmanda Imperatorum electione, & aliis ad eam ſpectantibus.

§. II.

Quod veniente Imperatore mittuntur Legati Apoſtolici.

Electus igitur Romanorum Imperator, cum ſtatuerit Urbem petere ad Imperiale Diadema de manu Summi Pontificis ſuſcipiendum, primum convenit per Nuncios ſuos cum Romano Antiſtite de modo, & tempore intrandi, ut Pontifex rebus opportunis conſulere poſſit. Deinde cum Pontifex noverit, Cæſarem in Italiam intraſſe, mittit illi obviam duos Legatos de latere, qui illum conveniant antequam Terras Romanæ Eccleſiæ ingrediatur. Et poſt gratulationes, ſalutationem, & benedictionem nomine Pontificis, honeſto modo exigunt ab illo (1) Juramentum ſolitum præſtari ab electis Imperatoribus antequam intrent Agrum Romanæ Eccleſiæ in forma, qua in Decretis cavetur, videlicet.

§. III.

Juramenti formula præſtandi per Imperatorem.

Sanctiſſimo Domino noſtro Domino N. Divina providentia Papæ. Ego B. Rex Romanorum promitto, & juro per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per lignum vivificæ Crucis, & per has Reliquias Sanctorum, quod ſi permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanæ Eccleſiam, & Sanctitatem ſuam Rectorem ipſius exaltabo ſecundum meum poſſe, & vitam, aut (2) membrum nunquam, neque ipſum honorem, quem habet, mea voluntate, meo conſilio, meo conſenſu, aut mea exhortatione perdet, & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad Sanctitatem ſuam, aut ad Romanos pertinent ſine (3) Sanctitatis ſuæ conſilio. Et quidquid de Terra S. Petri ad noſtram poteſtatem pervenerit, ſuæ Sanctitati reddam, & cuicumque Italicum regimen commiſero, jurare faciam illum, ut adjutor ſuæ Sanctitatis ſit ad defendendam Terram S. Petri ſecundum ſuum poſſe. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antquum ms. Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria anno MCCXIV. exaratum, de quo in præcedenti Commentario mentionem fecimus, Romanus Pontifex non modo Nuncios, quos ad ipſum de ſua promotione electus in Romanorum Regem miſit, *recipere debet honorifice, & eorum dictis clementer, & honorifice reſpondere*; verum etiam, *ſi iidem Nuncii ex parte Domini ſui petant, quod Romam venire velit in Imperatorem coronandus; tunc Romanus Pontifex unum, vel duos de Fratribus ſuis Cardinalibus ad ipſum mittere debet circa tempus, quo ipſe Rex venturus eſt, ut ſimul cum ipſo Romam veniant*. Additque mox, eam eſſe conſuetudinem, *ut antequam ingrediatur Italiam in præſentia Cardinalium ſuper ſancta*

(1) Ita in editione Veneta anni 1516. & Colonienſi anni 1517. in Romana vero anni 1560. legitur, *a ſua Majeſtate*.
(2) Ita in Romana editione, deeſt vero, *aut* in aliis citatis. (3) Ita in Romana, in aliis legitur, *ſine veſtro conſilio*.

Digitized by Google

Evangelia manu propria juret, cujus juramenti tenor, & forma in Regiſtris Romanorum Pontificum continetur. Juxta antiquum morem, cui noſtrum Cæremoniale concinit, idem plane ritus, quem in hoc §. & ſeqq. idem ipſum Cæremoniale præſcribit, ſervatus fuit in adventu Friderici III. Imperatoris Romam anno MCDLII. ad Coronam Imperialem de manu Pontificis Nicolai V. accipiendam. Placuit autem Friderici Coronationem præ ceteris hoc loco enarrare, quia ſcilicet noſtrum hoc Cæremoniale in hoc Titulo, qui eſt, *De adventu & coronatione electi in Imperatorem Romanum*, ejuſdem Friderici coronationis ſæpe ritum recenſet.

II. Ergo anno MCDLII. ipſis Kalendis Januarii, ut ait Nauclerus Generatione XLIX. Fridericus Cæſar Romam petiturus ad Coronam Imperialem de manu Pontificis accipiendam, Italiam intravit, ſecum ducens Ladislaum pupillum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, atque Albertum fratrem ſuum, ſplendidumque nobilitatis comitatum, ſed pacatum, & inermem, nequid formidinis inferret, cum multi exemplis territi antecedentium Imperatorum, ſuſpectum ejus adventum habuiſſent, adeout etiam Nicolaus ipſe Papa V. ut in ejus Vita narrat Platina, portas Urbis, ac turres, Capitolium, Arcem S. Angeli, muris firmiſſimis munierit, tam ab eo ſibi, quam ejus occaſione a populo, cum eſſet natura formidoloſus, timens, eamque ob rem milites omnes ſuos cum collectitiis copiis Romam acciverit. Honorificentiſſime ubique, atque lautiſſime Fridericus exceptus eſt, ſubminiſtrato etiam omibus copiis abundanti commeatu. Venetiis cum diſceſſuro abacus ex vitro elegantiſſimo ei offerendus paratus fuiſſet, annuit ille morioni ſuo, ut menſam, in qua repoſitus erat, commovens, vitra everteret, quibus ſic confractis, arridens Fridericus, dicenſque, nunquam aurea, vel argentea vaſa, ad tam levem caſum comminuta fore, pro vitreis, aurea a Venetis munera extorſit, ut tradit Dubravius Lib. XXVIII. & ex eo Spondanus ad annum MCDLII. Num. 1. Pervenit deinde Ferrariam die XVII. Januarii, ubi a Borſio Ateſtino Marchione, qui in Ducem creari a Cæſare petiit, magnifice, ſplendideque habitus, xeniiſque donatus eſt. Hic eſt ille Borſius, qui deinde ſtatis ritibus creatus fuit Dux a Paulo II. Pontifice, ut dicemus infra in Commentario ad Titulum VII. ubi ejus creationis ritus & ordo deſcribitur.

III. Ferraria diſcedens Fridericus pervenit Bononiam, ibi a Beſſarione Cardinale illius Civitatis Legato Apoſtolico pari magnificentia receptus, & Nicolai Perotti oratione laudatus, quem propterea Fridericus laurea corona donavit; ibi Franciſci quoque Sfortiæ Oratores audivit, invitantes illum ad Coronam ferream de more Mediolani ſuſcipiendam. Qui renuens, infenſus enim illi erat, Florentiam profectus eſt, ubi quo ritu in acceſſu ad eam Urbem a S. Antonino tunc Archiepiſcopo Florentino, & Florentinis ſit exceptus, quo die illuc venit, ſcilicet XXI. Januarii, idem S. Antoninus litteris conſignavit, Parte III. Titulo XXII. Cap. XII. §. III. Quid vero ei præſtitum per eos dies, quibus Florentiæ demoratus eſt, idem narrat, aitque etiam per idem tempus veniſſe duos Cardinales a Pontifice miſſos, ut eundem uſque ad Urbem ſociarent. Fuere hi Apoſtolicæ Sedis e latere Legati duo a Pontifice in eam rem creati, nimirum Philippus Tituli S. Suſannæ Bononienſis Antiſtes, ipſius Pontificis frater, & Joannes Carvajalius S. Angeli Cardinalis, uti docent Æneas Sylvius in Hiſtoria Friderici III. & Auctor Commentariorum Pii Papæ II. Porro laudati Cardinales, ut iidem Auctores narrant apud eruditum Georgium in Vita Nicolai V. anno MCDLII. Num. 1. in fine, *ubi Cæſarem adivere, eundem Pontificis nomine Romam invitarunt, parata eſſe omnia ad Coronationem neceſſaria nunciantes*. Additque mox, eoſdem coævos Auctores citans: *Monuerunt etiam Cæſarem Legati, vetuſti moris eſſe, ut antequam Cæſares Patrimonii Beati Petri Provinciam ingrederentur, fidem, atque obſequium Romano Pontifici jurarent. Fridericus hujus moris ignarus, quamquam id alienum eſſe diceret, ſe tamen pariturum reſpondit. Itaque Senis juramentum præſtitit, ut Liber Cæremoniarum S. R. E. nos docet*, in hoc ſcilicet præſenti Titulo, ſequenti §. IV.

IV. Qua vero die Cæſar Florentiam intravit, & Leonora Luſitana eidem Cæſari deſponſata, navibus vecta, ad Liburni portum appulit. *Imperator interea*, ut rem narrat Auctor Commentariorum Pii II. Lib. 1. *Senas venerat, ibique ſponſam manebat, quam poſtquam properare cognovit, emiſſis primum Civibus obviam, deinde Alberto germano Duce Auſtriæ, poſt Ladislao patruele Hungariæ, ac Bohemiæ Rege, quarto loco cum Reliquiis Sanctorum, Clero, poſtremum & ipſe medius inter duos Legatos Apoſtolicos, S. Suſannæ Nicolai Pontificis germanum, & S. Angeli Cardinales, intra ſecundam, & tertiam Urbis portam egreſſus, conjugem expectavit, ibique ambo ex equis deſcendentes, in ſpatioſo, & patenti loco ſe ſe mutuis amplexibus exceperunt*. Addit tum etiam memoratus Auctor, ibi paulo poſt Senenſes marmoream columnam erexiſſe, *memoriale diuturnum, quo poſthac Imperatorem ab Oriente, Imperatricem ab occidua ſolis parte venientes, illic ſe primum vidiſſe poſteri cognoſcant*. Sed his omiſſis, certe, *dum Senis eſſet*, Imperator, *in manibus Legatorum Apoſtolicorum* juramentum illud §. III. deſcriptum præſtitit, ut in ſequenti §. IV. noſtrum Cæremoniale teſtatur, ex quo etiam docemur, ipſum juramentum jam ante hunc Fridericum III. plures alios præſtitiſſe, juxta ſcilicet antiquum ritum cujus paſſim mentionem faciunt Auctores Vitarum Imperatorum, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores. Ceterum præter hoc juramentum legitur infra & alia juramenti formula, quod æque ex pervetuſto ritu ſolet Imperator Romæ in ſua Coronatione præſtare Summo Romano Pontifici, & Succeſſoribus ſuis, de quo nos ſuo loco dicemus.

V. Porro præſcribendo illi juramento occaſionem dedit, quod Imperatores non ſemel Romam venientes ad ſuſcipiendam Imperii Coronam moleſti eſſent Pontifici, Sediſque Apoſtolicæ ditionem, ac juriſdictionem invaderent. Hinc, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii Papæ VI. apud Baluzium, *Karolus Rex Alemanniæ, & Bohemiæ deſcendens in Italiam, Coronam Imperialem de manibus Domini Petri Epiſcopi Oſtienſis ad hoc miſſi*, ab Innocentio nempe VI. Avenione commorante, *in Baſilica Sancti Petri in die Sancto Paſchæ*, ſeu die V. Aprilis anni MCCCLV. *honorabiliter ſuſcepit, & uxor ejus*

Digitized by Google

ejus cum eo, ſtatim Romam exiens eo die. Quia ſcilicet, ut notat Pagius in ejuſdem Innocentii Vita, Num. XIV. jam antea juramento ſe adſtrinxerat, quod ante diem Coronationis aſſignatam non ingrederetur Romam, eademque Coronationis die, legitimo ceſſante impedimento, recederet, & nulla mora in Terris Eccleſiæ facta, continuatis itineribus ad Terras Imperii ſe ſe reciperet, ad vitandas videlicet occaſiones rixarum cum Eccleſiæ ſubditis, & pruriginem occupandi aliquid, aut quidquam aliud contra Sedem Apoſtolicam agendi, ſicut a pleriſque aliis actum fuerat, quæ inextricabilia inter Eccleſiam & Imperium diſſidia generare poſſent, ſicut etiam agnoviſſe Krantzium Lib. VIII. Capite XXXVI. ſcribit Spondanus ad annum MCCCLV. Num. II. ubi & addit, Franciſcum Petrarcham has rationes concoquere non valentem, ſolita calami libertate, Lib. II. *De vita ſolitaria*, Sectione IV. Cap. III. graviter queſtum eſſe, Cæſarem hunc Carolum IV. veluti rapto Diademate in Germaniam abiiſſe, patriis latebris, & nomine contentum Imperii; cujus extrema membra complecteretur, caput ſperneret; nulloque perſequente fugientem, ſponſæ ſacros amplexus, & pulchræ faciem horrere Italiæ. Excuſare quidem Cæſarem ſe Eccleſiæ juraſſe, ne amplius quam unum diem Romæ ageret: *Sed ò*, inquit, *infamem diem! ò pudendum fœdus! ò ſuperi! en jusjurandum, en religio, en pietas! Romanus Pontifex ita ſuam Romam deſeruit, ut eam nolit ab alio frequentari, & de hoc cum Romano Imperatore paciſcatur*. Sed, ut ſubdit Spondanus, excuſandus in homine liberrimæ linguæ impotens amor Urbis Romæ, & Italiæ, præ quo nihil penſi habuit; etiam alioqui parum Pontificibus æquus, ob deſertam ab iis præcipuam ipſorum Sedem Romanam.

VI. Eſſe autem pervetuſtum ritum, ut Imperatores ſuſcepturi Imperialem Coronam, in Urbe a Romano Pontifice, iterum atque iterum juramentum præſtarent, tum ante quam Urbem ingrederetur, tum etiam actu Coronationis, docet nos celebre Henrici V. exemplum, qui teſte Petro Diacono, Libro IV. Chronici Caſinenſi, Cap. XXXV. *cum in Tuſciam deveniſſet, demiſſis Romam in porticu S. Petri Nunciis*, ſolemne juramentum edidit, juxta formulam ibidem deſcriptam; idemque juramentum præſtiterunt *Albertus Cancellarius, Hermannus Fridericus, & Gotfridus Comites, Fridericus Saxo, & Cuono frater Berengarii, Sigeboth de Bavoaria, Heinricus Dux Carinthiæ, Bertulfus filius Ducis Bertulfi, atque Albertus Cancellarius*. Ita plane habet laudatus Petrus Diaconus loco citato Chronici Caſinenſis, juxta editionem Angeli de Nuce, additque mox etiam ſic: *Hi omnes poſt Imperatorem eo ordine juraverunt, ut ſi Imperator hoc implere nollet, ipſi cum omnibus ſuis tenerent ſe ad Romanam Eccleſiam*. Rurſus, ut ibidem Cap. XXXVII. legitur, *ubi Pontifex* Paſchalis ſcilicet II. *Imperatorem veniſſe cognovit, directis Nunciis, ſecuritatem ab eo, & obſides expetebat, cui Cæſar obſides tradens, & ab eo obſides recipiens, jurejurando firmavit de ipſius Apoſtolici vita, de honore, de membris, de mala captione, de regalibus etiam, & patrimoniis B. Petri, & nominatim de Apulia, Calabria, Sicilia, ac Capuano Principatu, factis etiam ſacramentis, quod omnem inveſtituram Eccleſiarum, & earum res omnino quietas dimitteret*. Confirmavit iterum iterumque hujuſmodi juramentum Henricus Paſchali Papæ II. & quidem juxta antiquum morem, ut dicemus inferius in Commentario ad §. VI.

VII. Ut alia exempla omittam, jam ante Fridericum III. ubi Sigiſmundus de Corona Imperiali recipienda Romæ Eugenium Pontificem IV. ſollicite urgebat, his tandem conditionibus res conſtitua eſt inter eundem Pontificem, & Sigiſmundi Nuncios Matikonem Comitem Recomenſem, & Gaſparem Slick Vicecancellarium ſuum die VII. Aprilis anni MCDXXXIII. ut Rex Viterbium, vel in Urbem concederet ad Pontificem, præſtaretque ei, vel ipſius Legato ad hoc inſtituto omnia juramenta, aliaque cuncta, quæ tam de conſuetudine, quam de jure facere teneretur juxta formam Clementinæ Conſtitutionis, accederentque ſolum cum comitatu ſuo, & familia, nec ullum ſecum duceret ſcienter hoſtem, aut inimicum Eccleſiæ, aut ipſius Pontificis, vel populi Romani rebellem; ſi vero inadvertenter aliquis ejuſmodi inter ceteros reperiretur, illum ad indicationem remitteret. Atque hæc quidem narrat ex Appendice Concilii Baſileenſis Spondanus ad annum ipſum MCDXXXIII. Num. V. itemque Pagius in Vita Eugenii IV. Summi Pontificis, Num. XLIII.

§. IV.

De liberalitate Pontificis erga Imperatorem, cum Eccleſiæ territorium ingreſſus eſt.

Aliquando Oratores electi quando veniunt ad intimandam electionem, & ad petendam confirmationem nomine electi Regis, ſolent præſtare ſupradictum juramentum, ſi habent ad hoc ſpeciale mandatum. Hoc Juramentum Federicus Tertius Imperator, qui adhuc regnat, dum Senis eſſet, in manibus Legatorum Apoſtolicorum anno ſalutis quinquageſimo primo ſupra mille & quadringentos præſtitit, & ante eum plures alii præſtiterunt. Dehinc, ut primum Eccleſiæ territorium ingreſſus eſt Cæſar, conſuevit cum ſua familia expenſis Pontificis ali, quandiu & Romæ, & in Agro Romano fuerit. Nicolaus Quintus quamvis Federico prædicto cum familiaribus quingentis tantum expenſas promiſerit, longe tamen plures ære ſuo aluit. Ut Sutrium venit Cæſar, vel locum Urbis vicinum, ita ut poſtridie (1) applicare ad Urbem poſſit, Le-

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero legitur, *pridie poſt*.

Digitized by Google

Legati Apostolici illum cum aliquibus Prælatis a Pontifice missis qui necessaria curent, dimittunt, ut Romam perveniant.

COMMENTARIUS.

I. EXplicari vix potest, quanta fuerit semper Romanorum Pontificum, & Apostolicæ Sedis erga Imperatores, ac Principes liberalitas in ipsis subveniendis, quum indigerent. Ut alios omittam Reges, certe nostris hisce temporibus Austriaci Imperatores occasione belli Turcici, ne sua Regna amitterent, plurima centena aureorum millia ab ipsis Pontificibus obtinuerunt. Mirum autem videri debet, aliquando Principes inter se belligerantes iniquissima violentia duris, longisque exactionibus Ditionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ nulli unquam molestiam fecit, prægravasse. At vero licet Principes ipsi, & Apostolicam Sedem, & Romanos Pontifices injuria afficerent; hi tamen a Christo Domino edocti, cujus vices gerunt in terris, studuere semper eximia illos liberalitate superare, præsertim vero ubi Romam adveniebant. Testatur id quidem hic noster §. qui loquens de Friderico III. appropinquante ad Urbem, ut a Nicolao V. Papa coronam Imperii acciperet, sic inquit: *Debinc, ut primum Ecclesiæ territorium ingressus est, consuevit cum sua familia expensis Pontificis ali, quandiu & Romæ, & in Agro Romano fuerit.* Additque mox: *Nicolaus Quintus quamvis Federico prædicto cum familiaribus quingentis tantum expensas promiserit, longe tamen plures ære suo aluit.* Testem ejus Pontificiæ liberalitatis habemus etiam Æneam Sylvium, qui in Historia laudati Friderici III. sic inter alia scribit: *Pontifex qui se quingentis equitibus ex comitiva Cæsaris sumtus pollicitus fuerat, mille & amplius pavit, ubertim singula ministravit, pluribus, quos vel amore singulari coluit, vel Cæsari cariores putavit, seorsum providit.*

II. Legendus idem Actor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius in Epistola ad Joannem Manellum Cremanum, ubi describit adventum ejusdem Friderici III. Romam ad Paulum Papam II. præsertim vero Num. XXVII. ubi insignem hujus Pontificis liberalitatem erga Fridericum enarrans, hæc habet: *Omni hoc tempore, quo Cæsar Romæ fuit, & quandiu Ecclesiæ Romanæ Agrum peragravit, Pontifex illum, & omnem ejus comitatum hospitio, victuque suo ære continuo excepit, magna liberalitate, & rerum omnium ingenti copia. Non equis, non hominibus quicquam defuit; ubique benigne comiterque omnes habiti sunt. Gratias spirituales, quas plurimas, & magnas a Pontifice impetrarunt omnes, sine pecuniis redemit. Omnia enim Pontifex gratis jussit expediri. Donatus est præterea Cæsar a Pontifice albo equo falerato, & aurea toga, quibus in solemni pompa usus est; & præter hæc decentibus quibusdam munusculis, lapillis, unionibusque pretiosissimis ornatis, quæ supra duûm millium aureorum nummûm æstimata sunt.* Longum esset varia id genus exempla recensere hoc loco. Notum plane est, quanta munificentia, atque eximia liberalitate Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. non ita pridem Carolum Regem utriusque Siciliæ exceperit, qui post fugatos apud Velitras Germanos, Romam ad ipsum Pontificem venit, ut ejus pedes deoscularetur. Summa quippe est laudati Caroli Regis religio, atque devotio erga Apostolicam Sedem, & Jesu Christi in terris Vicarium Romanum Pontificem Maximum, quem ejusdem Caroli Majores Galliarum æque, ac Hispaniarum Reges Christianissimi, atque Catholici, summis semper obsequiis venerati sunt, præsertim vero illius parens Philippus V. Rex Hispaniarum, qui aliquando in suæ egregiæ humilitatis indicium erga Vicarium Christi manu propria ac genibus flexis scripsit sanctæ memoriæ Benedicto XIII. quem ob egregiam ejus pietatem semper plurimi fecit.

§. V.

Ingressus Cæsaris in Urbem, & ordo obviandi, & de statione extra Urbem.

Sequenti die electus Imperator Romam versus capit iter, cui honoris gratia obviam mittuntur a Pontifice Prælati, Barones. & Curiales hoc ordine, ut in Federici adventu servatum est. Primi ad sextum lapidem Columnenses Proceres cum suis amicis, & clientulis (1) & mox Ursini, atque alii Barones Urbis; tum Pontificis copiæ, quæ adsunt cum illarum Præfecto; inde Vicecamerarius cum Præfecto Urbis, Senatore, Conservatoribus, Officialibus, & aliis nobilibus civibus Romanis; deinde Ordines Curiæ cum Regente Cancellariæ sine aliquo alio Prælato; demum alii Prælati domestici Pontificis cum omni ejus familia; & tandem Sacrum Cardinalium Collegium ad radices montis juxta Domum Leprosorum Cæsarem expectabunt. Hi omnes distinctis intervallis Imperatori electo obviabunt. Oratores vero Principum, siqui in Urbe erunt, pro suo libito obviam procedent. Cardinales ut Cæsarem convenient, congratulationibus, & oblationibus factis nomine Pontificis, & Collegii, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales deducent usque ad tentorium, sive alium locum sibi deputatum extra Urbem, nam Cæsar non consuevit ea die, qua

(1) Ita in Romana editione anni 1560. legitur, in Veneta vero 1. anni 1516. *clientelis*.

Digitized by Google

qua appulit, Urbem intrare, sed pernoctare saltem una nocte extra mœnia in campis. Cardinales, & alii omnes, postquam Cæsar ad locum deputatum pervenerit, in Urbem revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. SEnis profectus Fridericus electus Imperator iter Romam versus suscepit, cui magnus apud Viterbium mandante Pontifice, fuit honor exhibitus, teste Ænea Sylvio in Historia Friderici III. Cardinales Legati e Viterbio Romam præcessere, ad eamque Urbem iter etiam suum Fridericus movit. Describit autem raptim memoratus Æneas in citata Historia, quo ritu Cæsar extra Urbem sit exceptus. Ubi enim ait, de colle *Montis mali*, seu *Marii* descendit, occurrit ei Senatus Apostolicus, ac ea nocte Cæsar extra mœnia Urbis in Domo Marci Spinelli negociatoris Florentini pernoctavit. His similia, sed fusius tradit Cornelius Zantiflietus in Chronico ad annum MCDLII. cujus locum describit in Nicolai Papæ V. Vita Georgius ad prædictum annum MCDLII. Num. II. *Cum igitur feria quarta post Dominicam, Reminiscere*, quæ est secunda Quadragesimæ, idest die VIII. Martii, quæ eo anno in feriam IV. incidit, *Dominus Fridericus cum sua comitiva circa crepusculum noctis appropinquasset ad Urbem Romam, iverunt ei obviam Senator Urbis, & Soldanus, una cum Nobilibus, & Consulibus, & Electis Urbis primo. Subsequenter omnes Cardinales cum Episcopis, Prælatis, & Doctoribus, circiter unum milliare; a quibus magnifice & honorifice susceptus est, & ductus ante Urbem, retro Palatium S. Petri juxta viam communem in campis, in quibus Dominus Nicolaus Papa figi fecit decem tentoria, in quibus hospitati sunt omnes fere Magnates, & Satellites Regis. Porro Rex, & Regina, necnon & Rex Hungariæ prædicti hospitati sunt illic in Domo nova cujusdam Florentini recenter constructa.* Hactenus ille.

II. Ad sextum vero lapidem, ut nostrum Cæremoniale ait, Friderico occurrerunt primum *Columnenses Proceres* eum suis amicis, deinde *Ursini*, quos alii Urbis Nobiles, Pontificis copiæ, Vicecamerarius cum Præfecto Urbis, Senatore, Capitolinis Magistratibus, Romanis Civibus, & Pontificiæ Aulæ Præsulibus consequuti sunt. Sed audiamus Æneam Sylvium, qui in citata Historia Friderici III. postquam retulit ingentem apud Viterbium Imperatori ipsi honorem exhibitum, ita inferius subdit: *Legati Romam præcessere. Ipse*, Imperator scilicet Fridericus, *ad Idus Martias ex Sutrio iter Romam summo mane accepit, cui jam Romæ proximo quidquid Nobilitatis in Urbe fuit, obviam datum est. Primi omnium, qui nomine digni viderentur, Columnenses fuere, duo Martini Papæ V. nepotes, quorum ille alterum Principem Salerni, alterum Marsorum Ducem creaverat. Hos plurimi sequebantur, domo nobiles & opulenti cives, Nec minore comitatu secundum locum tenuere præpotentes Ursinorum Proceres, inter quos etiam Prælati aderant. Tertio loco Perusinus Episcopus Thesaurarius Papæ militiam omnem, cui Præfectus erat, secum adduxit. Intervallo deinde competenti Nicolaus Placentinus Episcopus Vicecamerarius Apostolicus, qui postea Mediolanensem Ecclesiam adeptus est, cum Senatore Romano, primariisque civibus Urbis Imperatori occurrit; cunctique Cæsaris adventum lætis animis accipere verbis, ut Itali solent, suavibus, atque ornatissimis ostenderunt.*

III. Hactenus dictis addit mox etiam ipsum nostrum Cæremoniale, Apostolicum S.R.E. Cardinalium Senatum *ad radices montis juxta Domum leprosorum Cæsarem expectasse*. Omnium temporum, omnium nationum honoris genus fuisse occursum Viris Principibus, ut & Ecclesiarum Præsulibus, non uno in loco nostrorum Operum jam nos adnotavimus, viderique inter alios de eo ritu differentes potest eruditissimus Morettus in Lucrubatione, *De Presbyterio*, tum alibi, tum Parte III. Sect. IX. pag. 283. Num. VIII. & in Nota (*a*) ejusdem paginæ. Ut alia exempla omittam, consueviſse antiquitus Imperatori venienti ad Urbem fieri occursum Romanorum, jussu Pontificis ad montem Marii, docet nos Chronicon Casinense Lib. IV. Cap. XXXVII. juxta editionem Angeli de Nuce, ubi enarrat occursum, plaususque factos Henrico V. anno MCXI. a Paschali Papa II. ordinatos: *Obviam ei misit Pontifex in montem Gaudii, qui & Marii dicitur, Bajulos, Pereostatorios, Stauroferarios, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, Draconarios, Candidatos, Defensores, Stratores, & maximam populi multitudinem cum floribus, & palmis.* Vide laudatum Angelum de Nuce loco citato, ubi Bajulos ipsos, aliosque in occursum Henrici a Paschali II. directos fuse exponit. Videri etiam de his vocibus potest eruditissimus Carolus Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario.

IV. Audiendus nunc iterum Æneas Sylvius in Historia Friderici III. in qua quidem cæremoniæ omnes ad eam coronationem Imperatoris spectantes præsenti hoc Titulo præscriptæ, luculentissime explicatæ sunt: *Venit deinde Cæsar*, inquit, *in eminentem collem, unde Urbem spectare potuit.... Ubi de colle descensum est, ibi Sacer Senatus Apostolicus extra ordinem occurrit. Nam cæteris Cæsaribus id honoris negatum ferunt. Credo equidem, postquam Cæsarea Majestas attenuata; nam priscis temporibus non Cardinales solum, verum & ipsos Romanæ Urbis Maximos Pontifices obviasse constat. Quippe ad Fridericum I. usque ad Sutrium Pontifex venit. Sed est omnium potestatum vicissitudo; Olim Cæsarea dignitas ingens fuit, nunc Sedes Apostolica major est. Cujus auctoritatem post traditas Petro claves Regni Cælorum semper fuisse majorem putaverim.* Sane occurrit Friderico I. Imperatori cum exercitu Romam properanti Hadrianus Papa IV. testaturque Anonymus Vaticanus apud Pagium in Vita ejusdem Hadriani Num. X. Pontificem in præparata sibi Sede confidentem, cum Fridericus ad ejus vestigia procidisset, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluisset, Pontificem illud ei denegasse, ob non impensum sibi ab eo consuetum ab Orthodoxis Imperatoribus, pro Apo-

Digitized by Google

Apostolorum Petri & Pauli reverentia, reddi Romanis Pontificibus stratoris obsequium. Respondente autem Rege, se ad hoc non teneri, sequenti die investigata diligenter antiqua consuetudine, & veteribus monumentis, judicio Principum, qui aderant, decretum fuisse, totiusque Regalis Curiæ consensu confirmatum, Regem debere Pontifici streguam, seu suppedaneum tenere, dum conscenderet equum, & stratoris officium exhibere; idque Fridericum Imperatorem in conspectu universi exercitus sui alacriter præstitisse, & postea ad pacis osculum admissum fuisse.

V. Ergo vel Friderici I. exemplum satis nos docet, olim, & semper Apostolicæ Sedis dignitatem, ejusque potestatem, ingentem ac superiorem fuisse Regia & Imperatoria Majestate. Sed ordinem persequamur nostri Cæremonialis, ubi edicitur, Cardinales ut Cæsarem Romam preperantem convenient, *congratulationibus, & oblationibus factis nomine Pontificis & Collegii, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales, deducere usque ad tentorium, sive alium locum sibi deputatum extra Urbem*. Additque mox: *Nam Cæsar non consuevit ea die, qua appulit, Urbem intrare, sed pernoctare saltem una nocte extra mœnia in campis &c.* Eadem tradit in Historia Friderici III. Æneas Sylvius, qui etiam antiqui ejus moris rationem explicare conatur, ita inquiens: *Cardinales postquam Cæsarem salutaverunt, secum familiarius aliqua tractaverunt; reversi Romam eum extra Urbem reliquerunt. Cujus rei causam non aliam arbitrari possum, nisi quod ea dies Papæ cedat ad providendum, nequid, ingrediente Cæsare, tumultus fiat; sive id spatium sibi Cæsares ipsi assumserunt, ut explorato Urbis statu, tutius ingrederentur; seu bis terque aliqua vel causa, vel casu res gesta vim consuetudinis accepit*. Addit, Cæsarem, & Imperatricem mansisse *ea nocte in domo Marci Spinelli negotiatoris Florentini, quam sibi deliciarum causa extra Urbem ædificaverat*; ceteros vero ait in castris mansisse.

VI. Teste eodem Ænea Sylvio, multis Cæsar indulsit Urbem introire, *inter quos*, ut idem Auctor scribit, *Æneas fuit, qui mox ad Pontificem vocatus, multa de mente Cæsaris interrogatus, omnia tuta, quieta, sinceraque dixit, neque timore ullo fuisse opus, affirmavit. Ad quem Pontifex*, Ut tibi verum manifestem, *ait*, cum Fridericum tuum adversum nobis, & Ecclesiæ multi venientem affererent, quamvis non haberemus omnibus fidem, maluimus tamen salvari timentes, quam perire audaces. *Atque his dictis eum remisit in domo, quam sibi egregiam assignaverat juxta Tiberim. Castellanus eam quondam construxerat, qui Arcem S. Angeli per multos annos ab Eugenio*, IV. scilicet Pontifice, *tenuerat*. Forte antiquum morem sequutus est Carolus Rex utrusque Siciliæ, ubi anno MDCCXLV. apud Velitras devictis fugatisque hostibus Romam die II. Novembris perveniens, ut Summo Romano Pontifici obsequia sua exhiberet, & pedes deoscularetur, nocte in Suburbano nobilis Patriciorum familiæ, extra portam Numentanam, quæ hodie Pia dicitur a Pio Papa IV. ejus instauratore, mansit.

§. VI.

De juramento, quod Cæsar Urbem ingressurus præstat Romanis.

Consueverunt etiam electi Imperatores hac die, antequam ponticulum, qui primus ante ingressum Urbis post descensum montem occurrit, pertranseant, præstare juramentum Romanis in hanc formam: *Ego Karolus Rex Romanorum futurus Imperator juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas*. Sic me Deus adjuvet.

COMMENTARIUS.

I. MOrem plane fuisse antiquissimum, ut electi Imperatores inter alia juramenta, quæ Romano Pontifici, Sedique Apostolicæ præstare solent, Romanis etiam ante ingressum Urbis juramentum præstent, de servandis scilicet bonis consuetudinibus suis, docet nos Henrici V. exemplum, ubi Romam accessit III. Idus Februarii anno MCXI. Teste siquidem Petro Diacono Lib. IV. Chronici Casinensis, Capite XXXVI. *Romanis instantibus, ut honorem, & libertatem Urbis sacramento firmaret, callide illos Cæsar circumvenire cupiens, Teutonica lingua juxta suum velle juravit*. Quicquid autem sit de hujusmodi juramento, teste eodem Petro Diacono, Libro citato Cap. XXXVII. idem Henricus *duo juxta priorum Imperatorum consuetudinem juramenta, unum juxta Ponticulum*, prope montem scilicet Marii, ubi, uti jam dictum superius est, solemnissima pompa occursum jussu Pontificis Henrico fuit, *alterum ante portam porticus, Romanorum populo fecit*. Notanda potissimum ea verba sunt, quibus dicitur, præstita fuisse populo Romano duo hæc juramenta ab Henrico, *juxta priorum Imperatorum consuetudinem*; erantque hæc plane diversa ab iis, quæ Romano Pontifici, Sedique Apostolicæ præstari solita erant, & quidem iterum iterumque, ut exemplo ejusdem Henrici addiscimus, qui, ut ait memoratus Petrus Diaconus, ingressurus Urbem, directis ad eum a Paschali II. Papa Nuntiis, *jurejurando firmavit de ipsius Apostolici vita, de honore, de membris, de mala captione, de regalibus etiam, & patrimoniis B. Petri, & nominatim de Apulia, Calabria, Sicilia, ac Capuano Principatu, factis etiam sacramentis, quod omnem investituram Ecclesiarum, & earum res omnino quietas dimitteret*. Vide quæ de hujusmodi investituris diximus nos Tomo III. Conciliorum in Historia Œcumenici I. Lateranensis Concilii. Ibi enim & earum originem, & progressum, & extinctionem invenies.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

De Imperatoris ingreſſu in Urbem.

Poſtera die (1) ſummo mane Cæſar per portam, quæ eſt ſub Arce S. Angeli, hoc ordine quaſi triumphans ingreditur. Primi duo Equites vexilla duo Cæſaris portant, alterum S. Georgii, quod ad Svevorum pertinet cuſtodiam, Aquilæ alterum. Hos ſequuntur Cæſaris cohortes armatæ, tum Nobiles Proceres, & Togati ejus. Inde Oratores Regum, & Principum, qui adſunt. Tum ſiquis adeſt Rex, aut maximus Princeps, ut fuit cum Federico Rex Ungariæ, & Bohemiæ Ladislaus; & tunc ſequitur Præfectus Urbis, & Senator. Et ad Præfectum quidem pertinebat nudum enſem ante Cæſarem ferre, Federico tamen Mareſcallus ſuus, non Præfectus, gladium prætulit. Inter iſtos autem, & Cæſarem nemo equitare debet, niſi Mareſcallus, ſi Præfectus non præfert enſem. Incedit deinde Cæſar ſolus equitans, & poſt eum Prælati Conſiliarii, Proceres inermes, & alii Togati ſui. Deinde modico intervallo Imperatricis familia; ſi uxor Virum ſequitur, ſuccedere debet; ante illam Nobiles, & Prælati, & poſt Matronæ, Virgines, & pediſſequæ; circa illam vero ſolam equitantem pedites multi; ultimo incedunt Eccleſiaſticæ copiæ pompam claudentes. Portam ipſam qua ſub arce ingrediuntur, noſtri Codices falſo Collinam appellant. Collina autem porta non eſt in novis Leonis Papæ ſuburbiis, ſed in antiqua Roma. Quirinalis primum dicta, deinde Collina, ut ſcripſit Varro, a pluribus montibus, qui in Quirinali monte continebantur, hodie Salaria nuncupatur, quia inde via Salaria itur. In porta igitur, quæ ſub arce eſt, non Collina, Clerus Urbis ſacris veſtibus ornatus cum Crucibus, & Sanctorum Reliquiis, præſidente Vicario Urbis, & aliis Eccleſiarum Prælatis infulatis, Cæſarem expectant, advenienti Cruces deoſculandas offerunt, & eum incenſant; ac cantantes, *Ecce mitto Angelum meum &c.* procedunt uſque ad gradus Baſilicæ Principis Adoſtolorum. Cives autem digniores baldachinum ſupra Cæſaris caput portant. Conſervatores freno equum ducunt. Cum vero eſt in magna area ante gradus, Præfectus, & Senator id gerunt. Et deſcendente ex equo Cæſare, Præfectus ſtapham tenet; deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem, Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargere conſuevit, ut diximus in Coronatione Papæ de Soldano.

COMMENTARIUS.

I. JAm alibi diximus, omnium temporum, omniumque nationum honoris genus fuiſſe occurſum Viris Principibus, fieri eiſdem etiam ab ipſis Summis Sacerdotibus ſolitum. Egregiam Jaddi Sacerdotis pompam, qua occurrit Magno Alexandro Hieroſolymas ſubituro, inter alios deſcribit Joſephus Libro XI. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. VIII. Penetrantem Athenas Regem Attalum exhibens Livius Lib. XXXI. Hiſtoriarum, ita inquit: *Civitas omnis obviam effuſa cum conjugibus, ac liberis; Sacerdotes cum inſignibus ſuis intrantem Urbem, ac Divi prope exciti ædibus ſuis exceperunt*. Exhibitum paſſim hujuſmodi honoris genus a Summis Romanis Pontificibus fuiſſe Regibus ad Urbem venientibus, præſertim cum ſuſcepturi eſſent Imperialem Coronam, multis poſſet oſtendi exemplis, quæ in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & in Romanorum, atque Imperatorum Vitis occurrunt. Certe Carolo Magno, qui Romam ob eam cauſam venit circa diem octavum Kalendas Decembris anni DCCC. prodiit in ejus Vita Ademarus, Leonem Papam III. & Romanos cum eo, apud Nomentum, duodecimo ab Urbe lapide occurriſſe, eum ſummo cum honore ſuſcepiſſe, ſtatimque eundem ad Urbem præceſſiſſe. In craſtino vero in gradibus Baſilicæ B. Petri Apoſtoli ſtans Leo, miſſis obviam Romanæ Urbis vexillis, ordinatis etiam per congrua loca, tam peregrinorum, quam civium turmis, qui venienti Carolo laudes dicerent, ipſum cum Clero, & Epiſcopis equo deſcendentem, graduſque aſcendentem ſuſcepit, dataque oratione, in Baſilicam ipſam B. Petri, pſallentibus cunctis, introduxit.

II. Longum eſſet alia hic recenſere exempla veterum Imperatorum, quibus ſolemniſſima cum pompa Urbem ingredientibus ſuſcipiendæ cauſa Imperii Coronæ, cum ſolemni æque Proceſſione Romani Pontifices occurrerunt. Ut alios omittam, jam ante Fridericum III. Sigiſmundo Urbi appropinquanti Eugenius IV. Pontifex anno MCDXXXIII. *obviam deſtinavit aliquos Cardinales, ac plures Prælatos, & Proceres Romanorum, qui magno honore eum deduxerunt, Clero, populoque ingenti pompa, ac plauſu comitante*, uti ex coævis Scriptoribus refert Spondanus ad ipſum annum MCDXXXIII. Num. XIV. Quo autem ritu, & apparatu laudatus Fridericus III. ingreſſus Urbem fuerit, & qua comitate, atque dignitate a Romanis Ordinibus, & Pontifice Nicolao Papa V. exceptus, ut Corona ſcilicet Imperii donaretur, pluribus Æneas Sylvius deſcribit in Hiſtoria ipſius Friderici III. pag. 75. & ſeqq. & inter alios Cornelius Zantflietus in ſuo Chronico ad annum MCDLII. ubi ita inquit: *In cra-*

(1) Verba iſta, *ſummo mane*, leguntur quidem in editione Romana; deſunt in Veneta, & Colonienſi.

Digitized by Google

eraſtino, nempe die IX. Martii, *præfatus Romanorum Rex cum omni ſua comitiva ductus eſt in Urbem per portam S. Angeli per viam Papæ uſque ad Eccleſiam S. Petri a Clero univerſo cum Crucibus, Vexilliſque, & Sanctorum Reliquiis, Senatuque, & populo Romano, Sanctiſſimo Domino noſtro Papa una cum toto Collegio Cardinalium eum ante januas Eccleſiæ Sancti Petri expectante.*

III. Teſte laudato Ænea Sylvio, qui præ ceteris ingreſſum ipſum luculentius enarravit, introeundi hic ordo habitus eſt. Duo Cæſaris Vexilla fuerunt. Alterum, quod S. Georgii vocitant, id veteri more Suevorum cuſtodiæ deberi ajunt, apud quos militia S. Georgii robur Imperii non parvum ducitur. Deinde Vexillum Aquilæ dictum, & circa ipſum egregii quamplures Equites, quorum ductor fuit Comes Magdeburgenſis. Tum Principum, atque Civitatum Legati, ſed inter hos nata contentio eſt, inter Venetos ſcilicet, & Mediolanenſes, qui circa locum litigabant, dataque Venetis præcedentia, ac præcedentibus, qui ſigna tulerunt, Equitibus, Nobiles ex Alemannia, Bohemia, Hungaria ſequuti ſunt, qui togati aderant. Eos Italici generis inſignes Viri, ab inde Romani Cives, tum Barones, demum Legati Lucani, Ferrarienſes, Montisferrati, Senenſes, Florentini, Mediolanenſes, Veneti, Portugalenſes, Aragonenſes. Subinde Rex Ladislaus venit ſuos circa Miniſtros habens, & aliqui apud eum ex Germania generoſi Comites fuere. Inter ipſum autem, & Cæſarem Senatori, & Præfecto Urbis datus eſt locus, quippe quod his ex officio competere ajebant, poſtquam Urbem Cæſar intraſſet, ejus equum manu regere. Mareſcallus nudatum enſem ante Cæſarem tulit. Poſt Cæſarem proximi fuere Epiſcopi, Senenſis, Gurcenſis, Ratiſponenſis, Trigeſtinus, & reliqui Conſiliarii, Comites, ac Barones. Vacuus exinde ad decem paſſus locus manſit, in quo primo fuere Miniſtri Nobiles Imperatricis, demum Colimbrienſis Epiſcopus, ac Marchio Valentinus Imperatricem proximi antecedebant, & cum his Albertus Pocendorfius Magiſter Curiæ. Ipſam vero multi pedites ſolam ducebant. Poſt plurimæ Matronæ, Virgineſque non minus facie, quam veſtimentorum ornatu demirandæ ſequebantur. Noviſſimus omnium equitatus Apoſtolicus incedebat. Tubarum clangor multis in locis aſſiduus exaudiebatur.

IV. Hæc Æneas Sylvius in citata Friderici III. Imperatoris Hiſtoria, ubi etiam mox addit, quod, *ubi ad portam Urbis ventum eſt, Epiſcopus Spoletanus, Vicarius Pontificis, ac plurimi Coepiſcopi, & Abbates infulati venerabiles Sanctorum Reliquias in Proceſſione ferentes occurrerunt; Cæſaremque ſub aureo panno, quem ſive Umbraculum vocitant, ſive baldachinum, introduxere uſque ad gradus Baſilicæ S. Petri.* Portam ipſam, qua ſub arce ingrediuntur, quidam Codices falſo Collinam appellant, ut notat noſtrum Cæremoniale: *Collina autem porta non eſt in novis Leonis Papæ ſuburbiis, ſed in antiqua Roma. Quirinalis primum dicta, deinde Collina, ut ſcripſit Varro, a pluribus montibus, qui in Quirinalis monte continebantur, hodie Salaria nuncupatur, quia inde in via Salaria itur.* Viam Salariam ideo appellatam, quod per eam Sabini ſal a mari deferrent, notavit eruditus Floravantes Martinellus in ſua Roma ex Ethnica ſacra, Cap. II. Num. III. Ceterum in porta, quæ ſub Arce Hariani, ſeu S. Angeli eſt, & vulgo porta Caſtelli dicitur, non autem Collina, *Clerus Urbis*, ut ait noſter §. *ſacris veſtibus ornatus cum Crucibus, & Sanctorum Reliquiis, præſidente Vicario Urbis, & aliis Eccleſiarum Prælatis infulatis, Cæſarem expectant*, Urbem ſcilicet ſolemni pompa ingreſſurum; *advenienti Cruces deoſculandas offerunt, & eum incenſant, ac cantantes*, Ecce mitto Angelum meum &c. *procedunt uſque ad gradus Baſilicæ Principis Apoſtolorum.* Juxta ritum in Romano Pontificali præſcriptum Parte III. Titulo XXII. qui inſcriptus eſt, *Ordo ad recipiendum Proceſſionaliter Imperatorem*, quem nos in Commentariis noſtris ad ipſum Pontificale fuſe explicuimus, *Imperator ex equo, vel, quod magis convenit, deſcendens in terra ſuper tapete ſtratum genuflexus oſculatur ibidem Crucem*, illam nempe Crucem, quam ei præcipuus Prælatus deoſculandam porrigit, non autem plures, ut noſtrum Cæremoniale innuit.

V. Porro noſtro huic §. concinit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. CV. quod inſcriptum eſt, *Ordo ad benedicendum Imperatorem, quando coronatur*, cujus verba hæc ſunt: *Cum Rex in Imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam, quæ eſt juxta Caſtellum Creſcentii, recipiatur honorifice a Clero Urbis cum Crucibus, & thuribulis, & proceſſionaliter deducatur uſque ad gradus Baſilicæ S. Petri, cantantibus univerſis*, Ecce mitto Angelum meum. *Camerariis ejus miſſilia ſpargentibus ante ipſum, & Præfecto Urbis gladium præferente.* Eadem leguntur in ms. Pierſanctiano Codice Cæremoniali; atque hi ſunt antiqui Codices, quos noſtrum Cæremoniale merito refellit, quod falſo portam Collinam appellent portam illam, quæ eſt ſub Arce Hadriani; cum alia eſſet Collina porta juxta notata a nobis paulo ſuperius. Fuit hic error vulgi, in quem & alii Scriptores impegerunt. Sed agendæ nihilominus gratiæ memoratis Codicibus ſunt, quod nobis antiquos ritus conſervarunt, qui deinde in meliorem formam redacti novo huic Cæremoniali ab Auguſtino Patricio, qui ipſum ordinavit, inſerti fuere.

VI. Ex teſtimonio tandem noſtri hujus §. in quo ſolemnis Imperatoris ad Urbem ingreſſus deſcribitur, *inter equitandum, Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargere conſuevit.* Etiam Reges quum Romæ coronarentur, conſueviſſe pecuniam effundere in plebem, docent nos quidem vetera earum Coronationum monumenta. Certe in habita ad S. Petrum die VI. Januarii anno MCCLXVI. per Cardinales a Clemente IV. deputatos Coronatione Caroli Andegavenſis Regis, & Beatricis Reginæ utriuſque Siciliæ, effuſos ab his nummos in plebem, & quidem ea opportunitate cuſos, conjicit Floravantes ad paginam 31. Libri, *De antiquis Romanorum Pontificum denariis*, dum elucidat nummum Tabulæ XVII. Num. XI. ſic inquiens: *Non inveriſimile eſt, hujus formæ nummos, quos miſſiles non inepte dixeris, populo ea occaſione ſparſos fuiſſe.* Teſte Blaſio Cæſenate Cæremoniario Apoſtolico in ms. Diario, ubi enarrat ſolemnem Caroli V. Imperatoris Coronationem per Clementem VII. more prorſus Romano Bononiæ peractam, Cæſar ipſe per Miniſtros ſuos in populum pecuniam effudit tum ingrediens Civitatem, tum per eandem

Digitized by Google

dem equitans celeberrime cum Pontifice, Coronatione absoluta. Scitissime animadvertit Morettus in sua Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte III. Sectione IX. Num. IX. nullum in hoc nostro §. fieri verbum de ea largitione, quæ proprie dicitur Presbyterium, jam olim ab Imperatoribus restaurati in Occidente Imperii, elargiri solitum, quoties publico apparatu Romam accessere, & vel manu Romani Pontificis, ejusve Legatorum coronati sunt. Ejus ritus silentii, quod fit in hoc nostro §. consectarium videri ait ibidem Morettus, quod a laudato Carolo per Clementem VII. coronato, licet sparsi nummi fuerint in plebem, Presbyterium tamen datum non fuerit.

VII. Siquis autem sciscitetur, cur ea retroactis seculis observata consuetudo sileatur in hoc nostri Cæremonialis §. Respondet memoratus Auctor præstantissimus, *fortassis id factum, ut omnino ex libito pendere Pontificum ejusmodi actionis permissionem ostenderetur*. Tum etiam mox addit: *Fortassis creditum, e dignitate non esse Romanæ Curiæ, maxime supremorum post Pontificale capitum, Cæsareis, Regalibusque donari rogis*. Quicquid sit, addubitari nequit, quin prisci Summi Romani Pontifices laicis Principibus aliquando indulserint, ut integri Presbyterii Papalis donandi honorem participarent. Donatum fuisse eo honore a Benedicto Papa III. qui ad Petri Cathedram evectus fuit anno Christi DCCCLV. Ethelvulphum Anglo-saxonum Regem, docet nos Liber Pontificalis in Benedicti III. Vita sic inquiens: *Rex Saxonum, postulante Domno Benedicto Papa, ut faceret Rogam in Ecclesia B. Petri Apostoli publicam de pondere auri, vel argenti librarum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & universo Clero, & Optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minimum argentum*. Roga, teste Dufresne, idem est, ac donativum, seu honorarium, quod Proceribus, & Magistratibus, atque adeo etiam populo ab Augustis, vel Clero a Summis Pontificibus erogari consuevit. De Tiberio II. Historia miscella ex editione Canisii pag. 770. ita inquit: *Duxit Anastasiam uxorem suam, & coronavit eam Augustam, & jactavit Rogam multam.* Anastasius quoque in Vita Deusdedit Papæ hæc habet: *Hic divisit per obsequia, & ad omnem Clerum Rogam unam integram*. Alibi etiam dicitur Presbyterium, uti ibidem notat Dufresne in ipsa voce *Roga*, & in voce *Presbyterium*. Sed supervacaneum est alios Auctores recensere, quum unus præ omnibus eruditissimus Petrus Morettus Lucubrationem omnigena eruditione refertam concinnaverit, quam *De Presbyterio* inscripsit.

§. XIII.

Quomodo Papa excipit Imperatorem ad osculum pedis supra gradus Basilicæ S. Petri.

In plano supra gradus Basilicæ ante primam porticum ad dextram ascendentibus erigitur suggestus ornatus cum Throno Pontificali, & sedilibus Cardinalium, Prælatorum, & aliorum Officialium, ut supra descripsimus in Coronatione Pontificis; supra quem suggestum Pontifex Pluviali, & Mitra pretiosis indutus ascendit cum Ordinibus Curiæ paulo antea quam Cæsar appareat. Electus Imperator cum suis omnibus servato ordine, ut equum descendit, per gradus ascendit suggestum; & ut primum Pontificem videt, detecto capite illum, genu terram tangens, veneratur. Et iterum cum appropinquat ad gradus Sedis, genuflectit. Demum cum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentia Salvatoris devote osculatur. Pontifex hilari vultu Cæsarem aspiciens ad osculum manus, & oris recipit. Tum Cæsar iterum genuflexus auri massam ad pedes Pontificis offert, habetque (1) verba ad Pontificem, gratias agens pro honore susceptо, prout ei videbitur. Pontifex benigne illi respondens, illum sublevat, & summæ caritatis declaratione amplectitur. Et stante ibi ad dextram Pontificis Cæsare, Pontifex recipit Imperatricem ad osculum pedis & manus; Regem vero, siquis adest, ad osculum pedis, manus, & oris; alios autem Prælatos, Proceres, & Nobiles Cæsaris ad osculum pedis tantum. His finitis, surgit Pontifex, & manu sinistra Cæsarem capiens e suggestu descendit, & pariter ad secundam usque Ecclesiæ porticum cum eo progreditur. Deinde Pontifex Palatium ascendit ad Cameram suam reversurus, & Cæsar duobus, aut quatuor Cardinalibus associatus Templum ingreditur, Apostolorum sacras Reliquias veneraturus, cum suis omnibus. Inde ad loca cuique destinata revertuntur. Cæsar ipse in Palatio Apostolico recipi consuevit. Augusta vero in aliquo loco vicino.

COMMENTARIUS.

I. RItum hic §. noster describit, quo Papa excipit Imperatorem ad osculum pedis supra gradus Basilicæ S. Petri. Certe antiquus hic ritus est excipiendi maximos Principes in ipsis Basil icæ Principis Apostolorum gradibus. Nam, ut prodit Ademarus in Vita Caroli Magni, ubi is advenit Romam anno DCCC. circa diem VIII. Kalendas Decembris, Leo

(1) Ita in editione Veneta, & Colonienſi; in Romana vero legitur: *dicitque aliqua verba rengratiatoria pro honore ſuſcepto, ac reverentialia, prout ei videbitur.*

Digitized by Google

Leo Papa III. & Romani cum eo primum apud Nomentum, XII. ab Urbe lapide Carolo occurrerunt, eumque cum summo honore suscipientes, statim ipsum ad Urbem præcesserunt. Deinde vero in crastino, ut post Ademarum notavit in Vita ejusdem Leonis Pagius Num. XVI. *in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli stans Leo, missis obviam Romanæ Urbis Vexillis, ordinatis etiam per congrua loca, tam peregrinorum, quam civium turmis, qui venienti Carolo laudes decerent, ipsum cum Clero & Episcopis equo descendentem, gradusque ascendentem susceptit, dataque Oratione, in Basilicam Beati Petri, psallentibus cunctis, introduxit.* Omissis aliis id genus exemplis veterum Principum, lubet hoc loco ritum describere, quo primum a Pontifice Nicolao V. in Basilicæ Vaticanæ gradibus acceptus fuit Fridericus III. Imperator juxta relationem Æneæ Sylvi testis oculati, qui in ipsius Friderici Historia sic inter alia inquit: *Ibi Nicolaus Pontifex Sede sedens eburnea Pontificalibus ornamentis indutus, Senatu Cardinalium circumstante, multisque aliis Prelatis, ac Magistratibus Italiæ coronam facientibus, gratissimo vultu, verbisque paternis, & supra modum benignis Fridericum susoepit, qui pedibus ejus ob reverentiam Salvatoris Christi, Beatique Petri memoriam exosculatis, auri massam obtulit, Deinde pauca verba suo nomine Æneam Episcopum dicere jussit, ut in congressu duorum Orbis Capitum convenire videbantur. Tum quoque, & Rex Ladislaus, & Albertus Austriæ Dux, atque ipsa demum Imperatrix sacros Pontificis pedes, & alii quamplures tum viri, tum mulieres nobiles hastaverunt.*

II. Præter alios, qui eundem ritum litteris consignarunt, audiendus est alius oculatus testis, videlicet Jannottus Manettus, qui tunc Romæ adfuit, alter ex Legatis Florentinorum ad Cæsarem causa suscipiendi Imperatorii Diadematis destinatis. Sic autem hic Auctor inquit: *Ut igitur commemoratus Fridericus cognomento Tertius, in Sacrosanctum Summi Pontificis Solio Pontificali gravissime simul atque dignissime residentis conspectum, magna undique Prælatorum caterva adornatum, apparuit, primo genibus flexis ipsum veneratus est, ac deinde ubi propius adhæsit, dextrum pedem, talemque manum, & similem genam devotissime osculabatur. Atque his & hujusmodi cæremoniis de more habitis, parvam quandam oratiunculam precibus, supplicationibusque refertam habuit, gratasque, & humana responsione recepta, a sancto Pontificis conspectu abiit, atque ad ordinariam habitationem rediit. Quod postridie Leonora Imperatrix pariter fecit.* Discrepant hæc profecto aliquantisper a relatione Cornelii Zantflieti, & Æneæ Silvii, qui eodem quo Cæsar tempore ad Pontificem accessit, ipsam etiam Leonoram Reginam accessisse referunt, non *postridie*, ut habet Manettus, uti notat Georgius in Vita Nicolai V. anno MCDLII. Num. IV. ubi etiam ait, *nonnulla ab iis*, nempe a Zantflieto, & ab Ænea Sylvio, *de ritu osculationis pedum, manus, & genæ prætermitti, quæ a Manetto narrantur.* Sed labi videtur Georgius, nam quod Æneam Sylvium spectat, diserte is ejus deosculationis pedum Pontificis ab Imperatore, Imperatrice, & ab aliis quampluribus tum Viris, tum mulieribus nobilibus factæ meminit, in allato superius a nobis ejusdem Æneæ Sylvii testimonio.

III. Ritus autem est antiquissimus, ut Imperatores, magnique Principes Romani Pontificis pedes deosculentur. Pluribus id probant Lupus in Scholio ad Canonem IX. Dictatus Sancti Gregorii VII. & Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. LX. & LXV. ubi etiam scite notat, eum cultum honoremque fuisse quidem ab exordio liberum, ac voluntarium, sed diuturniore usu in legem convalescente necessarium evasisse. Indubitatissimum enim est, Christo ipsi hunc honorem impendi, ubi ejus in Terris Vicario exhibetur; idque docet noster §. ubi de Imperatore ad Romanum Pontificem accedente, ita inquit: *Cum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentia Salvatoris devote osculatur.* Cernere enim est in ipso Summo Pontifice Christum ipsum cum tota Pontificatus Regiique Sacerdotii majestate fulgurantem; nihilque refert, si non in omnibus Romanis Pontificibus fulgeat semper sanctitatis gloria, nam Fidei nostræ cælitus oculatæ semper in illis splendet, & cælestis dignitas, & exuberantia quædam Regalis Christi Sacerdotii. Quidquid ipsorum proprie, & privatim est, illud hoc veluti luminis fonte absorbetur, & non apparet. Non quid ipsi sibi sint, sed quod in ipsis Christus sit, spectare debent Fidelium oculi, & eo pasci.

IV. Porro ex præscripto nostri §. Imperatores, ac Reges nedum ad osculum pedis, sed & manus quoque, ac oris Pontifex recipit. Teste Raynaldo, ubi anno MDXV. convenere Bononiæ Leo X. & Franciscus I. Galliæ Rex genu flexo pedes quasi jocabundus, manumque, & genam Pontificis osculatus est, Gallicoque Sermone testificatus est, incredibili se gaudio perfundi, qui Christum in Vicario suo contueretur, eique obedientiam illam, quam filius Patri, devoveret: *Ridens, ac jubilans pedem, ac manum, & faciem osculatus est, dicens in vulgari Gallico se lætissimum, quod videret facie ad faciem Pontificem Vicarium Christi, cujus se filium, & servitorem proferebat, deditissimumque ad omnia ejus mandata.* Responso suo id confirmavit Papa, honores eos omnes ad Deum referri: *Omnia hæc in Deum transferens, & omnia Deo attribuens*; ut ait idem Raynaldus ad prædictum annum MDXV. Num. XXX. Rursus cum Carolus V. Imperator anno MDXXIX. Bononiam venisset a Clemente Papa VII. coronandus, ut ad annum MDXXX. scribit laudatus Auctor, Num. XXXIX. genuflexit, pedes, manum, genamque Pontificis osculo coluit. Expleto Coronæ ritu, prohibere voluit Pontifex, ne, dum ipse equum conscenderet, Imperator stapedam manu teneret; persistente Imperatore, cessit, contestatus, id Christo, non sibi honoris haberi: *Pontifex toleravit, referendo talem actum humilitatis ad honorem Salvatoris, cujus vices in terris gerebat.* Sed passus non est Pontifex, ut Imperator equum aliquantulo viæ spatio deduceret. Quando tandem anno MDXXXIII. idem Clemens VII. & Franciscus I. congressi sunt, non aliter res, quam Bononiæ se habuere,

V. Ex dictis itaque perspicuum est, quod inter alios notavit Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. LXV. Num. X. & Pontificibus, & Principibus omnibus, in confesso æque fuisse, religiosum totum eum honorem haberi debuisse, ut qui Christo in Vicariis suis ea fide, & pie-

Digitized by Google

& pietate exolveretur, qua Romæ Imperatores & Reges provolverentur ad Petri & Pauli monumenta. Id rursus nos docet Sugerius Abbas, ubi Paschalis II. Romani Summi Pontificis in Gallias profectionem describit, cui Philippus Augustus Rex una cum filio suo Ludovico cultum non absimilem impendit: *Occurrit ei ibidem Rex Philippus, & Dominus Ludovicus filius ejus gratanter & votive, amore Dei majestatem Regiam pedibus ejus incurvantes; quemadmodum consueverunt ad Sepulcrum Piscatoris Petri Reges submisso Diademate inclinari.* Ubi semel convenit, non alium hunc, quam Religionis cultum esse, jam nihil offensionis creari potest aut Regibus, aut Patriarchis, aut Episcopis quibuscumque, si pedes Summi Pontificis, Jesu Christi in terris Vicarii, Successoris Principis Apostolorum, cum iidem proni accedere Tumulis Apostolorum non cunctentur, & Presbyterorum, qui eorum Confessiones audiunt, pedibus se advolvant. Non ergo mirum, si, ut alia exempla omittam, cum anno MCDLXXIV. Christiernus Daniæ Rex Romam perrexisset, Sixto IV. in genua procidit, nec adduci potuit, ut surgeret, quandiu illum affatus est.

VI. Præteriri tandem ille ritus hic nequit servatus olim in Coronatione Henrici VI. a Cœlestino III. anno MCXCI. celebrata, cujus parte II. Annalium meminit Rogerius Hovedensis, ubi ait, ipsum Henricum supra gradus Basilicæ S. Petri præstitisse juramentum Summo Romano Pontifici, antequam in Ecclesiam introduceretur, & sacra unctione donaretur: *Dominus vero Papa ante ostium Ecclesiæ B. Petri supra gradus recepit sacramentum a prædicto Alemannorum Rege, quod ipse Ecclesiam Dei, & jura Ecclesiastica fideliter servaret illibata, & quod rectam justitiam teneret, & quod patrimonium B. Petri, siquid inde ablatum esset, in integrum restitueret, & quod Tusculanum ei redderet. Deinde introduxit eum Dominus Papa in Ecclesiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem suam in Imperatricem.* Ceterum quod initio hujus §. nostri edicitur de Throno Papæ, & Cardinalium sedilibus erigendis supra gradus Basilicæ S. Petri, & de adventu Imperatoris ibidem, consentaneum profecto est ritui quem olim præscripsit Romanus Ordo XIV. Cap. CV. *Cum autem pervenerit*, Imperator scilicet, *ante Basilicam in Platea, quæ cortina vocatur, dextrandus est a Senatoribus usque ad gradus prædictos; ubi & descendente, tradendus est equus, cui Rex insederat, illis. Interim Summus Pontifex cum omnibus Ordinibus suis præparet se in Secretario tanquam celebraturus Divina; & processionaliter exiens usque ad suggestum arcæ, quæ est in capite graduum, super Faldistorium, ibi sedeat, consedentibus super gradus a parte dextra Episcopis, & Presbyteris; a sinistra Diaconibus Cardinalibus, & in proximiori gradu Subdiaconis, & Acolythis, Primicerio, & Cantoribus astantibus circa illos cum Magnatibus & Officialibus, & Nobilibus, & Ministralibus Aulæ Papalis.* Eadem ad verbum leguntur in ms. Cæremoniali Joannis Davantriæ, in ms. Pierfanctiano Codice, & in aliis, in quibus etiam multa habemus, quibus §. hic noster magis magisque illustratur.

§. IX.

Quæ ante Coronationem curari debeant.

Cæsar postera die opportuno tempore ad Pontificem accedet, & cum sua Sanctitate de incumbentibus ad solemnitatem pertractabit. Statuent de die Coronationis, & siqua erunt prius peragenda, deliberabunt, ut Federici tempore factum est, qui ante diem Imperialis Coronationis inter Missarum solemnia benedictionem (1) nuptialem cum sponsa sua Heleonora Regis Portugalliæ filia suscepit. Et Corona Regni Longobardici, sive Italici, quam superiores Imperatores Modœtiæ suscipere consueverunt, cum Federicus pestis timore illuc accedere non potuisset, Pontificis Nicolai manibus coronatus est in Basilica Petri apud Altare majus, quæ Corona ferrea, licet aurea sit, nuncupatur. Cæremonias in coronandis Regibus servandas in Libro Pontificali, quem nuper emendavimus, plene conscripsimus. Proinde (2) de his in hoc loco aliquid ponere superfedebimus. Et notandum, quod Cæsar antequam coronetur Imperiali Diademate, sedet post primum Episcopum Cardinalem. Et siquis Rex adest, sedet tunc post primum Presbyterum Cardinalem. Cum vero Cæsar erit coronatus, tunc sedebit in sede sibi parata inter Papam, & primum Episcopum Cardinalem, & tunc Rex erit post primum Episcopum Cardinalem.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam ea explicemus quæ in hoc §. notantur, præmittenda quædam sunt, quæ antiquum solemnis Imperatorum benedictionis ritum spectant; ea quippe fuit veterum Christianorum Imperatorum pietas, & religio, ut quo Sceptrum, & Imperium Deo acceptum referre se testarentur, cælestisque gratiæ adjutorium ad commissos sibi populos ea, quæ Christianum Principem decet, prudentia, & æquitate regendas promereri valerent,

(1) Ita in editione Romana, Librariorumque vitio in editione Veneta 1. & in aliis legitur, *benedictionem Imperialem*; nam Imperialis benedictio non ante diem, sed ipsa Benedictionis die suscipitur. (2) Ita quoque in editione Romana, in citata autem Veneta & Colonienſi legitur: *Proinde eo diligentem lectorem relegamus.*

Digitized by Google

rent, solemnem ab Ecclesiæ Præsulibus benedictionem accipere, Imperialemque Coronam capiti suo ab eis superimponi, voluerint. Atque hic quidem usus etsi antiquissimus, non tamen a primis Imperatoribus Christianis usurpatus legitur, ut scite observat eruditus Martene Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IX. Nihil enim hujusmodi de Philippis, nihil de Constantino Magno, eumque proxime subsequutis Successoribus apud aliquem Auctorem reperire est. Sed illi ut primum Imperii dignitatem adepti erant, in Clypeos elati, Purpura, & Diademate ornati populo sistebantur. Atque hic fuit ritus, qui apud paganos Imperatores vigebat; cum enim ex iis nonnulli essent tantum Catechumeni, aut certe omnino impii, Ecclesiasticæ benedictioni haudquaquam judicati essent idonei.

II. Primus, qui ab Episcopo Regalem Coronam percepit, memoratur Theodosius Magnus, sed is tamen in somno, uti narrat Theodoretus Lib. V. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. VI. *Videbatur*, inquit, *sibi videre divinum Meletium Antiochensis Ecclesiæ Præsulem, qui Imperiali Chlamyde ipsum indueret, & Regalem Coronam Capiti ipsius imponeret*. Hæc in somnis peracta sunt, ut idem Martene observat; at non in visione, sed re vera a Proclo Patriarcha Constantinopolitano coronatus est alter Theodosius, junior dictus, Imperatorum optimus, ac sanctissimus, ut testatur Theodorus Lector Lib. II. Qui ejus pietati non minus quam Imperio successit Martianus, ab Anatolio Patriarcha Constantinopolitano & ipse est coronatus, uti innuit Nicephorus Lib. XIV. *Historiæ*, Cap. LVIII. idemque de Leone, qui post Martianum Imperii culmen ascendit, diserte asserit Lib. XV. Cap. XV. Eadem extitit sequentium Imperatorum religio, Zenonis, Anastasii, & Justini, qui etiam non semel a Joanne Patriarcha, & iterum a Joanne Papa I. coronatus benedictusque est. Extant utriusque benedictionis præclarissima testimonia, & primæ quidem in Epistola Joannis Patriarchæ ad Hormisdam Romanum Pontificem, ubi ita inquit: *Cum magna voce Deum omnium Principem glorificaverunt, quoniam talem vertice*m, Justini scilicet Imperatoris, *meis manibus tali Corona decoravit*. Secundæ vero apud Anastasium in Vita Joannis I. Papæ, cui Constantinopolim profecto occurrit *a milliario XII. omnis Civitas cum cereis, & Crucibus in honorem Beatorum Petri & Pauli*; & paulo post: *Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit Beatissimum Joannem Papam*. Additque demum, quod nostram rem spectat: *Justinus autem Imperator gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis Vicarium Beati Petri Apostoli videre in Regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus*. Succinit Anastasio Aimonius Lib. II. Cap. I. ubi de eodem Joanne I. Papa scribit, quod *Justino Augusto ut Vicarius Beati Petri Imperialem imposuit Coronam*.

III. Quicquid sit de ritu in benedictione & coronatione Imperatorum Orientis servato quem fuse explicant Joannes Cantacuzenus Lib. I. *Historiæ* Cap. XLI. & Codinus Curopalata in Libro, *De Officiis, & Officialibus Ecclesiæ, & Aulæ Constantinopolitanæ*, Cap. XVII. quod Occidentis Imperatores spectat, primus quidem in Occidente Imperialem dignitatem adeptus est Carolus Magnus, ob liberatam a Longobardorum oppressione Ecclesiam, ea donatus a Leone Papa III. qui in Basilica Sancti Petri sacro Natalis Domini die Oleo Sacro inunxit, ac ritu solemni coronavit. Post Carolum Magnum ejus Successores coronati etiam fuere a Romanis Pontificibus, Ludovicus quidem Pius a Stephano V. anno DCCCXVI. Lotharius ejus filius a Paschali I. anno DCCCXXIII. & Ludovicus II. Lotharii filius anno DCCCL. a Leone IV. & post hos illorum Successores. Neque enim Imperatoris nomen sibi assumere præsumebant Francorum Reges antequam Romæ a Summo Pontifice coronati benedictique essent. Quod testatur Ludovicus II. Imperator ad Basilium Græcorum Imperatorem ita scribens apud Duchesnium Tomo III. Historiæ Francorum: *Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti sunt ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc Oleo Sancto perfusi sunt*. Carolus item Calvus a Joanne VIII. Imperii Coronam accepit, sicut & Carolus Crassus anno DCCCLXXX. Imperatores postea Germani triplici benedictione, triplicique Corona donari consueverunt, prima argentea Aquisgrani, tanquam Reges Alemanniæ; secunda ferrea vel Modœtiæ, vel Mediolani, ut Reges Longobardiæ; tertia Romæ, ut Imperatores. Quartam denique Coronam Arelate dandam addit codex Bigotianus, eaque ordine secunda novo Imperatori imponebatur, ut tradit Martene loco citato, & post eum Pagius in Vita Leonis Papæ III. Num. XX.

IV. Prima benedictio, seu coronatio Imperatoris tametsi Aquisgrani celebrari soleret, aliquando tamen Moguntiæ fieri solita fuit. Ibi enim S. Henricus, ibi Conradus in Germaniæ Reges ordinati, ut discimus ex Vita S. Meinverci, Cap. XI. & XCIII. apud Surium die V. Junii. In ea regimen, Regiaque potestas per hastam tradebatur, ut docet nos Vita S. Bernardi Hildesheimensis Episcopi, Cap. XXXII. ubi de Corona S. Henrici sic inquit: *Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus*, Willigisus *Archiepiscopus, & B. Bernardus cum ceteris Regni Principibus Dominum Henricum Moguntiam cum summo honore ducentes, Dominica octava Pentecostes regimen & Regiam potestatem cum Dominica hasta illi tradid erunt, ac deinde omnibus rite peractis, cum maximo tripudio universorum solemniter cum Dei gratia unxerunt*. Agit de his Ditmarus, pariterque de vita ejusdem optime instituta sub educatione S. Wolfgangi Ratisponensis Episcopi, ac de iis, quos post electionem passus est adversarios, cui quidem ex prædictione ejusdem Wolfgangi Regnum delatum esse, testatur ejus temporis Auctor, qui res ab eodem Sancto præclare gestas conscripsit, ut ad annum MII. notavit Baronius.

V. His omissis, secunda benedictio Modœtiæ ex jure fieri debebat cum ferrea corona, sed decursu temporum hoc sibi privilegium arrogarunt Mediolanenses: *De altera*, inquit Krantzius Lib. IV. *Saxoniæ* Cap. XXXVII. *Modœcenses cum Mediolanensibus disceptavere, sed prævaluit amplitudo Mediolani*. Sunt qui tradunt, Carolum Magnum antea quam Romæ coronaretur, fuisse Modœtiæ a Thomo Episcopo Mediolanensi coronatum; sed hoc non satis constat, uti citato loco docet laudatus Martene, Num. V. Certe Mediolani Henricus VI. & VII. alii-

Digitized by Google

aliique coronati sunt. Nonnulli tamen utraque in Urbe fuerunt inuncti, forte ut suum cuique Civitati jus servaretur. Unde idem Krantzius agens ibidem de coronatione Conradi II. *Constitutum erat*, inquit, *ut qui coronandus in Urbem Imperator adveniret, duas in medio itinere Coronas acciperet; ex palea primum Modœtiæ, ex ferro autem alteram Mediolani ab Archiepiscopo imponendam*. Hinc etiam forte Modœtia *primus locus Coronæ Regis* dicitur in Chronico Mediolanensi Landulfi de S.Paulo, Cap. XXXIX. apud Ughellum Tomo IV. Italiæ sacræ. Et certe postquam Anselmus Archiepiscopus Mediolanensis, *in Ecclesia S. Michaelis, quæ est Modœtiæ, benedixit, & unxit, & Coronam electo Conrado in Festo S. Petri posuit*, postmodum *eandem quoque solemnitatem coronationis idem Pontifex in Ecclesia S. Ambrosii ..... celebravit*; ut scribit idem Landulfus.

VI. Quo ritu ea Coronatio aliquando perageretur, tradit Ripamontius in Historia Ecclesiæ Mediolanensis, Decade I. Lib. IX. *Ceterum*, inquit, *in aliis annalibus reperi diversos hujus cæremoniæ ritus, quandocumque Mediolani in Ambrosiana Æde solemne illud celebraretur. Extra Basilicam est columna longitudine, ac diametro, quam lapidicinæ nostri temporis admirantur. Creditur esse veteris Romani Palatii fragmentum, jam inde ab eo tempore, quo Cæsares collocato hic domicilio, Urbem Mediolanum, sicut alteram Romam incolebant. Ad eam columnam futurus Rex ut accesserat, munus erat Angleriæ Comitum afferre candidato pium Volumen, in quo Ritus Ambrosiani, preces, & sacra continentur. Id Volumen, sive Missale Princeps Anglericæ gentis postquam obtulerat Regi, jurabat ille quamsancte, fore se in Romani Pontificis auctoritate, sive status Imperii, sive Ecclesiastica res ageretur, ejusque sacramenti confectæ statim tabulæ vinculum erant & monumentum. Evinciebat deinde Mediolanensis Archiepiscopus ferreo diademate caput Regis, & præferente Crucis trophæa Comite Anglerico, Templum ingrediebantur, ad Aram maximam accedebant. Ibi nudato capite, poplite flexo, Rex pie Numen veneratus, expiabatur ab Archiepiscopo solemni Crucis nota; deinde collocabatur in Solio, res tota testato describebatur*. Atque hic est ritus, qui olim servatus est Mediolani, quemque ex veteribus munumentis huc usque descripsit laudatus Ripamontius loco superius citato.

VII. Addenda hactenus dictis sunt quædam ex Actis in Coronatione Henrici VII. quæ leguntur apud Ughellum Tomo IV. Italiæ Sacræ, pag. 1118. in ea quippe Coronatione Ubertus Vercellensis Episcopus, *locata Sede sua in loco competenti, a dextris Domini Mediolanensis Archiepiscopi stetit, sedit, & legit primam Lectionem, seu Orationem, quæ sibi per Archiepiscopum delata, & ordinata extitit, primo ante alios Episcopos Lombardiæ, de his, quæ lecta, & dicta fuerant in Officio Coronationis jam dicto. Idem recepit de manu ejusdem ensem, quem Imperatori accinxit, & Sceptrum Regale, Virgam, Pomum aureum, sive deauratum. Quod quidem Sceptrum, Virgam, & Pomum postea manu sua dextra porrexit, & dedit ipsi Regi, insuper Coronam benedictam per præfatum Mediolanensem Archiepiscopum idem Episcopus Vercellensis cum Domino Archiepiscopo supradicto capiti ejusdem Regis imposuit, & firmavit solus post Archiepiscopum signis tam in unctione Henrico Regi facta, quam in aliis ad solemnitatem Coronationis Imperialis culminis, opportunis eidem Regi factis, & impositis, ad latus dicti Regis dextrum sedit*. Nec prætereundum est illud, eumdem Henricum non ferrea, sed ex calybe composita Corona fuisse insignitum, *eo quod Corona Regum antiqua ex negligentia esset amissa, nam a nullo Regum de tempore Frederici Imperatoris fuerat requisita*, inquit Auctor Lib. II. *De gestis Baldevini Luczemburgensis Trevirensis Archiepiscopi*, apud eruditum Baluzium Tomo I. Miscellaneorum.

VIII. Docet autem & illud hic noster §. *Corona Regni Longobardici, sive Italici, quam superiores Imperatores Modœtiæ suscipere consueverunt*, Fridericum, quod *pestis timore illuc accedere non potuisset, Pontificis Nicolai manibus coronatum esse in Basilica Petri apud Altare majus*. Romam Fridericus venerat Regni Longobardici Corona minime donatus, quod, ut est nonnullorum sententia apud Raynaldum anno MCDLII. Num. XXIII. & Fontaninum, *De corona ferrea*, Cap. VII. §. III. Francisco Sfortiæ Mediolanum occupante, deque Mediolanensi ditione tum cum eo disceptantibus Carolo Aurelianensi Duce, Alphonso Aragonum & Siciliæ Rege, illusque Ducatus jura sibi etiam Cæsare vindicante, ad eam recipiendam tutum esse Friderico Mediolanum usque progredi visum non est. Alii apud eundem Raynaldum prædicto anno MCDLII. Num. II. & III. scribunt, Cæsarem invitatum quidem a Sfortia fuisse, detrectasse vero ipsum Cæsarem Mediolanum pergere ob turbas in Cisalpina Gallia motas, ac speraſſe illius ritus defectum a Pontifice suppletum iri auctoritate Apostolica. Contra vero Zantflietus in suo Chronico ad eundem annum ideo Romæ corona Regni Longobardorum Cæsarem donatum tradit, quod Mediolani Dux eam illi præberi negaverit. Aditum Cæsari ad Mediolanensem tractum minime patuisse, aut consulto tum id factum, ex Auctore Commentariorum Pii Papæ II. Lib. I. colligitur, qui Friderici jussu, ubi primum ipse Cæsar in conspectu Pontificis fuit, verba fecit, ac Cæsaris nomine postulavit, ut in receptione Mediolanensis Coronæ eundem Cæsarem & Leonoram conjugio jungeret. His precibus Pontifex annuit, & honestiori titulo usus, in Litteris, quibus a Corona ferrea Mediolani, aut in proximioribus eidem Urbi locis recipienda Cæsarem dispensavit, eaque Romæ eum Pontifex ornavit, pestis causam, quæ in iis regionibus grassabatur, affert. Cui sententiæ adhærens nostrum Cæremoniale ita in præsenti §. inquit: *Cum Federicus pestis timore illuc accedere non potuisset, Pontificis Nicolai manibus coronatus est in Basilica Petri apud Altare majus*.

IX. Ergo Longobardicæ Coronæ insignia ab ipsomet Pontifice Nicolao V. die XVI. Martii Fridericus III. in Basilica Principis Apostolorum inter Missarum Solemnia ad Altare majus accepit. Cornelius Zantflietus loco citato receptam tradit a Friderico Coronam Longobardicam in Basilica Vaticana *quinta feria*, ut loquendi ei mos est, post Dominicam, *Oculi*; ac mox ab eodem Pontifice benedictionem nuptiarum eiusdem

Digitized by Google

dem Principis cum Leonora, licet Quadragesimale tempus esset, fuisse peractam, Dominica, *Oculi*, est tertia Quadragesimæ, & Feria quinta post eam Dominicam hoc anno MCDLII. fuit dies XVI. Martii, ut notat Georgius in Vita Nicolai V. eodem anno MCDLII. Num. V. Apostolicæ de hujusmodi Coronatione Litteræ eadem die exaratæ sunt, quas recenset Raynaldus; in iisque Pontifex narrat, Fridericum a Longobardici Regni Corona, Mediolani, vel in proximioribus ei Urbi locis e manibus Archiepiscopi Mediolanensis recipiendâ, se absolvisse, propterea quod idem Fridericus Mediolanum ire ob pestis luem, quæ in iis regionibus grassabatur, non potuerit: iccirco *hodie*, hoc est, die XVI. Martii, eundem Fridericum Corona Regni Longobardici inter Missarum solemnia in Basilica S. Petri coram Altari majore decorasse. Datæ sunt hæ Litteræ, *Apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCDLI. XVI. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno V.* idest XVI. Martii anni MCDLII. a Christi Natali, ut idem Georgius notat. Hinc memoria lapsus est Æneas Sylvius in Historia Friderici III. ubi *Idibus Martii* diem præstitutam fuisse ad Coronam Longobardicam, atque ad desponsationis celebritatem scribit. Mirum est etiam, Raynaldum ipsum, qui Apostolicas hujus rei Litteras præ oculis habuit, ediditque ad annum MCDLII. Num. II. eam Friderici coronationem, aliorum errorem sequutum, iisdem Idibus Martii consignasse.

X. Teste Ænea Sylvio in memorata Friderici III. Historia, *in hac Coronatione Mediolanensi*, quæ, uti dictum est, peracta fuit Romæ, *collocatus est Rex Ladislaus inter Cardinales longe ab Apostolico Throno. Neque enim post eum nisi duo Cardinales sederunt*. Ait, rem multis indignam visam esse in Rege uncto, & coronato Regni amplissimi Hungarorum, subditque mox: *Sed neque Imperator ipse ante Romanam Coronam cunctis Cardinalibus prælatus est. Sedit enim supra Imperatorem primus Cardinalis, qui tum fuit Vicecancellarius Franciscus Condulmario Venetus Eugenii Quarti nepos. Nam Friderico locus non ut Imperatori, sed ut Regi Theutonicorum in Imperatorem electo datus est*. Refellit deinde illam complurium opinionem, qui imperite putant, Romanorum Regem aliquem dici, quamvis id usu receptum sit: *Non enim Rex Romanorum est Aquisgrani coronatus, sed Alemanorum, sive Theutonicorum. Romani enim post exactum Urbe Tarquinium, Regum nomen adeo detestati sunt, ut nullus Cæsarum quamvis sæva tyrannide populum oppressisset, se Regem appellare fuerit ausus. Nec Carolus Magnus, qui primus Germanorum suscepit Imperium, Romanorum Rex, sed Imperator Augustus vocatus est*. Concludit tandem, aitque, Romanam Sedem minime in hoc errare, *quod ante coronationem, neque Imperatorem appellat, neque locum ei velut Imperatori tribuit*; sed in eo tamen eam consuetudini deservire inquit, *quod Romanorum Regem Aquisgrani coronatum appellat, quem Theutonicorum melius nominaret in Imperatorem electum, sicut ex Præcessoribus fecisse nonnullos invenimus*. Sed & digna notatu sunt, quæ tandem subjicit: *Sed nulla*, ait, *de his rebus tradi certa regula potest. Nulla in rebus humanis soliditas. Consuetudini omnia serviunt, quæ sæpe a malis initiis ortum habet*.

XI. Quicquid autem de hac re sit, ingenue fatetur Æneas Sylvius, nequaquam errare Romanam Sedem, cum ante coronationem Imperii solemnem, electum in Imperatorem, *neque Imperatorem appellat, neque locum ei velut Imperatori tribuit*. Ritus enim antiquus est, notatusque in hoc nostro §. *quod Cæsar antequam coronetur Imperiali Diademate sedet post primum Episcopum Cardinalem; & siquis Rex adest, sedet tunc post primum Presbyterum. Cum vero Cæsar erit coronatus, tunc sedebit in Sede sibi parata inter Papam, & primum Episcopum Cardinalem, & tunc Rex erit post primum Episcopum Cardinalem*. Ceterum nequid omittamus, quod in nostro hoc eodem §. edicitur, notandum illud, Regni Longobardici coronam, *quamvis aurea sit*, ferream nuncupari. Huc facit, quod nostrum Cæremoniale hoc eodem Titulo in §. ultimo, qui inscriptus est, *De pluralitate coronarum*, de ipsa Longobardici Regni corona adnotavit, sic inquiens: *Quæ quidem Corona ideo appellatur ferrea, quod laminam quandam habeat ferream in summitate, alioquin aurea, & pretiosissima*. Idem docet Æneas Sylvius in Historia Friderici III. eruditus autem Georgius in Vita Nicolai V. anno MCDLII. Num. V. ferream dici ait eam Coronam, *ob clavum Dominicum Coronæ illi orbiculatim inditum*. Sed videri præ ceteris potest doctissimus Fontaninus in peculiari Tractatu, *De Corona ferrea*.

§. X.

De Cæremoniis in die Coronationis servandis.

Adveniente die statuta Imperialis Coronationis, quæ convenientissima est in Dominica *Lætare*, in medio Quadragesimæ, ut Durantes in Rationali Divinorum Officiorum scripsit, & ita a Nicolao V. in Federici Coronatione servatum est. Ecclesia S. Petri, & Capella major erunt decenter ornatæ, ut in maximis solemnitatibus, cum Pontifex est celebraturus Divina, solent ornari, & præter consueta, eriguntur duo suggestus (1) hinc & inde extra cancellos Capellæ; alter pro Imperatore electo ad siniſtram venientibus, alter a dextra pro Imperatrice, & ornetur tapetis, aulæis, sedibus, scabellis, & aliis opportunis. Ecclesia tota, & maxime Capella (2) S. Gregorii, S. Mauritii, & quæ S. Mariæ in Turribus appellata extra Ecclesiam in prima porticu sub turri campanaria est, bene mundentur, ornenturque. Imperatrix vero, antequam

(1) Ita in Veneta, & Colonienſi editione, in Romana legitur, *suggesta*.
(2) Ubi in Romana legitur *S. Gregorii &c.* in Veneta legitur *D. Gregorii &c.*

Digitized by Google

quam Pontifex descendat ad Ecclesiam, cum suis ornata præveniens suggestum sibi paratum conscendit. Summo igitur mane Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis, & aliis Officialibus, paramentis colore tempori, & Missæ congruis (1) processionaliter, & sub baldachino descendat ad Ecclesiam, & præmittat duos Diaconos Cardinales cum suis Cappis laneis ad Cæsarem, qui eum congruo tempore ad Ecclesiam deducant. Pontifex, facta reverentia ante Altare, accedit ad sedem, ubi consuevit accipere paramenta, & ibi recipiet ad reverentiam omnes Prælatos paratos. Incipiet Tertiam, & accipiet Sandalia, ut alias; & dicta Oratione induitur omnibus paramentis Pontificalibus. Interim Cardinales, qui sunt cum Cæsare, ut primum cognoverunt, Pontificem intrasse Ecclesiam, & ipli cum Cæsare, & omni sua comitiva ad Ecclesiam descendant, & egressi primam Palatii portam, per primas Ecclesiæ portas, quæ super gradus Basilicæ patent, ingrediuntur porticum ad Capellam, quæ vocatur Beatæ Mariæ inter Turres. Ibi a Canonicis & (2) Capitulo Ecclesiæ processionaliter recipietur Cæsar, & ductus ad Altare dictæ Capellæ, in manibus primi Cardinalis præsentis, & nomine Pontificis recipientis, Beato Petro, Summo Pontifici, & suis Successoribus solitum juramentum præstabit in forma subscripta, videlicet.

COMMENTARIUS.

I. VEtus plane est mos, ut electi in Imperatores Coronam Imperialem in Vaticana Principis Apostolorum Basilica a Summo Romano Pontifice acciperent, & sacro oleo rite ungerentur. Probari id exemplis plurimis potest, quorum primum est Caroli Magni exemplum, cui, cum ad Missam ante Confessionem B. Petri ab Oratione surgeret, Leo Papa III. ob egregia illius in Romanam Ecclesiam, Christique Vicarios Pontifices Maximos merita nihil tale suspicanti Coronam imposuit, & a populo ter unanimi voce acclamatum est: *Carolo piissimo Augusto, a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita & victoria*; antea enim dicebatur tantum Patricius Romanorum; sed & *post laudes* idem Carolus *a Domno Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, ablato Patricii nomine, Imperator & Augustus est appellatus*; ut produnt Ademarus, & Eginhardus in Caroli Magni Vita, & post ipsos Auctores Pagius in Vita Leonis Papæ III. Numero XVIII. Celebre quoque est Lotharii exemplum filii Ludovici Pii, qui anno DCCCXXIII. ut scribit in suis Annalibus Eginhardus, *cum secundum patris sui jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia properaret, rogante Paschale Papa, Romam venit, & honorifice ab illo susceptus in Sancto Paschali die apud S. Petrum, & Regni*, Longobardici scilicet, *& Imperatoris Augusti nomen accepit*. Auctor etiam Vitæ Ludovici Pii prodit, Lotharium *rogatu Paschalis Papæ Romam imminente Sanctæ Paschæ solemnitate* rediisse, *atque ab eodem carissima ambitione* susceptum, *ipso sancto die apud S. Petrum Diadema Imperiale* suscepisse.

II. Teste Bertiniano Annalista, Carolus Calvus *Romam, invitante Papa Joanne*, VIII. ejus nominis, *perrexit & XVI. Kal. Januarii ab eodem cum gloria magna susceptus est*, & in die Natalis Christi ab eodem Pontifice coronatus in Basilica scilicet Sancti Petri Festo die Nativitatis Christi, ut idem Annalista non obscure innuit: *Anno Domini DCCCLXXVI. in die Nativitatis Domini Beato Petro multa & pretiosa munera offerens in Imperatorem unctus & coronatus, atque Romanorum Imperator appellatus est*. Carolo Calvo successit in Imperio Carolus Crassus, qui & ipse ab eodem Joanne Papa VIII. *in die Nativitatis Domini in Imperatorem consecrari obtinuit*, ut refert laudatus Annalista Bertinianus ad annum DCCCLXXX. & quidem in Vaticana Basilica, ut testatur Baronius ad annum DCCCLXXXI. Coronavit deinde Stephanus VI. in eadem Basilica in Imperatorem Widonem anno DCCCXCI. & non multo post Formosus Stephani Successor anno scilicet DCCCXCVI. in memorata pariter S. Petri Basilica Arnulpho Imperialem Coronam tradidit, ut refert Annalista Friherianus, qui Annales Fuldenses continuavit, sic inter alia inquiens: *Jam Apostolicus paterno amore diligendo Regem .... honeste ad Basilicam Beatorum Principum Apostolorum lætificando introduxit, & secundm morem Antecessorum suorum Imperialem consecrationem capiti suo imponens, Cæsarem Augustum appellavit*. Vide Pagium in Vita Formosi, Num. XI. ubi deceptum ait Baronium, quando scripsit, Arnulphum per surreptionem a Formoso Papa unctum fuisse Imperatorem, cum Litteris, & Missis contra Lamberti tyrannidem evocatus ab eodem Pontifice Romam venerit. Falso etiam dici idem Pagius notat, Formosum prius coronasse Widonem, & Lambertum Filium in Imperatores, Wido enim ex superius dictis a Stephano VI. Coronam Imperii acceperat.

III. Quicquid autem de hac re sit, illud constat, ubi Romæ coronabantur Imperatores, coronatos utplurimum, & fere semper fuisse in Basilica Vaticana, ut præter adducta exempla, aliorum sequentium Imperatorem coronationes nos docent, quas longum esset omnes recensere hoc loco. Porro præter morem diu servatum Henricus VII. anno MCCCXII. die XXIX. Junii in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, non quidem in Vaticana Basilica, sed in Lateranensi inunctus & coronatus est, quia tunc temporis ipsi Henrico ad Basilicam S. Petri non patuit aditus. Cum enim Romam pergeret, Robertus Rex Siciliæ cernens eum omnibus viribus & artibus in Guelforum perniciem vehi, timensque, ne prætextu Coronationis Romæ suscipiendæ, Urbem occupare, & Pontificiam auctoritatem

(1) Ita in Romana, in Veneta vero, *veluti ad supplicationem*.
(2) Sic quoque in Romana habetur; in Veneta autem, *& Collegio Ecclesiæ occurrenti recipitur*.

Digitized by Google

tatem minuere præsumeret, pro munere, quo fungebatur Vicarii status Ecclesiastici, & Guelforum Protectoris, eo misit fratrem suum Joannem cum copiis specie quidem pompam Coronationis Henrici ornatiorem reddendi, revera autem ut una cum Ursinis, aliisque Guelfis conatus Henrici infringeret. Henricus Ludovicum Sabaudum Senatorem Romam etiam præmiserat cum copiis, unde multa intra Urbem inita fuerunt certamina cum Columnensibus, qui Guelfos Urbe pellere contendebant. Mansit tamen potior Urbis pars penes Guelfos, Civitas nempe Leonina una cum Ecclesia, & Palatio Vaticano S. Petri, reliquam Urbis partem Gibellinis occupantibus una cum Lateranensi Ecclesia, in qua idem Henricus inunctus, & coronatus est; constantque hæc ex Villanio Lib. IX. Cap. XXXVIII, & seqq. ex S. Antonino, & aliis.

IV. Constat autem & illud ex dictis hucusque, Coronationes Imperatorum nullis adstrictas diebus fuisse, factæ enim aliquando leguntur festo die Natalis Dominici, aliquando solemni Paschatis die, vel in Sanctorum celebritatibus, aut aliis diebus, tametsi nostrum Cæremoniale in hoc §. X. convenientissimum esse dicat, ut fierent *in Dominica*, Lætare, *in medio Quadragesima*, probatque testimonio Gulielmi Durandi, qui in suo Divinorum Officiorum Rationali, Libro VI. Cap. LIII. quod inscriptum est, *De Dominica quarta Quadragesimæ*, quæ ideo Dominica, *Lætare*, appellatur, quod Introitus Missæ ejus Dominicæ incipit, *Lætare Jerusalem &c.* ita in fine inquit; *Hac etiam die Christianus coronatur Imperator*. Subdit mox idem nostrum Cæremoniale Friderici III. exemplum, quem coronatum dicit in ipsa Dominica, *Lætare*, quæ anno MCDLII. quo coronatus Fridericus fuit a Nicolao V. Pontifice, in diem XIX. Martii incidit, qua die Pontifex sextum Pontificatus annum inibat. Post Fridericum nullus Imperator legitur a Romano Pontifice coronatus, præter Carolum V. qui tamen non in Dominica, *Lætare*, sed die natali suo, festo S. Matthiæ Apostoli anno MDXXX. Imperii Coronam a Clemente VII. Pontifice Maximo Bononiæ sumsit. Nec enim desunt veterum exempla Romanorum Pontificum, qui non modo Romæ, sed in locis etiam longe ab Urbe dissitis Imperatores coronarunt. Certe, ut alios omittam, Stephanus V. dictus ab aliis IV. in Gallias tendens pro stabilienda, ut Anastasius ait, Ecclesiæ pace, in Rhemensi Ecclesia ante Missarum solemnia, ut ex Thegano in Vita Ludovici Pii tradit Baronius anno DCCCXVI. coram Clero & omni populo Ludovicum ipsum in Imperatorem unxit, & Irmingardam ejus uxorem coronavit, & Augustam appellavit.

V. Notandum præterea hic illud est, consueviſse aliquando Romanos Pontifices Avenione degentes Cardinalibus committere Imperatorum Coronationem Romæ peragendam, uti factum est in Coronatione Henrici VII. qui cum Clementem V. urgeret, ut Cardinales Romam dirigeret ad eum coronandum, Pontifex preces ipsius admittendas ratus, hanc provinciam quinque Cardinalibus delegavit, scilicet Arnaldo de Falqueriis Sabinensi, Leonardo Albanensi, Nicolao Ostiensi Episcopis, Francisco S. Luciæ in Silice, & Lucæ S. Mariæ in Via lata Diaconis Cardinalibus, ut constat ex Diplomate ab ipso eam in rem dato *in Priorato de Grausello prope Malausanam Vasionensis Diœcesis*, XIII. Kal. Julii, anno sexto, seu mense Junii anni MCCCXI. quod refertur a Raynaldo Num. VII. & seqq. qui tamen in eo deceptus est Num. VII. quod hunc Arnaldum Sabinensem confundat cum Arnaldo de Pelagrua, qui nunquam fuit Cardinalis Episcopus, sed Diaconus S. Mariæ in Porticu. Cum autem disceptatio orta esset inter Episcopos Sabinensem, & Ostiensem, quis eorum deberet coronare Imperatorem, *allegante Ostiensi, quod, cum Papam coronare suum esset, sic & consequenter Imperatorem, Sabinensis ex adverso dictabat, certum esse, ut Imperatorum Coronationibus, Sabinensis semper Papæ proximior Coronam erigat officiosior aliis, illic præsertim; sicque Papa pronunciante obtentum est, ut Sabinensis illo fungatur officio, ceteriſque præsit*, inquit Albertinus Mussatus in Vita Henrici VII. Lib. IV. Cap. I.

VI. Hic autem observandum venit quod notat Pagius in Vita Clementis V. Num. LXVI. Cardinalem Sabinensem non ideo obtinuisse a Clemente, ut coronaret Imperatorem, quod jus illud sibi competeret, sed quia cum esset princeps Legationis, ipsam Pontificis personam repræsentabat; quod quidem eruitur ex ipso Clementis Diplomate, in quo apud Raynaldum Num. XVI. ait Pontifex: *Verba vero dicenda in impositione Diadematum, scilicet*: Accipe gladium gloriæ, *quoad Regem*; *item*: Accipe Coronam Imperialis excellentiæ, *quoad Reginam, dicas tu Sabinensis; licet enim ratione prioratus hoc tibi non competat; quia tamen in Legatione nostram repræsentas personam, hoc per te volumus adimpleri*. Ex quo patet, jus coronandi Imperatorem, & Imperatricem, absente Pontifice, competiisse Ostiensi Episcopo, & illud translatum fuisse hac vice ad Sabinensem, quia ipse Pontificem utpote Legationis princeps repræsentabat. Observandum præterea, ad eundem Ostiensem Episcopum pertinuisse etiam Imperatorem inungere, & de facto Nicolaum Ostiensem inunxisse Henricum VII. quod constat ex eodem Diplomate, in quo apud eundem Raynaldum, Num. IX. Pontifex scribit: *Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die assumptionis prædictæ personaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, tu Frater Ostiensis Episcope Missam celebres, & Regem inungas eundem*. Et infra Numero XV. *Tu vero Frater Ostiensis, ut præmittitur, Missam celebres, & Regem prædictum inungas, prout in Ordinario continetur. Quod si te impediri contingat, hoc tu facias Albanensis, & si ambo impedirimini, hoc facias Sabinensis, Episcopi*. Secundum hæc Henricus VII. anno MCCCXII. die XXIX. Junii in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Basilica Lateranensi inunctus & coronatus est. Cur præter morem ea Coronatio peracta fuerit in ipsa Lateranensi Basilica, non vero in Basilica Vaticana, jam nos superius explicuimus.

VII. Neque vero hic omittenda Coronatio Caroli IV. ejusque Uxoris Romæ peracta sedente Avenione Innocentio VI. Pontifice. Scripsit sane Pontifex Alvaro Cardinali Apostolicæ Sedis in Italia Legato, ei mandans, ut efficacibus auxiliis Carolo adesset, & opportunis favoribus assisteret. Cum vero Carolus intrasset Italiam circa finem anni MCCCL. & die VI. Januarii in Festo

Digitized by Google

sto Epiphaniæ anni MCCCLV. in Ecclesia S. Ambrosii Mediolani Corona ferrea fuisset coronatus, Innocentius alio Diplomate dato *Avenione II. Kalendas Februarii anno Pontificatus II.* apud Raynaldum ad annum MCCCLV. Num. III. & seqq. Petrum Bertrandi juniorem Episcopum Ostiensem Legatum Romam misit ad inungendum, & coronandum Corona aurea Carolum, & Annam ejus uxorem: *Karolus Rex Alemanniæ*, inquit Auctor secundæ Vitæ Innocentii VI. apud Baluzium, *descendens in Italiam, Coronam Imperialem de manibus Domini Petri Episcopi Ostiensis ad hoc missi in Basilica S. Petri Romæ in die Sancto Paschæ*, seu die quinta Aprilis, *honorabiliter suscepit, & uxor ejus cum eo &c.* Cur solum Episcopum Ostiensem Romam miserit Innocentius ad inungendum, & coronandum Imperatorem, Collega addito Ægidio Alvari Presbytero Cardinali Tituli S. Clementis Apostolicæ Sedis in Italia Legato, cum hoc tamen, ut si alter ei rei vacare non posset, alter solus eam cæremoniam exequeretur, cum alias Clemens V. ad coronandum Henricum VII. Caroli IV. Avum, quinque Cardinales miserit, & ex Ordine Romano XIV. Cap. CV. atque ex ms. Codice Pierssanctiano, & ex Matthæo Villanio Lib. IV. Cap. LXXI. constet, jus coronandi Imperatorem, ad Episcopos Cardinales Ostiensem, Portuensem, & Albanensem pertinuisse: rationem tradit idem Villanius loco citato, & Lib. III. Cap. CIII. ubi narrat, cum de eligendis ad id operis Cardinalibus una cum Petro Bertrandi Episcopo Ostiensi, & Talayrandus Episcopus Albanensis, & Guido de Bolonia Portuensis eum etiam honorem sibi deberi contenderent, ex privilegio suarum Ecclesiarum, statutum esse a laudato Innocentio die decima Novembris, eos de jure debere esse Legatos, ut docet Liber Episcopi Ostiensis de ea Legatione conscriptus: verum Talayrandum, & Guidonem licet magnis animis, & magna contentione eum honorem expetiissent, & obtinuissent, remisisse tamen, quia Papa, & Cardinales noluerunt suppeditare sumtus ad iter illud Romanum, sicut alias moris erat; ideoque ipsos, considerata inopia Caroli, qui non erat eis satisfaciendo, a cœpto destitisse cum opprobrio ambitionis & avaritiæ: quod ne augeret Pontifex, noluisse alios mittere, sed rem commisisse prædicto Ægigio Alvari, qui tamen & ipse negotium integrum Petro Ostiensi dimisit.

VIII. Plura de Coronatione Imperatoris, absente Papa, dicemus infra opportuniori loco sequentes ordinem nostri Cæremonialis, quod quidem peculiari §. de eo ritu agit, estque §. XXVIII. Quod autem præsentem §. spectat, mandat hic inter alia, ut *Ecclesia tota*, Vaticana scilicet, *& maxime Capella S. Gregorii, S. Mauritii, & quæ S. Mariæ in Turribus appellata extra Ecclesiam in prima portica sub turri campanaria est, bene mundentur, ornenturque*; quia scilicet, ut infra dicemus, multæ cæremoniæ, quæ ad Coronationem Imperatoris spectant, in his Capellis peragi vel olim solebant. Teste Panvinio in Tractatu, *De septem Urbis Ecclesiis*, Cap. IV. Altaris S. Mauritii Martyris illa singularis dignitas fuit, *quod Imperator designatus, antequam ad Altare S. Petri a Romano Pontifice coronaretur, ibi primum ab Episcopis Cardinalibus inungi & benedici solebat.* Notat hæc Paulus de Angelis in Basilicæ veteris Vaticanæ descriptione pag. 22. aitque, in veteri vestigio ejusdem Sacrosanctæ Basilicæ hæc legi verba: *Oratorium S. Mauritii, ad quod Imperator, & Imperatrix ab Episcopis Cardinalibus benedicuntur, & in brachio dextero Oleo Sancto unguntur, antequam a Romano Pontifice coronentur.* Fieri solitam hujus unctionis cæremoniam in ipso S. Mauritii Sacello, docent nos etiam Romanus Ordo XIV. & ms. cæremonialis Codex Piersanctianus, ut infra suo loco dicemus.

IX. Quantum vero ad Ecclesiam, seu Capellam spectat S. Mariæ in Turribus, de qua crebro Romæ Sacræ descriptores mentionem faciunt, ita de ea scribit eruditissimus æque ac Religiosissimus Josephus S. R. E. Cardinalis Thomasius in suis ad II. Responsoriale & Antiphonale Romanæ Ecclesiæ Scholiis, pag. 117. *Oratorium erat a Paulo I. ædificatum, vocatum S. M. inter Turres, aut in Turribus, aut in Atrio; extabat in Atrio S. Petri inter turrim Campanariam, alteramque turrim dictam S. Justini, ob proximam ejusdem Sancti Ecclesiam.* Creatus fuit S. Paulus I. Pontifex Maximus anno DCCLVII. ut vel inde intelligas, quanta sit ejus Capellæ antiquitas. Teste Romano Canonico in descriptione Vaticanæ Basilicæ Num. LIV. pag. 153. Innocentius Papa II. *Condidit privilegium, in quo concessit Canonicis Basilicæ S. Petri medietatem omnium ministeriorum omnium Altarium, quæ sunt in Ecclesia B. Petri, & S. Mariæ in Turri, præter Altare S. Leonis IX. Papæ.* Forte hoc privilegio, quod extare adhuc in Archivo Canonicorum monet Turrigius, *De Cryptis Vaticanis*, secundæ editionis, pag. 115. solatus est Innocentius plurima passos nobilissimi Vaticani Templi Ministros per sævitiem ac rapacitatem pseudopontificis Anacleti II. de quibus agit Baronius ad annum MCXX. ut notat Clarissimus Morettus in sua, *De Presbyterio*, Lucubratione, Parte I. Sectione V. Num. I.

X. Extant apud Ughellum Tomo I. Italiæ Sacræ, Joannis Papæ XIX. Litteræ ad Episcopum Sylvæ Candidæ scriptæ, quibus dolens, quod in Ecclesia S. Petri, a qua omnes Ecclesiæ doctrinam accepere, sicut a Magistra & domina, dies Dominica Palmarum, & dies Cœnæ Domini tam irreverenter colerentur, ut nec Processio cum Palmis in ipsa die Dominica ibi fieret, neque in die Cœnæ Domini, *Gloria in excelsis Deo* diceretur, & in Parasceve non tam reverenter, uti decebat, Officium ibi fieret, statuit, *ut omni annua die Dominica Palmarum cum Processione ab Ecclesia S. Mariæ Transtiberim exirent &c.* Datæ sunt Litteræ ipsæ Joannis, XVI. Kal. Januarii Pontificatus anno III. idest, Christi anno MXXVI. easque integras describit Mabillonius Tom. II. Musei Italici in Appendice ad Romanum Ordinem XI. pag. 154. & seqq. Porro lapsus est Ughellus, ubi Litteras ipsas describens dixit, *ab Ecclesia S. Mariæ Transtiberim*; meritoque secunda Ughelliani Operis editio legit, *S. Mariæ in Turribus*, sive, ut alii habent, *inter Turres*, Fefellit enim Ughellum explicata perperam nota *intres*, qua Veteres Amanuenses *inter turres* designare consuevere, uti post laudatum Thomasium adnotavit idem Morettus in citata Lucubratione, Parte I. Sectione VII. in Nota ad §. I. ubi etiam ita inquit:

Digitized by Google

Quis enim credat, e Titulo S. Mariæ Transtyberim Vaticani Templi functionum consequentem Processionem prodiisse? E Titulo, inquam, tam longe posito, nec ullo modo Basilicæ Principis Apostolorum subjecto? Rubrica præfixa numero 8. *Orationalis antiqui S. Petri pag.* 8. *Cod. Responsorial. &c. S.R.E. Card. Thomasii*: Dominica in Palmis dicimus Tertiam ad S. M. in Turri, ubi Palmæ benedicendæ sunt. *En unde vere prodiret post benedictionem Processio.*

XI. Placuit hæc adnotare, quod eadem abunde nos docent non modo antiquitatem, sed & præstantiam laudatæ Capellæ S. Mariæ *in Turribus*, seu *inter Turres*, cujus etiam posterioribus seculis, ac præsertim labente Seculo xv. quo Augustinus Patricius nostrum hoc Cæremoniale ordinavit, ea fuit singularis dignitas *ut ibi a Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Vaticanæ Imperator processionaliter reciperetur, & ductus ad Altare dictæ Capellæ, in manibus primi Cardinalis præsentis, & nomine Pontificis recipientis, Beato Petro, Summo Pontifici, suisque Successoribus solitum juramentum* præstaret, uti in nostro §. edicitur.

§. XI.

Juramentum, quod Cæsar præstat in die Coronationis.

Ego N. Rex Romanorum, adjuvante Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro Deo, & Beato Petro, me de cetero Protectorem, atque Defensorem fore Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & utilitatibus ejus, custodiendo, & conservando possessiones, honores, & jura, ac jus, quantum divino fultus adjutorio fuero secundum scire & posse meum recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia.

COMMENTARIUS.

I. EXtat hæc formula juramenti in Romano Ordine XIV. Cap. CV. & in ms. Cæremoniali Codice Pierfanctiano, in quibus etiam edicitur, ut Rex futurus Imperator *cum Archiepiscopis, & Episcopis, Principalibus, & Magnatibus suis ascendens ad Summum Pontificem, reverenter osculetur pedes ipsius, & offerens ei aurum, quantum sibi placuerit, benigne accipiatur ab eo ad osculum, & ad amplexum. Quo demum surgente*, Papa scilicet, *ipse Rex a parte dextra, & Prior Diaconorum a parte sinistra, deducant eum usque ad Ecclesiam S. Mariæ in Turribus, ubi ante Altare, Subdiacono Evangelicum Textum tenente, Rex super eum corporaliter præstet hujusmodi juramentum*, nempe, *Ego N. Rex Romanorum, annuente Domino, futurus Imperator &c.* ut in hoc nostro §. XI. Præter hoc juramentum, quod fidelitatis dicitur, consuevere futuri Imperatores anteaquam coronarentur, aliud edere juramentum juxta formam quæ apud Gratianum legitur, Canone XXXIII. Distinctione LXIII. ediditque utrumque Henricus VII. in sua Coronatione peracta Romæ in Lateranensi Basilica anno Domini MCCCXII. die XXIX. Junii in Festo Apostolorum Petri, & Pauli, uti superius notatum fuit. Utriusque juramenti ab ipso Henrico editi meminit inter alios Pagius in Vita Clementis Papæ V. Num. LXVI. ubi ita inquit: *Anteaquam autem coronaretur, præter Fidei professionem, juramentum etiam fidelitatis, secundum formam in Decretis, Distinctione* LXIII. *Cap.* XXXIII. *quæ incipit*, Tibi Domino, *comprehensam, aliudque in Pontificali Romano contentum, quod incipit*, Ego N. Romanorum Rex, *ediderat*.

II. Porro eam juramenti formulam, quæ incipit, *Tibi Domino*, legiturque apud Gratianum loco citato, primus edidit Otto I. Germaniæ Rex ob res tam in bello, quam in pace præclare gestas *Magnus* dictus. Cum enim Joannes Papa XII. multa indigna pateretur a Berengario Italiæ Rege, ejusque filio Adelberto a Patre in Regni societatem adscito, Legatos misit ad ipsum Ottonem, Joannem Diaconum Cardinalem, & Azonem Scriniarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vocans eum ad defendendam Italiam, & Romanam Ecclesiam ab eorum tyrannide, simulque promittens, se illum Augustalibus insignibus ornaturum, & Imperatorem Romanorum appellaturum, modo tamen ille ante Legatis Apostolicæ Sedis se se juramento obligaret de conservandis integris ipsius Pontificis, Romanæque Ecclesiæ juribus, cujus juramentum apud memoratum Gratianum in citata Distinctione LXIII. Can. XXXIII. est hujusmodi: *Tibi Domino Joanni Papæ Ego Rex Otto promittere, & jurare facio per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum & per Lignum hoc vivificæ Crucis, & per has Reliquias Sanctorum, quod si, permittente Domino, Romam venero, Sanctam Romanam Ecclesiam, & te Rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, & vitam, aut membra numquam, neque ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes; & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio; & quicquid de Terra S. Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam; & cuicumque Italicum regimen commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendum Terram Sancti Petri secundum suum posse*. Meminit hujus juramenti Baronius anno Christi CMLX.

III. Teste Lamberto Schafnaburgensi ad annum CMLXII. *Otto Rex perrexit Romam, eumque Joannes Papa*, nempe XII. ejus nominis, *gratanter suscipiens, honorifice super Cathedram Augustalem posuit, & benedictione, atque consecratione sua Imperatorem fecit*. Luitprandus ait, Ottonem miro ornatu, miroque apparatu susceptum esse ab eodem Summo Pontifice, cui non

Digitized by Google

non ſolum propria reſtituit, verum etiam ingentibus auri, & argenti, gemmarumque muneribus ipſum muneravit. Jusjurandum vero ab eodem Papa Joanne ſupra pretioſiſſimum Corpus S. Petri, atque ab omnibus Urbis Proceribus, ſe nunquam Berengario, atque Adalberto ejus filio auxiliaturum, accepit. Hæc porro Ottonis Coronatio facta eſt ante diem XIII. menſis Februarii ejuſdem anni CMLXII. eo enim die Otto Diploma edidit, in quo ſe Imperatorem appellat. Scribit Baronius, autographum ipſius Diplomatis, quo idem Otto ſacris Imperii Inſignibus, & Infulis exornatus, Joanni XII. Pontifici Oppida Eccleſiæ ad id tempus recuperata reſtituit, ſervari adhuc Romæ in Caſtello S. Angeli aureis exaratum litteris, & tam ipſius Ottonis, quam ejus Epiſcoporum, & Comitum ſubſcriptionibus firmatum, datumque anno Domini CMLXII. Indictione V. die XIII. Februarii; *anno vero Domini Ottonis Imperii invictiſſimi Imperatoris vigeſimo ſeptimo*. Erat quidem tum annus tantum XXVI. Regni ejus Germanici, ſed in hoc Diplomate annus primus Imperii cum anno Regni ejus XXVI. conjungitur, ſicque fit aanus XXVII. ut notat Pagius in Vita Joannis XII. Num. VII.

IV. Quicquid ſit de hac re, juxta formulam juramenti in hocce §. deſcriptam, promittit futurus Imperator, anteaquam coronetur, *ſe de cetero Protectorem, ac Defenſorem fore Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus neceſſitatibus &c.* Principum maxime officii, & dignitatis eſt Eccleſiam tueri & ſovere quaſi ſponſam Chriſti, memoria accepti ſummi in rebus humanis beneficii, & tanquam nobiliſſimam partem Reipublicæ. Eccleſia enim eſt in Republica, ut docet optatus Milevitanus Lib. III. adverſus Donatiſtas. Teneri autem Principes, ac præſertim Imperatores tueri Eccleſiam, diſcimus vel ex propria eorum confeſſione, ejuſque rei locupletem teſtem habemus Valentinianum, qui S. Ambroſio ex laico electo Mediolanenſi Epiſcopo, & contriſtanti de electione de ſe facta, *Noli timere*, inquit, *quia Deus, qui te elegit, ſemper te adjuvabit, & ego adjutor, & defenſor tuus, ut meum Ordinem decet, ſemper exiſtam*. Quæ verba ex Hiſtoria tripertita referuntur a Gratiano in Canonem, *Valentinianus*, Diſtinctione LXIII. Hac laude commendantur præ ceteris Carolus Magnus & Ludovicus Pius pater & filius, quorum alter dictus eſt Advocatus, ideſt Defenſor S. Petri, nempe Romanæ Eccleſiæ, ut in Caroli Vita ſcribit Ademarus his verbis: *Itaque poſt Pipinum pium regnavit Dominus Carolus filius ejus, quem poſtea Romani elegerunt ſibi Advocatum S. Petri contra Reges Longobardorum*. Porro teſte Baronio, non omiſit Carolus Magnus in ſua Coronatione peracta Romæ anno DCCC. Pontifici Leoni III. juramento tunc ſe obligare Romanæ Eccleſiæ Defenſorem. Quod tamen Juramentum irrationabiliter impugnavit in ſuo Rationali Goldaſtus, cujus tamen ineptias refellit Gretſerus in Apologia quam pro Baronio conſcripſit, Cap. IV.

V. Præter hoc juramentum conſuevere jam olim novi Imperatores, antequam benedictione Pontificali donarentur, Fidei profeſſionem voce, & ſcripto, coram omnibus emittere. Hanc primus ab Anaſtaſio exegit Euphemius Patriarcha; ut enim ait Evagrius Lib. III. Cap. XXXII. *Cum Ariadne Anaſtaſium Imperiali Purpura veſtire vellet, Euphemius Regiæ Urbis Epiſcopus conſenſum ſuum accommodare renuit, priuſquam Anaſtaſius cautionem propria manu ſcriptam, & jurejurando firmatam ipſi dediſſet, qua pollicebatur, Fidem ſe illibatam ſervaturum, neque quicquam novi in Sanctam Dei Eccleſiam invecturum eſſe, ſi Imperii compos fieret*. Addit Evagrius, hæc idcirco egiſſe Euphemium, *quod Anaſtaſius Manichæorum ſectæ addictus eſſe a pluribus crederetur*. Idem teſtatum reliquit Theodorus Lector Lib. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*; ſimilique prorſus modo, cum Phocas, occiſo Mauritio, Imperium invaſiſſet, & Senatum, ac Patriarcham, ut ab eo coronaretur, in Septimium accerſiſſet, *tunc Patriarcha Cyriacus a tyranno de Orthodoxa Fide, & ut ſine perturbatione ſervaret Eccleſiam, extorſit Profeſſionem*, inquit Paulus Diaconus Lib. XVII. ſuæ Hiſtoriæ. Idem & ab aliis non coacte, ſed ſponte præſtitum eſt, qui non ſolummodo Fidei profeſſionem, ſed ſolemne quoque ſacramentum illud edere ſolebant, quo jura Eccleſiæ omnia, ac privilegia, intacta, & illibata ſe habituros, commiſſoſque ſibi populos paterne, & abſque tyrannide recturos promittebant. Hinc eſt, quod cum Leo Iſauricus Eccleſiæ,& ſacris Imaginibus bellum indixiſſet, *reducebat ad memoriam ejus Patriarcha ſponſiones ejus ante Imperium factas, qualiter ſibi Deum dederit vadem, in nullo commoturum Eccleſiam a ſuis Apoſtolicis & divinitus traditis ritibus*, ut ait iterum in ſua Hiſtoria, Lib. XXI. laudatus Paulus Diaconus.

VI. Conſueviſſe Imperatores Coronam Imperialem Romæ a Summo Pontifice aecepturos juramentum ipſum, de quo ſcilicet loquitur hic noſter præſens §. emittere ſuper gradus Baſilicæ S. Petri, docet nos in ſua Hiſtoria Rogerius Hovedenus; poſtquam etenim dixit, Celeſtinum III. anno MCXCI. conſecratum fuiſſe die Paſchatis in Romanum Pontificem, addit mox, *in craſtino* Papam veniſſe ad Eccleſiam Sancti Petri, ubi *ante oſtium Eccleſiæ ſupra gradus accepit ſacramentum* ab Henrico *Alemanorum Rege, quod ipſe Eccleſiam Dei, & jura Eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata, & quod rectam juſtitiam teneat, & quod Patrimonium Beati Petri, ſiquid inde ablatum eſſet, in integrum reſtitueret, & quod Tuſculanum ei redderet*. Hic porro Henricus eſt Germaniæ Rex hujus nominis VI. Imperator vero hujus nominis V. Invaluit vero tandem mos, ut juramentum ipſum in ipſa Capella S. Mariæ in Turribus a novo Imperatore præſtaretur, uti inter alia exemplum nos docet Friderici III. qui, ut ſcribit in illius Hiſtoria Æneas Sylvius, *per aliquos Cardinales ad Capellam ductus, quæ intra Turres dicitur, ibi jusjurandum B. Petro, & Nicolao Pontifici*, ſcilicet V. ejus nominis, *ſuiſque Succeſſoribus in ea forma præſtitit, quæ Ludovicum Magni Karoli filium juraſſe, Decreta confirmant*; quæ legere eſt apud Gratianum in ſuo Decreto, Diſtinctione LXIII. in qua etiam refertur juramenti formula. quod exhibuit Otto Imperator Joanni Papæ XIII. ſed de hujuſmodi juramentis ab Imperatoribus fieri ſolitis jam nos alias diximus; viderique etiam poſſunt quæ ſcripſimus I. Tomo noſtri Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XX.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

De receptione Imperatoris in Canonicum S. Petri.

Tum indutus Superpelliceo, & Almutia recipitur a Canonicis S. Petri in Canonicum & in Fratrem, quos omnes stans ante Altare dictæ Capellæ recipit ad osculum pacis.

COMMENTARIUS.

I. OCcurrunt passim jam apud Scriptores, quos recensct in suo Glossario eruditus Dufresne, Canonici honorarii, seu laici, qui ex quodam privilegio hac dignitate in Ecclesiis Canonicalibus gaudebant. Id enim juris interdum sibi reservarunt Principes in iis Ecclesiis, quas aut a fundamentis erexerant, aut amplis dotaverant reditibus, aut prædiis, ut in tesseram, & notam quandam Patronatus, Canonicorum Catalogis adscriberentur, & cum isthuc proficiscerentur, secularibus depositis insignibus, lineum supparum, seu Superpelliceum, aliasque vestes Canonicales cum aliis Canonicis fungerentur Ecclesiastico munere. Interdum etiam ab ipsis Ecclesiis donabantur ejusmodi Præbendis, ut essent, qui earum bona, ac prædia tutarentur. Hoc Jure gaudebant jam olim Comites Andegavenses in Ecclesia S. Martini Turonensis, ut testatur Chronicon Turonense his verbis: *Quia tempore Ingelgerii Comitis Ecclesia S. Martini carebat Thesaurario, & Ædituo, Consulem Ingelgerium, & Thesaurarium constituerunt, & Defensorem Ecclesiæ fecerunt, & tutorem omnium possessionum ejus, ubicumque esset, delegaverunt, qui sedem Thesaurarii, & domos cum reditibus, quandiu advixit, obtinuit.* Ministrasse hujusmodi Canonicos in Choro Canonicali veste indutos, vetera exempla nos docent. Teste siquidem Radulfo de Diceto anno CMLX. *Fulco Bonus tertius Comes Andegavensium in Ecclesia S. Martini de Castello novo Canonicus adscriptus fuit. In Festo Sancti ejusdem in Choro inter psallentes Clericos cum veste Clericali, & sub disciplina eorum adstabat &c.* Idem de Arturo Andegavensi Comite refert memoratum superius Chronicon Turonense ad annum MCC. *In Paschali*, inquit, *Arturus puer Turonis veniens, more debito in Ecclesia B. Martini in Canonicum est electus, & in Stallum Decani in vestibus Chori, sicut Canonicus, installatus.*

II. Transiit postmodum id jus ad Galliæ Regem tanquam Comitem Andegavensem; sicque anno MDCXIV. die XXV. Julii Ludovicus XIII. Rex Galliæ eandem S. Martini ingressus Ecclesiam, *in Canonicum honorarium, tanquam Abbas secularis, & Protector ejusdem Ecclesiæ receptus est ratione suæ Coronæ, & juramentum, quod Reges Franciæ in ejusmodi prima receptione facere consueverunt, præstitit*; ut in ejusdem Ecclesiæ monumentis legitur. Scribit Coquillius in Historia Nivernensi pag. 158. Herveum Comitem Nivernensem in Canonicum ejusdem Ecclesiæ S. Martini Turonensis admissum anno MCCXVI. idemque juris concessum posteris Comitibus Nivernensibus, & firmatum deinceps Litteris anno MCCLXX. & MCCC. & Ludovicum Gonzagam Ducem Nivernensem in eadem Ecclesia ut Canonicum sedisse anno MDLXXXVIII. Ex Actis denique Capitularibus ejusdem S. Martini notatum est, Petrum Britanniæ Ducem cupiisse, ut ipse, suique Successores in Ordinem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ cooptarentur anno MCDLV. dieque II. Septembris ejusdem anni Canonicos statuisse, *præfatum Dominum Ducem ad hujusmodi Canonicatum recipere cum solemnitatibus decentibus*. Sed aliis omissis, constat illud, jam a multis seculis Galliæ Regem in multis Regni sui Ecclesiis esse Canonicum; legiturque in quodam Regesto Cameræ Comput. Paris. Carolum VII. Regem Francorum, Urbem Andegavensem ingressum die XIX. Octobris anno Domini MCDXXIV. a Canonicis exceptum Superpelliceo, & Cappa auro texta indutum, tanquam Canonicum. Auctor est quoque Hemeræus in Augusta Viromand. anno MCCXIV. Regi Franciæ venienti in Ecclesiam S. Quintini, & in Custodis loco sedenti Decanum Almutiam offerre, stante pro Aulæ consuetudine in subselliis Eleemosynario.

III. Viguit hic ritus in aliis Ecclesiis non modo Galliæ, sed & aliorum Regnorum, atque Provinciarum, in quibus Principes Canonici erant, & aliquando etiam ministrabant insignibus Canonicalibus induti, ut pluribus docet Thomassinus Parte I. Lib. III. Cap. LXIV. quamobrem videri mirum non debet, si in nostro hoc §. edicitur, novum Imperatorem post præstitum juramentum, *Superpellicio, & Almutia indutum recipi a Canonicis S. Petri in Canonicum, & in Fratrem &c.* Tradit Marquardus Freherus, eandem dignitatem obtinere in Ecclesiis Aquisgranensi, Colonienſi, & Bambergensi; describitque Joannes Noppius in Chronico Aquisgranensi Lib. I. Cap. XII. juramentum, quod Imperator tanquam Canonicus ejusdem Ecclesiæ facere solitus est. Supereſt adhuc sacramentum, quod Capitulo Pictavienſi B. Hilarii præstabat Galliæ Rex ibidem Canonicatu insignitus, cum primum illuc accedebat: *Juramentum, quod facere, & præstare tenetur Rex Abbas Ecclesiæ B. Hilarii, quum primum personaliter ad eam accesserit*. Legi id ad calcem Annalium Aquitanicorum tradit Thomassinus loco citato, Numero VIII. ubi etiam observat, Reges ipsos quandoque pro Canonicis dictos esse Abbates.

IV. Quod nostrum §. spectat, ubi edicitur recipi novum Imperatorum a Canonicis S. Petri in Canonicum, & in Fratrem, concinit plane Romano Ordini XIV. Cap. CV. & ms. Cæremoniali Codici Pierſanctiano, ubi post recitatum juramentum, quod in Sacello S. Mariæ in Turribus fieri solitum fuit, ita legitur: *Deinde Summus Pontifex cum omnibus Ordinibus suis ad Altare procedit; & facta ibi Oratione, ad Sedem ascendit, Rege cum suis, & tribus Episcopis,*

Digitized by Google

pis, videlicet Oſtienſi, & Portuenſi, & Albanenſi in Eccleſia S. Mariæ in Turribus remanente, ubi a Canonicis S. Petri receptus in Fratrem &c. Teſte Spondano ad annum MCDLII. Fridericus III. Imperator poſt præſtitum Papæ ſacramentum, Alba indutus, primum in Canonicum S. Petri admiſſus fuit, tum denique Corona cinctus: *Alba indutus, & in Canonicum S. Petri receptus.* Verba iſta ſunt Naucleri, quæ Romualdus etiam Hiſtoriæ ſuæ intexuit. Meminit & ejus cæremoniæ Æneas Sylvius in Hiſtoria ipſius Friderici, ubi etiam ait, dediſſe tunc Fridericum Canonicis, qui aderant, oſculum pacis. Sic enim inquit poſt juramentum ab eo præſtitum in Capellæ S. Mariæ in Turribus, de quo nos ſuperius diximus: *Ibi quoque & Alba indutus, in Canonicum S. Petri receptus, Fratribus, qui aderant, Canonicis oſculum dedit.* Nec aliter factum eſt in Coronatione Caroli V. peracta Bononiæ anno MDXXX. ut enim ipſa Coronatio Imperialis Romæ fieri videretur, rituſque minime omitteretur cooptationis Imperatoris in Canonicum Lateranenſem, & Vaticanum S. Petri, juxta antiquam conſuetudinem, acciti ſunt nonnulli ex utriuſque Eccleſiæ Canonicis cum Vicariis, atque inſuper duæ Bononienſes ſacræ Ædes ad repræſentandas Romanas illas nobiliſſimas Baſilicas delectæ. Notat hæc eruditiſſimus Canonicus Petrus Morettus in Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione x. pag. 188. Nota ad §. XII. ubi citat Opus Marci del Guazzo, & Raynaldi Annales ad annum MDXXX. quibus addi & poſſunt, quæ in eandem rem ſcribunt Spondanus ad eundem annum MDXXX. Num. I. & II. Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. LXIV. Num. IX. & alii, quos ibidem recenſet Spondanus.

V. Tandem nequid ſacræ eruditionis hic omittamus, notandum & illud eſt, quod docet idem Morettus in alio celebri Opuſculo, quod inſcripſit, *De ritu oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum*, laicos nempe Principes Romam advenientes, ubi recepti erant in Canonicos S. Petri, ſolitos etiam fuiſſe ſacras inſigniores ejuſdem Baſilicæ Reliquias populo oſtendere. Sic Fridericus III. Imperator Canonicus declaratus S. Petri Veronicam monſtravit anno MCCCL. uti conjicere licet ex Monumentis Maffei Veggii, *De mirabilibus Baſilicæ Vaticanæ*. Uladislaum Regis Poloniæ, & Sueciæ filium, qui Romam venit anno MDCXXIV. Urbano VIII. Pontifice Maximo, inter Canonicos S. Petri adſcriptum, Odæum aſcendiſſe, & Veronicam, Lanceam, ac Domini Crucem oſtendiſſe, narrat Paulus Alaleo in ſuis mſs. Diariis ad diem XXX. Decembris prædicti anni MDCXXIV. Eodem Canonici privilegio ornatus Magnus Hetruriæ Dux Coſmus III. ab Innocentio XII. Vaticanas Reliquias habitu Canonicali indutus anno Jubilei MDCC. monſtravit III. Nonas Junii. Vide laudatum Morettum in citato Opuſculo §. XXXIV. ubi ritum enarrat, quo laudatus Princeps Reliquias populo oſtendit.

§. XIII.

De precibus, & oratione in dicta Capella S. Mariæ in Turribus ſuper novum Imperatorem dici ſolitis.

Inde præcedente Clero, & cantante Reſponſum, *Petre amas me? Tu ſcis Domine, quia amo te. Paſce oves meas.* Verſus: *Simon Joannis amas me plus his? Tu ſcis Domine, quia amo te. Paſce &c.* alii Cæſaris Proceres ſuo ordine deveniunt ad portam principalem ipſius Baſilicæ, quæ argentea nominatur, & ex quinque media eſt. Interim duo Epiſcopi Cardinales poſt priorem antiquiores, facta reverentia Pontifici, cum ſuis Mitris, & Pluvialibus veniunt ad prædictam portam, dum Cæſar adhuc eſt in dicta Capella inter Turres; & ante eum junior Epiſcopus Cardinalis ſtans ſine Mitra ſupra Cæſarem genuflexum orantem dicit hanc Orationem.

Oremus.

Deus, in cujus manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & huic famulo tuo Regi veram appone ſapientiam, ut hauſtis de tuo fonte conſiliis, & tibi placeat, & ſuper omnia præcellat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. COncinunt hæc Ordini XIV. Romano, & ms. Cæremoniali Codici Pierſanctiano, in quibus edicitur, ut ubi novus Imperator in Eccleſia S. Mariæ in Turribus a Canonicis S. Petri receptus fuit in Fratrem, *Imperialibus induatur inſignibus, dato ipſius pallio Camerario Domini Papæ. Qui, præcedentibus illis Canonicis cantantibus,* Petre amas me? *cum ad oſtium Baſilicæ Principis Apoſtolorum pervenerit, quæ porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde Comite Lateranenſis Palatii, & Primicerio Judicum Romanorum* (ita legendum, non vero *Judicum Canonicorum*, ut perperam in citato Ordine XIV. apud Mabillonium legitur) *Albanenſis Epiſcopus ante ipſam portam argenteam, hanc ſuper eum benedictionem infundat.* Oratio. *Deus in cujus manu &c.* Eſſe hunc antiquum ritum, ut in porta argentea Vaticanæ Baſilicæ ab Albanenſi Epiſcopo prædicta Oratio dicatur ſuper Imperatorem ibi præſentem, docet ms. Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria anno MCCXIV. ſcriptum apud eruditum Martene Lib. II. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IX. Ordine VI. ubi poſtquam mentionem fecit juramenti, quod novus Imperator in memorata Eccleſia S. Mariæ in Turribus *facit ſuper ſancta Evangelia juxta morem Prædeceſſorum ſuorum in præſentia Cardinalium*, ita deinde

Digitized by Google

de subdit: *Quo facto, deducitur processionaliter, sicut prius; & cum intraverit portam Basilicæ B. Petri, quæ quondam fuit argentea, & nunc quoque argentea vocatur, Episcopus Albanensis primam super caput ipsius dat orationem, dicens:* Dominus vobiscum. Oremus. Deus in cujus manu corda sunt Regum &c.

II. Eadem Oratio dicenda ab ipso Albanensi Episcopo *ante portam argenteam Basilicæ B. Petri*, legitur etiam in mss. Pontificalibus, Constantinopolitano annorum circiter DL. & Arelatensi annorum CDL. apud laudatum Martene Ordine VII. Mirum itaque videri debet, quod circa hanc cæremoniam scribit Æneas Sylvius in Historia Friderici III. ubi enarrat ejus Coronationem Romæ peractam a Nicolao Papa V. anno MCDLII. Ait enim, quod cum *ad præcipuam Ecclesiæ portam veniſſet, ibi per Subdiaconum S. Mariæ Novæ Cardinalem Eugenii IV. nepotem solemni benedictione coopertus est*. Fuit hic Petrus Barbus Venetus Eugenii Papæ ex sorore nepos, qui ex Canonico Patavino, & Protonotario Apostolico, imo affirmante Aubery, ex Archidiacono Ecclesiæ principis Bononiensis, Episcopus Cervienſis primo, mox Vincentinus, demum Patavinus, ab Eugenio avunculo Purpuram accepit, & Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ, postea a Nicolao V. successore Eugenii Presbyter S. Marci, & Archipresbyter S. Petri renunciatus, fuit tandem sub nomine Pauli II. Romanus Pontifex Maximus. Hic itaque Petrus Barbus Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ primam orationem effudit super Fridericum *ad præcipuam Ecclesiæ portam*, ut ait Æneas Sylvius, cum alias juxta antiquos recentioresque Cæremoniales Codices id ad Cardinales Episcopos pertineret.

III. Quicquid autem de hac re sit, quod argenteam portam spectat, quæ *ex quinque* portis Basilicæ Vaticanæ *media est*, ut ait hic noster §. antiqua illa profecto est, sicut & aliæ quatuor, quarum omnium nomina explicat in sua brevi descriptione Vaticanæ Basilicæ Romanus Canonicus Num. XLIV. sic inquiens: *In honorem Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis scribimus nomina quinque portarum, quæ sunt in ingressu B. Petri Basilicæ. Quarum media, & major, vocatur porta argentea, quoniam optimo argento tota deargentata fuit, & variis picturis a S. Leone Papa IV. depicta. Porta vero, quæ est juxta eam, & quæ vadit ad S. Leonem IX. Papam, vocatur porta Ravenniana, quoniam antiquitus Ravennates, & omnes Lombardi, & Tusci de consuedine per eam intrabant, vel quia Transtyberim per eam intrare solebant, cum Transtyberim Civitas Ravennantium vocaretur. Tertia porta juxta eam, quæ vadit ad S. Gregorium, vocatur porta Judicii, quoniam per eam tantum mortui, qui sepeliendi sunt in Ecclesia B. Petri, mittuntur a Domino judicandi. Ab alia parte supra, Porta, quæ est juxta Portam argenteam, dicitur Porta Romana, quoniam, ut a nostris Majoribus accepimus, Romanæ mulieres antiquitus, & adhuc frequenter per eam intrant. Porta illa, quæ est juxta eam, & quæ vadit per porticale juxta Veronicam, dicitur Porta Guidanea, quoniam Guidones, qui ducebant Oratoros venientes per porticale, quod est juxta nolarium majus, frequenter per eam intrabant. Unde usque ad nostra tempora faculæ, & cerei ibi vendebantur.* Hucusque Romanus Canonicus Portas ipsas Vaticani Templi describens.

IV. Basilicæ itaque Vaticanæ Portæ a Romano enumeratæ sunt quinque, totidemque in nostro hoc §. recensentur. Verum notat Paulus de Angelis in sua ad ipsum Romani locum annotatione pag. 136. fuisse postea sextam Portam in angulo Basilicæ apertam, *quæ a Christifidelibus vocata est Porta Sancta*. Copiose de his Portis tractat Panvinius in suo Opusculo, *De septem Urbis Ecclesiis*, ubi etiam ait, in Basilicæ Vaticanæ anteriori parte sex esse Portas, quas ita describit: *Media omnium major argentea vocata a laminis argenteis cælatis, quibus totam eam cooperuit Honorius Papa, quas a Saracenis dirutas restituit Leo IV. & iis postremo etiam ablatis, æneam refecit Eugenius IV. cum Martyrio Sanctorum Apostolorum, & rebus ab se gestis expressis, ut hæc carmina indicant.*

Ut Græci, Armeni, Æthiopes, hic aspice ut ipsam
Romanam amplexa est gens Jacobina Fidem.
Sunt hæc Fugenii monumenta illustria Quarti
Excelsi hæc animi sunt monumenta sui.

Pergit Panvinius, ceteraque Portas sic describit: *Proxima Porta a parte dextera, vocatur Ravenniana a Ravennatibus Transtyberim incolentibus, vel quia Transtyberini Ravennates vocabantur; quo nomine Tusci, & Transpadani homines comprehenduntur, quia eo ingredi Ecclesiam consueverant. Tertia versus S. Mariam de Febre vocata Porta Judicii, quoniam ea vita functi ad sepulturam inferebantur. A parte sinistra proxime post Argenteam sequitur Porta Romana a Civibus Romanis dicta. Quinta Guidonea vulgari verbo a Guidonibus nuncupata, qui Peregrinos ad Limina Apostolorum venientes in Ecclesiam introducebant, cuncta illis memoratu, aut visu digna ostendentes. Sexta est Porta Sancta recens addita, quæ vigesimoquinto quoque anno Jubileo redeunte aperitur, & eo exacto clauditur.* Hactenus Panvinius, qui etiam addit, super his Portis appensas fuisse catenas Portus Smyrnensis, & vectes ejus Urbis, Sixto IV. Pontifice Maximo, a classe Ecclesiastica, cui Oliverius Carafa Cardinalis Neapolitanus cum imperio præerat, de Turcis captas; itemque vexilla alia iisdem Dei hostibus erepta.

V. Porro quod in Porta Argentea juxta antiquum ritum Albanensis Episcopus super novum Imperatorem primam Orationem dicit, operæ pretium ducimus de eadem hoc loco anotare, quæ Anastasius scripsit in Vita Honorii Papæ I. *Hic erudivit Clerum*, inquit, *temporibus suis renovavit omnem Cimiliam B. Petri Apostoli, & investivit Confessionem B. Petri ex argento puro, quod pensat libras centum octuaginta & septem. Investivit Regias januas in ingressu Ecclesiæ majores, quæ appellantur medianæ, ex argento, quæ pensant libras nonigintas septuaginta quinque.* Ceterum quod dictum superius fuit de renovatione facta Portæ Argenteæ a Leone Papa IV. audiendus est idem Anastasius, qui in ipsius Pontificis Vita sic inter alia inquit: *Ipse insignis Præsulque præcipuus cum innumera summi decoris opera in Basilica B. Petri Cæli Clavigeri perfecisset, Portas, quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis, salutiferisque historiis sculptis, & in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit, ut omnes, qui in eandem*

Digitized by Google

dem Basilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti, sanctoque suo Præsulatui referant, & exposcant, ut multa annorum suæ vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere Aulam Dei argento pensante libras septuaginta ornavit. Ita Anastasius; atque hæc de Portis Basilicæ Vaticanæ sufficiant, de quibus & alios Scriptores vide.

§. XIV.

De accessu Imperatoris ad Capellam S. Gregorii, & de altera Oratione super eum dicenda.

Finita prima Oratione, intrant Ecclesiam, Cæsare incedente semper inter duos Diaconos Cardinales prædictos, & immediate præcedentibus duobus Episcopis Cardinalibus præfatis, & flectentes ad sinistram, perveniunt ad Capellam S. Cregorii, ubi Imperator sedens, deposita Almutia, primo induit Sandalia, deinde stans Tunicellam, & demum Imperiale Paludamentum, & mox inde procedens, ad medium Ecclesiæ, ubi rota est porphyretica, venit, & ibi ab alio Episcopo Cardinali sibi assistente, dicitur super eum alia Oratio, videlicet. *Oremus.*

Deus inenarrabilis Auctor mundi, Conditor generis humani, gubernator Imperii, confirmator Regni, qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti Regem seculis præfuturum, Tu præsentem Regem hunc cum exercitu suo per intercessionem Sanctorum uberi bene ✠ dictione æternitatis circunda, ut semper (1) *maneant tripudiantes in pace victores. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. LEgitur & hæc Oratio in ms. Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria anno Domini MCCXIV. exarato apud Martene citato superius loco, ubi post factam mentionem primæ Orationis, quam dixit Albanensis Episcopus, ita mox subdit: *In eundem quoque modum Episcopus Portuensis dat secundam Orationem in medio rotæ majoris, quæ primum occurrit infra Ecclesiam B. Petri*: Dominus vobiscum. Oremus. Deus inenarrabilis auctor Mundi &c. *ut in Ordine Romano usque ad illa verba inclusive*; nempe: *ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipse præstare dignetur &c.* In mss. quoque Pontificalibus, Constantinopolitano annorum DL. & Arelatensi annorum CDL. fit mentio ejus Orationis dicendæ scilicet ab Episcopo Portuensi *intra Ecclesiam B. Petri in medio rotæ*. Sed audiamus Romanum Ordinem XIV. in quo etiam secunda ipsa Oratio est longe prolixior: *Cum autem intra Ecclesiam*, inquit, *in medio rotæ pervenerit, Portuensis Episcopus hanc Orationem super ipsum decantet.* Oratio autem ita concepta est: *Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator Imperii, confirmator Regni, qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti Regem seculis profuturum: Tu præsentem Regem hunc cum exercitu suo per intercessionem omnium Sanctorum uberi bene ✠ dictione locupleta, & in Solium Regni firma stabilitate connecte. Visita eum sicut visitasti Moysen in mari rubro, Jesum Nave in prælio, Gedeon in agro, Samuelem in Templo, & illum cum bene ✠ dictione syderea, ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam beatus David in psalterio, Salomon filius ejus te remunerante percepit de Cælo. Sis ei contra inimicorum acies lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clypeus sempiternus; & præsta, ut gentes illi teneant fidem, Proceres sui habeant pacem, diligant caritatem, abstineant se a cupiditate, loquantur, justitiam, custodiant veritatem; & ita populus iste pullulet coalitus bene ✠ dictione æternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Per.* Ita in Romano laudato Ordine XIV. in ms. vero Cæremoniali Codice Piersanctiano secunda ipsa Oratio eadem est, ac illa in hoc nostro §. descripta.

II. Juxta præscriptum ejusdem nostri §. ubi Imperator pervenit ad Capellam S. Gregorii, ibi *sedens deposita Almutia, primo induit Sandalia, deinde stans Tunicellam, & demum Imperiale Paludamentum*. Fuit jam ante in usu, ut laici Principes sacris induti vestibus tanquam Subdiaconi, & Diaconi rebus divinis ministrarent, ac præsertim Imperatores in sua ipsorum Coronatione, uti constat ex Romano Ordine XIV. Cap. CV. ubi inter alia edicitur, ut, *Pontifice descendente*, scilicet de Sede, *pro perficiendis Missarum Mysteriis ad Altare, Imperator more Subdiaconi offerat Calicem, & ampullam, & stet ibi, donec Pontifex ad Sedem reversus communicet*. Sane refert ad annum MCDXIV. Num. X. Spondanus, Sigismundum Imperatorem ipso anno Constantiam venisse in pervigilio Natalis Domini, Missæ Romani Summi Pontificis adfuisse, & Evangelium recitasse Diaconorum veste indutum: *Ad Missam Pontificalem habitu Diaconali legit de more Evangelium*, nempe, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*. Teste Ænea Sylvio in Historia Friderici III. postquam Fridericus ipse solemni benedictione donatus fuit a Cardinale Diacono Tituli S. Mariæ Novæ in præcipua Vaticanæ Basilicæ porta, uti supra notavimus, *deinde Capellam S. Gregorii ingressus, Sandalia tulit, Tunicellam induit, & Augustale paludamentum accepit*. Tum vero mox etiam addit: *Mox ei in medium Basi-*

(1) Ita in Romana editione; in Veneta prima, & Colonienſi legitur; *ut ſemper maneant læti, & triumphantes in pace victores.*

Digitized by Google

licæ profecto per alium Cardinalem benedictio superfusa est. Atque hic ritus in nostro hoc §. præscriptus servatus est in Coronatione laudati Friderici III, peracta anno MCDLII. Anno quoque MCDLXVIII, quum idem Fridericus III, Natale Christi Romæ ageret, a Diaconibus Cardinalibus veste sacra Diaconi indutus fuit, & ita Evangelium recitavit in Nocturnis Officiis, reliquam lectionem ab alio decantandam dimittens: *Camiseum, vestemque album, & Pluviale, ministrantibus Diaconibus Cardinalibus, sumpsit, & Evangelium lectionis septimæ non injucunde cantavit*, Commemorat & illud Sigonius Lib. VII. *De Regno Italiæ*, cum Lombardiam peragraret Imperator, in more positum fuisse, ut secundam accepturus Coronam, in vestibus Subdiaconorum Archiepiscopo Mediolanensi ministraret.

III. Teste Thomassino Parte I. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. LXIV. Num. IX. *hoc veluti privilegium Imperatoribus indultum commentantur Canonistæ*; sed tamen longe probabilius laudatus Auctor censet, plurimas Diaconorum, & Subdiaconorum vestes, Imperatorum proprias olim fuisse, & ab illis fuisse Sacerdotio communicatas; subditque mox etiam, hac convenientia antiquissima, & cognatione Regiarum vestium cum Sacerdotalibus adductum olim fuisse Robertum Regem, ut solemnioribus Festis pretiosissimam indutus Cappam, permiscerętur Cantoribus Ecclesiæ S. Dionysii, ut constat ex antiquo Codice ejus Abbatiæ, quem laudat Molinetius in Tractatu, *De Canonicis*, Reflexione x, ubi ita inquit: *Inter Missarum solemnia stans in Choro cum Cantore, ceterisque Chorum tenentibus, indutus Cappa serico pretiosa, quam sibi ad hoc ipsum comparaverat, tenens Sceptrum Regale aureum in manibus, totum Chorum, imo totam Ecclesiam illustrabat, psallens cum psallentibus.* Puto equidem, labi Thomassinum, cum ait sacras Diaconorum, & Subdiaconorum vestes, proprias olim fuisse Imperatorum, & ab iis communicatas Sacerdotio fuisse. Constat enim ex veteribus monumentis, consueviſse Romanos Pontifices Principibus laicis sacra indumenta elargiri, Certe, uti nos docet Gregorius VII. Lib. I. Epistola XXXVIII. ad Uratislaum Boemiæ Ducem data, ipsi Uratislao de Apostolica Sede optimemerito laicis hactenus inconcessum Mitræ usum largitus est. Hoc exemplum sequutus est Lucius II. de quo Romani in Epistola sua ad Conradum Romanorum Regem apud Ottonem Frisingensem Libro I. *De gestis Friderici I.* Cap. XXVIII. ita inquiunt: *Concordiam inter Siculum & Papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo Virgam, & Annulum, Dalmaticam, & Mitram, atque Sandalia.* Hujusmodi largitio erat gratia specialis Romanorum Pontificum, uti constat ex Innocentio Papa III. qui & ipse Regi Aragoniæ inter alia Regalia insignia, *Colobium, & Mitram* concessit. Legi de ea re possunt, quæ scribunt Pagius in Vita Alexandri II, Num. LI. Raynaldus MCCIV, Numero LXXI. & quæ dicemus nos infra in Commentario ad §. XXII. ut ea omittamus, quæ in aliis Operibus nostris diximus.

§. XV.

De processu Imperatoris ad Confessionem S. Petri, ac de Litaniis, precibus, & orationibus super ipsum dicendis.

Procedunt deinde ad Confessionem Beati Petri sub Altare, ubi procumbit super Faldistorium Imperator, & duo Episcopi Cardinales ascendunt Capellam, & vadunt ad sedes suas. Prior autem Diaconorum, ac Prior Presbyterorum parati descendunt ad eum, atque hinc inde genuflectunt; & Diaconus ipse facit Litaniam procumbens ad sinistram, omnibus alta voce replicantibus, & flexis genibus permanentibus. Finita Litania, surgit Prior Presbyterorum, & super Cæsarem adhuc procumbentem dicit: *Pater noster &c. Et ne nos &c. Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* Versus. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* Versus. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Versus. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* Versus. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

Prætende quæsumus Domine famulo tuo dextram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, assequatur.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et cum Diacono his finitis revertitur ad locum suum inter alios Cardinales.

COMMENTARIUS.

I. JUxta præscriptum ms. Pontificalis Apamiensis Ecclesiæ in Syria anni MCCXIV. finita Oratione, *Deus inenarrabilis auctor Mundi*, de qua in superiori Commentario dictum est, *deinde deducitur*, Cæsar scilicet, *ante Confessionem B. Petri, ibique prosternit se pronum in terram, & Archidiaconus facit Litaniam.* Idem præscribunt mss. Codices Pontificales Constantinopolitanus annorum circiter DL. & Arelatensis annorum CDL. ubi mandant,

Digitized by Google

dant, *at deinde vadant ante Confessionem S. Petri, & coronandus prosternat se pronum in terram, & Archidiaconus faciat Letaniam*. Nulla in his Pontificalibus mentio illarum precum, *Pater noster &c. Salvum fac servum tuum &c.* mentio nulla quoque illarum duarum orationum, quæ in hoc nostro §. descriptæ sunt; sed statim mandant, ut finita Litania, *Episcopus Hostiensis ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum, & inter scapulas &c.* De qua cæremonia dicemus nos infra juxta ordinem nostri hujus Cæremonialis. Porro preces ipsæ, & orationes extant in Ordine Romano XIV. in Cæremoniali Piersanctiano Codice, & in eo quem refert Raynaldus ad annum MCCCXI. ubi recenset cæremonias in Coronatione Henrici VII. servatas jussu Clementis Papæ V. præscriptas. Loquitur & de tertia hac oratione, seu benedictione Æneas Sylvius in Historia Friderici III. *Tertiam quoque benedictionem*, inquit, *apud cancellum S. Petri suscepit*. Idem & apud alios Auctores legere est quos non est opus hic recensere.

§. XVI.

De accessu Cæsaris ad Altare S. Mauritii, & ejus sacra unctione.

Dum ultimæ Orationes dicuntur per Presbyterum Cardinalem, prior Episcoporum Cardinalium cum Pluviali, Stola, & Mitra descendit ad Imperatorem, & simul cum duobus Diaconis, finitis Orationibus, ducit illum ad Altare S. Mauritii, ubi stans cum Mitra inungit brachium dextrum Cæsaris, & scapulas cum oleo exorcizato in modum Crucis, & deposita Mitra dicit. *Oremus.*

Domine Deus Omnipotens, cujus est omnis potestas, & dignitas, te supplici oratione, atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo N. prosperum Imperatoriæ Majestatis concedas effectum, ut in tua protectione constituto, ad regendam Ecclesiam tuam sanctam, nihil ei præsentia officiant, futura nihil obsistant, sed inspirante Sancti Spiritus dono, populum sibi subditum æquo justitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique jugiter placere contendat.

Deus Dei filius Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo participationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri unguenti infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili, & tractabili dono invisibilia percipere, & temporali Regno justis moderationibus executo, æternaliter conregnare ei merearis, qui sine peccato Rex Regum vivit cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. ANtiquissima est Principum unctio, & certe suam a veteri Testamento ducit originem, in quo *non solum ungebatur Sacerdos, sed etiam Rex, & Propheta*, uti notat Innocentius III. in capite unico, *De sacra unctione*. Ungebantur quidem in veteri Testamenti Reges in capite, fuitque unctio propria & singularis Regum Judæorum, uti observat S. Augustinus in Psalmum XLIV. ubi etiam ejus singularitatis rationem docet, sic inquiens: *Hoc nomen, quod appellatur Christus, unctionis est, nec in aliquo alibi ungebantur Reges, & Sacerdotes, nisi in illo Regno, ubi Christus prophetabatur, & ungebatur, & unde venturum erat Christi Nomen, nusquam est alibi omnino, in nulla Gente, in nullo Regno*. In novo Testamento pervetustum esse ritum ungendi sacro Oleo Reges, abunde ostendimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XX. Docet Altaserra in citato Capite unico, *De sacra Unctione*, serius unctionem recepisse Imperatores, eamque Conradum non quidem sprevisse, sed tamen minime suscepisse. Verum quicquid sit de priscis Romanis Imperatoribus, & de iis, qui in Oriente imperarunt, plane constat, translato in Occidentem Imperio, Carolum Magnum, qui post Imperii renovationem primus dicitur Imperator, in sua Coronatione

peracta Romæ die XXV. Decembris anno DCCC. a Leone Papa III. non in quibusdam duntaxat partibus, sed toto corpore fuisse sacro Oleo perfusum: *Tum vero vicem Carolo referens Leo*, inquit Constantinus Manasses, *Romæ veteris eum Imperatorem renuntiat, neque tantum Corona caput ejus more Romano cingit, verum etiam legibus Judæorum usus, a capite ad pedes totum oleo perungit*.

II. Peculiaris profecto fuit hic ritus, nam alias juxta præscriptum Pontificalium, & Innocentii III. testimonium loco citato, *Principis unctio a capite ad brachium est translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio, sive humero, vel in armo, in quibus Principatus congrue designatur, juxta illud quod legitur*, Isaiæ scilicet Capite IX. *Factus est Principatus super humerum ejus &c.* Ad quod etiam significandum, ut idem Pontifex subjicit, *Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant invitati*. Notandum hic vero illud, ipsam Principum unctionem non esse Sacramentum, nec imprimere Characterem, sed esse mere cæremonialem, ungique ipsos, ut fiant augustiores, & tutiores ab insidiis nefariorum. Differt autem Principis unctio a Pontificum unctione, ut etiam laudatus Innocentius Papa III. docet,

Digitized by Google

quia caput Pontificis Chrismate consecratur, brachium vero Principis oleo delinitur; ut ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem. Cæterum ritus in hoc nostro §. præscriptus concinit quidem Romano Ordini XIV. & ms. Codici Piersanctiano, ut nimirum post dictas orationes in §. præcedenti descriptas, procedat Cæsar *ad Altare S. Mauritii, ubi Ostiensis Episcopus sibi ungat de oleo exorcizato brachium dextrum, & inter scapulas, hanc orationem dicendo*, nempe, *Domine Deus Omnipotens &c.* atque aliam, *Deus Dei Filius &c.* ut in nostro §. quibusdam verbis tantisper variatis.

III. Extant & hæ Orationes in ms. Pontificali Apamiensi anno MCCXIV. scripto, ex cujus tamen præscripto, *Episcopus Ostiensis, vel in eodem loco*, ante Confessionem scilicet S. Petri, *vel ante Altare S. Mauritii, sicut aliquando a multis actum esse dicitur, debet ei inungere brachium dextrum de oleo exorcizato, & inter scapulas*. Juxta Pontificales Codices, Constantinopolitanum annorum circiter DL. & Arelatensem CDL. inunctio fiebat ante ipsam S. Petri Confessionem, ubi scilicet facta fuerat Litania; statim enim mandant, ut, ipsa Litania finita, *Episcopus Ostiensis ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum, & inter scapulas*. Quamobrem ritus recens videtur, quem infra in fine sequentis §. nostrum Cæremoniale præscribit, ubi loquens de ipsa Imperatorum inunctione, ita inquit: *Et hæc quidem fiunt ad Altare B. Mauritii, nam ad Altare Beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, nisi Romanus Pontifex solus*. Sed de hac re fusius alias.

IV. Porro ex dictis hactenus illud constat, ad Episcopum Ostiensem pertinere sacro oleo inungere Imperatorem; sed notandum tamen hic censeo, Fridericum III. Imperatorem in sua Coronatione, sicut & ejus conjugem Leonoram inunctum fuisse a Francisco Cardinali Condulmerio Episcopo Portuensi, quod tunc temporis Joannes Cervantes Episcopus Ostiensis in Hispaniis versaretur, uti observat eruditus Georgius in Vita Nicolai Papæ V. anno Domini MCDLII. Num. VIII. ubi etiam merito reprehendit Zantflietum, qui Fridericum ipsum, & Leonoram ab Ostiensi Episcopo inunctos fuisse perperam scripsit. Meminit & ejus cæremoniæ Æneas Sylvius in Historia Friderici III. ubi ita inquit: *Exinde ductus ad Altare S. Mauritii, per Cardinalem Portuensem tunc Vicecancellarium .... in scapulis, atque in dextro brachio pro veteri more oleo sacro delinitus, iisdemque locis inuncta est conjux ejus Leonora*. Plura de hac re vide citato loco nostri Pontificalis.

§. XVII.

De Imperatricis inunctione.

Interea Imperatrix, si adest, & similiter perungitur in eisdem locis, deinde dicitur per eundem Cardinalem Episcopum Oratio super eam cum Mitra, quia ad eam non ad Deum sermo dirigitur: *Spiritus Sancti gratia nostræ humilitatis officio copiosa in te descendat, ut sicut manibus nostris licet indignis oleo materiali oblinita pinguescis exterius, ita ejus invisibili unctione delibuta impinguari merearis interius, ejusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, & illicita declinare tota mente, atque spernere discas, & valeas, & utilia animæ tuæ jugiter optare, atque operari queas, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus &c.* Et hæc quidem fiunt ad Altare S. Mauritii; nam ad Altare Beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, nisi Romanus Pontifex solus.

COMMENTARIUS.

I. UNa cum Imperatoribus consueviſſe & eorum uxores ſacro oleo rite inungi, ac deinde etiam coronari, & Eccleſiaſtici Annales, & Cæremoniales antiqui Codices docent, Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. CL. ms. Codex Pierſanctianus, Arelatenſis Liber Pontificalis annorum circiter CDL. & alii. Sed audiamus memoratum Romanum Ordinem, & Pierſanctianum Codicem, qui ita ad rem inquiunt: *Si vero Regina fuerit coronanda, debet ſuper lectorium ex oppoſito thalamus præparari, ubi cum duabus ad minus puellis, & aliquibus ex Principalibus Imperii tam Eccleſiaſticis, quam mundanis &c.* Sequuntur mox variæ orationes, inter quas etiam recenſetur illa, quæ in hoc noſtro §. legitur. Dicemus de iis inferius ſequentes noſtri Cæremonialis Ordinem, in quo extat peculiaris §. *De Coronatione Imperatricis ſine Imperatore*. Ceterum quod una cum Imperatore conſueverit etiam Imperatrix illius conjux Romæ ſolemniter coronari, præter exemplum Friderici III. & Leonoræ ejus uxoris, quos Nicolaus Papa V. anno MCDLII. Imperiali Corona donavit, docet nos exemplum Caroli IV. qui una cum ſua uxore Anna Romæ Coronam ſuſcepit a Cardinali Epiſcopo Oſtienſi Legato Innocentii Papæ VI. qui tunc Avenione ſedebat: *Karolus Rex Alemanniæ & Bohemiæ*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ laudati Innocentii apud Baluzium, *deſcendens in Italiam Coronam Imperialem de manibus Domini Petri Epiſcopi Oſtienſis ad hoc miſſi in Baſilica S. Petri Romæ in die Sancto Paſchæ*, ſeu die V. Aprilis, *honorabiliter ſuſcepit, & uxor ejus cum eo*.

II. Sed ut alia exempla omittam, jam longe ante Fridericum III. & Carolum IV. Henricus V. una cum ſua uxore Conſtantia Romæ in Baſilica S. Petri a Cæleſtino Papa III. anno MCXCI. ſecunda Feria poſt Paſcha inunctus & coronatus fuit.

Digitized by Google

fuit. Rem narrat Arnoldus Lubecenſis hujus temporis Scriptor Lib. IV. Cap. IV. ubi ſic inter alia inquit: *Dominus Papa*, ſcilicet Cæleſtinus III. *in die Paſchæ ſolemniter conſecratur, & proxima ſecunda Feria cum ſumma pacis tranquillitate Dominus Imperator*, nempe Henricus V. *cum Imperatrice*, Conſtantia ſcilicet, *benedicitur, & coronatur*. Eadem docet Rogerius Hovedenus; poſtquam enim dixit, Cæleſtinum in die Paſchæ fuiſſe conſecratum, ait, *in craſtino* Papam veniſſe ad Eccleſiam S. Petri, ubi *ante oſtium Eccleſiæ ſupra gradus accepit ſacramentum*, ab Henrico ſcilicet Alemanorum Rege, *quod ipſe Eccleſiam Dei, & jura Eccleſiaſtica fideliter ſervaret illibata &c. Deinde introduxit eos*, Henricum nempe ipſum, & uxorem ejus Conſtantiam, *in Eccleſiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem ſuam in Imperatricem*. Narrat deinde cæremoniam, & quidem notatu dignam, qua tum Imperator, tum ejus uxor Coronam auream Imperialem a Pontifice receperunt; ſed de hac cæremonia dicemus nos infra loco ſuo, ſicut & de aliis multis, quæ ad eam rem pertinent.

§. XVIII.

De Imperialium inſignium delatione ad Altare, & de Miſſa Pontificis in Coronatione Imperatoris.

His completis, Imperatrix ad ſuum ſuggeſtum revertitur, & Cæſar cum Epiſcopo Cardinali, & Diaconus ad Pontificem. Diaconi acceptis ſuis Dalmaticis, & Mitris in manibus, vadunt ad reverentiam Papæ, qui deſcendens de Sede ſua, procedit ad Altare proceſſionaliter (1) more ſolito, & recipit ad oſculum oris, & pectoris tres Presbyteros Cardinales. (2) Deinde facit Confeſſionem Cæſar ad dexteram Epiſcopi Cardinalis Aſſiſtentis, genuflexo ſuper ſuum Faldiſtorium permanente. Facta Confeſſione, Pontifex accedit ad Altare, oſculatur, & incenſat, ut alias. Deinde recipit ad oſculum oris, & pectoris, primo Cæſarem, deinde tres ſuos Diaconos Cardinales; & mox ad eminentem Sedem aſcendit, & Cæſar ad ſuum ſuggeſtum cum ſuis Principalibus, & Miniſtris deducitur. Cum vero Pontifex deceſſit (3) ab Altari, Miniſtri Cæſaris afferunt Gladium cum ſua vagina, & Cingulo, Coronam, Sceptrum, & Pomum danda ſuo tempore Imperatori, & Imperatrici, quæ per Sacriſtam, & Clericum Cæremoniarum locantur ſuper Altare. Interim vero dum Pontifex facit Confeſſionem, incipit Chorus Introitum, & *Kyrie eleiſon*. Pontifex vero in Sede eminenti ſtans ſine Mitra legit Introitum, & procedit in Miſſa, ut alias, uſque ad dictam Epiſtolam, & Graduale; ſed poſt Orationem diei dicit pro ipſo Imperatore hanc Orationem.

Oremus.

Deus Regnorum omnium, & Chriſtiani maxime Protector Imperii, da Servo tuo N. Imperatori noſtro triumphum virtutis tuæ ſcienter (4) *excolere, ut qui tua conſtitutione eſt* (5) *Princeps, tuo ſemper munere ſit potens.*

Pro ſecreta.

Suſcipe Domine Hoſtias Eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli tui N. ſupplicantis, & protectione Fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut ſuperatis pacis inimicis, ſecura tibi ſerviat chriſtiana libertate. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.

Poſt Communionem.

Deus qui ad prædicandum æterni Regni Evangelium, Romanum Imperium præparaſti, prætende famulo tuo Imperatori noſtro N. arma cæleſtia, ut pax Eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

COMMENTARIUS.

I. PEracta ſacra unctione tam Imperatoris, quam Imperatricis, juxta antiquum ritum deſcriptum in Pontificali Eccleſiæ Apamienſis in Syria anno MCCXIV. exarato, ubi agitur de ritu ad benedicendum Romæ Imperatorem, cui etiam concinunt alii duo Pontificales ms. Codices, Conſtantinopolitanus annorum circiter DL. & Arelatenſis annorum circiter CDL. antequam Miſſa celebretur, Romanus Pontifex, *ad Alare B. Petri* dat novo Imperatori nudum Enſem, aliaque Imperialia inſignia ſub quibuſdam verborum formulis, de quibus dicemus nos infra. Verum juxta præſcriptum Romani Ordinis XIV. Cap. CV. & ms. Cæremonialis Codicis Pierſanctiani, quibus noſtrum hoc Cæremoniale in multis concinit, peractis unctionibus Imperatoris, ejuſque conjugis, *aſcendit*, Rex, Imperator ſcilicet coronandus, *ad Altare Beati Petri, ubi Summus Pontifex recipiat eum ad oſculum, ſicut unum ex Diaconibus, ipſeque procedat ad pulpitum, vel ambonem, ubi thalamus conſtructus de lignis, & orna-*

(1) Ita in Romana editione; in Veneta 1. legitur. *ſupplicabundus*. (2) Ita quoque in editione Romana, in Veneta vero deſunt ea verba: *Deinde facit Confeſſionem Cæſar ad dexteram Epiſcopi Cardinalis aſſiſtentis*. (3) In Veneta legitur, *a latere*. (4) In Veneta, *recolere*. (5) In Veneta, *ſit*.

Digitized by Google

natus de palliis debet ei eſſe paratus, cum ſuis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Principibus, & Magiſtratibus ſecundum capacitatem loci conſiſtat, Primicerius autem, & Schola Cantorum in Choro ante Altare decantet Introitum, & poſt Kyrie eleiſon, *& Hymnum Angelicum decantatum, Papa dicit orationem, quæ competit illi diei, & hanc orationem pro ipſo Imperatore*. Sequuntur tres Orationes in hoc noſtro §. deſcriptæ, eædemque leguntur in memoratis mſs. Pontificalibus, Apamienſi, Conſtantinopolitano, & Arelatenſi ab Edmundo Martene allatis Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Ordine VI. qui eſt ad benedicendum Romæ Imperatorem. Leguntur autem ipſæ orationes in Miſſa pro Imperatore, ſed poſtquam ſcilicet ille imperii inſignia accepit, Enſem, Sceptrum Diadema; *Et tunc Romanus Pontifex induitur veſtimentis Pontificalibus, & peragit Miſſam ordine ſuo &c.*

II. Ceterum in Coronatione Friderici III. ſervatus eſt ritus, qui jam invaluerat, ut nimirum inter Miſſarum ſolemnia novo Imperatori Imperialia inſignia traderentur. Sic enim Æneas Sylvius in Hiſtoria laudati Friderici III. poſt memoratas ejus, & Leonoræ conjugis unctiones ſubjicit: *Quibus peractis, ambo in ſua tribunalia transierunt. Pontifex autem rem divinam inchoavit, interque celebrandum diverſæ ſolemnitates a priſcis inventæ Patribus ſervatæ ſunt. Sceptrum, quo Regia poteſtas indicatur; Pomum, quod mundi Dominium oſtendit; Enſis, qui belli jura demonſtrat, per varias vices data. Poſtremo Corona aurea infulata, pretioſiſque cooperta gemmis, Cæſareo capiti impoſita. Imperatrix quoque poſt Cæſarem Coronam ex manibus Pontificis accepit, quam conjugis Sigiſmundi fuiſſe conſtabat*. Ita ille; ſed nos jam infra fuſius ſuis locis de hiſce inſignibus ordinem noſtri Cæremonialis ſequentes differemus. Unum vero eſt, quod hoc loco notabimus, quod nempe ſcribit idem Æneas Sylvius de inſignibus a Friderico III. in ſua ſolemni ipſius Coronatione adhibitis: *Cæſar*, inquit, *quamvis ornamenta ſibi pretio incredibili comparaſſet, in hanc tamen ſolemnitatem, Pallium, Enſem, Sceptrum, Pomum, Coronamque Karoli Magni, ut fama fuit, ex archivis Norenbergenſium ad ſe deferri curaverat, hiſque uſus eſt. Datur enim hoc vetuſtati, ut plus majeſtatis habere videantur*.

III. Pergit mox idem præſtantiſſimus Auctor Æneas Sylvius, eamque opinionem de Imperialibus Caroli Magni inſignibus ſolide egregieque refellit argumento plane inſolubili: *Verum mihi ſingula exactius contemplanti, cum Enſem inſpexi, non Magni illius primique Karoli, ſed Quarti viſus eſt, qui Sigiſmundi genitor fuit. Nam Leo Bohemicus ſculptus in eo viſebatur, quo ille tanquam Rex Bohemiæ utebatur. In plebe tamen rumor manſit, Magni Karoli ornamenta fuiſſe. Ingens enim tanti Viri fortuna etiam ſua vult eſſe, quæ ſunt aliorum Karolorum. Queadmodum Thebanus Hercules aliorum ſui nominis Virorum illuſtria facta ad ſe ſe trahit; & Julii Cæſaris multa dicuntur, quæ poſt eum alii Cæſares patravere, adeo multum eſt, locum occupaſſe priorem*. Sed nec omitti hic debent quæ idem eruditus Æneas Sylvius ea in re obſervat: *Quod ſi Karoli Quarti*, ait, *ut mihi perſuadeo, illa fuere, eſt quod amplius admiremur, tam brevi tempore in tantum creviſſe luxuriam, ut veſtimenta Karoli ruſticana putes, ſi ad Friderici noſtri ditiſſima, & ornatiſſima compararis. Utinam Veteres tam virtute ſuperaremus, quam illis vanitate præſtamus*. Optima plane ſententia, quam utinam multi Viri æque ac mulieres, laici ac ſacri homines intelligerent, qui virtutem ſpernentes, dici nequit, quantum in veſtibus luxurientur, contra proprium ſtatum, & repugnante domeſtica facultate; ſed de hoc abuſu jam non uno in loco noſtrorum Operum abunde diximus.

§. XIX.

De Gladii traditione, & ejus cæremonia.

Dum cantatur Graduale, Cæſar deſcendens e ſuggeſtu venit ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, deducentibus eum duobus Diaconibus Cardinalibus paratis, & unus ex Clericis Cameræ ex Altari accipit Gladium cum ſua vagina, & illum ad priorem Diaconorum ſtantem ante Pontificem ad dextram portat, quem Pontifex vagina extractum de manu ipſius Diaconi accipiens, Imperatori ante ſe genuflexo in dextra manu tradit, ipſe cum Mitra ſedens, ac dicens: *Accipe Gladium deſuper Beati Petri Apoſtoli Corpore ſumtum per manus noſtras licet indignas, vice tamen, & auctoritate Dei Omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum conſecratas Imperialiter tibi conceſſum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem Sanctæ Matris Eccleſiæ divinitus ordinatum ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et memor eſto de quo Pſalmiſta prophetavit dicens*: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime; *ut in hoc vim æquitatis exercens, per eundem molem iniquitatis potenter deſtruas, & Sanctam Dei Eccleſiam, ejuſque fideles propugnes, atque protegas, neque minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes execres, ac diſpergas; viduas, atque pupillos clementer adjuves, atque defendas; deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves, ulciſcaris injuſta, conſerves bene diſpoſita, quatenus hoc agendo, virtutum triumphator glorioſus, juſtitiæ cultor egregius, cum Mundi Salvatore, cujus typum geris, in nomine ejus ſine fine regnare merearis. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit &c.* Finita oratione Diaconus accipit Gladium, & reponit illum in vagina, quam habebat in manu, & ſimul

Digitized by Google

ſimul cum Pontifice, accingit illo Cæſarem, dicente Pontifice: *Accingere Gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime; & attende, quia Sancti non in gladio, ſed per Fidem vicerunt Regna.*

COMMENTARIUS.

I. TRadi conſueviſſe jam olim novo Imperatori Imperialia inſignia, docent nos paſſim antiqui Libri Pontificales, in quorum tamen nonnullis, quales ſunt Romanus Ordo XIV. Cap. CV. & ut alios omittam, ms. Cæremonialis Codex Pierſanctianus, *cum lecta fuerit Epiſtola, & Gradaale cantatum, Imperator procedit proceſſionaliter ad Altare, ubi Summus Pontifex imponit ei Mitram Clericalem in capite, ac ſuper Mitram Imperatorium Diadema, dicens, ut ſequitur*, Accipe ſignum gloriæ, Diadema Regni, Coronam Imperii &c. *Deinde Sceptrum, & Pomum aureum &c.* Sed non deſunt alii antiqui Codices Pontificales, juxta quorum præſcriptum, Imperatori primum traditur Gladius, ſeu Enſis; uti conſtat ex ms. Pontificalibus, Apamienſi in Syria anno MCCXIV. ſcripto, & Conſtantinopolitano annorum circiter DL. quorum primum ita inquit: *Demum vero aſcendit*, Imperator ſcilicet, *ſurſum ad Altare B. Petri, ibique Romanus Pontifex dat ei nudum Enſem, ſic dicens*: Accipe Gladium Imperialem ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& dat ei oſculum*: Accingere Gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; *& dat ei oſculum. Ipſe autem Imperator acceptum Gladium de manu Pontificis primum vibrat, & ſtatim in vaginam reponit*. Juxta præſcriptum Pontificalis Conſtantinopolitani primum etiam Enſis Imperatori traditur hunc in modum: *Interpolata ergo cantilena, coram Altari B. Petri præſentatur inunctus Domino Papæ in ſupereminenti ſpecula reſidenti. Is itaque tunc ad ipſum Altare deſcendit, & Gladium vaginatum de Altari ſumit, inuncto tradit, curam intelligens Imperii totius in Gladio, ſic dicens*: Accipe Gladium deſuper B. Petri Corpore ſumtum. *His verbis expletis, accingit illi Enſem, iterans ita dictum*: Accingere Gladio tuo ſuper femur &c. *Mox ut coronandus accinctus Enſe fuerit, eximit eum de vagina, viriliterque ter illum vibrat, & vaginæ continuo recommendat.*

II. Ordo Romanus XIV. in quo, uti dictum eſt, poſt lectam Epiſtolam, & Gradaale cantatum Summus Pontifex novo Imperatori primum *imponit Mitram Clericalem in capite, ac ſuper Mitram Imperatorium Diadema*; monet tamen, ſciendum illud eſſe, *quod in aliquibus Libris primo datur Gladius, poſtea Diadema; ſed dato Gladio ponitur iſta Rubrica: Mox autem ut coronandus accinctus Enſe fuerit, eximit eum de vagina, & viriliter ter eum vibrat, & vaginæ continuo recommendat*. Verba hæc plane eadem ſunt, quæ in paulo ſuperius allato a nobis Pontificali Conſtantinopolitano leguntur. Ceterum formula traditionis Gladii tametſi brevis ſit in ms. Pontificali Apamienſi, cujus verba ſupra attulimus, prolixior tamen eſt, & quidem ut in hoc noſtro §. legitur, in citato Romano Ordine XIV. & in aliis multis Cæremonialibus Libris.

§. XX.

De traditione Pomi, & Sceptri.

Accinctus Gladio Imperator, & Miles B. Petri effectus, ſurgens evaginat Gladium, ter illum vibrat, deinde reponit in vagina, & iterum genuflectit, cui Pontifex Pomum de Altari, & Sceptrum, ut de Gladio diximus, ad eum portata, in manu dextra Pomum, & in ſiniſtra Sceptrum ponit, dicens: *Accipe Virgam virtutis, atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapſis manum porrigere, diſperdere ſuperbos, & relevare humiles. Et aperiat tibi oſtium Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſemetipſo ait*: Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſalvabitur. *Qui eſt clavis David, & Sceptrum Domus Iſrael; qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit. Sitque tibi Auctor, qui eduxit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris, & umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo David Propheta cecinit*: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis virga Regni tui. *Et imitando ipſum, diligas juſtitiam, & odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſecula unxerat oleo exultationis præ participibus ſuis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum eo vivit & regnat Deus &c.*

COMMENTARIUS.

I. DAto Gladio, mox ut eo fuerit Cæſar accinctus, debere eum Cæſarem ipſum eximere de vagina, & viriliter ter eundem vibrare, & in vagina continuo reponere, jam diximus ex præſcripto non modo Romani Ordinis XIV. verum etiam ex ms. Conſtantinopolitano Pontificali annorum circiter DL. & Pontificali Apamienſi anno MCCXIV. exarato, in quo tamen deeſt vox illa *ter*. Sic enim inquit: *Ipſe autem Imperator acceptum Gladium de manu*

Digitized by Google

nu Pontificis primum vibrat, & ſtatim in vaginam reponit. Id quod ait hic noſter §. accinctum Gladio Imperatorem fieri Militem Beati Petri, docent ms. ipſum Pontificale Conſtantinopolitanum, Romanus Ordo XIV. Pierſanctianus ms. Codex, & alii plures Libri Cæremoniales, in quibus tamen illud deſideratur, quod de traditione Pomi, & Sceptri in hoc præſenti §. edicitur. Porro mentio fit traditionis Sceptri in Apamienſi Pontificali, & quidem poſt traditum Enſem, de quo ſupra dictum eſt: *Conſequenter*, inquit, *dat ei Sceptrum dicens*: Accipe Sceptrum Regni, virgam videlicet virtutis, & æquitatis, quo intelligas mulcere pios, & terrere ſuperbos, virga æquitatis, virga Regni tui, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

II. Neque vero Sceptri ſolum, ſed & Pomi traditio deſideratur in multis Cæremonialibus Libris, quos vidi. Mentionem tamen Pomi facit ms. Codex Pierſantianus; poſtquam enim deſcripſit formulam, qua Diadema Regni, ſeu Corona imponitur, ita mox ſubdit: *Deinde Pomum aureum tradit ei*. Sceptrum æque, ac Pomum una cum aliis Imperialibus inſignibus tradita fuiſſe Friderico III. Imperatori in ſolemni ſua ipſius Coronatione, tradit Æneas Sylvius in Hiſtoria ejuſdem Friderici, ubi etiam eorundem inſignium ſignificationem docet, ſic inquies: *Pontifex autem rem divinam inchoavit, interque celebrandum diverſæ ſolemnitates a priſcis inventæ Patribus ſervatæ ſunt. Sceptrum, quo Regia poteſtas indicatur; Pomum, quod mundi dominium oſtendit; Enſis, qui belli jura demonſtrat, per varias vices data*: Significationem quoque Imperialis Coronæ tradit, de qua nos infra dicemus. Ceterum quid ipſa Imperialia Inſignia denotent, ſat docere abunde nos poſſunt verborum antiquæ formulæ, quibus illa traduntur, quæque in hoc Cæremoniali, & in aliis antiquioribus leguntur.

§. XXI.

De Imperialis Coronæ traditione.

Demum Imperialem Coronam cum ſua Tiara allatam ſibi ex Altari, ut de aliis diximus, imponit ſuper ejus caput, dicens: *Accipe ſignum gloriæ, & Diadema Regni, Coronam Imperii. In nomine Patris ✠ & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti, ut ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum omnium, ſic juſtitiam, miſericordiam, & judicium diligas; & ita juſte, pie, & miſericorditer vivas, ut ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto in conſortio Sanctorum æterni Regni Coronam percipias, qui cum Patre &c.* Et mox Imperator oſculatur pedes Pontificis, & ſurgens diſcingitur Gladio, eumque armigero ſuo tradit. Et ipſe cum Corona, Sceptro, & Pomo procedens, ab illis duobus Diaconibus ducitur ad ſedem Imperialem paratam ſibi ad dextram Pontificis inter Pontificem, & priorem Epiſcoporum Cardinalium; quæ ſedes altior erit ſedibus Cardinalium, & humilior Papali ſede, habebitque aureum pannum poſt tergum, & parvum ſcabellum ad pedes, & ibi ſedebit, quouſque Imperatrix coronetur.

COMMENTARIUS.

I. PRæ ceteris Coronationis Imperatorum cæremoniis, antiquiſſima eſt haud dubie cæremonia illa, de qua agitur in hoc §. imponendi ſcilicet Coronam Imperialem novo Imperatori. Mentionem paſſim faciunt ejus Ritus antiqui æque, ac recentiores Scriptores, Codiceſque omnes Cæremoniales, ubi enarrant ritus coronandi novos Imperatores. Certe, ut ex Ademaro, & Eginhardo in Vita Caroli Magni ſcribit Pagius in Vita Leonis III. Carolo ipſi Magno laudatus Pontifex Coronam impoſuit, & quidem anno DCCC. in Baſilica Vaticana die Natalis Chriſti. Teſte Thegano, profectus in Galliam Stephanus V. & honorifice exceptus a Ludovico Pio Rhemis, ibidem *ante Miſſarum ſolemnia coram Clero, & omni populo conſecravit eum, & unxit in Imperatorem, & Coronam auream miræ pulchritudinis, & pretioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſuper caput ejus, & Irmingardam Reginam appellavit Auguſtam, & poſuit Coronam auream ſuper caput ejus.*

II. Notabilis profecto eſt cæremonia illa, qua Cæleſtinus Papa III. anno MCXCI. Feria II. Paſchatis in Baſilica S. Petri Henricum VI. Alemanniæ Regem, & uxorem ejus coronavit. Inde enim palam fit, quanta fuerit tunc temporis, & in Pontifice auctoritas, & in Imperatore humilitas. Cæremoniam narrat Rogerius Hovedenus hunc in modum: *Sedebat Dominus Papa in Cathedra Pontificali tenens Coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit Coronam, & Imperatrix ſimiliter de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa percuſſit cum pede ſuo Coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, ſignificans, quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab Imperio habet, ſi ille demeruerit. Sed Cardinales ſtatim arripientes Coronam impoſuerant eam capiti Imperatoris.* Ita Rogerius, cujus teſtimonium utpote Auctoris tunc temporis viventis eloquentius eſt ad probandam hujus facti veritatem, quam aliorum omnium ſilentium ad eam denegandam; uti notat Pagius in Vita laudati Pontificis Cæleſtini III. Num. IV. Ceterum quid amplius in eo facto mirari debeat, interritum Pontificis animum, an demiſſionem Imperatoris, ſe haud ſatis ſcire fatetur inter alios Scriptores doctiſſimus Edmundus Martene Lib. II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Num. XII. in fine.

III. Quod formulam verborum ſpectat, qua novo Imperatori Imperialis Corona imponeretur,

Digitized by Google

tur; cautum est quidem ex ms. Codice Gemundensi, quem recenset memoratus Martene loco citato, Ordine III. ut qui Imperatorem benedicit, post Consecrationem, seu Orationem, quæ incipit, *Prospice Omnipotens Deus*, legiturque in Romano Ordine XIV. & in aliis etiam quibusdam Pontificalibus Libris, *mittat Pontifex Coronam auream super caput ejus, his verbis*: Per eum, cui est honor, & gloria per infinita secula seculorum, Amen. Similis pene Ordo habetur ad benedicendum Imperatorem in ms. Codice annorum circiter DCL. Bibliothecæ Regis Francorum, in quo tamen dum Corona aurea benedicto Imperatori imponitur, hæc verba dicenda præscribuntur: *Accipe Coronam a Domino Deo tibi prædestinatam. Habeas, teneas, possideas, ac filio tuo post te in futurum ad honorem Deo auxiliante derelinquas.* In mss. Pontificalibus, Apamiensi anno MCCXIV. scripto, Constantinopolitano annorum circiter DL. & Arelatensi annorum CDL. formula in traditione Coronæ eadem fere est, ac illa in hoc §. nostro descripta, nempe, *Accipe signum gloriæ, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut spreto &c.* Legitur quoque eadem formula in Romano XIV. Ordine, in ms. Codice Piersanctiano, & in aliis passim Cæremonialibus, in quibus etiam edicitur, quod in nostro §. præscriptum est de cæremonia ab Imperatore servanda post acceptam Coronam Imperialem: *Illico procedens nuper coronatus osculatur Apostolicos pedes; quibus gloriosissime gestis, Apostolicus ad eminentiam redeat speculæ tribunalis, & Imperator ad Faldistorium scandit, ei in amplo gradu sub Apostolici dextera præparatum. Qui coronatus incedens, Pomum in dextera manu portat, in sinistra Sceptrum, & sic ad thalamum redeat.* Verba sunt citati Romani Ordinis, & ms. Codicis Piersanctiani.

IV. Porro Auctor est Jannottus Manettus Lib. II. pag. 941. Nicolaum V. Pontificem, Ecclesiasticarum cæremoniarum solertissimum observatorem, post impositum Friderici III. capiti Diadema, post Regium Sceptrum, & pilam auream ei traditam, post aurei Gladii præcinctionem, hanc super eum Orationem dixisse: *Omnipotens, & sempiterne Deus, qui ad prædicandum æterni Regni Evangelium, Romanum Imperium præparasti, præsta, quæsumus, huic Friderico Tertio novello Imperatori fideli famulo tuo arma cælestia, ut superatis barbaris, & inhumanis gentibus, ac Catholicæ Fidei inimicis, secura, & intrepida tibi serviat humana libertas.* Concinit hæc Oratio ei Orationi, quæ ex præscripto nostri Cæremonialis dicitur post Communionem Missæ illius, quæ celebratur die, quo coronatur Imperator, uti videre est supra in §. XVIII. Addidit tamen quædam ei Orationi Nicolaus Papa V. suorum temporum conditioni accommodata. Ceterum tradit idem Manettus Fridericum Imperatorem tunc respondisse hac sua Oratione: *Exaudi, quæsumus, Omnipotens, & sempiterne Deus pias, & devotas preces Nicolai tui Summi Pontificis, ut cuncti Ecclesiastici, & seculares populi, Prælati, Respublicæ, & Principes, omnibus Christianæ Fidei hostibus penitus abolitis, atque ad ultimam internicionem usque deletis, liberius servire, atque efficacius famulari valeant, & per hunc certum, ac securum omnium Fidelium nostrarum gentium famulatum, cuncti Christiani homines digna utriusque, & præsentis, & futuræ vitæ præmia consequi mereantur.* Hanc precum formulam, quam in Vita Nicolai Papæ V. descripsit Georgius ad annum MCDLII. Num. VI. in fine, tum etiam recitandam forte censuit Pontifex, ut preces ipsas temporum conditioni accommodaret, uti dictum fuit.

§. XXII.

De Coronatione Imperatricis.

Imperatrix vero ducetur ab eisdem ad Pontificem, qui surgens sine Mitra super eam genuflexam dicit hanc Orationem.

Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cujus sapientia in sua dispositione non fallitur: qui fecisti ea, quæ futura sunt, & vocas ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt: qui superbos æquo moderamine de principatu dejicis, atque humiles dignanter in sublime provehis: ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester Reginam Israeliticæ causa salutis de captivitatis suæ compede solutam, ad Regis Assueri thalamum, Regnique sui consortium transire fecisti: ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ bene ✠ dictione Christianæ plebis salutis gratia ad dignam sublimemque Imperatoris nostri copulam, & Imperii sui participium transire concedas, & ut in Imperialis fœdere conjugii semper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vero, & vivo, in omnibus, & super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat. Per Christum nostrum. Amen.

Deinde sedens cum Mitra accipit Coronam Imperialem de manu prioris Diaconorum Cardinalium ex Altari allatam, & imponit super illius caput, dicens: *Officio nostræ indignitatis in Imperatricem solemniter benedicta, accipe Coronam Imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus, capiti tuo imponitur, ut sicut auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro sapientiæ, virtutumque gemmis te Omnipotens decorari concedat, quatenus post occasum hujus seculi cum prudentibus Virginibus Sponso perenni Domino nostro Jesu Christo digne, & laudabiliter occurrens, Regni Cœlestis Aulæ ingredi merearis januam, eodem Domino nostro Jesu Christo auxilian-*

Digitized by Google

xiliante, qui cum Patre &c. Et coronata statim osculatur pedes Pontificis, & surgens reducitur tam ipsa, quam Cæsar simul ad sua suggesta, ubi in sedibus sibi paratis locantur.

COMMENTARIUS.

I. RItum fuisse antiquum, ut una cum Imperatore conjux ejus Imperatrix a Romano Pontifice coronaretur, inter alia, vetera exempla nos docent Irmengardæ, & Constantiæ, quarum prior una cum Ludovico Pio Imperatore ejus Viro a Stephano V. anno DCCCXVI. altera quæ uxor Henrici V. fuit, a Cælestino III. anno MCXCI. uti non uno in loco jam superius notavimus, solemni ritu coronatæ fuerunt. Sicut autem in priscis æque, ac recentioribus Libris Pontificalibus præscripti sunt ritus coronandi Romæ Imperatores, ita etiam Imperatrices. Ut autem alios omittam, agit de Coronatione Imperatricis Romanus Ordo XIV. Capite CVI. & ms. Codex Piersanctianus: *Si vero Regina fuerit coronanda*, inquiunt, *debet super lectorium ex oppositu thalamus præparari, ubi cum duabus ad minus puellis, & aliquibus ex Principibus Imperii, & Ecclesiasticis, quam mundanis resideat*. Describunt mox orationem, quam etiam ad illius ingressum in Ecclesiam dicendam præscribit ms. Codex Pontificalis Constantinopolitanus annorum circiter DL. incipitque, *Omnipotens sempiterne Deus fons, & origo totius bonitatis &c.* ut infra in §. XXX. ac deinde cæremoniam præscribunt, quæ plane eadem est, ac ipsa, quæ in hoc nostro §. præscripta est. Sic ergo inquiunt: *Post Coronationem Imperatoris* (ita legendum, ut in Codice Piersanctiano, non autem *Imperatricis*, ut habet citatus Ordo Romanus apud Mabillonium) *deducatur*, Imperatrix scilicet, *ad Altare ante Summum Pontificem amicta regalibus indumentis, & Summus Pontifex det super eam hanc benedictionem, dicens*; Deus, qui solus habes immortalitatem &c. ut in nostro §.

II. Quod vero impositionem Coronæ spectat, & verborum formulam, quæ in ea imponenda dicitur, memoratus Romanus Ordo XIV. aliique Cæremoniales Libri sic ipsam præscribunt: *Deinde Summus Pontifex ei*, nempe Imperatrici, *Mitram imponat, ita quod cornua Mitræ sint a dextris, & a sinistris, & super Mitram Coronam imponat, dicendo*, nempe formulam, quæ in hoc nostro §. & in aliis passim Pontificalibus Libris legitur, ab erudito Martene allatis, *Officio nostræ indignitatis &c.* Sane quod ajunt Ordo Romanus XIV. & ms. Piesanctianus Codex de Mitra una cum Corona capiti Imperatricis imponenda, respondet ritui Coronationis Imperatoris, quæ quidem juxta eosdem Codices ita peragitur; *Summus Pontifex*, inquiunt, *imponit ei*, nempe Imperatori, *Mitram Clericalem in capite, ac super Mitram Imperatorium Diadema &c.* Mitræ usus primo ex laicis Principibus concessus ab Alexandro Papa II. fuit Uratislao Bohemiæ Duci de Sede Apostolica benemerito, idque constat ex testimonio Gregorii Papæ VII. Lib. I. Epistola XXXVIII. ad ipsum Uratislaum data, ita ajentis: *Longa jam temporis intervalla transacta sunt, ex quo Nobilitas tua B. Petro Apostolorum Principi non modicæ devotionis animum spopondit, & studium, & tibi in Apostolica Sede inter ceteros Principes larga benignitas, præ multis etiam singularis, & egregia fuit astricta charitas. Cujus rei fidem, & indicium ex benevolentia Domini, & Antecessoris nostri Alexandri Papæ satis percepisse potes, qui petitionibus tuis non unquam sine sua, & filiorum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ solicitudine, & labore condescendit, & ad signum intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consuevit, Mitram, quam postulasti, direxit*. Ita Gregorius Papa VII. qui & confirmat, quod præstiterat Alexander II. Pontifex.

III. Hoc exemplum sequutus est Lucius Papa II. de quo Romani in Epistola ad Conradum apud Ottonem Frisingensem Lib. I. *De gestis Friderici I.* Cap. XXVIII. ita scribunt: *Concordiam inter Siculum & Papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo Virgam, & Annulum, Dalmaticam, & Mitram, atque Sandalia*. Mitram etiam Regi Aragoniæ concessit Innocentius III. uti videre est in gestis ejusdem Pontificis pag. 135. *Regalia*, inquit, *insignia universa, Mantum videlicet, & Colobium, Sceptrum, & Pomum, Coronam, & Mitram ad opus tuum non minus pretiosa, quam speciosa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis*. Si itaque teste Innocentio III. Pontifice, inter regalia insignia Mitra etiam computatur, non ergo mirum, si Imperatoribus in sua ipsorum Coronatione Mitra etiam imponeretur. Ceterum tametsi in Coronatione Imperatoris juxta nostri Cæremonialis præscriptum §. XXI. recitatum, Pontifex *Imperialem Coronam cum sua Tiara allatam sibi ex Altari . . . imponit super ejus caput*; ubi tamen in hoc §. de Coronatione Imperatricis agit, Coronæ solum Imperialis meminit: *Deinde sedens cum Mitra*, Pontifex scilicet, *accipit Coronam Imperialem de manu prioris Diaconorum Cardinalium ex Altari allatam, & imponit super illius*, nempe Imperatricis, *caput, dicens &c.*

§. XXIII.

De Laudibus Imperatori cantandis.

Sedentibus Imperatore, & Augusta in Sedibus cum Imperialibus ornamentis, prior Subdiaconorum Apostolicorum cum aliis Subdiaconis, & cum Capellanis Aulæ Imperialis descendit ad Confessionem B. Petri, alta voce simul cum ipsis facit Laudes Imperatori, dicens: *Exaudi Christe*. Scriniarii vero Urbis cum Cappis sericeis stantes superius apud Chorum respondent: *Domino Federico invictissimo Romanorum Imperatori, & sem-*

Digitized by Google

ſemper Auguſto ſalus, & victoria. Qua laude tertio repetita, prior Diaconorum cum ſuis, tribus vicibus dicat: *Salvator Mundi*; & Scriniarii viciſſim reſpondeant: *Tu illum adjuva*. Et deinde iſte cum ſuis, duabus vicibus dicat: *Sancta Maria*; & illi viciſſim reſpondeant: *Tu illum adjuva*; & ſic deinceps. *S. Michael. S. Gabriel. S. Raphael. S. Joannes Baptiſta. S. Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Stephane. S. Laurenti. S. Vincenti. S. Silveſter. S. Leo. S. Gregori. S. Benedicte. S. Baſili. S. Saba.* (1) *S. Maria Magdalena. S. Agnes. S. Cecilia. S. Lucia.*

COMMENTARIUS.

I. ANtiquiſſimæ plane ſunt Laudes in Coronationibus Imperatorum a Romano Pontifice peractis. Ubi Leo III. Papa anno DCCC. die Natalis Domini Carolo Magno, ob egregia illius in Romanam Eccleſiam, Chriſtique Vicarios merita, capiti Coronam impoſuit in Baſilica Vaticana, a populo ter unanimi voce acclamatum eſt: *Carolo piiſſimo Auguſto a Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita & victoria*; antea enim dicebatur Patricius Romanorum. Sed & *poſt Laudes* Carolus ipſe *a Domno Apoſtolico more antiquorum Principum adoratus eſt*, ſalutatus ſcilicet, *atque ablato Patricii nomine, Imperator, & Auguſtus eſt appellatus*; uti produnt Ademarus, & Eginhardus in Caroli Magni Vita. Plura ſcitu digna de Patriciatu Caroli Magni docet in ſuo egregio Opere, *De Patriciis*, eruditiſſimus amicus noſter Octavianus Gentilius. Hic tandem ſubita, & immatura morte e vivis abreptus diem ſuum clauſit extremum die 1. Junii hujus anni MDCCL. circa mediam noctem non ſine animi mei mœrore; plurimi enim eum faciebam, præſertim quod unus ipſe ex primis adoleſcentibus fuiſſet, qui Academiæ Conciliorum a me anno MDCCXXXIV. in Domo S. Hieronymi Charitatis inſtitutæ nomen dederit. Fuit Gentilius Vir optimæ indolis, magnique a Viris Summis habitus. Cæterum quod Laudes ſpectat ſub verborum formula in hoc noſtro §. probari poſſet & ex aliis Imperatorum exemplis, & antiquis Pontificalibus Libris, quos recenſet Edmundus Martene Libro II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. Ordine III. & ſeqq.

II. Porro juxta ms. Codicem Gemundenſem, ubi agit de benedictione ad ordinandum Imperatorem ſecundum Occidentales, expleta Oratione a Pontifice, quam habuit in traditione Gladii: *duo Diacones, ſive Cantores, reſpondente illis Schola Scriniariorum*, pronunciabant Laudes hoc modo: *Exaudi Chriſte*. Reſpondebat Schola: *Domino noſtro ill. a Deo decreto Summo Pontifici, & univerſali Papæ vitam*. Cantores: *Exaudi Chriſte*. Reſpondebat Schola ſimiliter: *Exaudi Chriſte*. Item Cantores: *Salvator mundi*. Reſpondebat Schola: *Tu illum adjuva*. Cantores: *Exaudi Chriſte*. Reſpondebat Schola: *Domino noſtro ill. Auguſto a Deo coronato, Magno, & Pacifico Imperatori vitam*. Item Cantores per tres vices: *S. Maria*. Reſpondebat Schola: *Tu illum adjuva*. *S. Maria*. Reſpondebat Schola: *Tu illum adjuva*. Cantores: *Exaudi Chriſte*. Reſpondebat Schola: *Tuiſque præcellentiſſimis filiis Regibus vitam*. Item Cantores per tres vices: *S. Petre*. Reſpondebat Schola: *Tu illos adjuva*. Iterum Cantores: *Exaudi Chriſte*. Reſpondebat Schola: *Exercitui Francorum, Romanorum, & Teutonicorum vitam, & victoriam*. Iterum Cantores: *S. Theodore*. Reſpondebat Schola: *Tu illos adjuva*. Iterum Cantores: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat*. Reſpondebat ſimiliter: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat*. Cantores: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat*. Reſpondebat ſimiliter, *Rex Regum, Chriſtus vincit, Chriſtus regnat*. Reſpondebat ſimiliter, ſed tantum ſemel: *Rex noſter, Chriſtus vincit, Chriſtus regnat. Spes noſtra Chriſtus vincit. Gloria noſtra Chriſtus vincit. Miſericordia noſtra Chriſtus vincit. Fortitudo noſtra Chriſtus vincit. Victoria noſtra Chriſtus vincit. Liberatio & redemtio noſtra Chriſtus vincit. Victoria noſtra Chriſtus vincit. Anima noſtra Chriſtus vincit. Murus noſter inexpugnabilis Chriſtus vincit. Defenſio noſtra, & exultatio Chriſtus vincit. Lux, via, & vita noſtra Chriſtus vincit. Ipſi ſoli imperium, gloria, & poteſtas per immortalia ſecula. Amen. Ipſi ſoli virtus, fortitudo, & victoria per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Ipſi ſoli honor, laus, & jubilatio per infinita ſecula ſeculorum. Amen.* Similis pene Ordo habetur in ms. Codice Bibliothecæ Regis Francorum annorum circiter DCL. ut docet idem Martene; ex iiſque addiſcimus, in ſolemni Imperatorum Coronatione, Laudes non modo ipſi Imperatori fuiſſe decantatas, ſed etiam Romano Summo Pontifici, & primum quidem huic, deinde vero illi.

III. Aliis Cæremonialibus Libris omiſſis, audiendus eſt nunc Ordo Romanus XIV. Capite CV. ubi ea Laudum cæremonia ita præſcripta eſt. Poſtquam dixit, ut *Coronatus*, Imperator ſcilicet, *incedens Pomum in dextera manu portet, in ſiniſtra Sceptrum, & ſic ad thalamum redeat*, hunc in modum ſtatim ſubjicit: *Ipſoque ibi cum ſuis Principibus conſiſtente, prior Subdiaconorum cum Subdiaconis Romanæ Curiæ, & Capellanis Aulæ Imperialis ad pectorale dextrum*, ad cancellum ſcilicet, ut notat Mabillonius, *ante Crucifixum argenteum Laudem Imperatori alta voce dicant hoc modo*: Exaudi Chriſte. *Scriniarii vero Urbis ſericis cappis induti ante pectorale conſiſtentes in Choro reſpondeant*: Domino N. invictiſſimo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto ſalus, & victoria. *Qua Laude tertio repetita, prior Subdiaconorum cum ſuis, tribus vicibus dicat*: Salvator Mundi. *Et Scriniarii viciſſim reſpondeant*: Tu illum adjuva: *Deinde iſte cum ſuis, duabus vicibus dicat*: S. Maria; *& illi viciſſim reſpondeant*: Tu illum adjuva: *& ſic deinceps*, Sanctæ Michael &c. *ut ſupra. Quibus finitis, iſti bis cantent*, Kyrie eleiſon; *ac deinde ſimul omnes dicant*. Kyrie eleiſon. Eadem legere in ms. Codice Pierſanctiano.

(1) Ita in editione Romana. In Veneta 1. & Colonienſi, *S. Saba*, & *S. Maria Magdalena* deſiderantur.

Digitized by Google

§. XXIV.

De Oblationibus Imperatoris, & Imperatricis in Missa, & eorum Communione.

Post hæc omnibus ad locum suum revertentibus, cantatur *Alleluja*, vel Tractus, & deinde Evangelium, *Credo*, & Offertorium. Deinde Imperator, & Corona, & Manto depositis, sine Sceptro, aut Pomo, descendit, & ad Pontificis pedes aurum offert quantum sibi placet; & similiter post eum facit Imperatrix, quæ deinde non revertitur ad ad suggestum, sed procumbit super Faldistorium a dextra parte Altaris sibi paratum in loco, ubi non impediat credentiam, & ibi expectat usque ad Communionem. Imperator vero Pontificem ad Altare descendentem sequitur, & illi in locum Subdiaconi Calicem, & Patenam cum Hostiis offert, deinde aquam infundendam vino; & retrahens se ad partem dextram, stat usquequo Pontifex ad Sedem eminentem communicaturus revertatur, quem Imperator sequitur; & ab ejus manibus ipse primo, deinde Augusta sacram Corporis Christi Communionem sumant, postquam Pontifex cum Diacono, & Subdiacono communicaverint. Nam Subdiaconus postquam cum Diacono communicavit de Corpore, & Sanguine Christi, accipit de manu Diaconi apud Altare cum circulis, & cæremoniis consuetis duas Hostias consecratas pro Imperatore, & Augusta, & eas ad Pontificem portat; & percepto Sacramento, Imperator quidem Pontificis faciem osculatur, Augusta vero manum; & descendentes ad Altare, de manu Diaconi vinum purificationis sumunt, & discedunt (1) ambo ad suos suggestus, ibique resumunt Imperialia signa. Poterit tamen Pontifex, si ei videbitur, super Imperatorem ante se genuflexum immediate, postquam illum cum Augusta communicaverit, infrascriptas Orationes dicere, videlicet.

Respice quæsumus Omnipotens Deus serenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum N. ut ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac, & Jacob, ſic illi largiaris benedictionem ſpiritualis gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare, atque profundere digneris, ut tribuas ei de rore Cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & omnium frugum opulentiam; & ex largitate divini muneris longæva tempora, ut illo regnante ſit ſanitas corporis, Imperii pax inviolata ſit in Regno, *& dignitas glorioſa regalis Palatii maximo ſplendore Regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luceque clariſſima coruſcare, atque ſplendeſcere quaſi ſplendidiſſimi fulgoris maximo perfuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut ſit fortiſſimus Protector, & Conſolator Eccleſiarum, atque Cœnobiorum Sanctorum, maxima* (2) *pietate regalis munificentiæ; atque ut ſit fortiſſimus triumphator hoſtium ad opprimendas rebelles, & paganas Nationes; ſitque ſuis inimicis facie terribilis maxima fortitudine regalis potentiæ; Optimatibus quoque, ac præcelſis Proceribus, & fidelibus ſui Regni ſit munificus, amabilis, & pius; & ab omnibus timeatur, & diligatur; & poſt glorioſa tempora, atque felicia vitæ præſentis gaudia, in perpetua beatitudine habitare mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.*

Benedic quæſumus Domine hunc Principem noſtrum N. quem ad ſalutem populi nobis a te credimus eſſe conceſſum; fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis robore vigentem, ad ſenectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in Tabernaculo, Heliſeus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in Templo. Sit illi regendi auctoritas, qualem Joſue ſuſcepit in Caſtris, & David (3) *ſumſit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus eſt uſus in dogmate. Et ita Paſtoris officium perficiat in Chriſti ovile, ſicut Iſaac perfecit in fruge, & Jacob eſt dilatatus in grege. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre &c.*

Deus Pater æternæ gloriæ ſit adjutor tuus & protector, & Omnipotens bene ✠ dicat tibi; preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam in longitudinem dierum adimpleat; thronum Regni jugiter firmet; & gentem, populumque tuum in æternum conſervet, & inimicos tuos confuſione induat; & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat; ut qui tribuit in Terris Imperium, ipſe in Cælis conferat præmium: qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. ACtum jam a nobis iterum atque iterum in noſtris Operibus fuit de Oblationum ritu, quæ a priſcis Fidelibus ſolitæ offerri fuerunt in Miſſa; operæ tamen pretium cenſemus de iis hoc loco Oblationibus aliquid dicere, quæ ex antiquo Eccleſiæ ritu, cu-

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero 1. *deſcendant*. (2) Ita & recte in Ordine Romano XIV. Tomo 2. Muſei Italici apud Mabillonium pag. 401. In editione Cæremonialis legitur, *maxima pietas*; in Veneta, & Colonienſi editione *maximæ pietatis*. (3) Ita in Veneta 1. editione, & Colonienſi; in Romana vero *Gedeon*,

Digitized by Google

cujus, & priscæ Historiæ, & Cæremoniales Libri mentionem faciunt, ab Imperatoribus in sua ipsorum Coronatione fieri solent. Mandat sane Romanus Ordo XIV. Cap. CV. cui concinit ms. Cæremonialis Codex Pierfanctianus, & hic noster §. ut *Evangelio decantato, Imperator, Corona, & Manto depositis, accedat ad Summum Pontificem, & offerat ad pedes ejus aurum, quantum sibi placuerit*. Rursus Cap. CVI. ubi agit de Coronatione Imperatricis, mandat, ut *coronata reducatur ad thalamum, & post Evangelium ducatur ad oblationem Summo Pontifici exhibendam*. Servatum hunc olim fuisse ritum in Coronatione Henrici Luxemburgici anno Domini MCCCXI. & Caroli IV. anno MCCCLV. docet ad ipsos annos Raynaldus, qui etiam ad prædictum annum MCCCXI. Litteras Clementis V. describit, qui Avenione sedens, Henrici Coronationem Cardinali Ostiensi, & aliis commiserat. Sic autem ille inter alia in suis Litteris inquit: *Decantato Evangelio Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis consuevit offerri, ad pedem majoris Altaris, quod vos omnes nostro recipiatis nomine Cardinales*. Ceterum in Coronatione Caroli V. Bononiæ anno MDXXX. die XXIV. Februarii, Romano prorsus ritu peracta per Clementem VII. Pontificem, Carolus ipse inter Missarum solemnia præbuit Papæ *XXX. aureos, quorum quilibet erat ponderis quatuor ducatorum auri largorum*, aut ait Apostolicus Cæremoniarius apud Raynaldum ad citatum annum MDXXX. Numero XXXI. seu *trenta doppioni di quattro ducati l'uno*, ut ex Historia Marci del Guazzo rerum memorabilium per Europam gestarum &c. notat doctissimus Morettus in Lucubratione, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione XXIX. Num. VI.

II Ritus quoque antiquus est ille, quem hic noster §. recenset, ut nimirum Imperator post factam auri oblationem ad pedes Pontificis in Throno sedentis, Pontificem inde ad Altare descendentem sequatur, *& illi in locum Subdiaconi Calicem, & Patenam cum Hostiis* offerat, *deinde aquam infundendam vino*. Meminit enim hujus ritus Romanus Ordo XIV. citato Cap. CV. ubi edicit, ut *ipso Pontifice descendente*, a Solio scilicet, *pro perficiendis Missarum Mysteriis ad Altare, Imperator more Subdiaconi offerat Calicem, & ampullam, & stet ibi donec Pontifex ad Sedem reversus communicet*. Porro quod Coronatio Henrici Luxemburgici peragenda esset non per ipsum Pontificem, sed per ejus Legatos, scripsit in laudatis Litteris suis Clemens V. omittendum esse eum ritum oblationis Calicis & ampullæ: *Oblatio vero Calicis, & ampullæ per Imperatorem jam coronatum, decantato Evangelio, Corona, & Manto depositis, more Subdiaconi, Romano fienda Pontifici, & assistentia eidem fienda per Imperatorem, donec Romanus Pontifex ad sedem propriam revertatur, quia solo Romano Pontifici competunt, omittantur*. Legi hæc possunt apud memoratum Raynaldum ad annum MCCCXI. Num. XVII.

III. Explicandus nunc ritus est ille Eucharisticæ Communionis, quam in sua Coronatione Imperator Imperatrixque de manu Pontificis sumunt, *postquam Pontifex*, inquit noster §. *cum Diacono, & Subdiacono communicaverint. Nam Subdiaconus, postquam cum Diacono communicavit de Corpore, & Sanguine Christi, accipit de manu Diaconi apud Altare cum circulis, & cæremoniis consuetis duas Hostias consecratas pro Imperatore, & Augusta, & eas ad Pontificem portat; & percepto Sacramento, Imperator quidem Pontificis faciem osculatur, Augusta vero manum; & descendentes ad Altare, de manu Diaconi vinum purificationis sumunt; & discedunt ambo ad suos suggestus, ibique resumunt Imperialia signa*. Concinunt & hæc quidem Romano Ordini XIV. Cap. CV. ubi agit de Coronatione Imperatoris; mandat namque, ut communicato Pontifice in sua Sede, de quo ritu nos suo loco dicemus, Imperator Communionem *de manu ejus suscipiat cum osculo pacis, & sic ad thalamum rediens in ambonem resumat Mantum pariter, & Coronam*. Idem deinde edicit Capite CVI. de Imperatrice, mandans, ut facta oblatione, de qua supra diximus, *stet in gradibus juxta absidam versus Altare S. Leonis, donec de manu Summi Pontificis post Imperatorem sacram Communionem accipiat*; non vero *Coronationem*, ut perperam legitur apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 406. Porro notandum hoc loco, ritum Communionis servari quidem modo prædicto, ubi Imperator ipsam de manu Pontificis sumeret, nam alias si a Pontificis Legatis coronatus Communionem acciperet, omittendum plane est illud osculum pacis; uti expresse habetur in mamoratis superius Clementis V. Litteris apud Raynaldum ad annum MCCCXI. Num. XVII. ubi sic inter alia inquit: *Idem tamen Imperator, si voluerit, Sacram Communionem de manu recipiat Celebrantis, osculo tamen omisso*.

IV. Quamquam vero mos olim fuerit, & quidem ex vetusto Romanæ Ecclesiæ ritu, ut cessata jam Communione Eucharistica sub utraque specie antiquitus laicis etiam quibuscumque fieri solita, qua die Rex, aut Imperator a Romano Pontifice sacrabatur, Eucharistiam sub utraque specie sumeret, videtur tamen ex hoc nostro §. dandum esse Eucharisticum Sacramentum Imperatori sub una tantum specie, scilicet panis; quia nempe, uti ex supra dictis constat, nostrum Cæremoniale ritum præscribens Coronationis, illum desumsit ex Coronatione Friderici III. Romæ peracta anno MCDLII. a Nicolao Papa V. In Friderici autem sacra inauguratione satius visum est Communionem ei sub una tantum specie tradere ob hæresim Hussitarum, qui tunc temporis Calicis sumtionem omnino necessariam esse contendebant. Observat hæc doctissimus Mabillonius Tom. II. Musei Italici in Commentario prævio ad Romanum Ordinem pag. LXII. & LXIII. ubi etiam notat, idem etiam observatum fuisse, cum Fridericus ipse, Paulo II. Pontifice, Romam venit; ut enim scribit Augustinus Patricius Auctor nostri Cæremonialis, testisque oculatus in Libello de adventu laudati Friderici in Urbem, quem idem Mabillonius retulit Tom. I. Musei Italici: *Comunicavit Summus Pontifex Altaris Sacramentum cum Imperatore, Diacono, & Subdiacono de pane tantum; de Calice autem, etsi consuetudo sit, communicantes cum Pontifice participare, propter insurgentem tamen Hussitarum, ac Bohemorum damnatam hæresim, quæ Calicis potationem ad salutem necessariam putat, præter Pontificem, bibit nemo*.

V. Quo ritu Carolo V. Imperatori Commu-

Digitized by Google

munio paulo ante ejus Coronationem a Clemente Papa VII. data sit, ms. Diarium Paridis Grassis, qui tunc Apostolicarum Cæremoniarum Magister erat, sic refert: *In Natali Domini anno MDXXIX. dicto* Agnus Dei *in Missa, Cardinalis Farnesius assistens accepit pacem a Papa, distribuens aliis, osculato prius Altari, & Papa ipso in facie, & in pectore, tum Cæsare, quem, cum vellet osculari Altare ad suasionem Sacristæ, ego expresse*, inquit Paris, *prohibui, quia neque Cæsari, neque Diaconibus Cardinalibus licet osculari in tali casu Altare, sed solum Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus. His sic peractis, Pontifex detecto capite ex Altari venit ad Solium suum, ubi stans cum devotione expectavit Sacramentum. Cardinalis vero Evangelii in Altari genuflexus capiens Sacramentum cum Patena, in altitudine oculorum suorum gyravit circum Altare, & illud dedit Subdiacono Epistolæ in cornu Evangelii genuflexo expectanti; qui consurgens, ad Papam detulit, fimbrias altero Magistro*, Cæremoniarum scilicet, *elevante; & ad sinistram Papæ cum Sacramento se firmavit. Tum idem Cardinalis genuflexus Calicem cum Sanguine accipiens pari modo gyravit, & ipse, me*, ait idem Paris, *fimbrias elevante, portavit ad dexteram Papæ, ubi se firmavit. Tum Pontifex, lectis Orationibus, ut in Libro, sumsit partem Sacramenti, inde partem Sanguinis ex Calice cum calamo aureo. Cæsar, & alii Principes voluerunt communicare. Pontifex alteram partem Sacramenti fregit, & unam Cardinali Cibo, aliam Subdiacono dedit, osculata manu, & facie Papæ prius. Qui inde recesserunt ad Altare, ubi partem Sanguinis quilibet eorum sumsit cum particula intus posita, ut moris est*. Hactenus Diarium Paridis Grassi, quod refert Mabillonius loco citato.

VI. At vero, quod ante Hussitarum hæresim, Regi, & Imperatori, sub utraque specie Communio Eucharistica a Pontifice præberetur, docet nos Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gaetano, qui claruit labente seculo XIII. & ineunte seculo XIV. Sic enim is inquit Cap. CVII, ubi de unctione, & Coronatione Regis tractat; postquam scilicet ritum Communionis a Diacono & Subdiacono acceptæ retulit: *Et tunc Sacram Communionem Rex genuflexus de manu Papæ sedentis, & Mitram tenentis in capite suscipiat cum osculo pacis; ante tamen osculetur Pontificis manum, & tunc reverenter Hostiam sumat; reversusque ad Altare idem Rex sacratissimum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumat de Calice per ministerium Diaconi cum calamo &c.* Idem confirmat Cap. CX. ubi tamen expresse ait, Reginæ tradi Communionem sub specie tantum panis: *Post Communionem Papæ, & postquam Rex communicaverit, & sacrum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi susceperit, Regina genuflexa, de manu Romani Pontificis sedentis, & Mitram tenentis in capite, consecratam Hostiam reverenter sumat, & ad suum thalamum revertatur*. Eadem plane ad verbum referuntur etiam in ms. Cæremoniali Codice Piersanctiono, ubi scilicet ritus Coronationis Regis, & Reginæ recensetur.

VII. Ceterum Clemens VI. anno tertio sui Pontificatus Philippum Franciæ Regem, & Joannam Reginam ejus uxorem, filiumque Joannem Normanniæ Ducem, ac postea Successorem ea singulari prærogativa ornavit, ut quandocumque vellent, sub utraque specie sacram Eucharistiam susciperent. Raynaldus ad annum Domini MCCCXLIV. Num. LXII. Diploma Pontificium refert hanc in rem Joanni primogenito Philippi Regis Franciæ, Duci Normanniæ concessum, *datum Avenione, XI. Kal. Julii anno* III. & laudat Epistolas LXVIII. & LXIX. Tomi III. Epistolarum secretarum, quibus idem privilegium eidem Philippo Regi, & Joannæ Reginæ conceditur. Ea tamen prærogativa Reges Franciæ jam non uti, nisi in sua inauguratione, & in articulo mortis, ut id se posse significent, notat Pagius in Vita Clementis VI. Num. XI. Hinc agitata controversia in Concilio Tridentino, utrum scilicet aliquibus esset usus Calicis permittendus, postularunt Oratores Galli, ut si id demum statueret, absque præjudicio fieret prærogativæ Regum suorum, qui in sua inauguratione Calicem accipere consueverunt, & consuetudinis receptæ ab antiquo in quibusdam Regni Gallici Monasteriis Calicem Monachis non conficientibus statis temporibus ministrandi; uti jam nos notavimus Tomo IV. Conciliorum, ubi enarravimus Sessionem XX. Concilii Tridentini Num. CXXXII. in fine. Teste Mabillonio in citato prævio Commentario ad Romanum Ordinem, Cap. XI. pag. LXIII. & seq. non modo ex privilegio concessa est Communio sub utraque specie Regibus Francorum, verum etiam *Diacono & Subdiacono Ecclesiæ S. Dionysii prope Parisios in Dominicis & diebus solemnibus, & Ministris Altaris apud Cluniacum in singulis Dominicis, & Festis; quæ prærogativa a Concilio Tridentino probata est*.

VIII. Si veterem disciplinam inspiciamus, illud plane constat, quod inter alios docet, solidisque argumentis probat eruditus Ineninus in celebri Opere, *De Sacramentis*, Dissertatione IV. Quæstione IX. Cap. IV. Art. II. §. I. ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad duodecimum usque seculum Fideles etiam laicos publicis in conventibus passim & ordinarie sub duplicis panis & vini specie communicasse; eundemque morem labente etiam seculo XIII. in quibusdam Occidentalium Ecclesiis viguisse. Testem hujus moris habemus quidem S. Thomam, qui obiit anno MCCLXXIV. Is autem Parte IV. Quæstione VIII. Articulo XII. ubi quærit, *Utrum liceat Corpus Christi sumere sine Sanguine*, affirmativam sententiam tuetur hoc argumento: *Sed contra est multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur Corpus Christi sumendum, non autem Sanguis*. In omnibus igitur Ecclesiis S. Thomæ ævo, idest seculo XIII. quo ipse claruit, diemque extremum clausit, nondum vigebat consuetudo laicis unam tantum speciem porrigendi. Porro post Concilium Constantiense habitum ineunte seculo XV. de quo nos fuse diximus Tomo IV. Conciliorum, nullis in Ecclesiis Latinis, sine obtenta speciali dispensatione, Laicis tum intra, tum extra Missarum solemnia, utraque panis, & vini species porrecta fuit. Ne prioris autem disciplinæ vel umbra superstes esset, eo quod hæretici Communionem sub utraque specie jure divino necessariam esse contenderent, cautum est in Conciliis, quæ post Tridentinum habita sunt, ne vas purificatorium, quod post Communionem laicis sufficiebatur, Calicis, in quo Consecratio peragitur, formam ex-

Digitized by Google

exhiberet. Ut alia omittam, ita plane ſtatuit Provinciale Concilium Bituricenſe habitum anno MDLXXXIV. Can. XII. *In exhibenda laicis ſacra Communione, paratum ſit vas, quod formam Calicis non præſeferat, ex quo ſumatur ablutio poſt Communionem Euchariſtiæ.*

IX. Ubi ea diſciplina viguit communicandi ſub utraque ſpecie, jam non ſemper utraque ſpecies ſeparatim, ſed aliquando etiam permixta porrigi Fidelibus conſuevit. Certe invaluit hic mos Seculo VII. quem tamen velut abuſum, qui per Miniſtrorum ignorantiam irrepſiſſet, Bracharenſis Synodus III. anno DCLXXV. habita, Can. II. confixit: *Illud vero*, inquit, *quod pro complemento Communionis intinctam tradunt Euchariſtiam Populis, nec hoc prolatum ex Evangelio teſtimonium recipit, ubi Apoſtolis Corpus ſuum, & Sanguinem commendavit; ſeorſum enim panis, & ſeorſum Calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illi tantum diſcipulo, quem intincta buccella, Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ Sacramenti hujus inſtitutionem ſignaret.* Licet autem ea praxis Seculo VII. proſcripta fuiſſet, prodiit tamen iterum Seculo XI. ſed Paſchalis Papæ II. Decretis compreſſa mox evanuit ex Occidente, præterquam in infirmorum, & parvulorum Communione. Sic enim ille Epiſtola XXXII. ad Pontium Cluniacenſem Abbatem ſcribit: *In ſumendo Corpore, & Sanguine Domini, juxta Cyprianum Dominica Traditio ſervetur, nec ab eo, quod Chriſtus Magiſter & præcepit & geſſit, humana & novella inſtitutione diſcedatur. Novimus enim, per ſe panem, per ſe vinum, ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in Sancta Eccleſia conſervandum docemus, atque præcipimus, præter in parvulis, ac omnino infirmis;* qui ſcilicet panem abſorbere non poſſunt. Eodem ſpectant quæ paucis ante annis edixerat Synodus Claromontana ſub Urbano II. habita anno Chriſti MXCV. Can. XXVIII. ubi ita ait: *Nequis communicet de Altari, niſi Corpus ſeparatim, & Sanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & cautelam.* Quæ tamen diſciplina apud Occidentales tandem obſoleta, viget adhuc apud Orientales, apud quos fideli populo utraque ſpecies in cochleari commixta exhibetur, ut idem Jueninus citato loco obſervat.

X. Factam olim Calicis Communionem tribus modis, notavit eruditus Edmundus Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. Num. XIII. Vel enim pretioſum Sanguinem cum calamo ſugebant, vel Calicem ipſum ori admovebant, vel denique, uti paulo ſuperius oſtenſum fuit, Corpus Dominicum Sanguine intinctum porrigebant. Tertium hunc modum damnarunt jam non modo Synodus III. Bracharenſis, ſed & Summi Pontifices, Urbanus II. & Paſchalis itidem II. Circa alterum modum admovendi ſcilicet Calicem ipſum ori Fidelium, notandum illud eſt, quod ait Gregorius Turonenſis Lib. III. *Hiſtoriæ Francorum*, Cap. XXXI. Arianorum conſuetudinem fuiſſe, *ut ad Altarium venientes, de alio Calice Reges communicent, &, de alio populus minor.* Ceterum conſueviſſe olim Fideles calamo, ſeu fiſtula, aut cannula argentea, vel aurea, ut hodieque ſolet Romanus Pontifex Maximus, Sanguinem Chriſti e Calice haurire, pluribus probat doctiſſimus Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXV. Num. IV. Fiſtulæ uſum explicat in primis Romanus Ordo antiquus apud Hitorpium his verbis: *Diaconus tenens Calicem, & fiſtulam, ſtet ante Epiſcopum, uſquedum ex Sanguine Chriſti, quantum voluerit, ſumat; & ſic Calicem, & fiſtulam Subdiacono commendet.* Conradus Epiſcopus in Chronico Moguntino de Miſſæ apparatu ſcribens, ita ad rem ait: *Erant fiſtulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ.* Inter alia donaria, quæ Caſinenſi Monaſterio dereliquit Victor Papa III. recenſet Leo Oſtienſis in Caſinenſi Chronico Lib. III. Cap. ultimo fiſtulam auream cum angulo, & fiſtulas argenteas duas. Plura de uſu fiſtularum in ſumenda Communione Calicis apud Monachos, videri poſſunt apud memoratum Cardinalem Bonam, & Angelum de Nuce in Excurſu Hiſtorico, *De Sella lapidea, & fiſtula argentea Caſini extantibus*, quem legere eſt Lib. IV. prædicti Chronici Caſinenſis, ab eodem editi, Notiſque illuſtrati Cap. LXIV. Ceterum, ut alias fuſius dicemus, utitur nunc fiſtula Summus Pontifex cum ſolemniter celebrat, illa hauriens quantum vult de Sanguine, reliquum Miniſtris relinquens, qui fiſtula quoque ipſum abſumunt, ut idem Bona Cardinalis notat loco citato in fine, ubi etiam addit, eundem uſum adhuc vigere in Celebri Monaſterio S. Dionyſii in Francia Ordinis S. Benedicti, ubi Miniſtri Altaris more antiquo ſub utraque ſpecie communicant, & Sanguinem e Calice fiſtula hauriunt.

XI. Nequid demum in hoc Commentario omittamus, & illud notandum cenſemus, Orationes ipſas in §. præſenti deſcriptas, legi quidem in Romano Ordine XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. CV. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, pag. 401. & ſeq. monetque idem Ordo, *peracta Communione cum ipſo Imperatore, ſi forte velit Apoſtolicus*, Papa ſcilicet, poſſe eum dicere hujuſmodi Orationes, quarum prima incipit: *Proſpice quæſumus Domine Omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum N. &c.* Altera: *Benedic ✠ Domine quæſumus hunc Principem noſtrum N. &c.* Tertia: *Deus Pater æternæ gloriæ &c.* Idem quod laudatus Ordo Romanus, edicit etiam ms. Pontificale Conſtantinopolitanum annorum circiter DL. *Sciendum*, inquit, *quod peracta commonitione* (puto legendum, *communione*) *cum impoſitione Diadematis, dicere, ſi forte velit Apoſtolicus, valet orationes hujuſcemodi*, nempe, *Dominus vobiſcum. Proſpice quæſumus Omnipotens Deus &c.* Porro in antiquo ms. Codice Gemundenſi, in eo Titulo, qui inſcriptus eſt, *Benedictio ad ordinandum Imperatorem ſecundum Occidentales*, apud Edmundum Martene Lib. II. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IX. Ordine III. prima Oratio, quæ incipit, *Proſpice, Omnipotens Deus, ſerenis obtutibus &c.* dicitur *Conſecratio*, præceditque impoſitionem Coronæ, aliaſque Cæremonias, quas ſupra explicuimus. Mandat enim laudatus Codex, ut, expleta Conſecratione, ſeu citata Oratione, *Proſpice Omnipotens Deus &c.* mittat Pontifex Coronam auream ſuper caput ejus, his verbis: *Per eum, cui eſt honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum, Amen.* Sequitur deinde Gladii traditio, aliique ritus jam a nobis ſuperius enarrati.

§. XXV.

Digitized by Google

§. XXV.

De proſecutione Miſſæ die Coronationis Imperatoris celebratæ uſque ad finem, & aliis ritibus haberi tunc ſolitis.

Poſt Communionem Pontifex deſcendit ad Altare, & proſequitur Miſſam more conſueto, & in fine dat Benedictionem ſolemnem, dicens: *Sit Nomen Domini &c.* & publicantur immediate Indulgentiæ per unum ex Diaconis aſſiſtentibus, ſive plenariæ, ſive ut Pontifici placuerit. Tunc Cardinales, & Prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas Cappas. Pontifex vero, dimiſſis Miſſalibus indumentis, accipit Pluviale, & Mitram pretioſam, & cum Imperatore deſcendit ad gradus Baſilicæ ſub eodem baldachino. Si eſt Dominica, *Lætare Jeruſalem*, Pontifex ſiniſtra portat Roſam auream, dextra benedicit aſſiſtentibus, atque hinc inde elevantibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem auream Roſam Pontifex antequam ad Eccleſiam deſcendat, in Camera papagalli benedicit cum Balſamo, & muſcho, quod in ſingulis annis fit in tali die, prout inferius in ſuo loco plene ſcribemus. Si vero eſſet alius dies, (1) cum dextra ſignat, & cum ſiniſtra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus a ſiniſtris retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate elevabit fimbriam Pluvialis (2) caudam vero portabit major Princeps, etſi erit Rex. Principes (3) vero, Rex, & Prælati, qui venerunt cum Cæſare, dum Miſſarum, & Coronationis ſolemnia fiunt, ſemper Cæſarem ſequuntur, & cum ipſo in ſuo ſuggeſtu (4) conſiſtunt ſemper. Et ſimiliter qui cum Auguſta, eam ſemper comitantur, aſſiſtuntque (5) ſemper. Quæ, finita Miſſa, dimiſſis Pontifice & Imperatore in Eccleſia, ad domum ſuam cum ſuis revertitur.

COMMENTARIUS.

I. ILlud quidem mandant tum Ordo Romanus XIV, Auctore Jacobo Gajetano Cap. cv. tum ms. Codex Pierſanctianus, ubi de Coronatione Imperatoris agunt, ut *Miſſa finita Pontificalem benedictionem reverenter accipiat, & ſtatim procedat ad locum, ubi debet Summus Pontifex equitare*; juxta ritum ſcilicet, quem nos mox infra in Commentario §. XXVI. ſequentis narrabimus. Plura, quæ in hoc Commentario dici poſſent, jam alias opportunius explicata fuere. Quod ait hic noſter §. *Si eſt Dominica*, Lætare Hieruſalem, *Pontifex ſiniſtra portat Roſam auream &c.* alludit plane ad ritum ſervatum in Coronatione Friderici III. peracta a Nicolao Papa V. anno MCDLII. in Dominica IV. Quadrageſimæ, quæ dicitur, *Lætare Hieruſalem*, ob Introitum Miſſæ, qui ex ipſis verbis incipit. Aptiſſima viſa eſt Dominica ipſa, quæ prædicto anno in diem XIX. Martii incidit, qua die laudatus Pontifex Nicolaus V. ſextum Pontificatus annum inibat. Ceterum, Coronatione ſolemni ritu in Baſilica S. Petri peracta, ut Zantflietus in ſuo Chronico ad memoratum annum ſcribit, idem Pontifex ante gradus ejuſdem Baſilicæ Friderico ipſi Imperatori dono dedit Roſam auream ea die benedictam, deinde eum uſque ad Hadriani Molem, ſeu Caſtrum S. Angeli comitatus eſt. Sed de Roſa aurea benedici ſolita a Romano Pontifice in ipſa Dominica *Lætare Hieruſalem*, & ritu eam tradendi, vide quæ dicemus infra in Commentariis ad Titulum VII. ubi ſcilicet Caput illud explicabimus, quod inſcriptum eſt, *De benedictione Roſæ, quæ fit Dominica*, Lætare Hieruſalem, *& ejus traditione*. Multa enim ibidem dicemus, quæ & ad hunc Titulum ſpectant.

§. XXVI.

Proceſſio Pontificis, & Cæſaris per Urbem, & de honore a Cæſare Pontifici exhibito ſtaphan illius equi tenente.

Cæſar vero cum Corona in capite, Sceptro, & Pomo in manibus ad latus Pontificis incedens, niſi illius manu ducatur, quia tunc Pomum, tantum in ſiniſtra retineret. Cum ad finem graduum pervenerit, traditis Sceptro & Pomo uni ex ſuis, prævenit ad equum Pontificis, & in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus vice Pontifex in terris gerit, tenet ſtapham, quoad Pontifex equum aſcenderit; & deinde accepto equi freno, per aliquos paſſus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc humilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modeſte recuſare, & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in perſonam ſuam, ſed illius, cujus locum tenet, recipiendo, permittit illum aliquantulum progredi, tum firmat ſe, & nullo

(1) Ita in Romana editione in Veneta vero 1. perperam legitur; *dextra ſicut ſiniſtra tenebit &c.* (2) In ipſa quoque editione Veneta additur, *a dextris*. (3) In eadem legitur, *vel*. (4) Ibidem, *conſtituunt*. (5) Deeſt ibidem *ſemper*.

Digitized by Google

nullo pacto permittit, Cæsarem ulterius ire, qui mox conscenso equo suo, ad sinistrum latus Pontificis, & sub eodem baldachino equitat, & hoc ordine procedunt. Primum præcedant Familiæ Cardinalium cum suis valisiis, & simul mixtæ familiæ Prælatorum Principum, & omnium Curialium, tam Cæsaris, quam Pontificis. Deinde duo cum valisiis Pontificis. Inde familiares domestici Imperatoris, & post eos familiares Papæ, tum Nobiles, Barones, & Comites minores utriusque. Equus Papæ cum scala Papæ. (1) Postquam Papa equitavit, post illum duodecim Vexilla rubea, quæ duodecim Cursores portant. Deinde Vexillum populi Romani, Vexilla Imperii, Vexillum Papæ, Vexillum Ecclesiæ, Vexillum Crucis cum Vexilliferis armatis, & ornatis, ut in Coronatione Papæ. Hos sequuntur duodecim equi albi phalerati sine sessoribus. Deinde quatuor Nobiles portantes Pilea ex cremesino quatuor Papæ cum baculis. Quibus succedunt Advocati, & Secretarii mixtim secundum prioritatem officii præcedentes cum suis caputiis circa collum, quos tamen præcedunt Secretarii Imperatoris. Tum sequuntur Cubicularii etiam cum suis caputiis. Inde Acolythi Clerici Cameræ Apostolicæ, & post eos statim Auditores cum Rochetis, & Cappis. Deinde Subdiaconus (2) cum Cruce Papali cum (3) Capello indici coloris, & cum aliis Subdiaconis cum Cappis, ut alii. Tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes. Deinde equus albus phaleratus cum tintinnabulo portans Sacramentum, & supra Sacramentum baldachinum per Cives Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, sive per duodecim Beneficiatos S. Petri cum Superpelliceis; & melius, ut vidi servari per Dominum Paulum Papam secundum. Post Sacramentum equitat Sacrista cum ferula alba. Inde siqui sunt maximi Domini, Principes, aut Duces. Principes Electores immediate ante Cardinales procedunt. Et siquis adesset frater, aut filius Imperatoris, iret medius inter juniores Diaconos Cardinales. Rex erit a sinistris senioris Episcopi Cardinalis. Et si plures adessent Reges, locarentur cum aliis Episcopis Cardinalibus. Post hos sequuntur duo Diaconi Cardinales assistentes Pontifici. Et si cum Cæsare essent duo Principes Electores, qui præferrent Gladium, & Pomum Cæsaris, isti deberent ire immediate ante Cæsarem, sicut Diaconi ante Pontificem; & quando via esset arcta, irent ante ipsos Diaconos assistentes. Si vero non sint Principes Electores, qui portant illa, videlicet Gladium, Pomum, seu Sceptrum, nam alterum istorum duorum portabit Imperator, illi duo vadant simul cum Subdiacono, qui portabit Crucem, & illum in medio habeant. Sequitur Pontifex sub baldachino, & Imperator cum sua Corona, & Imperiali habitu a sinistris. Post Pontificem sequuntur duo Cubicularii secreti cum serviente de Mitra; & duo Medici cum Secretario, si non sit Prælatus; & post Imperatorem duo Camerarii sint cum uno Secretario. Inde equitabit serviens armorum cum uno Secretario cum umbella; deinde Prælati assistentes Papæ. Et siquis Archiepiscopus Princeps Elector Imperatoris adesset, iret ante assistentes Papæ. Post hos ibunt Prælati assistentes, sive Consiliarii Imperatoris cum Cappis, & Capellis, ut alii Prælati; alioquin non irent inter Cappatos. Sequuntur deinde Prælati, Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, & Abbates Cappati, & Pileati, & demum alii Curiales togati, tam Papæ, quam Cæsaris.

COMMENTARIUS.

I. Esse antiquum ritum, ut finita Missa, in qua coronatus Romæ fuit a Summo Pontifice novus Imperator, *is statim præceaat ad locum, ubi debet Summus Pontifex equitare, & cum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ ejus, & arrepto freno, aliquantulum ipsum addextret; moxque suum equum ascendens, procedat juxta Summum Pontificem usque ad Ecclesiam S. Mariæ in Transpadina, ubi dato sibi oscula ad invicem, non corde, sed corpore separentur*, docet nos Romanus Ordo XIV. Cap. CV. cujus locum legere pene ad literam est in Cæremoniali Codice Piersanctiano, & in Rituali descripto a Clemente Papa V. pro Coronatione Henrici Luxemburgici apud Raynaldum ad annum MCCCXI. Num. XIII. ubi etiam ad verbum illud *in Traspadina* in margine notat, *Transpontina*.

II. Inter alios honores Romanis Pontificibus exhibitos ab Imperatoribus, & Regibus, pervetustus, & longa consuetudine probatus quidem est ille, quo ipsi Imperatores, ac Reges, Papa equitante, officio stratoris, aut habenas equi regentium fungerentur. Narrat Anastasius in Vita Stephani Papæ II. Stephanum ipsum in Gallias profectum, anno DCCLIV. ut a Pipino Rege auxilii aliquid impetraret adversus Longobardos, jamdiu Italiam, Romamque ipsam populantes. Regem porro ipsum illi obvium prodisse tribus passuum millibus, equo exiliisse, humi se abjecisse cum Regina, cum prole, & Proceribus Aulicis, denique stratoris obisse munia, ali-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. desunt ea verba; *Postquam equitavit, post illum* (2) In eadem Veneta, *Subdiaconi*. (3) Ibidem, *Galero*.

Digitized by Google

quanto itineris spatio pedibus juxta illum equo vehentem incessisse: *Ad trium fere millium spatium descendens de equo suo, cum magna humilitate terræ prostratus, una cum sua conjuge, filiis, & Optimatibus Sanctissimum Papam suscepit, cui & vice stratoris in aliquantulum locum juxta ejus sellarem properavit.* Ab eodem ipso Anastasio commemoratum est, ut Carolus Magnus Romæ ascendens ad B. Petri Basilicam, gradus omnes exosculatus sit, & in vestibulo demum Ecclesiæ exceptus sit ab Hadriano I. Papa. Verum & Hadrianum I. & Leonem III. non coluit Carolus Magnus, nisi amplexu, & osculo: *Pariter se amplectentes osculati sunt*, ut idem Anastasius tradit.

III. At vero ut in Agro Remensi Stephano Papæ IV. aliis V. obvius prodierit Ludovicus Pius anno DCCCXVI. narrat Theganus in Vita ejusdem Ludovici. Ait enim, utrisque equo descendentibus, Imperatorem ter se in terram prostrasse coram Pontifice: *Descendit uterque de equo suo, & Princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, tertia vice erectus salutavit Pontificem istis verbis, dicens*: Benedictus, qui venit in Nomine Domini; *& respondens Pontifex*: Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum David Regem videre. *Amplexantes enim se, & osculantes pacifice, perrexerunt ad Ecclesiam &c.* Teste Anastasio in Vita Sergii II. ubi anno DCCCXLIV. Romam venit Ludovicus Lotharii Imperatoris filius, mutuo quidem se complexi sunt, *& tenuit idem Ludovicus Rex dexteram antedicti Pontificis*; ac cum postea ipsomet Imperii Diademate cinctus fuisset, Romamque perrexisset, eo tempore, quo Nicolaus I. in Pontificem electus, & ordinatus est, eodem illo reveritus est humillimo obsequio, quo olim Pipinus Stephanum II. stratoris officio perfunctus: *Augustus obvius occurrit, frænumque equi Pontificis suis manibus apprehendens, pedestri more, quantum sagittæ jactus extenditur, traxit.* Tum equo vectus Imperator, cum Pontifice aliquantum viæ confecit, ac rursus in pedes se conjiciens, stratorem se egit, Pontificis equum habenis deducens.

IV. Jam nec eædem semper, nec continuæ fuere istæ obsequii, & cultus significationes erga Summos Romanos Pontifices a Principibus exhibiti. Liberæ primum, & arbitrariæ fuerunt, nec ulla certa lege præscriptæ. Ex quo & illud quoque efficitur, quod alias notavit Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Libro III. Cap. LXII. Num. II. ceteros etiam Episcopos, qui & ipsi Vicarii quoque erant Christi in sua quisque Diœcesi, non multo dissimilem cultum a Magnatibus, ceterisque Laicis, imo & a Regibus ipsis consequutos esse. Ut alia exempla omittam, permirum illud est, quod quamquam de pace deliberaretur adhuc inter Henricum II. Angliæ Regem, & S. Thomam Cantuariæ Archiepiscopum, quando Rex, & Archiepiscopus simul conscendebant equos, Rex habenas equi Archiepiscopi manu tenebat, ut testatur Matthæus Parisius: *Cum Rex, & Archiepiscopus in partem secessissent, & bis equos ascendissent, bis habenam Archiepiscopi Rex tenuit, cum equum ascendisset.* Jam non desunt & alia exempla hujusmodi obsequii Episcopis a Principibus impensi, sed tamen præ ceteris summi semper honores exhibiti fuerunt ab Imperatoribus, ac Regibus præcipuo Jesu Christi in Terris Vicario, Apostolorum Principis Successori, Romano Pontifici Maximo.

V. Præter superius adducta exempla, longe plura occurrunt post annum Christi millesimum. Teste Bertholdo apud Baronium anno MXCV. Conradus Romanorum Rex apud Cremonam obviam progressus Urbano II. Papæ, stratoris officium eidem exhibuit, ac juramento fidelitatem promisit: *Cremonam veniens, Papæ obviam progreditur, eique stratoris officium exhibuit &c.* Idem præstitit anno MCXX. Willelmus nostræ Calabriæ, & Appuliæ Dux Calisto II. & eo obsequio ad Ecclesiam illum deduxit pedes, ut inter alios refert Baronius, ac deinde anno MCXXXI. Lotharius Imperator Innocentio II. quando Leodii cum eodem Pontifice congressus est, ut narrat Sugerius sic inquiens: *Humillime seipsum stratorem offerens pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frænum albi equi accipiens, tanquam Dominum deducebat.* Atque in hoc potissimum exemplo, ut scite notat laudatus Thomassinus citato loco, Cap. LXX. Num. V. habemus occultis oculis Fidem illustrem & sane magnificum humilitatis triumphum, & Crucis Christi æterni Pontificis nostri, de universa insolentissimi seculi pompa. Id itaque officium, quod unius contemplatione & charitate Christi, sive, ut ait hic noster §. *in honorem Salvatoris Jesu Christi*, Summo Pontifici, qui ejus vices in terris gerit, exhibetur, jam non modo offensioni non est, sed admirationi non potest non esse, & amori iis, qui gustu aliquo, & sapore pietatis, & Religionis imbuti sunt.

VI. Quamquam vero Imperatores, Regesque, ubi cum Summo Pontifice congressi sunt, numquam id obsequii detractarint; Fridericus tamen I. cum in Italiam adventaret, Imperiali Corona cingendus eo humili obsequio exemplis tot prædecessorum Principum comprobato in Hadrianum IV. Papam fungi perperam recusavit. Teste inter alios Scriptores Anonymo Vaticano apud Baronium anno MCLV. Cardinales, qui Pontificem cingebant, usque adeo consternati fuere, ut alii alio dilapsi sint, Pontifice solo dimisso. Qui tamen ingentis, & infracti animi Vir Imperatorem ad osculum pedum admisit, assurgentem mox ad osculum oris abjecit, donec ab eo præstitum esset Successori Petri, quod Imperatores omnes dependerant priscis Pontificibus Summis tanquam Petri, Paulique successoribus: *Quem honorem Prædecessores tui Imperatores Orthodoxi pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usque ad hæc tempora consueverunt.* Mirari subit, qui Pontifex cultum religiosum ab origine liberum, & arbitrarium tanto vigore extorquendum ab invito Imperatore, extundendumque censuerit. Sed illud quoque menti recurrere debet, quod idem Thomassinus observat, quodque etiam iterum iterumque a nobis inculcatum est, nempe quæ officia spontanea primum & libera ab exordio sunt, longo usu, & consuetudine confirmari, inveteratas autem, & ita confirmatas consuetudines in Leges valere demum. Sive jura, sive officia appelles, tum civilia, tum Ecclesiastica, id genus complurima sunt. Multa possunt, & jure suo possunt Principes terreni in causis rebusque Ecclesiasti-

Digitized by Google

siasticis, quæ tamen potestas non aliter illis parta, quam longa consuetudine, & antiquissima possessione, connivente præsertim Summo Romano Pontifice. Sunt consimiliter Summis Pontificibus, & Prælatis jura non pauca in res civiles, & temporales, de quibus controversia illis fieri jam non potest, ubi diutina illis possessione firmata sunt.

VII. Alienas denique suspiciones obtrectationesque Friderici purgavit dissipavitque Adrianus Pontifex, quando rei totius judicium ad ipsos Imperii Principes retulit. Cum inter Principes autem diu, & mature disceptatum esset, constitutum ab iis est tandem, eosdem a Friderico honores Pontifici nunc exhibendos esse, quos prisci Imperatores Lotharius aliique priscis Pontificibus persolvissent. Quod eo recidit, ut illud quoque pronunciatum esse videatur, usque adeo justas fuisse hujus obsequii, & necessarias causas exhibendi Pontifici ab Imperatore, ut justæ, ac necessariæ fuerint Pontifici caufæ ejus exigendi: *Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lothario ad Papam Innocentium venerunt, & prisca consuetudine diligenter investigata ex relatione illorum, & veteribus monumentis, judicio Principum decretum est, & totius Regalis Curiæ communi favore roboratum, quod idem Rex pro Apostolorum prædictorum reverentia Papæ Hadriano exhiberet stratoris officium, & ejus streguam, suppedaneum scilicet teneret ad conscendendum in equum*. Functus est denique eo officio Fridericus I. Imperator, easque implevit Religionis partes, in quas nuper præiverat Imperator Lotharius, sed cui Pipinus, Ludovicus Pius, & alii Carolinæ Reges familiæ auctoritatem conciliaverant, firmissimaque posuerant posterioris consuetudinis fundamenta. Quæ omnia ex supparibus ejusdem Friderici I. Scriptoribus a Cardinali Baronio ad annum MCLV. excerpta sunt.

VIII. Sed ut aliis exemplis rem comprobemus, auctor est in Appendice ad Sigebertum Robertus de Monte, qui suorum temporum res gestas summa fide breviter perstrinxit, Ludovicum VII. Galliæ Regem, & Henricum II. Regem Anglorum super Ligerim fluvium anno MCLXII. convenientes, Alexandrum Papam III. in honore congruo suscepisse, & usos officio stratorum, pedites dextra lævaque frenum equi ipsius tenentes, eum usque ad præparatum habitaculum perduxisse, eoque mediante, partem inter eos firmam restitutam esse. Hæc Robertus. In occursu autem Regum Francorum, & Anglorum admiranda porro est summa Dei potentia, & admirabilis providentia, ut duo potentissimi Reges inter se ipsos jugiter dissidentes ad cultum, & venerationem Vicarii sui convenerint pacifici, eidemque adeo humili obsequio concordes inservierint, spectaculum Deo, Angelis, & hominibus gratissimum exhibentes, quale hactenus nunquam in Orbe visum fuerat. Quamquam enim alias sæpe a singulis seorsum, sive Regibus, sive Imperatoribus, ejusmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus stratoris ministerium; ut tamen ad hoc duo simul convenerint adeo magni Principes alias inter se dissidentes, nusquam antehac scriptum invenimus, ut notavit Spondanus ad ipsum annum MCLXII. Num. IV.

IX. Longum esset omnia velle hujusmodi obsequii Papæ a Principibus impensi exempla percurrere. Teste Thomassino citato loco, Numero VII. Carolus Siciliæ Rex frater S. Ludovici Regis Galliæ Urbano IV. Pontifici stratorem se exhibuit, eoque postea exemplo usi sunt Neapolitani & Siculi Reges. Hinc cum S. Cælestinus V. electus Pontifex anno MCCXCIV. nequaquam equo vectus, sed humili asello sedens Aquilam pergeret, ut ornamenta Pontificalia susciperet, a Carolis patre, & filio Regibus Siciliæ, & Hungariæ, aliisque Magnatibus deductus, eam Urbem ingressus est, iisdem Regibus asini frena tenentibus, ut tradit Jacobus Cardinalis in suo de S. Petro Cælestino Poemate apud Bollandianos die XIX. mensis Maji, sic inter alia inquiens:

Intumidus vilem Murro conscendit asellum,
Regum fræna manu dextra lævaque regente
Pontificis.

Tenuisse eundem Carolum II. Siciliæ Regem, & Carolum Martellum ejus filium Regem Hungariæ equi frænum in Coronatione Bonifacii Papæ VIII. docet idem Jacobus Cardinalis Stephanesçus, seu Gajetanus, ubi describit ordinem processionis, quæ facta est a S. Petri Basilica ad Lateranum, quæ ex dictis superius in Commentariis ad Titulum II. fiebat statim post Consecrationem. Ait autem laudatus Auctor, Bonifacium Pontificem equo albo insidentem Frigio, seu Thiara Pontificali insignitum processisse ad Lateranum, Carolo II. Siciliæ, & Carolo Martello ejus filio Hungariæ Regibus frænum æqui tenentibus.

. . . . *Tunc lora tenebant*
Illustres Gallique Duces, Carolusque Secundus
Rex Siculus, Caroluſque puer proleſque juvẽta
Floridus, Vngariæ materno e stipite nomen
Regis habens: dextram pater accipit, atque siniſtram
Filius.

Rursus, ubi Clemens V. creatus Pontifex anno MCCCV. Lugdunensem Civitatem solemni iniit pompa, Philippum Pulchrum Franciæ Regem stratoris munus obiisse, testis est ad ipsum annum Raynaldus, Num. XIII. Item Neapolis Rex Garolus Dyrrachinus Urbano VI. stratorem & ipse se exhibuit. Sigismundus quoque Imperator Martino V. & deinde Eugenio IV. ut idem Raynaldus in Annalibus refert.

X. Restat ut posteriorum Imperatorum exempla promamus, ac præsertim Friderici III. qui quidem quum anno MCDLII. Romam Imperii Corona decorandus veniisset, usitatis officiis Nicolaum V. Papam incunctanter prosequutus est, pedes ejus cum Imperatrice conjuge exosculatus, & stratoris impleto munere, ut in Historia ejusdem Friderici Æneas Sylvius tradit: *Ut autem Coronationi, divinisque rebus impositus modus, Leonora*, conjux scilicet Friderici, *in suas Ædes secessit. Papa, & Imperator ad gradus Basilicæ*, nempe S. Petri, ubi peracta fuerat Coronatio, *venerunt. Ibi Pontifex palafredum ascendit, eique Cæsar dextratoris officium per aliquot passus exhibuit; equoque deinde conscenso, usque ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmodin una profecti sunt*. Atque hæc est Ecclesia, ad quam coronatus Imperator, & Pontifex solemni pompa & processione equitantes sub baldachino procedebant juxta ritum in nostro §. præscriptum, & in sequenti §. XXVII. ubi inter alia sic inquit: *Hoc ordine recta via per Cam-*

Digitized by Google

pum Floræ, & Judæorum plateam devenient ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin. Sed de hac Ecclesia, & de ceremoniis in ea habitis occasione ejus processionis dicemus infra in Commentario ad sequentem ipsum §. XXVII.

XI. Ceterum quod stratoris officium spectat a Friderico impensum Nicolao V. Papæ, notandum & illud hoc loco censeo, voluisse quidem Fridericum ipsum eodem rursus officio fungi erga Paulum II. anno MCDLXIX. quo iterum Romam venit, sed abnuisse Pontificem, cujus nutu in solemni per Urbem equitatione ambo simul equo conscenderunt, uti rem narrat Augustinus Patricius Actor nostri hujus Cæremonialis in descriptione adventus Friderici III. Imperatoris ad Paulum Papam II. quam legere est apud Mabillonium Tomo 1. Musei Italici, pag. 156. & seqq. Sic enim inquit laudatus Patricius, Num. XX. *Cæsar, ut piæ Religioni satisfaceret, venerareturque pro viribus Jesu Christi Vicarium, illique se se humiliaret, cum Pontifex equum vellet inscendere, cito accurrit, staffamque equi Pontificalis arripiens, tanquam unus esset ex Pontificis servis, eam quoad Pontifex inscenderet, tenere volebat. At Pontifex humanitatem religiosi Principis collaudans, negat, se equum ascensurum, nisi prius ille discedat; pariterque & ipse inscendit equum, quem Pontifex ei dono dederat. Laudata est ab omnibus, & admirationi a plerisque habita ea Cæsaris in Romanum Pontificem observantia, ac devotio*. Atque hic iterum nota, quod sæpiuscule dictum fuit a nobis, Christo ipsi impensum fuisse hujusmodi honorem, quem Imperatores, Regesque ex pervetusta consuetudine religiosorum Principum Summo Romano Pontifici, qui Christi vices gerit in terris, soliti semper fuerunt persolvere.

XII. Denique cum Carolus V. anno MDXXIX. Bononiam venisset, a Clemente VII. ad eam Urbem profecto coronandus, ut inter alios narrat Raynaldus ad annum MDXXX. non modo Pontifici genuflexit, ejusdem pedes, manum, genamque osculo coluit; verum etiam expleto Coronationis ritu, voluit, dum Pontifex equum conscenderet, stapedam manu tenere, tametsi id vetaret Clemens, qui tamen tandem, persistente Imperatore, cessit contestatus id Christo, non sibi honoris haberi: *Pontifex toleravit, referendo talem actum humilitatis ad honorem Salvatoris, cujus vices in terris gerebat*. Sed passus non est Pontifex, ut Imperator equum aliquantulo viæ spatio deduceret; sicque nonnihil variatum est ab eo, quod in nostro hoc §. edicitur, cujus verba abs re non erit hoc loco repetere: *Prævenit ad equum Pontificis*, nempe Imperator, *& in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus vices Pontifex in terris gerit, tenet stapham quoad Pontifex equum ascenderit; & deinde accepto equi freno, per aliquos passus ducit equum Pontificis*. Tum vero hæc subjicit: *Pontifex, dum Imperator hæc humilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modeste recusare, & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in personam suam, sed illius, cujus locum tenet, recipiendo, permittit illum aliquantulum progredi; tum firmat se, & nullo pacto permittit Cæsarem ulterius ire; qui mox conscenso equo suo, accedit ad sinistrum latus Pontificis, & sub eodem baldachino equitat*.

XIII. Notatu vero inter alios dignus est ritus ille, qui in ea solemni Pontificis equitatione cum Imperatore servari aliquando solitus fuit: recensentur enim in hoc nostro §. *duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes; deinde equus albus phaleratus cum tintinnabulo portans Sacramentum, & supra Sacramentum baldachinum per cives Romanos portatum, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares, sive per duodecim Beneficiatos S. Petri cum Superpelliceis*. Similis huic ritui est plane & ille, qui in solemnissima Romanorum Pontificum equitatione olim observabatur, dum Romæ Summus Pontifex coronatus e Vaticana Basilica ad Lateranensem ad possessionem capiendam ipsius Basilicæ Lateranensis splendidissima pompa proficiscebatur, uti dictum est supra Tit. II. in Commentario ad §. XIX. Agit plane & de hoc ritu eruditissimus Angelus Rocca Sacrarii Apostolici Præfectus & Episcopus Tegastensis in suo Commentario, *De Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*, Parte II. Teste Augustino Patricio in descriptione adventus Friderici III. ad Paulum II. Pontificem, Num. XXIII. in solemni equitatu ipsius Pontificis cum Cæsare, *ducebatur equus albus Sacratissimum Christi Corpus vehens in capsula ornatissima reconditum, quem præcedebat Sacrista Pontificis, baculum teretem manu ferens, & supra sacram Hostiam sericeum umbraculum ferebatur; circum circa vero funalia multa accensa*. Rursus de sacra Eucharistia per Civitatem Bononiæ, peracta Caroli V. Imperatoris Coronatione anno MDXXX. delata mentionem facit Paulus Jovius Lib. XXVII. Historiæ sui temporis, dum Clementis Papæ VII. ac Cæsaris per Civitatem ipsam equitantium admirabilem apparatum, ac pompam describit, sic dicens: *Nec multum inde succedebat Eucharistia sub aurea umbella loculo crystallino inclusa, & sellæ generosi, & tamen pacati equi super imposita, laterna ingens ante, & circa dena funalia ferebantur*. Sed hic ritus tandem in desuetudinem abiit, uti supra notavimus citato Titulo II. in Commentario ad §. XIX.

§. XXVII.

De processu Imperatoris ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin, & de creatione Militum, seu Equitum ab eodem fieri solita ad Pontem Hadrianum.

Hoc ordine recta via per Campum Floræ, & Judæorum plateam devenient ad Ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin, & ibi Pontifex, si Rosam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat. Et ad dexteram conversus in Transtyberim cum suis omnibus ad Palatium revertitur. Cæsar autem via, qua sibi melius placet, Rosam manu gestans ad Pontem

Digitized by Google

tem Hadrianum redit, ubi viros complures, & de ſe optime meritos equeſtri dignitate inſignire ſolet.

COMMENTARIUS.

I. JUxta Romanum Ordinem XIV. cui concinit ms. Cæremonialis Codex Pierſanctianus, ſolemniſſima illa equitatio Papæ, & Imperatoris agebatur, *uſque ad Eccleſiam S. Mariæ in Traſpadina, ubi dato ſibi oſculo ad invicem, non corde, ſed corpore ſeparabantur*. Sed notanda eſt cæremonia hoc loco ſervata in Coronatione Friderici III. Imperatoris a Nicolao Papa V. celebrata anno MCDLII. ex ea enim deſumtum eſt, quod in hoc noſtro Cæremoniali præſcriptum habemus. Ergo peracta ſolemni ritu in Baſilica S. Petri Coronatione, Nicolaus Pontifex, ut Zantflietus in ſuo Chronico tradit, ante gradus ejuſdem Baſilicæ Friderico Imperatori dono dedit Roſam auream ea die benedictam, deinde eum uſque ad Hadriani molem, ſeu pontem comitatus eſt. Ibi Imperator inter idem Caſtrum, & Ælium pontem CCLXXXI. milites, ideſt equites creavit, & mox Imperatoriis inſignibus ante eum prælatis, videlicet Pomo, ſeu pila aurea, Sceptro &c. magno comitatu ad Lateranenſem Baſilicam equitavit, ubi prandium ſumſit, & ſub nocte ad Vaticanas Pontificis ædes rediit. Imperatrix vero e Vaticano pedem non movit. Hæc Zantflietus, quæ legere eſt apud eruditum Scriptorem Dominicum Georgium in Vita Nicolai V. anno MCDLII. Num. VIII.

II. Puto equidem, labi Zantflietum, cum ait Pontificem comitatum fuiſſe Imperatorem *uſque ad Hadriani molem*, profecti enim ambo ſunt ſimul uſque ad Eccleſiam S. Mariæ in Coſmedin, uti expreſſe nos docet oculatus teſtis Æneas Sylvius in Hiſtoria ipſius Friderici, ubi inter alia ita inquit: *Pontifex palafredum aſcendit, eique Cæſar dextratoris officium per aliquot paſſus exhibuit, equoque deinde conſcenſo, uſque ad Eccleſiam S. Mariæ in Coſmedin una profecti ſunt*. Additque mox etiam, inde Pontificem in Palatium rediiſſe, Cæſarem vero in pontem Hadriani profectum, ibi *Albertum Fratrem, pluresque Duces, & Comites ad militiæ provexiſſe honorem, ter quemque gladio* percutientem. Teſte laudato Sylvio, trecenti eo die percuſſi Milites referuntur, cum Zantflietus Milites CCLXXXI. tunc creatos referat. Quicquid ſit de Militum, ſive Equitum numero, tradit mox idem Æneas Sylvius, Alemanos ejus eſſe opinionis, in eo ponte, qui manu Cæſaris percuſſi ſunt, cæteros milites antecedere; quia ſcilicet hos primo loco, ſecundo qui Aquiſgrani creantur, tertio loco Hieroſolymitanos ponunt, reliquos Milites minores habent.

III. Sed hanc opinionem egregie refellit memoratus Hiſtoriæ Friderici Auctor Æneas Sylvius, cujus verba digna ſunt, ut hoc loco deſcribamus: *Verum*, inquit, *id hodie ab uſu remotum. Ut quiſque natu melior, opibus ditior eſt, eo dignior habetur. Virtutis præmia pecuniæ recipiunt. Apud omnes peræque gentes primus honor divitiis datur, pauper ubique jacet. Quod ſi recta ratio nos duceret, nemo militiæ cingulum ferret, qui præclarum aliquod in armis facinus non egiſſet, aut ſtraviſſet provocantem hoſtem, aut murum aſcendiſſet, aut vallum tranſiliviſſet, aut civem ſervaſſet. Qui ſcirent ordinem in bello tenere, ſigna ſequi, Imperium obſervare, hoſtem ferire, præſidia agitare, humi dormire, eodem tempore inopiam & laborem tolerare, æſtatem & hyemem juxta pati, nihil metuere, niſi famam turpem, hos Milites aſſumere deceret. Sed nos hodie delicatos, & in plumis nutritos, qui nudatum enſem numquam videre, quin & infantes in cunis jacentes militaribus decoramus honoribus. Quid quod homines docti, atque inter litteras educati, qui ſe debili corpore, & animo pavido ſciunt, ſumere inſignia militiæ non verentur? Quod ſi Milites exercitati bellis mei animi eſſent, peterent & ipſi Doctoratus honorem. Quippe non minus iſti Leges, quam illi arma noverunt. Sed neque Doctoratus ipſe ſincerus eſt. Indoctos quamplures Doctores novimus, multoſque Cæſar in Italia promovit, quibus aurum pro ſcientia fuit*. Hactenus Æneas Sylvius, qui etiam ad rem noſtram mox ſubjicit, Fridericum III. Cæſarem ſui temporis errorem ſequutum, quamvis nonnullos Viros fortes, ac bello exercitatos, plurimos tamen ineptos armis Milites percuſſiſſe, ſeu equites ad ipſum Hadrianum pontem creaſſe. Is enim erat creandi equites ritus, illos ter Gladio leviter percutere; de quo ritu videri poſſunt quæ diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XXIII.

IV. Celebris plane eſt Hadriani pons ob iſtam Equitum creationem, quam non modo recens coronati Imperatores in ſolemniſſima illa equitatione, quam ſupra enarravimus, peragebant, verum etiam in aliis equitationibus, quæ ſolemni quoque ritu fieri ſolitæ aliquando fuerunt, cum ſcilicet Coronatione jam donati Imperatores ipſi Romam iterum veniebant. Exemplum ejus rei habemus in memorato Friderico III. qui coronatus Romæ a Nicolao Papa V. anno MCDLII. iterum ad Urbem ſe contulit Pontifice Paulo II. factaque tunc etiam ſolemni equitatione, quam narrat Auguſtinus Patricius in deſcriptione adventus Friderici III. ad ipſum Paulum II. apud Mabillonium Tomo I. Muſei Italici: *ubi ad pontem ſub Mole Hadriani perventum eſt, Cæſar ibi ſubſiſtens cum Pontifice, & Cardinalibus, Nobiles Viros ſupra centum Germanos, fere omnes, militaribus inſignibus donavit, nudo, ac plano enſe quemque ter verberans leviſſime*; ut ibidem teſtatur Patricius Num. XXIV. Porro pons, de quo loquimur, qui hodie S. Angeli dicitur, olim vero Ælius ab Ælio Hadriano prope ſepulchri ſui molem factus, ab ipſo Nicolao Papa V. reſtitutus eſt, ut ejus nomen in pilis inſcriptum indicat; idemque illius ingreſſum, domibus aliquot ſolo æquatis, ampliavit; ibidemque Clemens VII. ſtatuas Sanctorum Petri & Pauli locavit, in quarum prima ad baſim legitur: *Hinc humilibus venia*, in altera vero: *Hinc retributio ſuperbis*. A lateribus ipſius pontis Clemens IX. locari fecit marmoreas variorum Angelorum ſtatuas, qui manibus ſuis inſignia Dominicæ Paſſionis oſtendunt. Plura alia de ipſo ponte omnium celeberrimo legi apud varios & eruditos Auctores poſſunt, qui de ædificiis Urbis varia opuſcula ſcripſere.

§. XXVIII.

Digitized by Google

§. XXVIII.

De Cæsaris profectione ad Lateranum, & de cæremoniis ibidem peragi solitis.

Quo facto, ad Lateranum cum suis progreditur. Canonici & Capitulum Ecclesiæ processionaliter (1) Cæsari in porta principali occurrentes, illum honorifice suscipiunt, & postquam Crucem, & Reliquias osculatus fuerit, incensant, & præcedentes, atque Cantantes *Te Deum laudamus*, ad Altare majus deducunt, ubi procumbens super Faldistorium orat detecto capite; deinde surgens osculatur Altare. Tum resumta Corona recipitur in Canonicum, & in Fratrem Ecclesiæ Lateranensis, & Canonicos omnes recipit ad osculum pacis. Quibus finitis, ascendit ad Palatium Lateranense, & cum suis celebrat solemne convivium suis moribus, & cæremoniis. Deinde si placet revertitur (2) ad Palatium Apostolicum ad Cameras suas.

COMMENTARIUS.

I. RItum in §. præsenti præscriptum servatum adamussim fuisse in Coronatione Friderici III. Imperatoris celebrata a Nicolao Papa V. anno MCDLII. testis est sæpe a nobis laudatus Æneas Sylvius in Historia ejusdem Friderici, ubi postquam retulit Militum, seu Equitum creationem ab eo factam ad pontem Hadriani, de qua in Commentario præcedenti dictum fuit, ita subjicit: *Deinde cum jam sol occideret, ad noctem enim pertracta solemnitas est, ad Lateranum se contulit, ubi in Canonicum Basilicæ S. Joannis receptus, quæ prima Orbis Ecclesia dicitur, splendidum ibi convivium habuit, in quo & nos ad mensam Cæsaris sedimus cum Nicolao Placentino Episcopo, cujus supra meminimus. Cœna in medium noctis tracta est. Demum ad Palatium Apostolicum multa nocte reditum, in quo fuisse hospitium Cæsaris, ante demonstravimus. Cæsar qui jejunus totam diem, gravissimam gemmis & auro Coronam gestaverat, indutusque trabea trecentos Milites gladio percusserat*, ideſt equestri dignitate donaverat, *libenter quievit*. Ritum esse antiquum, ut Imperatores recens Romæ coronati in Canonicos reciperentur in insignibus Ecclesiis S. Petri, & S. Joannis Lateranensis, jam supra, atque alibi ostendimus, ubi etiam notavimus, eum etiam ritum servatum fuisse in Coronatione Caroli V. tametsi Bononiæ celebrata. Canonici siquidem Lateranenses, & S. Petri Roma Bononiam profecti sunt, ut ipsum Carolum Collegiis suis, seu Capitulis adjungerent, & in Concanonicum, & Confratrem reciperent, cum ibi Corona Imperii donatus est a Clemente Papa VII. anno MDXXX. uti post alios narrant Spondanus, & Raynaldus ad annum MDXXX.

§. XXIX.

De Coronatione Imperatoris absente Papa.

Si quando autem accideret, quod propter absentiam Summi Pontificis ab Urbe, Cæsar non posset ab ipso Pontifice coronari, consuevit Pontifex mittere ad Urbem aliquem Episcopum Cardinalem, qui simul cum Legato Apostolico, qui Urbi præest, Imperatorem electum coronet. Si autem Legatus esset iste Episcopus Cardinalis, non esset necessarium mittere alium Episcopum, sed quemcumque vellet alium Presbyterum Cardinalem, & tunc procedetur hoc modo. Electus Imperator ad Urbem veniens pro Corona Imperiali habebit obviam Barones, Nobiles, Officiales, Civesque Urbis, & Officiales Curiæ Romanæ, & remanebit extra mœnia illa nocte, ut supra dictum est. Sequenti die intrabit per portam sub arce S. Angeli, quæ, ut diximus, non est Collina, cum suis Principibus ordine prædicto. Et in porta recipietur a Vicario Pontificis cum suis Prælatis, & Clero Urbis (3) processionaliter paratis; & deducetur, ut supra, ad gradus Basilicæ S. Petri, ibique non super suggestum, sed ante primas portas recipietur ad osculum tantum per Episcopum Cardinalem Coronatorem, & Legatum, qui ibi aderunt cum aliis Prælatis Curiæ parati cum Pluvialibus, & Mitris. Aderunt etiam cum Cardinalibus Officiales Curiæ, Subdiaconi, Auditores, Acolythi, & siqui sunt alii, & etiam Barones, aliique Nobiles Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et statim post osculum offerat aurum duobus Cardinalibus, quod offerre debet Pontifici, & dicat hæc verba: *Si Sanctissimus Pater Dominus noster N. Summus Pontifex præsens hic esset, offerrem illi aurum istud* (4) *præsentialiter; sed per ejus absentiam* of-

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero 1. legitur *supplicabundi*. (2) Ita etiam in Romana editione, sed in citata 1. Veneta, *recurrit*. (3) Ita in Romana editione; in Veneta 1. legitur, *in modum supplicantium*.
(4) In eadem Veneta editione legitur, *præsens*.

Digitized by Google

offero ipſum aurum vobis Dominis Epiſcopo, & Legato Cardinalibus recipientibus illud vice & nomine dicti Domini noſtri Papæ. Quo facto, intrabunt porticum, & ſi tunc erit procedendum ad ſolemnitatem Coronationis, quod commode, & decenter fieri poteſt, ibi ſupra Altare S. Mariæ in Turribus præſtabit juramentum fidelitatis, in manibus Cardinalium. Et ſimiliter ſi illud juramentum eſſet innovandum, ſeu confirmandum, tunc immediate innovabit. Deinde recipietur in Canonicum Eccleſiæ Sancti Petri, ut ſuperius dictum eſt. Intrabit deinde Eccleſiam, & ibi ante portam argenteam Epiſcopus Cardinalis dicet ſuper eum primam Orationem. Deinde ducitur ad Capellam S. Gregorii ad capienda ſua paramenta, & Epiſcopus Cardinalis vadit ad Altare majus, & ſuper Faldiſtorium capit Sandalia, & paramenta omnia Pontificalia. Et nota, quod debet habere expreſſe facultatem a Pontifice ſuper Altare B. Petri celebrandi, ut moris eſt. Cæſar indutus Imperialibus indumentis venit ad medium Eccleſiæ, & ibi ſuper eum Legatus Apoſtolicus dicet ſecundam Orationem. Veniet deinde ad Confeſſionem B. Petri, & procumbet in Faldiſtorio, & Diaconus, qui ſervit in Miſſa, facit ſuper eum Litaniam, Orationem autem cum Verſiculis, & *Pater noſter* dicet Legatus Apoſtolicus. Deinde ducetur ad Altare S. Mauritii, & ibi inungetur a Cardinali celebrante tam ipſe, quam Auguſta, ſi adeſt, cum Orationibus opportunis. Revertentur deinde ad Altare, & facta Confeſſione, Imperator ad ſuggeſtum ſine oſculo pacis, Celebrans (1) ad Faldiſtorium ſuum revertitur, & procediditur in Miſſa uſque ad Graduale. Dum cantatur Graduale, Imperator deſcendit ad Altare, & Celebrans Cardinalis ante Altare ſtans cum Mitra Gladium ſumit de Altari, & illum nudum tradit Imperatori, dicens: *Accipe Gladium &c.* & idem dicet Legatus ſubmiſſa tamen voce. Det eidem mox Pomum, & Sceptrum cum ſua Oratione eodem modo. Mitras (2) autem, & Coronas Imperiales ambo imponent Cæſari, & Auguſtæ; ſed Legatus alta voce profert verba: *Accipe ſignum &c.* & Celebrans dicet eadem voce ſubmiſſa. Coronati Auguſtus, & Auguſta revertuntur ad ſuos ſuggeſtus ſine oſculo pacis; & ad Offertorium veniunt cum Coronis, & habitu Imperiali, & oblato auro, revertuntur ad ſuggeſtus, neque miniſtrabit Imperator Calicem & ampullam, ſed tempore congruo veniet ad Communionem ſine Manto, & Coronis. Poſt Communionem Imperatori non dabitur oſculum pacis a Celebrante; ſed revertetur ad ſuum ſuggeſtum Imperator. Finita (3) Miſſa, ipſe cum ſuis, & cum Legato, ſi placebit, ibit Lateranum, & ibi perficiet ſuas ſolemnitates. Cæremoniæ omnes, quæ pertinent ad perſonam Pontificis dimittantur, ut oſcula pedum, manuum, oris. Quin (4) etiam nec in Miſſa illi deſerviet Imperator, quod Pontifici præſtitiſſet præſenti, nec ſtapham illi, dum equum inſcendit, tenet, nec equum ducit. Hæc fere omnia ſervata fuerunt cum Carolus IV. Imperator coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum Epiſcopum Oſtienſem, quem ex Avenione Innocentius Sextus Nuncium Apoſtolicum ad hoc miſerat, & per Dominum Ægidium de Albernozio Tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem, ac Legatum Apoſtolicum in Italia anno Salutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto (5), Nonis Aprilis, ut ex Litteris ipſius Caroli, quæ adhuc extant, & regiſtratæ ſunt in Archiviis Eccleſiæ, publice patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publice proteſtarentur Domino Imperatori, quod propter omiſſionem reverentiarum, obſequiorum, & multarum cæremoniarum, quæ pertinent ad perſonam Romani Pontificis, non eſſet aliquo modo derogatum privilegiis, & honorificentiis Romanæ Sedis, & ſuorum Succeſſorum; & de hac proteſtatione, & conſenſu Imperatoris exigerent quadruplices Litteras Regalibus, & Imperialibus ſigillis munitas, ſicut & factum eſt.

COMMENTARIUS.

I. PAucis hic me expediam, quod ritus ipſos in Coronatione Imperatoris abſente Papa ſervandos, in Commentariis ſuperioribus, ubi ſe ſe nobis dedit occaſio, jam enarravimus. Porro docet inter alia hic §. ritus omnes, quos ipſe deſcripſit, ſervatos fuiſſe, *cum Carolus IV. coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum Epiſcopum Oſtienſem, quem ex Avenione Innocentius VI. Nuncium Apoſtolicum ad hoc miſerat, & per Dominum Ægidium de Albernozio Tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem, ac Legatum Apoſtolicum in Italia anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto Nonis Aprilis.* Labuntur qui coronatum ajunt fuiſſe Carolum anno MCCCLV. niſi dicamus, computari in noſtro §. annos ab Incarnatione Chri-

(1) Deeſt *Celebrans* in Veneta 1. editione. (2) *Mitras* ibidem deeſt. (3) Ita in ipſa Veneta editione, in Romana vero legitur; *Finietur Miſſa, & ipſe &c.* (4) Ita in citata editione 1. Veneta, in Romana autem poſt illa verba *& oris*, legitur, *ſervitium in Miſſa, ſervitium in equitando, ducendo equum, & ſimilia.* (5) Ita in Romana editione, in Veneta 1. legitur, *anno Salutis milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto.*

Digitized by Google

Christi, non vero ab ejus Nativitate. Quicquid sit, solvenda est hic ea primum difficultas, cur nempe Innocentius Papa VI. ad inungendum, & coronandum Carolum IV. Imperatorem, solum Episcopum Ostiensem Romam miserit, collega addito Ægidio Alvari Presbytero Cardinali Tituli S. Clementis, Apostolicæ Sedis in Italia Legato, permittens etiam, ut si alter ei cæremoniæ vacare non posset, alter solus eam exequeretur; cum alias Clemens V. ad Coronandum Henricum VII. Caroli IV. avum, quinque Cardinales miserit, & ex Ordine Romano XIV. Capite CV. & ex Matthæo Villanio Lib. IV. Capite LXXI. constet, jus coronandi Imperatorem ad Episcopos Ostiensem, Portuensem, & Albanensem pertinere? Difficultatem solvit ipsemet Villanius loco citato, & Lib. III. Cap. CIII. ubi narrat, cum de eligendis ad eam peragendam. Coronationis cæremoniam Cardinalibus una cum Petro Bertrandi Episcopo Ostiensi, & Talayrandus Episcopus Albanensis, & Guido de Bolonia Portuensis eum etiam honorem sibi deberi contenderent ex privilegio suarum Ecclesiarum, statutum fuisse ab Innocentio VI. die x. Novembris, eos de jure debere esse Legatos, ut docet Liber Episcopi Ostiensis de ea Legatione conscriptus: verum Talayrandum, & Guidonem, licet magnis animis, & magna contentione eum honorem expetiissent, & obtinuissent, remisisse tamen, quia Papa, & Cardinales noluerunt suppeditare sumtus ad illud iter Romanum, sicut alias moris erat: ideoque ipsos considerata inopia Caroli, qui non erat eis satisfaciendo, a cœpto destitisse cum opprobrio ambitionis, & avaritiæ; quod ne augeret Pontifex, noluisse alios mittere, sed eam rem commisisse prædicto Ægidio Alvari, qui tamen & ipse negotium integrum Petro Cardinali Episcopo Ostiensi dimisit. Sed & de hac re jam nos alias diximus, viderique possunt citati Spondanus & Raynaldus.

II. Ante Carolum IV. jam Romæ fuit coronatus absente Pontifice, sed ejus tamen jussu, Henricus VII. jussu scilicet Clementis Papæ V. qui Apostolicam Sedem in Gallias transtulerat, quique ritus etiam e veteribus Romanæ Ecclesiæ monumentis excerptos in ea Coronatione servandos præscribit, dato de ea re Diplomate ad quinque S. R. E. Cardinales, ad Arnaldum scilicet Sabinensem Apostolicæ Sedis Legatum, Leonardum Albanensem, & Nicolaum Ostiensem Episcopos, itemque ad Franciscum S. Luciæ in Silice, & Lucam S. Mariæ in Via lata Diaconos Cardinales Nuntios. Extat hoc Diploma apud Raynaldum ad annum MCCCXI. Num. VII. & seqq. ubi inter alia protestatur, & Apostolica auctoritate decernit Clemens Papa V. ex eo quod multæ observantiæ, multaque solemnia, multæque reverentiæ Romano Pontifici competentia, propter ejus absentiam omittuntur, *nullum ex hoc juris, vel facti Romanæ Ecclesiæ, ac nobis, nostrisque Successoribus præjudicium generari, quin cum casus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur, & fiant per coronandos Romanis Pontificibus, sicut in forma, quæ in Archivio Ecclesiæ, & Pontificali Ordinario continetur, superius descripta, serioſius est expressum.* Additque mox: *Ad ejusdem autem Ecclesiæ Romanæ, nostram & Successorum nostrorum conservationem juris, atque cautelam volumus per vos ab eodem tam Rege coronando, quam Imperatore coronato expresse his nostris protestationi, & Decreto consentiente recipi patentes Litteras quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem præsentium continentes, suo Regali primum sigillo, ac postmodum sua Imperiali Bulla aurea communitas; quas vos Albanensis, Ostiensis, & Lucas, duo, aut alter vestrum nobis, aut Cameræ nostræ fideliter assignetis.* Hactenus Clementis V. Papæ Litteræ datæ *in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis Diœcesis, xiij. Kal. Julii anno vi.* Pontificatus sui scilicet, Christi Domini autem anno MCCCXI.

III. His plane concinunt, quæ deinde a Carolo IV. Romæ coronando exegit Innocentius Papa VI. Voluit enim, ut ait noster §. in fine, *quod Cardinales prædicti* (nempe Petrus Episcopus Ostiensis, & Ægidius de Albernozio Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis, quibus facultatem coronandi Carolum IV. Imperatorem dederat) *publice protestarentur Domino Imperatori, quod propter omissionem reverentiarum, obsequiorum, & multarum cæremoniarum, quæ pertinent ad personam Romani Pontificis, non esset aliquo modo derogatum privilegiis, & honorificentiis Romanæ Sedis, & suorum Successorum; & de hac protestatione, & consensu Imperatoris exigerent quadruplices Litteras Regalibus, & Imperialibus sigillis munitas, sicut & factum est.* Porro, ut inquit Auctor secundæ Vitæ Innocentii VI. Pontificis apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium, *Karolus Rex Alemanniæ, & Bohemiæ descendens in Italiam Coronam Imperialem de manibus Domini Petri Episcopi Ostiensis ad hoc missi*, a laudato nempe Innocentio Papa VI. *in Basilica S. Petri Romæ, in die Sancto Paschæ*, seu die v. Aprilis anni MCCCLV. *honorabiliter susceptit, & uxor ejus cum eo, statim Romam exiens eo die.* Quia scilicet jam antea se juramento adstrinxerat, quod ante diem Coronationi assignatam non ingrederetur Romam, eademque Coronationis die, legitimo cessante impedimento, Roma recederet, & nulla mora in Terris Ecclesiæ facta, continuatis itineribus ad Terras Imperii se se reciperet, ad vitandas videlicet occasiones rixarum cum Ecclesiæ subditis, & pruriginem occupandi aliquid ditionis ejus, aut quidquam aliud contra Sedem Apostolicam agendi, sicut a plerisque aliis factum fuerat, quæ inextricabilia inter Ecclesiam, & Imperium dissidia cum universali Christianorum detrimento generare possent. Sed de hac re jam superius diximus, viderique possunt Spondanus, & Raynaldus ad prædictum annum MCCCLV. & inter alios Scriptores Pagius in Vita Innocentii VI. Numero XIV.

IV. Siquis autem quærat, cur sedentibus Avenione Pontificibus, ab iis minime celebrata fuerit Coronatio ibidem, cum alias constet, Ludovicum Pium a Stephano IV. aliis V. Rhemis fuisse coronatum Imperatorem. Responsio in promtu est, quia scilicet id Galli minime permisissent. Teste siquidem Spondano, anno Domini MCCCLXXVII. non potuit Carolus IV. a Rege Galliæ impetrare, ut Natale Christi ad Sanctum Quintinum ageret; quod cum moris illi esset, ut ad Nocturna Officia septimam Lectionem in veste Imperatoria recitaret, molestissime laturi essent Galli, ea vel umbra jurisdictionis eum in Galliis gaudere, in quas nil unquam juris

Digitized by Google

ris fuit Germanis Imperatoribus; *Quoniam cum moris esset, Imperatorem nocte Natalis septimam Officii Matutinalis lectionem in habitu, & Insignibus Imperialibus recitare, nequaquam id licuisset ei intra Regnum Franciæ nihil Imperio debens exercere.* Verba sunt memorati Spondani ad prædictum annum MCCCLXXVII. Num. XV. Ceterum quæ dici in hunc §. possent, cum alias explicata a nobis jam fuerint, consulto omittimus, ne actum iterum agamus. Videri tamen potest Raynaldus ad annum MCCCXI. ubi Ritum coronandi Imperatoris Romæ absente Papa recenset descriptum a Clemente V. Romano Pontifice in Gallia residente.

§. XXX.

De Coronatione Imperatricis sine Imperatore.

Imperatrix, si venerit Romam pro Corona Imperiali suscipienda sine Imperatore, vel quod non potuit venire cum Imperatore, vel post ejus Coronationem ei est conjuncta, hoc ordine coronabitur. Die, qua Urbem intrabit, procedent ei obviam Nobiles, & Officiales Urbis, & Ordines Curiæ, ut de Cæsare dictum est. Sacer Senatus ante portam Urbis eam expectabit, & media inter duos primos Cardinales Diaconos introducetur. In fine autem & sub baldachino Clerus cum Processione in porta (1) illi occurret; ducetur ad Pontificem, qui eam in publico Consistorio in prima Aula ad pedis, & manus osculum recipiet, ut alii Reges recipi consueverunt; non tamen sedebit inter Cardinales, sed post osculum pedis, & manus discedet, (2) & sociabitur ad suum hospitium. Deinde parabitur in Ecclesia S. Petri suggestus extra cancellos pro Imperatrice, & dicta die Pontifex procedet ad Ecclesiam processionaliter (3) sub baldachino, cum paramentis tempori congruis ascendit ad Altare, orat, sedet, ubi solet capere paramenta; cui fit reverentia a Prælatis. Incipitur Tertia, & accipiet Sandalia, & procedet usque ad finem Tertiæ, & capit omnia Pontificalia indumenta. Interim duo juniores Diaconi Cardinales cum suis Cappis laneis ducunt Augustam ad Ecclesiam; & prior Episcopus Cardinalis cum Pluviali, Stola, & Mitra accedens in tempore, expectat eam in porta Ecclesiæ principali, & ibi super eam genuflectentem deposita Mitra legit hanc Orationem.

Omnipotens sempiterne Deus fons & origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando potius eligis, & quod infirma mundi, ut fortia confunderes, eligenda decrevisti: quique etiam gloriæ, virtutisque tuæ triumphum in manu feminæ Judaicæ olim plebis de hoste sævissimo reservare voluisti; respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, ut supra hanc famulam tuam N. quam supplici devotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplices, eamque dextera tuæ potentiæ semper, & ubique circumda; & ut dono tui Numinis undique firmiter adjuta, ut visibilis, seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & una cum sacra Rebecca, Lia, atque Rachele, beatis, reverendisque feminis, fructu uteri sui fecundari, seu gratulari mereatur ad decorem totius Imperii, statumque Sanctæ Ecclesiæ regendum, necnon protegendum. Per Christum Dominum nostrum, qui ex intemeratæ B. Mariæ semper Virginis alvo nasci, visitare, & renovare (4) hunc dignatus est mundum; qui tecum vivit, & gloriatur Deus in unitate Spiritus Sancti, per immortalia secula seculorum. Amen.

Ducitur deinde ad Confessionem B. Petri, & procumbit supra Faldistorium sibi in eo loco paratum, & a Subdiacono Apostolico fit Litania; & ea finita, prior Presbyterorum cum suis paramentis ad Confessionem descendens, stans sine Mitra dicit super eam: *Pater noster*; & deinde: *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvam fac ancillam tuam Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Prætende quæsumus Domine famulæ tuæ dextram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, consequi mereatur.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio, & oratio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Finitis Orationibus, revertitur Presbyter ad locum suum, & prior Episcoporum Cardinalium

(1) Ita in Veneta 1. editione, in Romana verò, *obviabit*. (2) Deest in ipsa editione Veneta, & *sociabitur*. (3) Ita in Romana; in citata Veneta legitur, *processione præeunte*. (4) In eadem Veneta editione deest, *hunc*.

Digitized by Google

nalium procedit ad Altare S. Mauritii, quem Auguſta media inter Diaconos ſequitur; & ibi apud Altare Epiſcopus ipſe inungit illam ſtantem de oleo exorcizato, brachium dextrum, & ſcapulas, ſtans cum Mitra, & dicens:

Spiritus Sancti gratia noſtræ humilitatis officio copioſa in te deſcendat, ut ſicut manibus noſtris licet indignis oleo materiali oblinita pingueſcis exterius, ita ejus inviſibili unguimine delibuta impinguari merearis interius, ejuſque ſpirituali unctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente, & ſpernere diſcas, & valeas, & utilia animæ tuæ jugiter optare, atque operari queas, & opereris, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui tecum vivit, & regnat in unitate &c.

Reducitur deinde ad ſuggeſtum ſuum Imperatrix, & Cardinales revertuntur ad Pontificem, & Diaconi quidem depoſitis Cappis capiunt paramenta ſibi convenientia, & faciunt reverentiam Pontifici. Deinde Pontifex accedit ad Altare proceſſionaliter, obviant tres Presbyteri, cantatur Introitus a Cantoribus, & proceditur in Miſſa uſque ad Graduale more conſueto. Dum cantatur Graduale, Imperatrix a Diaconis illis quamvis paratis ducitur ante Pontificem, qui ſurgens, depoſita Mitra, ſuper eam ante ſe genuflexam dicit hanc Orationem. *Oremus.*

Deus, qui ſolus habes immortalitatem, lucemque habitas inacceſſibilem, cujus (1) *providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, qui feciſti ea, quæ futura ſunt, & vocas ea quæ non ſunt; qui ſuperbos æquo moderamine de principatu ejicis, atque humiles dignanter in ſublime provehis: ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Heſter Reginam Iſraeliticæ cauſa ſalutis de captivitatis ſuæ compede ſolutam ad Regis Aſſueri thalamum, Regnique conſortium tranſire feciſti; ita hanc famulam tuam N. humilitatis noſtræ benedictione plebis ſalutis gratia, ad dignam ſublimemque Imperatoris noſtri copulam, & Imperii ſui participatum tranſire concedas, ut & Imperialis fœdere conjugii ſemper permanens, pudicitiæ proximam virginitati palmam continere queat; Tibique Deo vivo, ac vero, in omnibus, & ſuper omnia jugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ tibi placita ſunt, toto cordo perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Deinde ſedens cum Mitra imponit illi Tiaram cum Corona Imperiali allatam ſibi ex Altari, ut diximus de Imperatore, & dicit: *Officio noſtræ indignitatis in Imperatricem ſolemniter benedicta* (2) *accipe Coronam Imperalis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Epiſcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur; unde ſicut auro, & argento redimita enites, ita & interius auro ſapientiæ, virtutumque gemmis decorari concedat, quatenus poſt occaſum hujus ſeculi cum prudentibus Virginibus Sponſo perenni Domino Jeſu Chriſto digne, & laudabiliter occurrens, Regni cæleſtis Aulæ ingredi merearis januam, eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit &c.*

Coronata Imperatrix mox oſculatur pedem Pontificis cum Corona, & ſurgens reducitur a Diaconis ad ſuggeſtum, & cum cantatur deinde Offertorium, revertatur ad Pontificem, & illi offerat aurum, quantum placet; deinde ſi vult communicare de Sacramento Altaris, ut congruum eſt, procumbet ſuper Faldiſtorium ad partem convenientem ſitum, ut ſuperius diximus, & oret quouſque ſit tempus, ſine Corona (3) tamen; & cum Pontifex in Sede ſua eminenti communicaverit, ducatur Imperatrix ſine Corona ad ejus pedes, & communicet, oſculeturque manum Pontificis, & deſcendens ad Altare, purificet cum vino, Communicabitur Imperatrix poſt Diaconum, & Subdiaconum, & a Diacono accipiet vinum purificationis. Deinde aſſumta Corona, reducetur ad ſuum ſuggeſtum. Et nota, quod Imperatrix deducetur ſemper eundo, & redeundo ab illis duobus Diaconis ſive paratis, ſive non paratis; & illam ſociabunt ſui Prælati, & Proceres, atque Matronæ, & aliæ mulieres. Finita Miſſa, Imperatrix deducitur ad ſuum hoſpitium. Pontifex cum ſuis Prælatis non paratis revertitur ad Cameram ſuam; nam Cardinales, & Prælati dimittunt in Eccleſia paramenta, & capiunt Cappas laneas.

COMMENTARIUS.

I. COntinet hic quidem §. ritum in Coronatione Imperatricis Romæ ſervandum, cum ſine Imperatore coronatur, *vel quod non potuit venire cum Imperatore, vel poſt ejus coronationem ei eſt conjuncta*, legitimo ſcilicet matrimonio. Supervacaneum pro-

(1) Ita legitur in Ordine Romano XIV. Cap. CVI. in noſtro hoc tamen Cæremoniali tam juxta Venetam, quam Romanam editionem legitur, *prudentia*. (2) In editionibus noſtri Cæremonialis Veneta 1. & Romana, ac Colonienſi legitur, *benedicta*, ut in Ordine XIV. Romano. (3) Ita in Veneta 1. & Colonienſi, in Romana, *tantum*,

Digitized by Google

profecto eſt pluribus eam cæremoniam explicare, de qua ſupra abunde diximus. Orationes quæ in hoc occurrunt §. ſi unam & alteram excipias, quales ſunt, *Prætende quæſumus Domine*; & *Actiones noſtras &c.* totidem fere verbis leguntur in Ordine Romano XIV. Cap. CVI. & in aliis mſs. Cæremonialibus Libris. Porro mirum videri debet, nihil in hoc noſtro Cæremoniali a Patricio concinnato, vel obiter memorari de Coronatione Elenoræ Imperatricis uxoris Friderici III. Imperatoris, cujus Coronationem Patricius ipſe in hoc Titulo deſcripſit, veluti regulam inpoſterum ſervandam, ubi a Summo Romano Pontifice coronandi eſſent Imperatores. De unctione coronationeque prædictæ Leonoræ ſubobſcure loquutus eſt Manettus in Vita Nicolai V, ubi tantum habet, Reginam poſt Imperatorem Diademate ſuper caput impoſito redimitam fuiſſe. Quicquid ſit, antiqua eſt & benedictio, ſeu coronatio Imperatricis, ejuſque mentionem faciunt antiqui Auctores, atque Pontificales Codices allati ab erudito Martene Libro II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IX. ubi inter alia recenſet mſs. Pontificalia, Conſtantinopolitanum annorum circiter DL. & Arelatenſe annorum circiter CDL. in quibus Orationum in hoc §. noſtro deſcriptarum fit mentio. His adde ms. Codicem Pierſanctianum.

§. XXXI.

De pluralitate Coronarum Imperatoris.

Et quoniam vulgari opinione fertur, Romanorum Imperatorem tribus Coronis ornari oportere variorum metallorum, argentea Aquiſgrani in Germania, ferrea Modœtiæ in Lombardia, & aurea Romæ, ſuper qua re clariſſimus Juriſconſultorum ſui temporis Baldus Opuſculum edidit, myſticas metallorum ſignificationes ſolertiſſime interpretando, non videbitur forte abſurdum aliquid de ea re pro veritate oſtendenda diſſerere. Et ut omittamus priſcos illos Romanorum Imperatores, qui toti fere Orbi imperabant, ante Aurelianum, ut Eutropio placet, nulla Corona, niſi laurea, aut ex alia aliqua felici arbore uſos fuiſſe, nihilque gravius (1) odiſſe populum Romanum, quam Regium Nomen; hoc vero affirmamus, ante Carolum Magnum, in cujus perſonam Imperium translatum eſt a Græcis in Latinos, neminem Imperii Romani Coronam ex manu Romani Pontificis Romæ ſuſcepiſſe; & ut ſæpe a Pio Secundo audivimus rerum Germanicarum peritiſsimo, cui a manu ſervivimus, & in Hiſtoria ejus Auſtriali legimus, Cæſar nullam omnino Coronam accipit, niſi auream, & alias quidem Coronas pro variis Regnis. Romæ vero, & a Romano Pontifice Romani Imperii Coronam ſuſcipit. Otho Friſingenſis Epiſcopus, & Federici primi patruus, vir doctus, & eloquens Hiſtoriam ſcripſit ſuorum temporum. In ea tradit, Fridericum ipſum Coronis quinque aureis decoratum fuiſſe; prima de Regno Francorum apud Aquiſgranum, ſecunda Ratiſpone de Regno Germaniæ, tertia Papiæ de Regno Longobardico; quartam Romæ ſuſcepit pro Romano Imperio ab Hadriano Quarto Pontifice; quintam vero Modœtiæ pro Regno Italico illam ſuſcepiſſe teſtatur. Quæ quidem Corona ideo appellatur ferrea, quod laminam quandam habet ferream in ſummitate, alioquin aurea, & pretioſiſsima. Sed differt forma Coronæ Imperialis ab aliis, nam ea ſub ſe Tiaram quandam habet in modum fere Epiſcopalis Mitræ, humiliorem tamen (2) magis apertam, & minus acutam; eſtque ejus apertura a fronte non ab aure, & ſemicirculum habet per ipſam aperturam aureum, in cujus ſummitate Crux parvula eminet, eam Tiaram aliæ coronæ non habeant; & quoniam hanc Imperialem Coronam bis, aut ter in Germania vidimus, dum Cæſar Regalia quibuſdam Principibus concederet, ideo illam exprimere conati ſumus. Legimus & in aliis Hiſtoriis, quoſdam Imperatores Arelate etiam Coronam ſuſcepiſſe de Regno Arelatenſi, & alibi alias pro aliis Regnis. Nam & Carolus IV. anno ſalutis MCCCLV. (3) Avenionem venit ad Urbanum V. (4) jam pridem juſſu Innocentii VI. Romæ coronatus, qui rebus, quarum gratia ad Pontificem venerat, abſolutis, Arelate profectus eſt. Sciant ergo qui de tribus Coronis fabulantur, & Romanorum Imperatorem unam tantum pro Romano Imperio Coronam ſuſcipere, & eam quidem Romæ a Romano Pontifice, alias autem alibi pro aliis diverſis Regnis.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam de Coronis dicamus, quibus ornari ſoliti fuere Imperatores, præſtat hoc loco inſignem locum deſcribere Æneæ Silvii in hoc §. laudati, qui in citata toties Hiſtoria Friderici III. Imperatoris ita de ipſa Coronarum pluralitate inquit: *Libet hic pau-*

(1) Ita in Veneta 1. editione, in Romana legitur, *pejus*. (2) In ipſa Romana editione, *tantum*. (3) ibidem legitur: 1361. (4) Ita in Romana ipſa, in Veneta vero 1. *multo ante juſſu Innocentii VI. Romæ Imperator coronatus.*

Digitized by Google

pauca de Coronis dicere, ne stulte videamur eorum opinioni consentire, qui tres Coronas Imperatori necessarias ajunt, Theutonicam, Mediolanensem, Romanam; & unam argenteam, alteram ferream, tertiam auream esse contendunt; multaque de metallis sermocinantur, inter quos etiam Legum Interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quid significet aurum, plurimis verbis explicare laborantes. Atque, ut aurum ceteris metallis, sic Romanum Imperium ceteris Regnis præstabilius esse confirmant. Verum cujuscumque materiæ Corona fuerit, ad paraboliſandum idonea videri poterit. Pergit Auctor, suamque opinionem de ea re exponit, sic diens: *Nos autem Coronarum numerum nullum esse certum novimus, priscosque Cæsares ab Augusto usque ad Aurelianum nulla usos Corona didicimus. Siquidem hic primus fuit, ut Eutropio placet, qui apud Romanos Diadema capiti vinxerint, gemmisque, & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.*

II. Lubet & alia hoc loco adnotare, quæ & idem Æneas Sylvius paulo inferius scribit, nonnulla enim ibidem docet, quibus noster hic §. quammaxime illustratur: *Has autem Coronas omnes*, ait, *aureas esse compertum habeo, quamvis per medium circulum Coronæ Mediolanensis lamina quædam parvula ex ferro ducatur, quæ stultæ interpretationi efficit locum. Quippe Daniel Propheta quatuor Orbis Regna majora describens, ultimum, quod Nostri Romanum esse volunt, ferro comparavit; quoniam sicut ferrum omnia metalla comminuit, sic omnia Regna Romanum Imperium detrivit.* Subdit & alia paulo asperius, & deinde describit Coronationem Mediolanensem Romæ factam. Ceterum cur Fridericus Imperator Romam venerit Regni Longobardici Corona minime donatus, jam nos alio loco explicuimus in Commentariis superioribus. Videri autem & de ea re potest eruditus Georgius in Vita Nicolai V. Pontificis Maximi ad annum MCDLII. Num. v. Omittimus vero nos & alia plurima, præsertim quæ varias Imperatorum Coronas spectant, quia scilicet & de iis in nostris ad hunc Titulum Commentariis abunde loquuti fuimus, supervacaneumque est, quod actum est, iterum agere.

DE CANONIZATIONE UNIUS SANCTI

TITULUS VI.

I. CAnonizatio in præsenti hoc Titulo nihil aliud est, quam alicujus in album, & catalogum Sanctorum relatio. Juxta pervetustum Ecclesiæ morem fiebat ea relatio in Canone Missæ; quippe longe antequam Martyrologia conderentur, in ipso Missæ Canone fieri primitus solita fuit commemoratio Sanctorum, non quod pro iis oraretur, sed potius, ut ii pro populo orarent, ut passim Sancti Patres docent, ac præsertim S. Cyrillus Hierosolymitanus inter Græcos, & S. Augustinus inter Latinos. Sic enim ille Catechesi v. inquit: *Postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras.* Augustinus autem Tractatu in Joannem hæc habet: *Ideo ad mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis.* Item Sermone XVII. *De verbis Apostoli*, idem S. Doctor ita ad rem ait: *Habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitentur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oratur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur.* Vetustissimam plane esse Sanctorum commemorationem in Sacrificio Missæ, pluribus docet eruditissimus Stephanus Duranti Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXXV. ubi etiam scite admonet, ubi apud Patres aliquando legitur, & præsertim apud S. Epiphanium Hæresi LXXV. & apud S. Cyrillum Hierosolymitanum in Catechesi v. Mystagogica, offerri Sacrificium Deo pro Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Evangelistis, & Martyribus, non id intelligi, quod eos Deo commendemus, verum quod ipsos in oblatione commemoramus, in eorum gloriam, & gratiarum actionem, gratias agentes pro gloria, qua donati sunt. Id enim est, quod S. Augustinus dicit in Enchiridio, Cap. CX. *Pro valde bonis gratiarum actiones sunt.*

II. Quod vero in quibusdam Sanctorum Orationibus legitur, *Sumsimus Domine Sancta Mysteria, quæ sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam*, id profecto explicat Innocentius Papa III. in Capite, *Cum Marthæ VI. De celebratione Missarum &c.* ubi requisitus a Lugdunensi Archiepiscopo, quare fuerit mutatum quod in Secreta B. Leonis secundum antiquiores Codices continetur, sic videlicet, *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*; cum in modernis Sacramentariis habeatur, *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis, hæc nobis prosit Oblatio?* respondit Pontifex, *quod cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt; sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos, cum miseri simus, undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque Orationibus continetur*, profit, *vel proficiat huic Sancto, vel illi* talis oblatio ad gloriam, & honorem; *ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a Fidelibus glorificetur in terris, licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad Judicium augmentari.* Ita Innocentius III. in cujus locum videri possunt Canonici Juris Interpretes, ac Theologi, qui ex professo tractant de Canonizatione Sanctorum.

III. Siquis autem forte hic quærat, cur in Canone Missæ nulla fiat Confessorum commemoratio, cum inter Sanctos eorum memoriam magnifice veneretur Ecclesia, adeo ut juxta recentiorem Ecclesiæ morem plerique Sancti Confesso-

Digitized by Google

feſſores, Sanctæque Virgines, ac Viduæ, ritu duplici, ut ajunt, ſive ſolemniori celebrentur, cum alias Sancti Martyres, ipſique priſci Sancti Romani Pontifices Martyrio coronati vix ſimplici ritu colantur? Propoſito Dubio jam occurrat memoratus Innocentius Papa III. Lib. III. *Myſteriorum Miſſæ*, Cap. XX. ubi ait, *Canonem ipſum Miſſæ fortaſſe prius editum fuiſſe, quam memoriam Sanctorum Confeſſorum Eccleſia ſolemniter celebraret. Nam omnes fere Sancti, qui commemorantur in Canone, præceſſerunt Silveſtrum, præter Joannem & Paulum, Marcellinum & Petrum, qui proxime ſucceſſerunt. Eccleſia vero forte poſt tempus B. Silveſtri cœpit Sanctorum Confeſſorum memoriam ſolemniter venerari*. Egregie hoc argumentum inter alios tractat eruditiſſimus Joſephus de Pezio nunc Ordinis Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis in celebri Opuſculo, quod tacito ejus nomine Panormi anno Chriſti MDCCXXIII. editum eſt, Italico idiomate ſcriptum, cui Titulus Latinitate donatus, eſt, *Defenſio Librorum Liturgicorum Eccleſiæ Romanæ, & ſacræ Perſonæ Venerabilis Cardinalis Joſephi Mariæ Tomaſii Clerici Regularis eorundem illuſtratoris & vulgatoris, adverſus quaſdam obſervationes ſparſas*, a Jacobo ſcilicet Laderchio, qui per ſummam audaciam Viros omnes doctos, qui ejus ineptiis adverſabantur, Janſeniſtas, hæreticoſque appellitabat, adeo ut nec ipſi Pontifici Maximo Sanctæ memoriæ Innocentio XI. pepercerit, quem ſumma nonniſi temeritate, atque impietate in Libro, cui Titulus, *I congreſſi d'oggi dì*, Venetiis edito anno MDCCXXXIV. a Janſeniſtis hallucinatum dixit, variiſque calumniis perperam laceſſivit.

IV. At vero ut rem noſtram agamus, jam diximus, Canonizationem aliud non eſſe, quam in Canonem, ſeu in Album Sanctorum relationem. Licet autem antiquus ſit ritus canonizandi Sanctos, vocabulum tamen Canonizationis, quod jam in vulgarem ac ſolemnem uſum venit, illud minus antiquum eſt, quam res ipſa, nec ante Seculum XII. inventum, poſtquam videlicet ad authenticam inter Sanctos relationem, Summi Romani Pontificis ſuffragium requiſitum eſt, uti notat præſtantiſſimus Mabillonius in ſua Præfatione ad Seculum V. Benedictinum §. VI. Eo quippe vocabulo uſus eſt inter primos Udalricus Conſtantienſis Epiſcopus in Epiſtola ad Callixtum II. pro Canonizazione Conradi Epiſcopi, & aliquanto poſt Alexander III. in Bulla de Canonizatione S. Eduardi Angliæ Regis anno MCLXI. itemque S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi poſt annos undecim. Sed & eodem tempore eo uſi ſunt vocabulo alii Auctores, inter quos Nicolaus Anglicanus Monachus in Epiſtola ad Petrum Cellenſem, ita ſcribit: *Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, & poſt eum verborum jacula emittere, quondam Sanctorum Catalogo adſcriptus, nuper eſt in Eccleſia canonizatus, & ab humano judicio exemtus*. Legitur integra Epiſtola apud laudatum ipſum Petrum Collenſem Lib. IX. eſtque Epiſtola IX.

V. Hoc notato, nunc ſciendum primo eſt, quod idem Mabillonius docet, præter Canonem Librorum, qui etiam canonizati non raro leguntur, cum in Librorum approbatorum claſſem referuntur, eſſe & Canonem perſonarum, qui duplex eſt, unus virorum, & alius mortuorum; iſque bipartitus, nempe Sanctorum, & aliarum perſonarum illuſtrium. Canon Miſſæ, ſeu Sacra Diptycha Sanctos. Alius Canon, ſeu alia Diptycha promiſcua & minus ſacra ceteros complectebantur. Canonis etiam nomine cenſenda ſunt tum Kalendaria, tum Martyrologia, in quibus Sanctorum Nomina deſcripta ſunt publica auctoritate. Sciendum præterea & illud, Canonizationem aliam generalem, aliam particularem dici poſſe. Hæc ab aliquo Epiſcopo, ſeu ab Eccleſia, vel Synodo particulari fiebat. Illa ab Œcumenico Concilio, aut a Summo Pontifice Sanctum aliquem toti Eccleſiæ declarante. Generalis ejuſmodi Canonizationis, ut eruditi Auctores notant, nullum veſtigium ante Seculum X. apparet. Particularis ſola in uſu erat, quæ tamen accedente totius Eccleſiæ conſenſu, & approbatione, generalis evadebat. At quædam generalis communi omnium Eccleſiarum conſenſu Canonizatio facta eſt Sanctorum quorumdam maxime illuſtrium, qualis eſt Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, & Apoſtolorum. Quælibet porro Eccleſia particularis deſcriptum habebat Sanctorum ſuorum Catalogum, donec, confirmata Eccleſiæ pace, omnium collectio facta eſt, primo quidem per Euſebium, deinde per quemdam ſub nomine Hieronymi, poſtea per Bedam, Wandalbertum, Uſuardum, Adonem, Notkerum, atque alios, de quibus idem Mabillonius in Præfatione ad Seculum IV. Benedictinum fuſe diſſerit, ubi etiam obſervat, Eccleſiam Romanam proprium habuiſſe Martyrologium ante Seculum VIII.

VI. Primum indubitatæ fidei monumentum de ſolemni per Romanum Pontificem Canonizatione, eſt Diploma Joannis XV. qui in frequenti Epiſcoporum conventu, ad preces Liutolfi Epiſcopi Auguſtani, Udalricum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum anno Chriſti CMXCIII. in Sanctorum album retulit. Has Joannis Litteras integras refert memoratus toties Mabillonius in fine Vitæ S. Udalrici; ſed fragmentum huc adducere juvat ad probandam Canonizationis formam: *Cum Conventus eſſet factus in Palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarias, reſidente Joanne Sanctiſſimo Papa cum Epiſcopis, & Presbyteris, adſtantibus Diaconibus, & cuncto Clero, ſurgens Reverendiſſimus Liutolfus Auguſtæ Epiſcopus inquit: Domine Sanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis, & Presbyteris hic reſidentibus, Libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de Vita & miraculis Venerabilis Udalrici Sanctæ Auguſtanæ Eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quid libitum fuerit vobis, decernatur*. Iis perlectis, ſanxit Pontifex, *quatenus memoria Udalrici jam præfati Venerabilis Epiſcopi, divino cultui dicata exiſtat, & in laudibus Dei diutiſſime perſolvendis ſemper valeat proficere*. Id vero a Liutolfo ea ratione jam factum exiſtimandum eſt, ut Sancti Udalrici cultus, quem ipſe in ſola Auguſtana Eccleſia inſtituere poterat, latius propagaretur auctoritate Romani Pontificis Maximi; quod alii poſtea in religionem verterunt. Hanc eſſe primam Canonizationem per Romanum Pontificem ſolemniter celebratam, tradit etiam Pagius in Vita ipſius Joannis XV. Papæ, Num. VII. ubi etiam notat, per errorem typographi legi apud Mabillonium peractam fuiſſe eam Canonizationem anno Chriſti

Digitized by Google

ſti CMXCV. quod ex ipſius Joannis Diplomate conſtet, celebratam fuiſſe anno CMXCIII. & quidem tertio Nonas Februarias, ut ex ipſomet Reſcripto Apoſtolico deducit.

VII. Tradit Baronius, deducitque ex Epiſtola S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, jam longe ante Joannem XV. Leonem III. anno Domini DCCCIV. in Germania exiſtentem S. Suidbertum in Catalogum Sanctorum retuliſſe. Sed tota illa narratio, & Vita S. Suidberti poſteriorum commentum eſt, ut Henſchenius ad diem XXVI. Martii in Vita S. Ludgeri, & Mabillonius Seculo III. Benedictino Parte I. in Elogio Hiſtorico S. Suidberti demonſtrarunt. Certe Leo Papa III. non potuit pridie Nonas Septembris Werdæ in Germania Suidbertum Sanctorum Faſtis adſcribere, præſente Carolo Magno Imperatore, cum conſtet, hunc medio tantum menſe Novembri de adventu Leonis edoctum fuiſſe, uti obſervat inter alios Pagius in Vita ejuſdem Leonis Papæ III. Num. XXVIII. Deinde, ut inquit Morinus in Opere, *De adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ*, Lib. X. Cap. XX. ſancti Suidberti in Sanctorum numerum relatio eo modo, atque ordine narratur, quo nunc, & ab annis quadringentis celebrari ſolet. Certum eſt autem, hanc celebrationem cœpiſſe trecentis poſt Leonem III. annis, & amplius. Tertio Auctor ejus Epiſtolæ, qua nititur Baronius, ſæpius recitat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, & Proceres Pontifici aſſidentes, contra morem illius temporis, & ſequentium ſeculorum. Quarto, commemorat Cap. XII. Severinum quendam patremfamilias adoleſcentem filium propter morbum a ſtudio Bononienſi revocaſſe, quaſi vero regnante Carolo Magno Bononiæ litterarum ſtudia floruerint, & eo ex variis provinciis confluerent adoleſcentes. Ita quidem vivente Gregorio IX. qui Decretalium compilationem ad Doctores Scholares Bononienſes direxit. Plura alia ſunt ſuppoſitionis argumenta apud laudatos Auctores legenda. Porro autem labitur Morinus, ubi citato loco ait, primum, quem perhibent antiqua documenta ſolemniter canonizatum a Pontificibus Romanis, fuiſſe Hugonem Grationopolitanum Epiſcopum; ſecundum vero S. Bernardum, nam ut diximus, Joannes XV. anno CMXCIII. canonizavit S. Udalricum Auguſtanum Epiſcopum, Innocentius vero II. Hugonem ipſum Grationopolitanum. Sed ante hunc jam aliæ Sanctorum inſigniores Canonizationes a Romanis Pontificibus celebratæ fuerunt, ut videre eſt apud clariſſimum Fontaninum in ſuo Codice Canonizationis Sanctorum.

VIII. Plura alia in hujus Tituli limine eſſent notanda, ſed ſupervacaneus foret labor in ipſo Titulo diu immorari, poſtquam ſcilicet omnium doctiſſimus, & Doctorum Magiſter, numquam ſine elogio nominandus, Proſper S. R. E. Cardinalis Lambertinus nunc BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus inſigne Opus atque abſolutiſſimum concinnavit, quod inſcriptum eſt, *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, quod quidem ob profundam doctrinam, omnigenamque eruditionem, quam continet, paucorum annorum ſpatio ter typis elegantiſſimis, Bononiæ primum, tum Patavii, & nunc Romæ vulgatum eſt, ut ſcilicet multorum deſiderio, qui in ipſo præclariſſimo Opere erudiri cupiebant, fieret ſatis. Nobis profecto ea aliquando mens fuit, ut eam ob cauſam Titulum hunc noſtri Cæremonialis abſque ullo Commentario deſcriberemus. Sed ne videremur Opus hoc noſtrum qualecumque illud ſit, imperfectum vulgare, ſtatuimus tandem omnia fere, quæ ad ipſius præſertim Tituli explicationem pertinent, ex iis accipere, quæ memoratus Pontifex ſolide copioſeque in citato egregio Opere docuit. Atque hæc una eſt ex præcipuis cauſis, ob quas & hoc noſtrum novum Opus coacti ſumus eidem BENEDICTO XIV. Pontifici Maximo dedicare,

§. I.

De inquiſitione, & Commiſſione Cauſæ in Canonizatione alicujus Sancti.

Poſtquam increbreſcente fama de excellentia Vitæ, opinione Sanctitatis, & miraculorum coruſcatione, Summus Pontifex ſæpe fuerit per Reges, Principes, ſeu populos interpellatus, rogatuſque, ut aliquem vita jampridem functum deſcribendum in Sanctorum Catalogo, & venerandum ut Sanctum decernat: re cum Fratribus mature tractata, ſi procedendum ad inquiſitionem cenſuerit, committat aliquibus Prælatis in illis partibus, ubi vitam duxit, & mortuus jacet ille, de quo agitur, ut ſe diligenter informent, & ſolerter inquirant de fama, opinione, & devotione populorum circa illum talem; quam inquiſitionem in genere, & ſine teſtium juridica examinatione facere debent, & quæ invenerunt, ſuis Litteris ad Summum Pontificem fideliter referre. Pontifex, intellecta Commiſſariorum relatione, proponit omnia Sacro Collegio, & cum eis deliberat, an ſatis digna videantur, quæ relata ſunt, ad ulterius inquirendum. Quod ſi placuerit, committatur eiſdem, vel aliis Prælatis, ut diligentiſſime inquirant de veritate rei, teſtes examinent, & omnia perſcrutentur, quæ ad veritatem eliciendam ſunt opportuna; & debent his Commiſſariis articuli, & interrogatoria mitti ſub Bulla Apoſtolica, cum quibus examinare debent teſtes de excellentia, & ſanctimonia vitæ, de puritate Fidei, de patratione miraculorum, & illis mandare, ut depoſitiones teſtium, & omnia fideliter per Litteras ſuis ſigillis ſignatas ad Curiam transmittant. Quibus receptis, Pontifex committat illa examinanda aliquibus Auditoribus Sa-

Digitized by Google

Sacri Palatii, qui videant, & ordinent processum, & videant, an inquisitio, & probatio est legitima, & sufficienter facta.

COMMENTARIUS.

I. COncinunt hæc quidem Romano Ordini XIV. sive potius antiquo ritui, quem ille recenset Cap. CXV. quod inscriptum est: *Modus qui servari consuevit circa Canonizationem alicujus Sancti*. Sic autem deinde inquit: *Audita per Dominum nostrum Papam fama alicujus Sancti, & ab aliquibus honestis, & authenticis personis eidem Domino nostro Papæ negotio denunciato, ac supplicato eidem continuatis vicibus, ac pluries instanter pro Canonizatione hujusmodi Sancti facienda, Dominus noster Papa consuevit hoc proponere inter Fratres scilicet Cardinales, & de ipsorum consilio committit aliquibus Episcopis Patriæ illius, qui dicitur Sanctus, vel aliis personis authenticis, honestis, discretis, & incorruptibilibus, ut inquirant de fama, & devotione populi, quem habent ad illum, qui dicitur Sanctus, & de miraculis, & aliis, quæ eidem Domino nostro Papæ sunt nunciata, & illi, quibus commissum fuerit, debent inquirere, & referre de fama, & devotione populi, & aliis, quæ super miraculis illius, qui dicitur Sanctus, invenerint in genere, & non in specie, & quoad famam, non quoad veritatem; & an videatur eis, quod super veritate, & specie sit inquisitio committenda; & si rescribant talia, propter quæ inquisitio veritatis committi debeat, Dominus noster Papa requirit iterum consilia Cardinalium, & de ipsorum consilio diffinit in Consistorio, utrum secundum relata, sit inquisitio prædicta super veritate committenda, vel non; & si committenda videatur, iterum scribit Dominus Papa eisdem, vel aliis, de quibus sibi videbitur, quod veritatem de prædictis inquirant, videlicet de Fide, & excellentia vitæ, & miraculis, ac operatione miraculorum illius, qui petit canonizari* (legendum *qui petitur*, ut in ms. Codice Piersanctiano) *exacte, diligenter fideliter, & prudenter, secundum articulos, & interrogatoria, quæ sub Bulla sua transmittit eisdem, & aliis; & illi, quibus committitur, facta hujusmodi inquisitione, eam remittere debent dicto Domino Papæ sub sigillis suis fideliter intercluſam. Qua inquisitione sic remissa, Dominus Papa consuevit ipsius inquisitionis examinationem committere in Curia aliquibus Capellanis suis, vel aliis personis authenticis, & discretis, & in talibus expertis, quæ ordinent, & forment rubricas super inquisitione prædicta*. Huc usque laudatus Ordo Romanus XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. CXV. cui fere ad verbum concinit inter alios memoratus Codex ms. Piersanctianus.

II. Ergo canonizari potest is tantum de cujus Fide, & excellentia vitæ, & miraculis per probationes constat, & oportet tantam esse debere vitæ excellentiam, ac talia miracula, ut excedant vires, & potentiam naturæ, uti communiter ajunt Canonici Juris Interpretes in Cap. *Venerabili, De testibus &c.* præsertim vero Hostiensis, qui etiam inter alia docet, ad canonizandum Sanctos, inquirendum esse, an ei, de quo canonizando agitur, ante acta vita testimonium præbeat pro laboribus multis, moribus castis, actibus strenuis, Oportet enim hoc præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri, Maxime vero quæri debet de simplicitate, & humilitate, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, ut ait S. Jacobus Cap. IV. itemque inquiri, an in vita persecutiones passus fuerit, & an eas passus fuerit ex charitate. Ita pene ad verbum Hostiensis, cujus verba inter alios transcripsere Auctor Glossæ in Capite unico, *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, in Sexto, & S. Antonínus Parte III. Titulo XII. Cap. VIII. §. aliique passim Canonici Juris Interpretes, qui post Hostiensem claruerunt, in citato Cap. *Venerabili, De testibus &c.* ubi inter alios varia scitu digna doctissimus Faganus notavit. Præ ceteris autem legendus Sanctissimus Dominus noster Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. in celeberrimo Opere, *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, ubi rem ipsam Canonizationis fuse, docte, solideque pertractans, Canonistas omnes Theologosque antiquos, recentioresque de eadem Canonizationis re agentes longe superavit.

III. Quamvis autem ordo judiciarius, qui jam pluribus ab hinc seculis tenetur, in primitiva Ecclesia minime observaretur, quia scilicet Sancti eo tempore ut plurimum Martyrio erant insigniti, in quibus canonizandis tot examinanda non erant, quot hodie in Sanctis Confessoribus, uti post Viguerium notat eruditus Rocca in Commentario, *De Canonizatione Sanctorum*, Capite XXXVI. addubitari tamen nequit, quin magna fuerit olim in recipiendis ipsorum Martyrum Actis cautio Episcoporum, ac præsertim Romani Summi Pontificis, uti ex celebri de ea re Decreto Gelasii I. Papæ docet Mabillonius in Præfatione ad Seculum V. Benedictinum §. VI. Etiam Fideles ipsi vix olim aliquem pro Martyre coli ferebant, nisi Acta Martyrium indubitata contestarentur. Hinc etenim est, quod Lucilla matrona Hispana præpotens, & ambitiosa, quæ Carthagine versabatur, a Cæciliano Carthaginensis Ecclesiæ Archidiacono correpta est, quod ossa cujusdam Martyris nondum vindicati, idest nondum rite canonizati, deferret, & ante Sacram Communionem exoscularetur: *Quæ ante spiritualem cibum, & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur; & cum præponeret Calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed nec dum vindicati*; ut legere est apud Optatum Milevitanum Lib. I. contra Donatistas. Hujus porro correctionis impatiens Lucilla, ulciscendi de Cæciliano inde captata occasione, ultro se Donatistis adjunxit, & quicquid opibus, & auctoritate valebat, magno studio contulit ad novi, pertinaciscque Donatistarum schismatis fulcimentum, & propagationem.

IV. Celebre est & illud, quod in Collatione Carthaginensi dicitur de Mensurio Carthaginensi Antistite, quippe qui, cum Fideles nonnulli persecutoribus sponte se offerentes necati essent,

ab

Digitized by Google

ab eis honorandis prohibuit Christianos. Non enim colendi erant ut Martires, nisi *vindicati*, idest ab Episcopis, agniti, & approbati; quamquam apud S. Cyprianum in Libro, *De lapsis*, *vindicatus Martir* idem sit atque mortuus, & de sua jam Corona securus. Sed & memoratu dignum est, quod Cyrillo Hierosolymitano contigit occasione Ammonii Monachi, quem cum seditionis in Orestem Præfectum apud Alexandriam a Monachis ipsius Cyrilli causa excitatæ conscius, ob idque ad mortem usque suppliciis Præfecti jussu excruciatus esset, mutato nomine *Thaumasium*, imo & *Martyrem* vocari jussit, corpore ejus in Ecclesia deposito. Sed qui modestiores erant ex ipsis etiam Christianis, hoc Cyrilli studium in Ammonium non probarunt, compertum habentes, hunc temeritatis suæ pœnas dedisse. Quam ob rem & Cyrillus ipse hujus rei memoriam paulatim silentio obliteravit; uti hæc fusius narrat Socrates Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XIV. Porro non omittendum, quod de S. Martino Turonensi Episcopo in ejus Vita, Cap. VIII. legitur; suspectum enim habens cultum, qui falso cuidam Martyri impendebatur *ab his, qui majores natu erant, Presbyteris, vel Clericis, flagitabat nomen sibi Martyris, & tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoveri* testatus, *quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset*. Itaque Oratione adhibita, falsi martyris larvam detexit. Eadem ratione Sancto Patroclo Martyri Tricassino tametsi miraculis coruscanti, *loci homines parvum exhibebant famulatum, quod historia passionis ejus non haberetur in promtu*; teste Gregorio Turonensi, Lib. I. *De gloria Martyrum*, Cap. LXIV.

V. Notat hæc Mabillonius loco citato, aitque hanc quidem cautionem *nostro hoc tempore quibusdam in locis fortasse necessariam esse, in quibus honorantur pro Martyribus, aut Sanctis nonnulli, quorum vita penitus ignoratur, nec ab Ecclesia universa auctoritatem eorum cultus accepit*. Teste eodem Auctore, observatione digna est hac in re Gregorii diligentia & religio, qui cum videret S. Benignum Martyrem Divionensem in *magno sarcophago* reconditum fuisse, putabat cum aliis, *ibi aliquem positum fuisse gentilem*. Eo tamen rustici convenientes *vota dissolvebant*, & multa beneficia impetrabant. His nullo modo credebat Gregorius, sed magis, ne ibidem adorarent, fortiter testabatur; donec tandem veritatis revelatione factus est certior, & a quibusdam in Italiam abeuntibus historiam adlatam Beatus Confessor accepit. Huc spectat quod de S. Martiale Lemovicensium Apostolo memoriæ proditum est in Concilio Lemovicensi anno CXXXI. nempe Anglos quosdam, cum S. Martialem in Litaniis, & Martyrologiis Cœnobii Cantuariensis Apostoli titulo donatum animadvertissent, non reperto Libro de ejus Actis, hac de re apud Patrem Monasterii expostulasse, quod Martialem scilicet diceret Apostolum, cum ejus Acta penes se minime haberet. Huc etiam referri potest pervetustus Canon LX. Concilii Illiberritani, juxta editionem Ferdinandi Mendozæ, cujus hæc sunt verba: *Siquis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangeliis non est scriptum, nec invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit, eum in numerum non recipi Martyrum*.

VI. Magna profecto discretione prædita semper fuit ratio, quam tenuerunt, tenentque etiam nunc Summi Romani Pontifices. Ut omittam celebre de eadem re Gelasii I. Papæ Decretum, quod Tomo II. Conciliorum enarravi, notanda hoc loco est omnino S. Gregorii Papæ Magni responsio ad Augustinum Anglorum Apostolum, quæ legitur Lib. XII. Epistola XXXI. Petierat Augustinus, ut Reliquiæ S. Sixti Martyris sibi transmitterentur, quæ in quadam Ecclesia recondi possent, ubi Corpus cujusdam S. Sixti non satis sibi noti asservari dicebatur. Respondit in hunc modum ad interrogationem IX. ipsius Augustini: *Fecimus quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam S. Sixti Martyris Corpus dixerunt venerari, quod tuæ Fraternitati nec verum, nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quod si Corpus, quod a populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis ille miraculis coruscat; & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur; ita Reliquiæ, quas petisti, seorsim condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum Corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari*. Atque hanc religionem, & prudentiam, exempla Prædecessorum suorum sequentes tenent hodie observantque Summi Romani Pontifices, uti pluribus docet in suo Celeberrimo Opere, *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*, Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV.

§. II.

De commissione tribus Cardinalibus, & prima definitione.

Deinde si retulerunt, rem bene esse paratam, iterum de consilio Fratrum committat tribus Cardinalibus, Episcopo, Presbytero, & Diacono, qui diligenti (1) examinent inquisitione probationes, & depositiones testium, & considerent solertissime omnia consideranda. Et cum placuerit Sanctissimo Domino nostro, referant in secreto Consistorio, & primo de excellentia vitæ, & Fidei puritate, quæ si judicabuntur Collegio bene probata, & digna Sanctificatione, tunc procedent ad narrationem, & probationem miraculorum, & de consensu Cardinalium definiet Summus Pontifex, vitam, & miracula, quæ ita erunt, sufficienter esse probata. Deinde deliberabunt, an quæ pro-

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero I. & Coloniensi legitur, *diligenter examinent inquisitionem, probationes &c.*

Digitized by Google

probata ſunt, videantur talia, propter quæ merito ſit decernenda Canonizatio. Tunc ex conſilio Fratrum diffinit Pontifex, Canonizationem eſſe faciendam.

COMMENTARIUS.

I. NOſtrum hunc §. ſpectant, quæ Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in celeberrimo Opere, *De Servorum Dei Beatificatione &c.* docet Tomo I. Lib. I. Cap. XXI. de Conſiſtoriis, quæ olim cogebantur pro definiendis cauſis Canonizationis. Expletis omnibus, inquit, quæ erant extra Conſiſtorium explenda, quæque enarrata ſunt in §. ſuperiori, cauſæ proponebantur in Conſiſtorio coram Summo Pontifice. Tum docet duplex tunc habitum fuiſſe Conſiſtorium; alterum, in quod conveniebant ſoli S. R. E. Cardinales; alterum ſubſequens, in quo conventus fiebat S. R. E. Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Præſulum apud Sedem Apoſtolicam degentium. Agimus nos in præſenti de primo Conſiſtorio, in quo examinabatur cauſa, pro qua Capellani Papæ, ſeu Rotæ Romanæ Auditores laboraverant, & Summus Pontifex Cardinalium conſilia requirebat, an eſſet ad Canonizationem procedendum; quatenus autem viſum fuiſſet, procedendum eſſe, definitio hæc ſub ſecreto inter Cardinales permanebat, teſte Oſtienſi in Cap. *Audivimus*, *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Num. v. ubi ita inquit: *Rubricæ ſic factæ examinantur cum exacta diligentia per Dominum Papam, & Fratres; & requirit Papa conſilia eorundem, an videantur probata talia, propter quæ ſit Canonizatio non immerito facienda. Si videatur Domino Papæ, quod facienda ſit, definit hoc ſecreto premitus inter Fratres.* Atque ad hoc Conſiſtorium reſpexiſſe videtur Jacobus Cardinalis Stephanenſcus in Poemate de Canonizatione S. Petri Cæleſtini apud Bollandianos die XIX. Menſis Maji, ſic inquiens.

Intulit hunc celebrem mŭdo, terriſque colendum
Eſſe Patrem, Sanctum, Confeſſoremque vocari
Decrevit, prudenter agens, cauteque recenſens
Præteritum. Clauſim ſunt hæc decreta &c.

II. In hoc ipſo Conſiſtorio, ut ſcite obſervat memoratus Scriptor Operis, *De Servorum Dei Beatificatione &c.* non ſolum Pontifex Cardinales alloquebatur, & eorum conſilia requirebat, verum etiam legebantur teſtium depoſitiones, tam ſuper virtutibus, quam ſuper miraculis, ut habetur in Ordine XIV. Romano, Auctore Jacobo Gajetano, Cap. CXV. in quo quidem quod in hoc noſtro §. edicitur, præſcriptum jam antea fuit, & quidem luculentius expreſſiuſque, cujus verba juvat & in hoc noſtro Commentario deſcribere. Ergo poſtquam dixit, invaluiſſe hunc in Canonizationibus morem, ut Pontifex inquiſitionis jam factæ illius auctoritate examinationem comittat in Curia *aliquibus Capellanis ſuis*, ideſt Sacræ Romanæ Rotæ Auditoribus, qui & eo nomine appellabantur, *qui ordinent, & forment rubricas ſuper inquiſitione prædicta*, ita deinde ſubjicit: *& ipſis rubricis cum exacta diligentia ordinatis, & formatis, committitur per Dominum Papam examinatio ipſarum rubricarum, & totius inquiſitionis tribus Dominis Cardinalibus, videlicet uni Epiſcopo, alii Presbytero, & alteri Diacono. Qui Domini Cardinales, viſis per eos, & diligenter examinatis contentis in commiſſionibus, rubricis, & inquiſitione prædictis, debent referre in Conſiſtorio Domino Papæ plene in genere omnia ſupradicta, & quæ invenerint in eiſdem, hoc excepto, quod ſuper vita, & miraculis, & depoſitionibus teſtium ſuper ipſis productorum nihil tunc in ſpeciem referunt; ſed poſtea in Conſiſtorio in præſentia Domini Papæ, & aliorum Dominorum Cardinalium ſingulariter, & ſingillatim leguntur depoſitiones teſtium ſuper vita, & miraculis productorum. Lectis, & diligenter auditis per Dominum Papam, & Cardinales, antequam ad aliud procedatur, Dominus Papa de conſilio Cardinalium determinat, utrum vitæ excellentia illius, de quo agitur, ſit plene probata, vel non, & ipſa determinatione facta, proceditur modo prædicto ad lecturam miraculorum, & depoſitionem teſtium ſuper ipſis miraculis productorum.* Hactenus laudatus Ordo Romanus, ubi vides, ut fuſius luculentiuſque ea enarrantur, qui in noſtro hoc §. præſcripta ſunt.

III. Conſtat id plane magis magiſque ex iis, quæ idemmet Romanus Ordo XIV. ſubjicit: *Notandum tamen*, inquit, *quod lecta in Conſiſtorio depoſitione cujuslibet teſtis ſuper quolibet articulo, vel ſaltem teſtium melius probantium, Dominus Papa de conſilio Cardinalium definit, utrum illi teſtes plene probent articulum, de quo agitur, vel non, vel utrum* adminiculentur, *& hæc ſcribi debent ibidem per unum de Dominis Cardinalibus, de quo Domino Papæ placuerit. Quibus omnibus factis, & diligenter per Dominum Papam, & Cardinales examinatis, Dominus Papa debet inquirere conſilia ipſorum Cardinalium, & petere ab eis, an videantur probata talia, propter quæ ſit Canonizatio merito facienda; & ſi facienda videatur, Dominus Papa ibidem in Conſiſtorio ſecrete inter Cardinales definit, ipſam Canonizationem eſſe faciendam.* Similia leguntur in ms. Cæremoniali Codice Pierſanctiano, ex quo ſupplevimus verbum illud *adminiculentur*, quod quidem in citato Romano Ordine XIV. deſideratur; itemque apud Auctorem, qui rituum formulis præerat anno MCCCXLVII. juxta Raynaldum ad annum prædictum, atque in Ordine Canonizationis Sanctorum anno MCDXLIV. Tomo III. Collectionis Conciliorum Britanniæ, uti notavit Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Tomo I. Lib. I. Cap. XXI. ubi etiam docet, in eodem hoc Conſiſtorio onus fuiſſe Cardinalium deputatorum cauſæ merita exponere, quemadmodum legitur in Bulla Canonizationis S. Bernardini Senenſis ſub Nicolao V. & in Bulla Canonizationis S. Catharinæ etiam Senenſis ſub Pio II. ubi inter alia ita hic Pontifex ait: *Sed pro veteri conſuetudine tribus ex Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, uni Epiſcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono vivæ vocis oraculo commiſimus, ut debitis habitis proceſſibus de vita, & moribus ipſius Catharinæ, deque miraculis ejus ſive in vita, ſive poſt mortem patratis, & de reliquis ad*

Digitized by Google

Canonizationem necessariis diligenter inquirerent, nobisque in secreto Consistorio, ut moris est, fidelem relationem facerent.

IV. Vetus itaque regula est id quod in hoc nostro §. statutum est, ut nempe causam Canonizationis jam bene discussam, atque paratam a Capellanis Papæ, sive sacræ Rotæ Romanæ Auditoribus, iterum Papa *de consilio Fratrum*, ut ait noster §. *committat tribus Cardinalibus, Episcopo, Presbytero, & Diacono, qui diligenti examinent inquisitione*, sive, ut habet alia editio, *diligenter examinent inquisitionem, probationes, & depositiones testium; & considerent solertissime omnia consideranda; & cum placuerit Sanctissimo Domino nostro, referant in secreto Consistorio &c.* Atque hunc veterem morem sequuti sunt non modo laudati Summi Romani Pontifices Nicolaus V. & Pius II. uti ex citatis Bullis Canonizationum S. Bernardini Senensis, & S. Catharinæ itidem Senensis addiscimus, verum etiam alii Pontifices, uti constat ex aliis Bullis, quas non est opus recensere hoc loco.

§. III.

De publico Consistorio, propositione Advocati, & Pontificis responso.

Fit post hæc publicum Consistorium, in quo Pontifex cum Pluviali rubeo, & Mitra pretiosis residet, & Advocatus Causæ longa oratione proponit vitam, gesta, & miracula Canonizandi, & demum supplicat nomine Principum, & populorum, qui de ea re scripserunt, bonæ memoriæ talem adscribendum esse a sua Sanctitate in Catalogum Sanctorum Christi, utque a cunctis Fidelibus pro Sancto veneretur, decernendum. Pontifex, audito Advocato, laudat ejus facundiam, dicit, libenter se audivisse tam miranda illius Viri præconia, velle tamen super hac re maturius cum Fratribus suis deliberare, hortari, atque monere omnes, ut divinam Clementiam implorent, quatenus dignetur inspirare in mente sua, & Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque omnium Prælatorum, quorum consilio in tanto negotio sit usurus, ea quæ suæ placitura sunt Divinitati, neque permittat errare Ecclesiam suam Sanctam. Prælatos vero monet, ut super his cogitare debeant, ut cum requisiti fuerint, mature possint respondere, & his dictis finitur Consistorium.

§. IV.

Antiqua consuetudo Prælatorum Canonizationem petentium.

In hujusmodi Consistorio, ut apud antiquos Codices legimus, solebant sex, aut octo Prælati successive orare, narrantes merita Canonizandi, & supplicantes pro Canonizatione. Advocatus autem in principio tantummodo petebat a Pontifice, ut Prælati audirentur, & supplicabat, ut Canonizatio decerneretur.

COMMENTARIUS.

I. EGimus jam in Commentario superiori de Consistorio in quod soli Cardinales conveniebant, agimus nunc de altero Consistorio, cui juxta veterem etiam ritum præter Cardinales intererant Episcopi, & Præsules apud Sedem Apostolicam degentes, ut his insuper innotesceret status causæ Canonizationis, & comperta essent merita ejusdem. Sermo in eo habebatur a Summo Pontifice, ejusque ritus mentionem inter alios facit Ostiensis, qui claruit medio Seculo XIII. in Capite, *Audivimus, De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Num. v. sic inquiens: *Coadunatis Episcopis, qui sunt præsentes in Curia, narrat publice in Consistorio ea, quæ acta sunt, & probata, secreta definitione jam facta suppressa, & requirit consilia Prælatorum.* Eadem fere ad verbum legere est in Romano Ordine XIV. Cap. CV. & in ms. Cæremoniali Codice Piersanctiano, qui ita ajunt: *Postea vero definitione hujusmodi facta per Dominum Papam*, Canonizationem scilicet esse faciendam, *debent vocari omnes Prælati, qui tunc in Curia sunt præsentes; & Dominus Papa narrat eis publice in Consistorio ea, quæ facta sunt, & probata, secreta definitione prædicta jam facta suppressa, & requirit consilia eorundem Prælatorum.*

II. Meminit quoque ejusdem ritus, seu sermonis haberi soliti a Papa in hoc Consistorio Jacobus Cardinalis Stephaneschus in suo Poemate ubi agit de Canonizatione S. Petri Cælestini apud Bollandianos die XIX. Maji.

. . . . . *deinceps*
Advocat in medium, qua se protendit in Aulam
Regia, Pontifices varios, cunctosque Ministros
Romanæ Sedis, necnon præsente Senatu,
Fatur: Et immensos suscepimus esse labores,
Et Fratres nostri pariter, quod nosse putamus
Vos etiam. Quæsita prius depromimus ecce,
Et vitam, moresque sacros, firmataque scimus
Testibus indubie Petri miracula quondam
Murronis, quæ scita palam, nec clausa tenemus
Ad Fidei incremēta sacræ, vestramque salutem.
Pauca tamen recluſit apex; quin cautius idem,
Neve magis, vel forte minus dicendo laboret,
Singula diffuso promi dictamine jussit.

III. Por-

Digitized by Google

III. Porro tametsi juxta recentiorem morem in hoc Consistorio, in quo Pontifex cum Pluviali rubeo, & Mitra pretiosis residet, *Advocatus Causæ*, ut ait noster §. III. *proponit vitam, gesta, & miracula Canonizandi, & demum supplicat nomine Principum, & populorum, qui de ea re scripserunt, bonæ memoriæ talem adscribendum esse a sua Sanctitate in Catalogum Sanctorum Christi, utque a cunctis Fidelibus pro Sancto veneretur, decernendum*; testatur tamen sequens §. IV. apud antiquos Codices legi, *in hujusmodi Consistorio*, consueviſſe olim sex, aut octo Prælatos *successive orare, narrantes merita Canonizandi, & supplicantes pro Canonizatione*. Advocatum autem *in principio tantummodo* petiisse *a Pontifice, ut Prælati audirentur*, & supplicasse, *ut Canonizatio decerneretur*. Teste Jacobo Cardinali Stephanesco in Poemate, ubi enarrat Canonizationem S. Petri Cælestini, ubi Papa sermonem habuit, de quo superius dictum fuit, tunc Episcopi suffragia sua ferebant in laudem Canonizandi.

Illicet ardentes positi sub limine sedum
Pontifices laudãda canũt, mirãdaque pandunt,
Quisque loco residens, alternatimque resurgens
Quisque loco, & rogitant. Pensum procedere rectum
Judicium Ecclesiæ, cunctis gaudentibus una
Ructavere omnes, dignũ & conscendere Divum.

IV. Recte autem admonet memoratus noster IV. §. apud antiquos Codices legi, consueviſſe sex, aut octo Prælatos successive orare, narrantes merita Canonizandi, & supplicantes pro Canonizatione. Id enim plane constat ex antiquo Romano Ordine XIV. Cap. CXV. cujus hæc sunt verba: *Deinde assignatur per Dominum Papam certa dies ad aliquem locum aptum ad hoc, ubi convenire habeant idem Dominus noster Papa, & Cardinales, & alii Prælati de Curia, ac Clerus, & populus, & interim extra Consistorium deputantur per Dominum Papam octo, vel septem Prælati ad minus, de quibus eidem Domino nostro Papæ videbitur faciendum, qui dicta die assignata habeant publice prædicare. Habet etiam idem Dominus noster Papa ordinare gradus inter ipsos Prælatos, qui prædicare habebunt, ut videlicet talis primo prædicet, & talis secundo, & sic de aliis. Consuevit enim dicta dies assignari per unum mensem ante, vel per tres septimanas ad minus, ad finem quod prædicti Prælati diligenter collationes suas potuerint studuisse, quas ipsa die assignata succincte, & breviter in publico facere habebunt. Conclusiones vero dictarum collationum debent esse tales, videlicet quod ostendant per rationes, quod dicta Canonizatio est merito facienda, & supplicent dicto Domino nostro Papæ, ut facere dignetur eandem.* Eadem legere est in ms. Piersanctiano, qui etiam deinde iisdem verbis, quibus laudatus Ordo Romanus XIV. prosequendo narrationem suam, modum exponit, quo ipsis Præsulum orationibus initium dabatur.

V. Modus ille, ut alia omittam, referente citato Romano Ordine XIV. is erat: *Quibus residentibus* (loquitur de Papa, Cardinalibus, Episcopis, & aliis) *surgere habet Procurator hujusmodi negotii, existens ex opposito dicti Domini Papæ, & assumta sibi aliquali auctoritate, narrare debet aliqua de hujusmodi negotio, & supplicare ipsi Domino nostro, ut Sanctitas sua audire dignetur aliquos Prælatos, qui super prædictis prædicare intendunt; & nihilominus quod placeat Sanctitati suæ definire illum, de quo agitur, esse Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum, & tanquam Sanctum esse a Fidelibus venerandum, ac Festum ejus anno quolibet perpetuo certa die, de qua ipsi Domino nostro Papæ videbitur, celebrandum; & hujusmodi supplicatione per dictum Procuratorem facta, surgat ille Prælatus, qui primo prædicare, seu collationem suam facere debet juxta ordinationem jam dictam; & incipiat collationem suam, & eam prosequatur succincte, & breviter; qua finita, surgat secundus, & faciat similiter, & sic de aliis.* His concinit citatus ms. Cæremonialis Codex Piersanctianus, aliusque relatus a Raynaldo ad annum MCCCXLVII. Num. XXXVI. & seq. Atque ad hunc antiquiorem ritum respexit quidem noster §. IV. ubi ita inquit: *In hujusmodi Consistorio, ut apud antiquos Codices legimus, solebant sex, aut octo Prælati successive orare, narrantes merita Canonizandi, & supplicantes pro Canonizatione*; itemque ubi statim deinde subjicit: *Advocatus autem in principio tantummodo petebat a Pontifice, ut Prælati audirentur, & supplicabat, ut Canonizatio decerneretur.*

VI. Quia vero, fortasse experientia teste, ut docet nos doctissimus Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. Libro I. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Cap. XXI. Num. VI. deprehensum fuit difficile in uno eodemque Consistorio Præsulum perorationes fieri, & suffragia Cardinalium, & Episcoporum apud Sedem Apostolicam degentium exquiri posse, tertium superadditum fuit duobus supra recensitis Consistorium; in quorum primo, sicuti dictum est, Papa scrutabatur consilia Cardinalium, in secundo fiebant perorationes, in tertio denique perquirebantur suffragia Cardinalium, & Episcoporum apud Apostolicam Sedem existentium; tum in locum tot perorationum, quæ a Præsulibus fiebant, substituta fuit Oratio unius ex Advocatis Consistorialibus, in qua vita, miracula, & series Actorum totius causæ copiose exponerentur; & quia propter strepitum adstantium aliquando accidebat, ut Episcopi, qui suffragium in ultimo Consistorio ferre debebant, Advocati ConsistorialisOrationem habitam in secundo Consistorio bene intelligere non possent, introducta fuit consuetudo, ut Consistorialis Advocatus in tertio Consistorio summatim referret ea, quæ fuse in secundo exposuerat, ut insuper Summus Pontifex de statu, ac meritis causæ sermonem faceret, & ut Rotæ quoque Auditores, sed præsertim causæ Commissarii, interessent, qui difficultatibus, quæ excitarentur, possent satisfacere.

VII. De substitutione Orationis faciendæ ab Advocato Consistoriali in locum tot Orationum, quæ fiebant a Præsulibus, loquitur Penia in Vita S. Raymundi Lib. III. in observatione ad Caput XXXVI. his verbis: *Cæterum in melius hanc consuetudinem reformatam satis docet sacrarum Cæremoniarum usus, quo cessat multiplicatus ille tot Prælatorum orantium strepitus. Quod autem ad Advocatum Consistorialem attinet, id ex antiqua satis consuetudine receptum est. Cum enim ante aliquot secula causæ graves in Consistorio tractarentur, solis Advocatis Consistorialibus dicendi in Consistorio facultas erat. Atque inde retenta consuetudo, ut nonnisi aliquis de Colle-*

Digitized by Google

gio Advocatorum Conſiſtorialium has Orationes habere ſoleat. Sed illud præterea obſervari vidimus, ſi in Collegio Advocatorum Conſiſtorialium ſit aliquis Advocatos de Dominio illius Principis, qui Sanctum petit canonizari, ille eligitur, ut oret, ut in hac Cauſa, nempe S. Raymundi, *Bernardinus Scottus Mediolanenſis, pro qua intereedebat Rex Hiſpaniæ Dux Mediolani*. Laudat citato loco BENEDICTUS XIV. Numero VII. hoc teſtimonium Peniæ, aitque, merito quidem ab ipſo Penia dictum fuiſſe, *id ex antiqua ſatis conſuetudine*, habita ſcilicet ratione temporis quo ſcribebat, *receptum*, quod Advocatus Conſtorialis in publico Conſiſtorio de Canonizatione peroraret. In Canonizatione enim ſolemni S. Bonaventuræ ſub Sixto Papa IV. celebrata, Oratio facta fuit in publico Conſiſtorio ab Octaviano celebri & docto tunc temporis Advocato Conſiſtoriali, teſte Jacobo Volaterrano Auctore contemporaneo apud Raynaldum ad annum MCDLXXXII. Num. XLVI. & apud eruditiſſimum Muratorium Tomo XXIII. *Rerum Italicarum*. In Canonizatione quoque Civis mei S. Franciſci de Paula ſub Leone X. Pontifice anno MDXIX. Angelus Cæſius oravit in publico Conſiſtorio, quemadmodum legitur in Bulla Canonizationis ipſius §. XXXVII. Ceterum ſcitiſſime idem docet loco citato, de Advocato pariter Conſiſtoriali intelligenda eſſe illa noſtri §. III. verba: *Fit poſt hæc publicum Conſiſtorium, in quo Pontifex cum Pluviali rubeo, & Mitra pretioſis reſidet, & Advocatus cauſæ longa oratione proponit vitam, geſta, & miracula Canonizandi, & demum ſupplicat nomine Principum, & populorum, qui de ea re ſcripſerunt, bonæ memoriæ talem adſcribendum eſſe a ſua Sanctitate in Catalogum Sanctorum Chriſti, utque a cunctis Fidelibus pro Sancto veneretur decernendum.*

§. V.

Conſiſtorium ſecretum cum Prælatis Curiæ.

Poſt hæc, cum placuerit Sanctiſſimo Domino noſtro, vocentur omnes Prælati Curiæ in ſecreto Conſiſtorio cum Pontifice, & Sacro Collegio, & ibi proponat breviter Sanctitas ſua, ad quid vocati ſint; deinde, ſi placet, per Advocatum faciat ſummatim repeti vitam, & miracula Canonizandi, & quæ ſunt probationes in genere tantum. Poſt hæc narret, quanta cum diligentia, & fide inquiſitio, & proceſſus ſuper hac re factus ſit de multiplici, & canonica atteſtatione, de inſtanti Principum, & populorum atteſtatione; & demum conſcientiam illorum onerando, exquirat ſigillatim a quolibet ſuam in ea re ſententiam; & cum omnes finierint, agit gratias de bono conſilio, & hortatur eos orare Deum, ne ſinat, ſe errare in tanto negotio, & ſic omnes recedunt. In hoc Conſiſtorio debent intereſſe Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, ad quos tantum pertinet dicere ſententiam ſuam. Poterunt intereſſe aliqui Protonotarii Ordinarii, ut ſint rogati de his, quæ rogantur. Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maxime Commiſſarii Cauſæ, ut ſi quid eſſet declarandum, poſſint, ut bene informati, mentes aliorum declarare. Summus Pontifex erit cum Mitra, & Pluviali. Procurator Fiſcalis aderit, & faciet rogatos Protonotarios de conſilio, & conſenſu Prælatorum.

COMMENTARIUS.

I. ILluſtrant quammaxime hunc noſtrum §. quæ de repetitione compendiaria facienda ab Advocato Conſiſtoriali in tertio Conſiſtorio, poſtquam in ſecundo fuſam habuerat orationem de ſtatu, & meritis cauſæ, docet Jacobus Volaterranus apud Raynaldum ad annum MCDLXXXII. Num. XLVI. ubi Canonizationem S. Bonaventuræ a Sixto Papa IV. peractam deſcribit. Poſtquam etenim, juxta ſuperius expoſita, Jacobus retulit, fulſſe in ſecundo Conſiſtorio habitam Orationem ab Advocato Octaviano, quæ propter ſtrepitum frequentiſſimi Senatus vix potuit audiri, licet maximopere fierit commendata ab illis, qui eam audierunt, ita deinde proſequitur: *Paucis cum reſpondiſſet Pontifex, commiſit Prælatis omnibus in Romana Curia exiſtentibus, ut & ipſi de meritis B. Patris edocti in primo Senatu ea tantum cauſa cogendo ſententiam dicerent. Die igitur Veneris, qui ſequutus eſt (fuit enim duodecima menſis Aprilis) vocati in conſilium fuere non Cardinales modo, ſed Epiſcopi omnes. Abbates, & Judices Rotæ Palatinæ, Religionum quarundam Prælati, & Procuratores earundem Generales. Conſilii locus fuit major Aula ſupra primam Palatii portam, quæ in S. Petri aream ſpectat. In Senatu iterum oravit Octavianus, quem dixi; & quia priori Senatu a paucis fuerat per ſtrepitum auditus, eandem, ut audio, orationem recitavit cum ſumma attentione, & commendatione. Rogati poſtmodum Epiſcopi, & ceteri ſententiam dicere, Cardinalibus ſilentibus, Præſulum quiſque, prout loco præerat, ita ſenientiam dixit &c.* Hæc Volaterranus, quibus etiam conſentit Bulla Canonizationis ejuſdem Sancti Bonaventuræ.

II. Clarius profecto iidem ritus in §. hoc noſtro præſcripti, apparent ex Canonizatione Civis mei S. Franciſci de Paula celebrata a Leone Papa X. anno MDXIX. fuſeque enarrata in ſuo ms. Diario a Paride Graſſo tunc Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtro, cujus locum deſcripſit Raynaldus ad annum ipſum MDXIX. Numero LXXVII. & ſequenti. Ait ſiquidem Graſſus in

Digitized by Google

in ſecundo Conſiſtorio ita loquutum fuiſſe: *Cum in publico proximo Conſiſtorio coram tua Beatitudine, Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus... de patria, parentibus, vita, moribus, ac viginti quinque illuſtribus in ſpecie, aliiſque fere innumerabilibus in genere miraculis B. Franciſci de Paula, ut ex Actis liquido apparet, dixiſſem..... Tua Beatitudo pro ſua ſingulari pietate, & clementia, deſuper mature deliberare velle, dignata fuit reſpondere; eoſdemque Prælatos, ut ea in re cogitarent, diligenterque adverterent, Deumque orarent, ne Eccleſiam errare pateretur, monuit. Cum autem, Pater Beatiſſime, non dubitem, per omnes monitioni tuæ Beatitudinis ſatisfactum, hancque rem jam tot teſtibus probatam, totque oculis ſpectatam, totque etiam palpatam manibus, totieſque, ac etiam a multis præſtantiſſimis Viris, & ultimo a tribus Reverendiſſimis Cardinalibus diligenter, ſtudioſeque cognitam, & examinatam, ulteriori diſcuſſione nullatenus indigere, ſed ad expeditionem ipſam veniendum ſit; propterea ſupplico.... ut ad eam expeditionem devenire, opuſque tam ſanctum, Leoneque X. dignum perficere dignetur.* Ita in ſua oratione Advocatus, cui, ut idem Graſſus tradit, nonnulla Pontifex ſubdidit de cauſæ gravitate, & de negotii arduitate, tunc dixit, ſe audire velle ſuffragia Cardinalium, & Epiſcoporum, tandemque ita concluſit: *Quo circa vos univerſos Fratres, & præſentes, quos jampridem deſuper mature præcogitare monuimus, in Domino affectuoſe requirimus, conſcientias veſtras onerantes, ut ſecundum Deum, cujus res principaliter agitur, quicquid ſinguli ſentitis, libere proferre velitis.*

III. Quod vero ſpectat Romanæ Rotæ Auditores, & Protonotarios, de quibus mentionem facit hic noſter §. eorum munia in Conſiſtorio, de quo in præſenti loquimur, explicat Penia in Actis Canonizationis S. Didaci Lib. III. Cap. XV. ſic inquiens: *Non oportuit tunt quidem ab Auditoribus Rotæ aliquid rogare cum ſuper Proceſſu nulla exorta fuerit, aut excitata controverſia, quæ illorum explicatione, & induſtria indigeret. Hoc enim conſilio Auditores potiſſimum illi, ad quos judicandi proceſſum cura mandata eſt, advocari ſolent. Protonotarii vero ad fidem exhibendam circa ea decreta, quæ in Conſiſtorio cenſentur, ſolum rogandi erant.* Munus olim fuiſſe Protonotariorum Apoſtolicæ Sedis, Decreta adnotare, quæ fiebant in ſacro Conſiſtorio, teſtem habemus Cardinalem Papienſem in Epiſtola ad Volaterranum data, ubi ita ſcribit: *Volo, ſi poſſum, notare nonnulla ejuſmodi Senatus noſtri Decreta, quorum recordatione, & exemplis in pleriſque actionibus noſtris inſtrui, & admoneri quandoque poſſimus. Adjuvat, mihi crede, hæc diligentia multum miniſterium noſtrum. Conſueverant olim Romani Pontifices eam curam mandare Notariis Apoſtolicæ Sedis. Sed obſolevit mos ille, ut alii permulti, tam Pontificibus utiles, quam Romanæ Sedi honorifici.* Olim quoque munus Secretarii in Cauſis Canonizationum delatum fuiſſe uni ex Collegio Protonotariorum Apoſtolicorum, docet laudatus Penia Lib. III. *De vita, miraculis, & actis Canonizationis S. Didaci*, Cap. XI. cujus verba digna ſunt, ut hic deſcribamus: *Ad decreta*, inquit, *quæ in his Conventibus per Cardinales fiebant, conſcribenda, Petrus Georgius Odeſcalchus Sedis Apoſtolicæ Notarius (Protonotarium Romana Curia vocat) accitus eſt. Quod prudentiſſime conſtitutum fuiſſe conſtat, ut ſeptem antiquorum Notariorum Romanæ Eccleſiæ, quos Clemens I. diviſa Urbe in ſeptem Regiones, ad Martyrum geſta ſoliciter, & fideliter inquirenda, & conſcribenda inſtituit, & Anterus, Fabianuſque, Pontifices confirmarunt, veſtigium aliquod in his Sanctorum Canonizationibus ſervari videatur, cum imitanda, & conſervanda, quantum fieri poteſt, non violanda ſint, aut contemnenda aliqua Eccleſiæ inſtituta.* Tum vero paulo poſt ſubdit: *Hoc ergo conſilio Odeſcalchus deſumtus eſt, in his Cardinalium conventibus pro Canonizatione S. Didaci faciendis Secretarii officio functus eſt.* Id ipſum idem Auctor confirmat in Vita S. Raymundi Lib. III. Capite XXVI. ſic dicens: *De his omnibus R.P.D. Anſelmus Dandinus Protonotarius Apoſtolicus, & in cauſis Canonizationis Secretarius, rogatus inſtrumentum recipit.*

IX. At vero hodie, uti docet Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XVII. cura adnotationis Decretorum Conſiſtorii delata ad ejus Secretarium, unus aſſumitur e Collegio Protonotariorum Participantium, qui non ſolum Conſultor Sacræ Congregationis Rituum eſt, ſed aliqua alia peragit, quæ ſunt ipſi peculiaria, & reliquis Conſultoribus minime communia. Fuſe de iis agit laudatus Pontifex non uno in loco ſui citati Operis; ſed ut hic aliqua notemus, præcipuum illud profecto eſt, quod refertur in decretis generalibus Urbani Papæ VIII. in quibus, *Sanctiſſimo Domino noſtro ſic annuente, indultum eſt Protonotariis de numero Participantium; primo, quod in proceſſibus fabricandis, & præcipue in examinandis teſtibus ſuper Martyrio alicujus Servi Dei, hic in Curia omnino intervenire debeat R. P. D. Protonotarius pro tempore Sacræ Congregationis; ſecundo, quod examen prædictum debeat eſſe ſubſcriptum ab ipſo Domino Protonotario, alias examen nullam faciat fidem; tertio, quod Notarius, qui examen prædictum recipiet, in hoc actu ipſi Domino Protonotario ſubordinatus cenſeatur, & reputetur.* Porro docet BENEDICTUS Papa XIV. in citato Opere Lib. I. Cap. XVII. ſi Secretarius Sacræ Congregationis ægrotet, aut abſit ab Urbe, congruum videri, ut annuente Sanctiſſimo, ejus vices a Protonotario ſuppleantur; & ita ſane factum inquit tempore abſentiæ Tigrini Secretarii; interfuit enim Protonotarius de Ruvere tanquam Secretarius uni Congregationi, ut adnotatur in regeſtis die 6. Septembris MDCXXXI. totoque tempore ægritudinis Bernardini Inghiramii Sacræ Rituum Congregationis Secretarii; & uſque ad ejus obitum, Secretarii munere functum fuiſſe ſubjicit, *ex permiſſione Papæ*, Carolum Colliculam tunc Protonotarium Congregationis, & deinde S. R. E. Cardinalem.

V. Longum eſſet fuſius de Protonotario, & Secretario Sacræ Congregationis Rituum, ac de Rotæ Romanæ Auditoribus, aliiſque eidem Congregationi adſcriptis differere. Videri plane poteſt de iis, ac de omnibus ad Canonizationem ſpectantibus laudatiſſimus Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in admirando Opere omnigena eruditione referto, ac omnibus

Digitized by Google

bus numeris absoluto, *De Servorum Dei Beatificatione, & Sanctorum Canonizatione*. Unum est, quod in hoc Commentario omitti a nobis nullatenus debet, constare scilicet ex dictis huc usque, summas fuisse diligentias, quæ antiquiori tempore, & ante institutam Sacrorum Rituum Congregationem a Sixto Papa V. a Romanis Pontificibus adhibebantur, antequam Beatificationis, aut Canonizationis honores Servis Dei, aut Beatis indulgerentur. Pluribus id plane ostendit idem Pontifex BENEDICTUS Libro I. Capite XXI. Num. XI. & seqq. refellitque inter alia fœdum illud effatum, quod Cardinalem Bessarionem dixisse ferunt, se valde dubitare, utrum vera essent, quæ a Majoribus de Sanctis antiquis prodita fuerunt, cum nonnullos suo tempore vidisset in Sanctorum album relatos, quorum vitam ipse in eorum causis suffragium ferens improbaverat. Primus qui effatum illud Bessarioni supposuerit, nullo tamen prolato testimonio, fuisse dicitur Guillelmus de Bellai, qui longe post Bessarionem vixit; ideoque penitus contemnendus, sicuti juxta bonæ critices regulas comtemni debent, quæ a recentiori Auctore, præsertim ubi ei probitas desit, de factis, aut dictis antiquorum, nullo adducto contemporanei, & fide digni Scriptoris testimonio, referuntur.

VI. Cum denique juxta nostri hujus §. præscriptum, *in hoc Consistorio debeant interesse Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, ad quos tantum pertinet dicere sententiam suam*; antiquum morem canonizandi Sanctos in Synodis, de quo diximus Tom. III. Conciliorum in Appendice ad Historiam Concilii IX. Œcumenici Lateranensis I. etiam hodie servare videtur Apostolica Sedes; numquam enim cum suo solo Consistorio, sed semper cum ampla Episcoporum Synodo, qui in Urbe reperiuntur, solet Papa Dei Servos Sanctorum Fastis adscribere. Esse hunc antiquum ritum ab Apostolica Sede servatum, docet apud Philippum Labbeum Rothomagensis Ecclesiæ Chronicon ad annum Christi MCCXXV. ubi enarrans Canonizationem sancti Laurentii Dublinensis Archiepiscopi ab Honorio III. factam, modum etiam exponit, sic inquiens: *Beatus Laurentius quondam Dublinensis Archiepiscopus a Domino Papa Honorio Tertio, probatis per testes omni exceptione majores signis, & virtutibus, quas per illum Dominus operari dignatus est, & convocatis Cardinalibus, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & omnibus aliis, qui in Curia præsentes aderant, canonizatus est solemniter, omnibus approbantibus, & Deum collaudantibus, qui in Sanctis suis semper mirabilis, & in Catalogo Sanctorum Confessorum scriptus*. Sancti hujus Præsulis res præclare gestæ, & sincere scriptæ legi apud Laurentium Surium possunt ad diem XIV. mensis Novembris.

VII. Ex præscripto nostri hujus §. jam non solum Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi huic Consistorio interesse debent, verum etiam *Abbates, ad quos tantum pertinet dicere sententiam suam*. Sed sciendum tamen, jam diu in desuetudinem abiisse eam disciplinam, ut Sanctorum Canonizationibus Abbates intersint, & suam sententiam proferant. Putat sane doctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in suo Opere *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XXXIV. Num. XIII. quod cum a Summo Pontifice Gregorio XIII. insignissimæ quædam Abbatiæ fuerint Collegiis ab ipso institutis unitæ, & earum Abbatiarum, quæ sunt in locis Urbi conterminis, fiat utplurimum collatio Cardinalibus; hinc forte evenit, ut fere nullis in Urbe, aut circa Urbem Abbatibus extantibus, habentibus territorium separatum, & jurisdictionem in Clerum, & populum, de quibus quidem Cæremoniale hoc nostrum loquitur, qui Cardinalitia dignitate non fulgeant, non amplius facta sit, nec fieri potuerit Abbatum uti talium advocatio ad hæc Consistoria, ut in eis suam proferant sententiam. In ms. Diario Paridis Grassi legimus quoque Leonem Papam X. in hoc Consistorio, de quo agimus, suffragia Pœnitentiariorum requisiviisse, dum agebatur de Canonizatione civis mei S. Francisci de Paula; sed tamen post dictum Pontificem id amplius factum non est; ut idem laudatus Papa BENEDICTUS XIV. notavit loco citato.

VIII. Neque Abbates solum, verum etiam Auditores Rotæ, Protonotarios, ceterosque omnes sententias suas in Canonizatione S. Didaci tulisse, tradit Petrus Galesinius in Actis Canonizationis ejusdem S. Didaci, Parte III. Cap. XXI. *Pontifex*, inquit, *de Beato Didaco in Sanctorum numerum adscribendo sententias dici jussit. Tum suo quique ordine Cardinales, postea Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Auditores Rotæ, Abbates, ceterique omnes, qui aderant, uno consensu, ac libere dixerunt, illud cujus vitæ sanctitas, ac miracula nota, ac testata erant, dignum esse, qui in Sanctis ascriberetur*. Sed quod attinet ad Rotæ Auditores, & ad Protonotarios, sapientissime docet Sanctissimus Dominus noster citato loco, Num. XII. certum esse, eos suffragia non tulisse. Vocati etenim fuere Auditores Rotæ ad semipublicum Consistorium, cum tunc Canonizationum causæ eorum examini committerentur, ut si forte aliqua difficultas fuisset excitata, parati essent ad opportunas responsiones suppeditandas: Protonotarii vero vocati fuerunt, sicuti etiam nunc vocantur ad conficienda instrumenta de gestis, & definitis in eodem Consistorio, teste Francisco Penia in iisdem S. Didaci Actis jam etiam superius relatis: *Non oportuit*, ait, *tunc quidem ab Auditoribus Rotæ aliquid rogare, cum super processu nulla exorta fuerit, aut excitata controversia, quæ illorum explicatione, & industria indigeret. Hoc enim Consilio Auditores potissimum illi, ad quos judicandi processum, cura mandata est, advocari solent. Protonotarii vero ad fidem exhibendam circa ea Decreta, quæ Consistorio censentur, solum rogandi erant*. Atque hæc quidem consona iis sunt, quæ edicit hic noster §. *Poterunt interesse aliqui Protonotarii, ut sint rogati de his, quæ gerantur*. Tum mox: *Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maxime Commissarii causæ, ut siquid esset declarandum, possint ut bene informati, mentes aliorum declarare*. Vide eruditum Roccam in Commentario, *De Canonizatione Sanctorum*, Cap. XXXVII. ubi de tertio Consistorio agit.

IX. Sed ut aliquod generalis Canonizationis, quæ dicitur illa facta ab œcumenica Synodo, aut a Summo Pontifice Sanctorum aliquem toti Ecclesiæ declarante, exemplum afferamus, imo & initium ejus ritus, certe primus, qui eum mo-

Digitized by Google

morem invenit, fuit Joannes XV. qui, ut tradit Mabillonius in Præfatione ad Seculum V. Benedictinum §. VI. anno Christi CMXCIII. Synodum exeunte mense Martio Romæ celebravit, in qua Udalricum Augustensem Episcopum Canonizavit. Rogante Liutolfo Augustano Episcopo peracta est quidem prima hæc Canonizatio S. Udalrici a Summo Pontifice & in Concilio Lateranensi complurium Episcoporum, ut nimirum S. Udalrici cultus, quem ipse Liutolfus Augustanus Episcopus in sola Ecclesia augustana juxta disciplinam ejus temporis instituere poterat, latius propagaretur auctoritate Romani Pontificis, quod alii postea in religionem verterunt. Addiscimus autem & illud ex memorata S. Udalrici Canonizatione, atque ex aliis complurium aliorum Sanctorum Canonizationibus, Romanam Ecclesiam Synodale examen semper huic Judicio impendisse. Præter enim exemplum adductum Joannis XV. qui in Lateranensi Concilio S. Udalricum canonizavit anno, ut dictum est, CMXCIII. Callistus II. in generali I. Lateranensi Synodo S. Conradum, & Innocentius II. in Synodo itidem II. Lateranensi Œcumenita S. Sturmium Abbatem Fuldensem canonizarunt. Sed & idem Innocentius II. jam ante II. Generalem Synodum Lateranensem, in Remensi Synodo anni MCXXXI. Godehardum Episcopum Hildesheimensem Sanctorum Fastis adscripserat, ut ejusdem Pontificis Litteræ nos docent relatæ a nobis Tomo III. Conciliorum pag. 18. & seqq. in quo etiam Tomo nonnihil de Canonizatione diximus.

§. VI.

De præparatione suggesti, & aliarum rerum pro Canonizatione

Deliberatur deinde dies Canonizationis, & interim in Ecclesia construitur suggestus ligneus tantæ amplitudinis, ut super illum instituatur, apteturque Capella cum Altari, Credentiis, Throno Pontificali, Sedibus Cardinalium assistentium Papæ, Oratorum, Prælatorum; Choro pro Cantoribus, & omnium Ordinum Romanæ Curiæ adinstar Capellæ Palatii Apostolici a cancellis, & supra quoad formam sedilium, & capacitatem. In eo suggestu erunt duæ Sedes Papales, una eminens ad sinistram partem, & alia erit amovibilis. Ascendetur ad suggestum per pontem cum duplici ostiolo a capite, & in imo. Ornabitur suggestus in extremitatibus circumcirca cum herbis, & floribus; & intus cum pannis, & tapetis opportunis ornabitur Ecclesia, & suspendentur per totum arma (1) Pontificis, Ecclesiæ, & Imago Canonizandi, atque etiam arma procurantium Canonizationem. Fiet baldachinum novum cum insignibus Pontificis, Procuratorum Canonizationis, & Imagine Sancti, quod debet suspendi supra Altare, ubi Pontifex celebrat. Fiet etiam Vexillum magnum cum Imagine Sancti, quod portabitur ante Religiosos, sive illos, qui procurant Canonizationem, & ponitur apud (2) ostium superius suggesti. Cum Pontifex venit ad Ecclesiam, ponantur circumcirca super deambulatorium intorcia numero octoginta, vel circa, sex librarum pro qualibet, quæ ardeant, dum fit officium.

COMMENTARIUS.

I. IN solemnitate Canonizationis, uti opportune adnotavit BENEDICTUS XIV. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XLVI. §. VII. Num. XXXIX. amplum fit tabulatum in Basilica Vaticana, in quo nedum Thronus Pontificius, verum etiam sedilia pro Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Pœnitentiariis, Præsulibus, & Officialibus Romanæ Curiæ collocantur, cujus porro ligna, expleta solemnitate, traduntur Canonicis ejusdem Vaticanæ Basilicæ, qui eorum pretium instar Chori distributionum inter se dividere consueverunt. Egregia canonizandi facinora, & insignia miracula depicta per universam Basilicam conspiciuntur, & horum pariter icones eidem Basilicæ Capitulo, perfecta celebritate, tribuuntur. Ingens funalium, cereorum, & candelarum accensarum numerus tabulatum ipsum, Altare, Apostolorum Confessionem, & universum Basilicæ ambitum circumdat; itemque quicquid funalium eorundem, cereorum, & candelarum post Missam reliquum est, ad modo dictum pertinet ejusdem Basilicæ Capitulum, sed ita tamen, ut horum omnium pretium, adhibita debita proportione, participent etiam Beneficiarii, necnon Clerici Beneficiarii, qui Choro intersunt ejusdem Basilicæ. Pergit Sanctissimus Pontifex, aitque Num. XLI. impensas pro tabulato, luminibus, atque pretiosis supellectilibus, quæ in Canonizationibus adhibentur, inter necessarias computatas fuisse; quia scilicet majestas solemnitati deesset, si tabulatum, ut de eo primum dicamus, non fieret, atque adeo sine eo pauci solemnitatem videre possent, & cæremonias, ritusque, quibus solemnitas ipsa Canonizationis peragitur. Atque hæc quidem, & alia longe plura docet laudatus Pontifex, quæ tamen recentiorem morem, quo Sanctorum Canonizationes in Vaticana Basilica celebrantur, spectant.

II. Juxta præscriptum nostri §. *ornabitur suggestus*, seu tabulatum ipsum, *in extremitatibus circumcirca cum herbis, & floribus*. Ita plane factum est in Canonizatione S. Francisci de Paula, teste Paride Grasso, qui in ms. Diario, ubi

(1) In editione Romana, in Veneta vero I. & Colonienſi legitur *insignia*, & ita etiam paulo post. (2) In citatis Veneta, & Colonienſis editionibus legitur, *super*.

Digitized by Google

ubi ipsam Canonizationem describit, sic inter alia inquit: *Feci optime deputari unum Festajolum expertum, & unum ex meis Capellanis præsidentem deputavi super paratum festivum, & obtinui a Papa, quod omnes muliones Palatii ad libitum Festajoli mitterentur pro frondibus ex myrto, & floribus hujusmodi, quando, & quoties ipse Festajolus vellet. Feci fieri frasconos in gyrum suggesti, & super porta principali Ecclesiæ cum armis quinque, & bene fuit.* Consueviſſe olim sacras Ædes præsertim in summis celebritatibus Sanctorum ornari floribus, ac frondibus arborum, docet Nos Nepotiani Presbyteri exemplum, qui teste S. Hieronymo in ejus Epitaphio, seu funebri oratione, *Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit, ut quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, Presbyteri laborem, & studium testaretur.* Hujusmodi diligentiæ laudem meruit S. Severus, de quo S. Gregorius Turonensis in libro, *De Gloria Confessorum*, Cap. L. ita scribit: *Solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere, ac per parietes hujus Ædis appendere.* Addi & his potest S. Guido Lakensis Ecclesiæ Clericus, quem incertus, sed verus Scriptor iisdem pene verbis, quibus S. Hieronymus Nepotianum, celebrat apud Surium die XII. Septembris: *Siquis eum quæreret, in Templo reperiebat. Diversi autem generis floribus, & arborum comis cancellos, & thecas Sanctorum vestiebat &c.*

III. Templum, Altaria, sacras Imagines, & Sanctorum Reliquiaria floribus decorabat & prisca ætas, ut pluribus docet eruditissimus Caracciolus in Notis ad Constitutiones Clericorum Regularium, Parte I. Cap. III. Certe apud Hebræos antiquissima est florida religio, præcipue in celebri festoque die: *Constituite*, ait in Psalmo CXVII. Regius Vates, *diem solemnem in condensis usque ad cornu Altaris*, hoc est, ut Agellius e Symmacho, & LXX. erudite adnotavit, *diem festum agentes, Templum densis frondibus, florumque sertis ornate usque ad Altaris angulos.* Itaque Hebræis mos iste solemnis; & cum flores per hyemem deessent, ramos, frondesque sufficiebant. Ita ad ingressum Simonis Machabæi in arcem Hierosolymitanam festivitatem celebrarunt cum laude, & ramis palmarum, uti constat ex Libro I. Machabæorum Cap. XIII. Christum quoque, uti legitur Matthæi Capite XXIII. Hierosolymam regaliter ineuntem similiter exceperunt. E Judæis igitur ad nos ornatum istum, ut & pleraque alia, transiisse, recte arbitratur idem Caracciolus loco citato. Porro Sanctorum Martyrum Ædes, atque Altaria floribus inspergi solita, sæpe S. Augustinus Lib. II. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. & seqq. aliique Patres, atque Historici meminerunt. Ut alios omittam, Prudentius, rosis, floribusque aliis, sacrorum Ossium thecas, sive Aras, vel media hyeme purpurandas piissime meditatur, sic inquiens Hymno III. *De Coronis*,

Carpite purpureas rosas,
Sanguineosque crocos metite.
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arva tepens glacies,
Foribus ut cumulet calathos,
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus Altar & impositum.

Quod nostram rem spectat, ut alia exempla omittam, ubi anno Domini MCCCXCI. die Sabbati VII. mensis Octobris a Bonifacio Papa IX. *facta fuit Canonizatio B. Brigidæ in magna Capella sacri Palatii Romæ prope S. Petrum*, teste Petro Amelio in Ordine Romano XV. Capite CLIII. *parata fuit Capella circumquaque de pannis, & sternata de frondibus.*

IV. Præterea, ut ait noster §. *intus cum pannis & tapetis opportunis ornabitur Ecclesia.* De ornanda Ecclesia, in qua solemnitas Canonizationis celebratur, loquitur Romanus Ordo XIV. Cap. CV. mandans inter alia, ut Canonizationis *die adveniente, sternatur tapetis Ecclesia, & paretur &c.* Sacram ipsam Ædem, in qua S. Brigida anno MCCCXCI. canonizata fuit a Bonifacio Papa IX. paratam fuisse *circumquaque de pannis*, jam paulo superius audivimus ex testimonio Petri Amelii, qui in suo Romano Ordine XV. Cap. CLIII. ejus Sanctæ Canonizationem describit. Sequioribus seculis multum auctus fuit ipsius Basilicæ Vaticanæ ornatus, in qua fere semper peragi consueverunt Canonizationes Sanctorum; afferrique possent varia exempla; sed puto, nunquam Vaticanam ipsam Basilicam elegantius, nobiliusque fuisse ornatam, quam in postrema Canonizatione Sanctorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa, & Catharinæ de Riccis celebrata a Sanctissimo Domino nostro feliciter regnante BENEDICTO XIV. die XXIX. Junii anno Christi MDCCXLVI. ut videre est in Actis Canonizationis laudatorum Sanctorum Romæ editis anno MDCCXLIX. pag. 585. & sequentibus, ubi fuse eleganterque ornatus Vaticani Templi describitur cum variis figuris ære incisis, quæ ornatum ipsum prædictæ Canonizationis spectant.

V. In ornatu Basilicæ mandat noster §. *ut suspendantur per totum arma Pontificis Ecclesiæ, & Imago Canonizandi, atque etiam arma procurantium Canonizationem.* Varia antiqui hujus ritus exempla legimus passim in Actis Canonizationis Sanctorum, servatumque ritum ipsum vidimus nos in iis Canonizationibus, quas celebrarunt Benedictus XIII. Clemens XII. & novissime feliciter regnans BENEDICTUS XIV. in solemni Canonizatione quinque Sanctorum, quam fuse eleganterque enarrant Acta ejusdem Canonizationis. Porro, cum juxta antiquum ritum, cujus in suo citato egregio Opere idem BENEDICTUS XIV. non semel meminit, in Canonizationibus alta voce legerentur miracula canonizandorum, præ magna autem hominum multitudine, qui illis intererant, vix pauci legentem audire possent, hinc, ut illorum pietati satisfieret, in ejus lectionis locum, picturæ substitutæ sunt, quæ ab utroque Ecclesiæ latere appensæ, ab omnibus videri possent; repræsentantque insigniora probata Canonizandorum miracula. Rursus ex præscripto ejusdem nostri §. *fiet baldachinum novum cum insignibus Pontificis, Procuratorum Canonizationis, & Imagine Sancti, quod debet suspendi supra Altare, ubi Pontifex celebrat.* De usu Imaginum in Altaribus, jam fuse diximus nos in Operibus nostris, præsertim vero Tomo II. Conciliorum in Commentariis ad Generalem Synodum VII. Quod autem hunc §. spectat, legenda Acta Canonizationum, in quibus ritus ipse luculentur describitur.

VI. Cau-

Digitized by Google

VI. Cautum quoque & illud est ex nostro eodem §. ut fiat etiam *Vexillum magnum, quod portabitur ante Religiosos, sive illos, qui procurant Canonizationem, & ponitur apud ostium superius suggesti*. Solet plane ex antiquo ritu in Processione, quæ fit in Canonizatione Sanctorum, & de qua diximus supra in Commentario ad §. VIII. deferri Vexillum cum Imagine ejus Beati, qui est canonizandus, & plura utique feruntur Vexilla, si plures Beati sint illi, qui debent unico actu canonizari, uti sapientissime notat Sanctissimus Dominus Noster in Opere insigni, *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XXXVI. ubi etiam docet, eam Vexillum ipsum deferendi consuetudinem initium habuisse videri a citata Canonizatione S. Stanislai Cracovienſis Episcopi, de qua sic inquit Joannes Longinus apud Bollandianos loco citato: *In ipso Canonizationis articulo, Innocentio Papa*, ejus scilicet nominis IV. qui eum canonizavit anno MCCLIII. *consistente adhuc in Cathedra, Vexillum de rubro colore, & puniceo contextum, Pontificalem personam habens pro insigni, in alto pendens, Angelico gestatum ministerio, apparuit, a pluribus Christifidelibus, quibus id clementia Divina revelare voluit, non sine admiratione conspectum; rubro colore sanguinis effusionem significans, & Pontificali persona Beatissimum Stanislaum apertissime figurans*. Ad quæ verba ita ad rem nostram Papebrochius notavit: *Eo miraculo præbitum exemplum Vexillum exponendi in Canonizatione novorum Sanctorum*. Sunt autem qui putant, inter quos Phœbeus ex Notis Baronii ad Martyrologium Romanum, Vexilli usum in solemni Processione Canonizationis deferendi originem duxisse a Concilio Constantiensi, ubi ex Patrum Decreto ad propulsandam ingruentem luem, S. Rocho honores Sanctis debiti fuere impensi, solemnique pompa ejus Imago omni comitante populo per Urbem Constantiensem gestata fuit. Adhæret Phœbeo Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XXIX. sed tenenda est potius sententia BENEDICTI XIV. qui Lib. I. citati Operis, Cap. XXXVI. recte docet, *Vexilli delationem in solemnitate Canonizationis, causam & originem nequaquam habuisse a gestatione Imaginis S. Rochi, sed a prædicta potius apparitione Imaginis in Vexillo depictæ, quæ contigit in Canonizatione S. Stanislai*.

VII. Quicquid sit, invaluit præsertim post editionem nostri hujus Cæremonialis mos in ea Processione gestandi Vexillum cum Imagine illius Beati, qui est canonizandus; Vexillumque ipsum in Canonizatione S. Francisci de Paula civis mei facta a Leone Papa X. delatum fuisse a Generali Ordinis Minimorum medio inter Oratorem Hispaniæ, & Oratorem Portugalliæ, testatur in suo ms. Diario Paris de Grassis. Ceterum in Sacrorum Rituum Congregatione decernebatur olim, atque præscribebatur forma pingendi Beatum in Vexillo, seu Vexillis pro Canonizatione. Ita quippe factum est in Canonizatione S. Caroli Borromæi teste Mucantio Secretario prædictæ Congregationis. Docet autem inter alia idem Sanctissimus Dominus Noster in suo laudatissimo Opere, jam non unum, sed plura consuevisse fieri Vexilla pro unoquoque Sancto Canonizando, quorum alterum e Templi Vaticani fornice pensile manet ad perennem rei memoriam; alterum vero, Canonizatione expleta, quando primum Festum Sancti recens canonizati fit in Ecclesia Ordinis, quem Sanctus, si fuerit Regularis, professus est, vel nationis, ex qua ortum habuit, ad eandem defertur Ecclesiam. Processio demum, quæ instituitur in hac Vexilli delatione, luculenter descripta est a Chiappono in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum peractæ a Clemente Papa XI. quibus addi possunt ea, quæ luculentissime de ipsa Processione novissime descripta sunt in Actis Canonizationis quinque Sanctorum celebratæ a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV.

VIII. Unum restat, ut nempe de Vexillo & ea hic describamus, quæ leguntur in Cæremoniali inedito Capituli & Cleri Vaticanæ Basilicæ scripto a Michaele Angelo Matthæo, in cujus Capite XXVII. quod inscriptum est, *De modo tradendi Vexilla Sancti canonizati*, sic habetur: *Vexilla Sancti canonizati delata in Canonizationis Processione, in nostra Basilica remittuntur, quorum unum in Templi fornice pensile ad maximam rei memoriam perennat, & alterum eorum, vel plura, festo die Sancti canonizati Religioni, vel concivibus traduntur. Statuta igitur die ab Hebdomadario Canonico una cum quatuor Ministris Pluvialibus indutis, etiamsi diei solemnitas non exigat, cantantur solemnes Vesperæ ad Altare Sanctorum Apostolorum. Vesperis expletis, omnes in Choro sedent. Interim ordinatur Processio ante præfatum Altare transitura. Sancti canonizati Vexillum, seu Vexilla deferunt ejusdem Sancti Regulares, vel Concives, vel Confratres, quibus Chorum ingredientibus, omnes assurgunt. Canonicus celebrans, stans accipit cordulas e Vexillo pensiles, quæ in singulis Vexillis sunt quatuor, & eas Religiosis paratis tradit. Deinde noster Chorus præ manibus facem gestans ordinatim procedet ad Ecclesiæ Atrium, ubi sistit hinc inde, & transeuntibus Vexillis, omnes genuflectunt. Canonicus vero paratus, traditis cordulis, & descendentibus Vexillis, una cum Ministris genuflectat, & postmodum in Sacrarium redeat*. Atque hæc satis sint de Vexillis Sanctorum recens canonizatorum; qui autem plura desiderat, legat Acta Canonizationis quinque Sanctorum a Sanctissimo Domino Nostro magna cum pompa peractæ. Unum est, quod & hoc loco ostendam, quod alias superius memoratum fuit, plura nempe adhibita fuisse Vexilla in Canonizatione Sanctorum, ac præsertim in Canonizatione Sancti Francisci de Paula, ut testatur in suo ms. Diario Paris de Grassis, ubi eam Canonizationem enarrat, ubi inter alia ait, quod intelligens Canonicos S. Petri *velle omnia Vexilla, & alia multa*, fecit, quod Papa, Leo nempe X. concluserit; *quod ipsi habeant suggestum ligneum præter sedilia, quæ ex Capella, aut ex Palatio commodabuntur, & etiam baldachinum novum, & unum Vexillum, quæ duo conservabunt in Ecclesia pro honore Ecclesiæ, & pro memoria actus, & nihil aliud penitus habeant, aut petant, & sic ipsi fuerunt contenti, licet postea voluissent more solito rapere, sed nihil habuerunt*.

XI. Denique mandat noster §. ut, *cum Pontifex venit ad Ecclesiam, ponantur circum circa super deambulatorium intorticia numero octuaginta, vel circa, sex librarum pro qualibet, quæ ardeant dum fit officium*. Parandam esse in Canonizationum celebritate Ecclesiam tapetis, au-

Digitized by Google

læisque, ac cereis multis illuminandam, præscripsit jam Romanus Ordo XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. CXV. ubi inter alia mandat, ut Canonizationis *die adveniente, sternatur tapetis Ecclesia, & paretur, & illuminentur in ea cerei multi*. Idipsum docet ms. Codex Cæremonialis Piersanctianus, præscribens, ut *extendatur tapetus in Ecclesia, & paretur, & illuminentur in ea cerei multi*. Cereorum numerum designat hic noster §. ubi mandat, ut *ponantur circumcirca super deambulatorium intorticia numero octuaginta, vel circa, sex librarum pro quolibet, quæ ardeant dum fit officium*. Meminit ejus ritus Paris de Grassis in suo ms. Diario Leonis X. anno MDXIX. ubi enarrans solemnitatem Canonizationis civis mei S. Francisci de Paula Ordinis Minimorum Fundatoris, quam ipse ut Apostolicus Cæremoniarius direxit, sic inter alia inquit: *Feci deputari duos Fratres de Trinitate* (sunt hi Religiosi Minimi) *qui ante diem Canonizationis funalia ponerent in alto Basilicæ in buxulis suis, quot erant dispositæ ad sustinenda ista funalia, quæ erant numero septuaginta, quoniam Ecclesia erat rupta propter fabricam novam Ecclesiæ*. Additque mox: *Hi autem duo Fratres in die Canonizationis manserunt superius, ubi funalia in buxulis erant, & custodierunt illa, ut semper arderent: quod maxime displicuit Clero S. Petri, quia ipsi volebant facere modo suo, & illuminare, ac extinguere, quando eis placebat*.

XII. Carpit plane sæpe Grassus, ac præsertim, ubi enarrat Canonizationem S. Francisci de Paula, Vaticanum Clerum, quem etiam non uno in loco rapacem vocat, quod nempe ea, quæ in ipsa Canonizatione adhibebantur, præter morem, vendicare sibi vellet. Sed omissa Grassi audacia, sive invidia, quod cereos spectat, quibus in hujusmodi celebritatibus illuminari solita fuit Vaticana ipsa Basilica, seu Capella, in qua Canonizatio celebrabatur, teste Petro Amelio in Ordine Romano XV. Cap. CLIII. *circumquaque per totam Capellam*, ubi scilicet canonizata fuit anno Christi MCCCLXXXI. S. Brigida a Bonifacio IX. Pontifice, *fuerunt tortitiæ, seu brandones, quilibet de undecim libris ceræ in summa LXXXVI.* Tortitiæ, sive tortitii, vel tortisii, idem sunt, ac brandones, ut ex recitato Amelii loco addiscimus, & significant faces, tædasve, seu funalia. Tortisiorum meminit quidem Exoniensis Synodus anno MCCLXXXVII. habita, Cap. IV. *De Parochiarum eleemosynis*, inquit, *Sacerdotes procurent duos fieri tortisios, in Canone Missæ ardentes, prout in Ecclesiis multis hactenus fieri consuevit*. Vox torticii occurrit etiam in Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite XCII. ubi agit de ritu excommunicationis die Cœnæ Domini: *Circa ultimum verborum, habens aliquos torticios accensos in manu, projicit ipsos Dominus Papa versus populum ad terram &c.* Quos Ordo Romanus XIV. dicit torticios, Romanus Ordo XV. non modo citato loco, verum etiam Cap. CXLV. torticias vocat. Agens enim de exequiis Papæ, sic inter alia inquit: *In die prima sepulturæ ad minus debent esse cc. tortitiæ, quælibet de sex libris ceræ*. Tum paulo post mentionem facit brandonum, qui, uti dictum est, idem sunt ac funalia, uti ex veteribus monumentis docet eruditus Dufresne, verbo, *Brando*. Ceterum ex descripto superius Amelii loco adnotandum censeo, jam longe ante editionem nostri Cæremonialis, in una sola Capella, ubi celebrata est S. Brigidæ Canonizatio, fuisse adhibita intorticia, sive tortitias, seu brandones LXXXVI. quorum quilibet fuit de undecim libris ceræ.

XIII. Non ergo mirum, si nostris temporibus, aucto magis magisque Sanctorum cultu, majorique celebritate, ac olim, peragi solita ipsorum Canonizatione, ad compescendam scilicet magis magisque hæreticorum perfidiam, qui & cultum ipsum, & Canonizationis ritum ex constanti Patrum traditione probatos, diabolico adacti spiritu improbant, ingens funalium multitudo in Sanctorum solemnitatibus, ac in eorum præsertim Canonizationibus in Ecclesia, ubi celebrantur, adhiberi soleat. Mos quippe invaluit, ut in ipsis Canonizationum celebritatibus ingens Cereorum accensorum numerus tabulatum, Altare, Apostolorum Confessionem, & universum Vaticanæ vastæ Basilicæ ambitum, in qua Canonizationes utplurimum fiunt, mirabili dispositione circumdet. Consueviisse autem vel olim in Ecclesiis, ubi Sanctorum solemnitates, & Festa celebrabantur, innumeros pene accendi cereos, testem inter alios veteres Patres habebus S. Paulinum, qui in Natali III. de S. Felice Nolano hæc habet.

Clara coronantur densis Altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant; sic nox splendore diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Testis est vel ipse hæreticus Vigilantius, quem cereorum usum perperam improbantem egregie confutavit S. Hieronymus in Epistola adversus ipsum scripta, jam IV. seculo consueviisse in Ecclesiis, *sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi*. Sed de hoc argumento jam nos alias disseruimus, ac præsertim in Commentariis ad Cæremoniale Episcoporum.

§. VII.

De præparatione ceræ distribuendæ.

Paretur (1) cera distribuenda, in primis pro Pontifice duo cerei albi, duodecim librarum pro quolibet, pro Cardinalibus quatuor (2) librarum. Item pro elevatione Sacramenti duodecim intorticia librarum sex pro quolibet, pro Altari septem cerei, & duo pro credentia duarum librarum. Item pro Offertorio duo magni cerei duodecim librarum (3) pro quolibet, quos offert primus Cardinalis. Item tres cerei sex librarum, quos offerent tres Oratores, seu Deputati cum tribus Cardinalibus. Et omnes

(1) Ita in editione Veneta I. & Colonienſi; in Romana, *paratur*.
(2) Ita in Romana; in Veneta, *libræ*.
(3) In Veneta deest, *pro quolibet*.

Digitized by Google

nes cerei ſupradicti erunt albi præter octuaginta intorticia Eccleſiæ. Item ordinentur cerei de cera communi pro Prælatis, Oratoribus, & magnis Nobilibus duarum librarum; pro Officialibus, & Cantoribus unius libræ; pro Clero, & aliis, ut placuerit. Intimetur etiam Clero Urbis, ut ſummo mane conveniant proceſsionaliter (1) in porticu Eccleſiæ S. Petri.

COMMENTARIUS.

I. MUltam ceram fuiſſe jam olim adhibitam in celebritate Canonizationis Sanctorum, non uno in loco noſtrorum Commentariorum ad hunc Titulum diximus. In ipſa Proceſſione, quæ vel olim ea occaſione haberi ſolita fuit, magnam ceræ copiam adhibitam fuiſſe, docent vetera Acta hujuſmodi Canonizationum, præſertim vero S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis, quem Innocentius Papa IV. anno MCCLIII. Martyrum Faſtis adſcripſit; de qua ita inquit in ejuſdem Actis Joannes Longinus Libro III. Num. XII. apud Bollandianos ad diem XI. menſis Maji: *Omnibus autem rite perfectis, Cantico*, Te Deum laudamus, *a Summo Pontifice*, Innocentio IV. *inchoato, & a Clero univerſo ad finem expleto, facta eſt generalis candelarum in homines utriuſque ſexus, qui convenerant, diſtributio adeo liberalis, & prodiga, ut illius modi liberalitatem ſinguli teſtarentur ſe nullo unquam tempore vidiſſe, ſed nec ab ætate defluxa audiſſe.* Vide quæ & de Proceſſione peragi ſolita in celebritate Canonizationis, diximus in Commentario ad §. VIII. ſatiſque erit hoc loco adnotare, quod edicitur in fine noſtri hujus §. ut nempe *intimetur etiam Clero Urbis, ut ſummo mane conveniant proceſſionaliter in porticu Eccleſiæ S. Petri.*

II. Ingentem cereorum copiam adhibitam fuiſſe in ipſa Proceſſione, docent nos paſſim Acta Canonizationum, & mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria. Paris de Graſſis in ſuo ms. Diario, ubi enarrat Canonizationem S. Franciſci de Paula ita inquit: *Item ordinavi, quod capſæ duæ cereorum funalium, ac candelarum ceræ albæ pro Papa, Cardinalibus, & Prælatis, ac aliis, eſſent ſuperius in parva Capella Cantorum & Hippolitus nepos meus primus Magiſter Cæremoniarum daret candelas Cardinalibus, Prælatis, ac aliis Oratoribus, & omnibus.* Pergit Graſſus, aliaſque duas cereorum capſas recenſet, qui in ea Proceſſione diſtributi fuere: *Item duas alias capſas poſui inferius cum candelis pro Clero, & quod ſecundus Magiſter Cæremoniarum diſtribuat, præſentibus duobus aliis Fratribus, & bene fuit, & quod omnes prius in cuſpide combuſti ſint &c.*

§. VIII.

De bis, quæ fiunt in die Canonizationis, ac de Proceſſione, & Sermone.

Statuta igitur die Canonizationis, Pontifex paratur Pluviali rubeo, & Mitra pretioſis cum Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus paratis, proceſſionaliter deſcendit ad Eccleſiam ſub baldachino. In Camera paramenti diſtribuuntur cerei, & ab omnibus portantur accenſi. Cum vero Pontifex pervenerit ad porticum S. Petri, excipitur ibi a Clero Urbis proceſſionaliter parato. Intrat Eccleſiam Pontifex, & aſcendit ſuggeſtum cum Prælatis, & aliis Officialibus; Clerus vero ſuggeſtum circumſtat. Pontifex, oratione facta ante Altare, aſcendit eminentem Sedem, & accipit Cardinales, & Prælatos paratos ad reverentiam; qua facta, deſcendit, & ſuper aliam Sedem ſibi ante Altare paratam ſedet verſus renes ad Altare, ubi facit Sermonem, referens quæ geſta ſunt, & Vitam, ac miracula Sancti ſummarie, & in genere. Demum hortatur omnes, ut ſecum pariter Domino pias preces fundant, orantes, ne permittat errare Eccleſiam ſuam in hoc negotio. Surgit deinde Pontifex; removetur Sedes, & procumbit ſuper Faldiſtorium cum Mitra. Cantatur Litania a Cantoribus, & nulla fit mentio de Canonizando, omnibus in terram genuflexis orantibus. Finita Litania, Diaconus a dextris ſurgit, & verſus ad populum, alta voce dicit: *Orate*. Iterum genuflectit, & omnes prolixius orant. Tum Diaconus a ſiniſtris ſurgens, eodem modo dicit: *Levate*; & omnes ſurgunt. Tunc Pontifex ſtans ſine Mitra, incipit in voce: *Veni Creator Spiritus*; & tam ipſe, quam alii omnes genuflectunt ad primum verſum; Cantores proſequuntur Hymnum; & Pontifex cum Mitra aſcendit ad Sedem eminentem, & Mitra depoſita expectat finem Hymni. Quo completo, duo Cantores dicunt verſum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, & alii reſpondent: *Et renovabis faciem terræ*, & Pontifex. *Oremus.*

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum &c.

Tunc procurator cauſæ inſtanter petit a Pontifice nomine Procuratorio, & nomine Principum

(1) Ita in Romana, in Veneta legitur, *ſupplicantes*.

Digitized by Google

cipum &c. pronunciari, & declarari Beatum N. in Sanctorum Catalogum adſcribendum, & ut Sanctum venerandum a Chriſtifidelibus,

COMMENTARIUS.

I. OCcaſione ſolemnis Canonizationis ſolemnis item inſtituitur Proceſſio, de qua antiqui Auctores, & Codices Rituales loquuntur. Meminit quidem ejus Ritus Cardinalis Oſtienſis in Capite, *Audivimus, De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, ſic inter alia inquiens: *Conveniunt Papa, & Fratres, & totus Clerus, & populus*, Ex præſcripto Romani antiqui Ordinis, Cap. CXV. ubi exponitur modus, qui ſervari conſuevit circa Canonizationem alicujus Sancti, *mane deſcendente dicto Domino noſtro Papa ad eandem Eccleſiam*, ubi nempe Canonizationis ſolemnitas celebratur, *occurrit ei Proceſſio Cleri illius Eccleſiæ*, Præter Clerum illius Eccleſiæ, ubi fiebat Canonizatio, conſuevisſe Urbis Religioſos, & quidem ante editionem noſtri hujus Cæremonialis ab Auguſtino Patricio ordinati, obviam ire Pontifici ad Eccleſiam proceſſionaliter ſub baldachino venienti, teſtem habemus Volaterranum, qui in ſuo Diario apud Muratorium Tom. XXIII. Rerum Italicarum, & apud Raynaldum ad annum MCDLXXXII. ubi agens de Canonizatione S. Bonaventuræ a Sixto IV. peracta, ſic inquit; *Tunc Papa deſcendit in Baſilicam proceſſionaliter cum baldachino; in porticu ei obviam iverunt Religioſi Urbis, & Clerus ipſius Eccleſiæ Sancti Petri*,

II. Proceſſionis quoque ante Canonizationem fieri ſolitæ accurata deſcriptio legitur in ms. Diario Paridis Graſſi, ubi agit de Canonizatione civis mei S. Franciſci de Paula, & in Actis Canonizationis S. Didaci collectis a Petro Galeſinio, Parte III. Cap. XIV. Sed audiamus Clementem Papam VIII. qui in Bulla Canonizationis S. Hyacinthi, quem ipſe inter Sanctos retulit, ipſam rem plenius, luculentiuſque exponit: *Ipſa Dominica in Albis*, dies enim erat habitæ ab ipſo Canonizationis, *illuxit. Nos, & iidem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui in Capellam noſtram Pontificiam nobiſcum ad id convenerant, ſacris veſtibus induti, Hymno*, Ave Maris ſtella, *ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus opem tunc maxime invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab ejuſdem Capellæ noſtræ Cantoribus ad finem uſque deinceps decantato, aliiſque etiam Romanæ curiæ Prælatis, & Officialibus, Familiaribuſque noſtris, una cum ceteris totius Eccleſiaſtici ſeculares, & Regularis Ordinis Viris longo pioque ordine præeuntibus, omnes cum ardentibus cereis ad illius gloriam, qui ſua luce, & ſplendore Cælos complet, ex Palatio noſtro Apoſtolico ſumma cum celebritate proceſſimus ad Baſilicam Principis Apoſtolorum tunc magno undique ornamentorum apparatu inſtructam*. Candelarum, & funalium cereorum diſtributionem factam fuiſſe aliquando omnibus qui Canonizationi intererant, probavimus ſupra in Commentario ad §. VIII. ex actis Canonizationis S. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, quem Innocentius IV. anno MCCLIII. Sanctorum Martyrum catalogo adſcripſit.

III. Hodie quoque ſolemnitas Canonizationis initium ducit ab ipſa Proceſſione. Qui ordo ſervatus ſit a Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. in Canonizatione quinque Sanctorum, Acta ipſius Canonizationis luculentiſſime enarrant, ubi ſic inter alia inquiunt pag. 478. *Summo mane, quotquot ex utroque Clero erant, ut præſto eſſent futuræ ſupplicationi, ad conſtituta in Vaticanis Ædibus Atria contenderunt. Præceperat autem Sanctiſſimus Dominus noſter, ut Clerus non, quemadmodum prius factum erat, compoſitus hinc inde a Palatii porta, quam* Ferream *vocat, uſque ad Obeliſcum, & ab eo per forum uſque ad primarium Baſilicæ oſtium duas inflexas continuaſque formaret lineas, & ita conſiſteret, deſcenſum, & tranſitum ſuæ Sanctitatis per earum medium præſtolaturus, ſed ut compoſite graviterque intendens, canens præterea Hymnum*, Ave Maris ſtella, *recta introiret in Divi Petri Templum* &c. Fuſe eam Proceſſionem recenſent, quam etiam ære figura inciſa exprimunt. Ceterum ut nihil de Proceſſione nos hoc loco omittamus, ſciendum eſt plane illud, conſuevisſe aliquando peragi ipſam Proceſſionem, non quidem ante, ſed poſt peractam Canonizationem, ut docet nos Petrus Amelius in ſuo Romano Ordine XV. Cap. CLIII. ubi agit de Canonizatione S. Birgittæ factæ a Bonifacio Papa IX. *Tunc incepta fuit Proceſſio*, nempe pronunciata Canonizationis ſententia, de qua inferius, *& omnes tenebant faculas ſuas accenſas in manibus, quilibet in ordine ſuo; & duo Patriarchæ ibant cum Cardinalibus. Item Dominus Papa ſubtus pallium*, ideſt, baldachinum; *ſed Milites portabant extra pallium tortitia Papæ accenſa; & ſic ivimus per totam Capellam uſque ad aliam Capellam, & reverſi fuimus proceſſionaliter ad magnam Capellam*,

IV. Nunc ut de Sermone dicamus habendo a Pontifice in honorem Beati inter Sanctos referendi, ex præſcripto quidem noſtri hujus §. Pontifex poſtquam facta oratione ante Altare aſcendit eminentem Sedem, & accepit Cardinales, & Prælatos paratos ad reverentiam, *deſcendit, & ſuper aliam Sedem ſibi ante Altare paratam ſedet verſus renes ad Altare, ubi facit Sermonem* &c. Eſt antiquus ritus, cujus meminit Cardinalis Oſtienſis in Capite, *Audivimus, De Reliquiis* &c. ſic inquiens: *Et facit Sermonem Summus Pontifex, proceſſum recitans, & probata*. Ordo quoque Romanus ita eum ritum enarrat: *Papa prout de Camera venit, ſcilicet cum Pluviali rubeo, & Mitra aurifrigiata cum perlis, vadit ad Cathedram eminentem ante Altare cum ſcabello paratam, & ibi ſedendo facit Sermonem, Mitram tenendo in capite, ut eſt moris, proceſſum recitando, & probata*, Inſigne Concionis habitæ a Clemente V. in Canonizatione S. Petri Cæleſtini monumentum legere eſt apud Auctorem, qui ipſam Canonizationem verſibus exaravit penes Bollandianos ad diem XIX. Maji. Afferri poſſent & alia monumenta, quæ poſſunt videri apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum in laudato toties Opere, Libro I. Capite XXXVI. §. XIII. Porro licet Bonifacius IX. Canonizationem

Digitized by Google

nem fecerit S. Birgittæ in Capella Palatii prope S. Petrum, Missam vero eadem die non celebraverit, sed die sequenti descenderit ad Basilicam Vaticanam, in qua cum omnibus solemnitatibus Missam ipsam celebravit, eadem nihilominus Canonizationis die Sermonem habuit de S. Birgitta, teste Petro Amelio in suo Romano Ordine XV. Cap. CLIII. ubi ita inquit: *Facto silentio, & luminaribus accensis, Papa tenendo Mitram in capite, fecit collationem, & Sermonem suum sub isto themate*: Viduam ejus benedicam, & florebit super ipsam sanctificatio mea.

V. Hæc, & longe plura insigni ac penitiori eruditione referta docet laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. qui etiam notat, introducta temporibus subsequentibus ea consuetudine, & quidem longe post Bonifacium IX. (habuerunt enim Sermonem Pius II. in Canonizatione S. Catharinæ Senensis, Innocentius VIII. in Canonizatione S. Leopoldi Marchionis Austriæ, Leo X. in Canonizatione S. Francisci de Paula, & ut alios omittam, Hadrianus VI. in Canonizatione S. Bennonis, & S. Antonini, ut ex earundem Canonizationum Bullis, & ex mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis constat) ut Secretarius Brevium ad Principes Advocato Consistoriali pro Canonizatione supplicanti respondeat, Pontifices ut plurimum a Concione abstinuisse. Hinc in Actis Canonizationis S. Hyacinthi scribit Severinus de Cracovia, primæ pro Canonizatione petitioni Silvium Antonianum a Secretis Brevium ad Principes tam longa nomine Clementis Papæ VIII. respondisse oratione, ut per illam Pontifex ipse solitum de Canonizatione, & Canonizando Sermonem obiisse videretur. Ceterum Sanctæ memoriæ Clemens XI. qui utplurimum in solemnibus Missis, quas celebrabat certis anni Festis, Homiliam habebat, laudabilem antiquum morem retinuit in Missa, quam celebravit occasione Canonizationis quatuor Sanctorum, Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, & hæc utique ipsa edita est cum inter ceteras egregias ejusdem Pontificis Homilias, tum in Actis memoratæ Canonizationis a Justiniano Chiappono collectis. Novissime in Canonizatione quinque Sanctorum solemnissimo ritu, ac Pompa a Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. celebrata in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, sedens & ipse elegantissimam Homiliam habuit ad circumfusam multitudinem inter Missarum solemnia post Canonizationem celebrata, in qua luculenter exprimit, & ob oculos ponit utriusque solemnitatis memoriam, legiturque ipsa Homilia in Actis prædictæ Canonizationis Romæ editis anno MDCCXLIX.

VI. Quod Sermonem spectat, quem olim Pontifices habere ad populum soliti erant, ubi Sanctos canonizabant, præterire hoc nefas puto, quod in suo ms. Diario scribit Grassus de Sermone habito a Leone X. in Canonizatione Sancti Francisci de Paula: *Papa eleganti Sermone disseruit cum admiratione assistentium & audientium præ multitudine Sermonis sui cum pietate & justificatione sua, ac cum tanta devotione, & puritate cordis, quod etiam lacrymatus fuerit, ita ut vix aut difficulter verba proferre posset, præsertim quando Deum oravit, ut parceret sibi, si ausus fuisset ad ponendum os in Cælum, & ad tantam præsumtionem, ut ipse, qui summus est peccator, & vix mereretur numerari inter Christianos Servos Dei, nunc auderet referre aliquem inter Sanctos. Quæ verba cum diceret, non pluraliter more Papali, sed simpliciter tanquam homo, quod similiter cum aliis ab omnibus circumstantibus fuit approbatum, & in fine concluſit, adhuc orare velle, & sic surgens de Faldistorio, & Subdiaconus medius inter duos Cantores cantavit Litaniam, & alia, prout in Ordinario.* Noverat Leo ipsum Franciscum, qui etiam illi dum puer esset vaticinatus fuerat Summum Pontificatum, ut Auctores Vitæ ejusdem Sancti referunt.

VII. Juxta §. nostri præscriptum, facto Sermone in honorem Beati canonizandi, Pontifex *demum hortatur omnes, ut secum pariter Domino pias preces fundant, orantes, ne permittat, errare Ecclesiam suam in hoc negotio.* Longum esset hic monumenta referre, quæ de ea re in antiquis Cæremonialibus, & apud priscos Auctores occurrunt. Ostiensis in citato superius Capite *Audivimus*, ita habet: *Facit Sermonem Summus Pontifex, processum recitans, & probata, inducens populum ad orandum, quod Deus non permittat, ipsum errare in hoc negotio.* Eadem fere leguntur in Romano Ordine XV. Cap. CXV. cui mori concinit etiam Auctor, qui Canonizationem S. Petri Cælestini factam a Clemente Papa V. versibus descripsit, ita alloquentem Pontificem inducens:

. . . . . *Vos ergo rogate,*
Nosque oraturos cognoscite, quod Deus adsit,
Omne bonum tribuens, perfectum quodque rependens;
Nec tantis errare sinat, Sponsamque redemtam
Sanguine, sed nostros miseratus dirigat actus.

De Canonizatione S. Birgittæ facta a Bonifacio IX. loquitur sic inter alia Petrus Amelius in Ordine Romano XV. *Completo Sermone, & facta admonitione, ut omnes deberent Deum orare, quod non permitteret eum errare &c.* De Canonizatione S. Bonaventuræ facta a Sixto Papa IV. anno MCDLXXXII. ita scribit Jacobus Volaterranus apud Raynaldum ad prædictum annum: *In fine hortatur omnes, ut orent Deum, ne permittat, errare Ecclesiam suam in hoc negotio; ipse quoque identidem dicit, se oraturum.*

VIII. Eam ob causam præter orationem, indicta quoque fuisse jejunia, testis est Leo X. Papa in Bulla Canonizationis S. Francisci de Paula, ubi compendio memoratis vitæ ejusdem meritis, & miraculis, asserit, rogasse omnes, qui aderant in Consistorio, *ut suis orationibus, ac jejuniis Ecclesiam Dei juvarent, ac, ne eam Altissimus modo aliquo in hujusmodi Canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.* Fuisse in triduum orationes ipsas, ac jejunia indicta, addiscimus plane ex Bulla Canonizationis S. Bonaventuræ, in qua Sixtus IV. diserte inquit, se *in triduum orationes, jejuniaque indixisse, ut Deus Omnipotens ipsi, quod factu optimum in hac re esset, ostendere dignaretur, nec pateretur, Ecclesiam suam militantem errare, quæ se triumphanti conformare studeret.* Clemens quoque VII. in Bulla Canonizationis S. Antonini, quem Sanctorum Fastis adscripsit Hadrianus VI. narrat, eum in triduum preces, & jejunia indixisse, *ut Deus Omnipotens ipsi Hadriano Prædecessori, quod factu optimum in hac re foret, ostendere dignaretur, nec pateretur, militantem*

Digitized by Google

tem Eccleſiam ſuam errare, quæ ſe triumphanti conformare conſuevit. Similia leguntur apud alios Scriptores, ex quibus tamen nihil inferri poteſt adverſus Romanorum Pontificum infallibilitatem in Canonizatione Sanctorum, ut inter alios recte argumentatur Ricciolius a Regnante Pontifice allegatus Lib. I. Cap. XLIV. Nnm. XX. in fine: *Neque huic fiduciæ*, ait ille, *obſtant orationes, jejunia, & eleemoſynæ præmitti a Pontificibus ſolitæ, ne Altiſſimus Eccleſiam ſuam modo aliquo in hoc Canonizationis officio errare permittat, ſicut non obſtant infallibilitati Abſolutionis, aut Conſecrationis Hoſtiæ preces præmitti ſolitæ a legitimo Sacerdote, ſi forma debita ſuper materiam idoneam utatur, nec oratio repugnat fiduciæ de infallibili impetratione, aut fiducia orationi*.

IX. Itaque non mirum videri debet, ſi ex præſcripto noſtri §. *cantatur Litania a Cantoribus*, & deinde Pontifex ſtans ſine Mitra incipit in voce, *Veni Creator Spiritus &c.* Cujus ritus mentionem facit Romanus Ordo XIV. Cap. CXV. *Flexis genibus*, inquit, *fit devota oratio, & Papamet debet incipere cantando Hymnum*, Veni Creator Spiritus; *quo incepto genuflectit &c.* Idem ritus ſervatus olim jam fuit in Canonizatione S. Petri Cæleſtini, de qua ita legitur apud Bollandianos ad diem XIX. menſis Maji.

Dixerat, & ſurgens, nobis adſtantibus, inquit, Proclamatque: Veni replens pia corda Creator Spiritus; *& genibus ſtravit ſe in pulvere, flexis Quoque alii &c.*

Mentionem facit & ejus ritus Cardinalis Oſtienſis in memorato Capite, *Audivimus*, ubi tamen docere videtur, eſſe in arbitrio Papæ, ſi velit cantari ipſum Hymnum, vel alium, ſive Antiphonam convenientem: *Flexis genibus*, inquit, *fit devota oratio, & cantatur*, Veni Sancte Spiritus, *vel alius Hymnus, ſive Antiphona conveniens &c.* Sane cantari conſueviſſe ipſum Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, in Canonizationibus Sanctorum, præſertim vero in iis, quæ poſt editionem noſtri hujus Cæremonialis peractæ fuerunt, teſtantur paſſim earundem Canonizationum Acta a variis Viris doctis collecta, & mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, quæ ſupervacaneum eſt deſcribere hoc loco.

§. IX.

De proteſtatione Pontificis, & ejus forma.

Pontifex, antequam pronunciet, conſuevit proteſtari in hanc formam, quod invenimus ſervatum a multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clariſſimi Viri, qui dicunt, hoc introductum ex quadam cauſa, quæ nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem, & propterea (1) proteſtabatur; nunc autem non videri congruam illam proteſtationem. Sed de hoc ſtatuat Summus Pontifex, & Sacer Senatus.

Forma proteſtationis.

Antequam ad pronunciationem veniamus, proteſtamur publice apud vos omnes hic præſentes, quod per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod ſit contra Fidem, aut Eccleſiam Catholicam, ſive honorem Dei.

COMMENTARIUS.

I. COnſueviſſe olim Pontifices, antequam Decretum Canonizationis pronunciarent, Deum orare, populumque ad orandum hortari, *pro eo quod Deus non permittat eum errare in hoc negotio*, conſtat plane ex recitato ſuperius loco Romani antiqui Ordinis XIV. Capite CXV. in quo tamen nulla fit mentio formæ ejus proteſtationis, quam deſcribit hic noſter §. Fuiſſe autem in uſu eam proteſtationis formam Seculo XIV. & quidem longe ante noſtri hujus Cæremonialis editionem, quam Auguſtinus Patricius ordinavit, dedicavitque Innocentio Papæ VIII. addiſcere licet ex Ordine XV. Romano, Auctore Petro Amelio, qui fuit Urbani V. Sacriſta, tum Gregorii XI. Pœnitentiarius, & Bibliothecarius, poſtea Senogallienſis Epiſcopus, Archiepiſcopus Tarentinus, Patriarcha Gradenſis, & Alexandrinus, atque Aquenſis Eccleſiæ Adminiſtrator, uti docet Mabillonius in ſua ad ipſum Ordinem XV. admonitione. Petrus itaque Amelius in ipſo Romano Ordine Capite CLIII. ubi refert cæremonias Canonizationis ſanctæ Birgittæ, quam unno MCCCXCI. die Sabbati VII. Octobris, Bonifacius Papa IX. ſolemni ritu Sanctorum Faſtis adſcripſit, luculentiſſimum de ea proteſtatione tunc facta teſtimonium exhibet, ſic inquiens: *Completo Sermone, & facta admonitione, ut omnes deberent Deum rogare, quod non permitteret eum errare; proteſtatione etiam facta, quod ipſe non intendebat facere contra Sacroſanctam Romanam Eccleſiam .... pronunciavit, Beatam Brigidam fore Sanctam, & adſcribendam in Catalogo Sanctorum &c.*

II. Illud vero operæ pretium eſt, ut hic enarremus, quod de ipſa proteſtatione, quam ante Canonizationis judicium proferre jam Pontifex ſolitus erat, ait memoratus noſtri Cæremonialis Ordinator in præſenti §. *Sunt tamen*, inquit, *aliqui clariſſimi Viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam cauſa, quæ nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem, & propterea proteſtabatur; nunc autem non videri congruam illam proteſtationem*. Puto equidem, uti notavi Tomo III. Conciliorum in Hiſtoria Concilii IX. Œcumenici, Lateranenſis I. Numero XXII. perperam a Patricio Sacrarum alias Papalium Cæremoniarum peritiſſimo eam opinionem

(1) Ita in editione Veneta I. in Romana autem legitur, *fuit proteſtatus*.

Digitized by Google

nionem afferri Virorum aliquorum clariſſimorum, quam potius confutare debuerat. Quis enim unquam id ſomniavit, coactum vel ſemel quodammodo fuiſſe Romanum Pontificem Maximum ad Sanctum Canonizandum contra ſuam opinionem? Si tota verſetur Eccleſiaſtica Hiſtoria, vel Acta Sanctorum perlegantur, nullum plane ejus rei exemplum occurreret. Clariſſimi iſti Viri, quos ſuppreſſo nomine Patricius citat, quoſque tenebricoſos potius appellaverim, cum minime intelligerent ſenſum ejus proteſtationis, qua utebantur Summi Pontifices, antequam Canonizationis ſententiam proferrent, ſuo ex cerebro rationem illam Romanis non modo ipſis Pontificibus, ſed & toti Catholicæ Eccleſiæ injurioſam excogitarunt; ſimiles profecto quibuſdam ignorantiſſimis, effrontibuſque hujus ævi hominibus, qui interrogati aliquando de origine, & cauſa ſacrarum quarundam rerum, quas omnino ignorant, celeritate dicendi, ut eruditiſſimi videantur, multa ſuo ingenio confingunt a doctrina, & ſenſu Eccleſiæ longe aliena; cum alias certa ſit illa Juriſconſulti ſententia in Lege, *Non omnium*, ff. *De Legibus*, quæ dicit, non omnium, quæ a Majoribus noſtris definita ſunt, certam rationem reddi poſſe.

III. Ceterum, ſi ad examen revocetur formula proteſtationis, in qua olim Summus Pontifex ajebat, ſe *per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod ſit contra Fidem, aut Eccleſiam Catholicam, ſive honorem Dei*, nihil profecto formula ipſa continet, quod ingenia clariſſimorum Virorum, quos Patricius laudat, torquere potuerit. Quis enim neſcit, eam eſſe complurium Theologorum ſententiam, Canonizationem ſcilicet Sanctorum ad Fidem minime pertinere: *Pie credendum eſt*, inquit Angelicus Doctor Theologorum omnium Princeps atque Magiſter S. Thomas, Quodlibet. Libro IX. Articulo XVI. *quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit*. Hæc Viris doctiſſimis, ac Theologis plurimis magni nominis æquiſſima ac pia viſa eſt ſententia, cui etiam adhæſit Sixtus Papa IV. qui, ubi in Sanctorum Catalogum ſanctum Bonaventuram retulit, in Bulla ejus Canonizationis, quæ incipit, *Superna Cæleſtis*, edita VIII. Kalendas Maji anni MCDLXXXII. & relata a Viro doctiſſimo Juſto Fontanino in ſuo Codice Canonizationis Sanctorum, hunc in modum loquutus eſt: *Confidentes, quod in hac Canonizatione non permittat nos Deus errare*.

IV. Scitiſſime itaque inter alios Scriptores Lamindus Pritanius, ſive potius Ludovicus Antonius Muratorius, qui illud ſibi nomen impoſuit in celeberrimo Opere, *De ingeniorum moderatione in Religionis negotio*, Lib. I. Cap. XVII. docet Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus Sanctorum cultum ita indici poſſe, & ad univerſam Eccleſiam extendi, ut non ſolum pium, ac laudabile ſit hujuſmodi Sanctos invocare, ſed etiam impietatem ſapiat eorum cultum improbare, atque contemnere. Eam ob cauſam a ſuſpicione hæreſis illum non abeſſe inquit, atque intolerandam, & pœnis dignam temeritatem, ac impudentiam præſeferre, qui rite Cælitum Catalogo adſcriptos, & in iis, ut ajunt, canonizandis Eccleſiam re ipſa, & Romanum Pontificem erraſſe dicat. Recte autem ſuſpicioni hæreſis, non vero hæreſi formali eum obnoxium dixit, quod vix conciliari cum regulis traditis ad credendum de Fide aliquid illorum ſententia valeat, qui firmiſſimo aſſenſu, divinaque Fide credendum cenſeat, Eccleſiam, aut Romanos Pontifices talia decernentes falli nunquam poſſe: *Videant ipſi*, ſubjicit laudatus Auctor, *an non inde ſequatur, novas revelationes, nova de factis Dogmata in Eccleſiam induci; quod abhorrere a Catholica Doctrina, & ipſi non negant*. Eandem ſententiam jam ante Muratorium tradidit, comprobavitque Theologus omnium judicio præſtantiſſimus atque Religioſiſſimus Melchior Canus Dominicanæ Familiæ decus, & Epiſcopus Canarienſis Lib. V. *De locis Theologicis*, Cap. V.

V. Addubitari inſuper nequit, quin ritus Canonizationis ab Apoſtolica Sede eo ſemper peractus fuerit accurato diligentique ſtudio, ut pie credendum ſit, nullum ea in re fuiſſe errori locum, aut deinceps futurum. Pluribus id quidem docet feliciter regnans Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in doctiſſimo Opere ſuo, *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*. Notum autem omnibus eſt, quod alias diximus nos citato Tomo III. Conciliorum in Hiſtoria Concilii I. Lateranenſi, Num. XXV. adeo ſummam ac rigidam eſſe in Canonizandis Sanctis Apoſtolicæ Sedis diligentiam, ut in diſcutiendis eorum Actis nihil prorſus vel enixæ magnorum Principum, aut Regum preces prævaleant, quo minus minutiſſima quæque ad rigidiſſimum examen revocentur. Quamobrem falſum eſt, quod aliqui olim dixere, introductam fuiſſe proteſtationem, quod Papa olim *quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem*. Falſum quoque & illud eſt, quod ait Paris de Graſſis in ſuo ms. Diario Leonis Papæ X. anno MDXIX. ubi enarrat Canonizationem S. Franciſci de Paula, ideo nempe in Sanctorum Canonizatione *expenſam ſic amplam ab Eccleſia, ſive a Sede Apoſtolica, & a Pontificibus non ſolum tolerari, ſed etiam quodammodo præcipi, ut ex ea quaſi impoſſibili, vel ſaltem dura abſterreantur Principes & Populi ad petendum hujuſmodi Canonizationes fieri, quæ aliquando non ex meritis ejus, qui canonizatur, ſed ex interceſſione Communitatis, ac Populi, vel Principis ſupplicantis, qui vel affinis, vel devotus illius fuit, aut ſit, fiunt &c.* Fœdum & hoc plane commentum eſt, factam aliquando Canonizationem non ex meritis ejus, qui canonizatus fuit, verum ex Principum interceſſione; nullum enim unquam ejus rei exemplum afferri poteſt.

VI. Fateor equidem, ingenti opus eſſe impenſa in peragenda Sanctorum Canonizatione, ſed tamen nego pernegoque, impenſam ipſam a Sede Apoſtolica, & a Pontificibus non ſolum tolerari, ſed etiam quodammodo præcipi, ut ejus cauſa abſterreantur Principes a petendis Sanctorum Canonizationibus. Magna profecto impenſa neceſſaria eſt, ut ea ſolemnitas, ea qua decet majeſtate, peragatur, celebreturque. Id more ſuo egregie oſtendit laudatus Pontifex BENEDICTUS XIV. in citato Opere, Libro I. Cap. XLVI. §. VII. additque Num. XI. Romanos Pontifices ejus moderationi maximopere ſtuduiſſe, nedum rejecta nimia ſuperfluitate, & abundantia, verum etiam facta conjunctione plurium Sanctorum, quos unica Canonizatione comprehendere conſueverunt. Legendum quod idem ſapientiſſimus Scriptor notavit §. VIII. in fine,

Digitized by Google

fine, *expensas utique esse necessarias ad pertractandas, atque ad exitum perducendas Beatificationum, & Canonizationum causas, sed & Romanos Pontifices, earum moderationi studuisse, ac studere, & plerasque immodicas, ac superfluas, quæ paulatim irrepserant, sublatas fuisse; atque adeo aliquas, quæ remanserunt, necessitati, ac solemnitati congruentes, ac debitas esse. Quibus porro omnibus si insuper addatur, pecunias utplurimum conflari ex eleemosynis, quæ universo ex Orbe colliguntur, nec modicas eas esse, quæ a Romana pietate subministrantur, nulla profecto apparebit vis expensarum tanta, quæ tolerari non possit.* Hæc, & alia longe plura sapientissimus Pontifex locis citatis, in quibus etiam ipsius Grassi testimonia recenset, ajentis, pecuniam ipsam, licet summam, solere impendi in varia ornamenta pro solemnitate Canonizationis comparanda.

VII. His obiter dictis, quod protestationem spectat fieri aliquando a Pontifice solitam, antequam Decretum Canonizationis proferret, quod ea minime necessaria esset, sublata demum penitus fuisse videtur a Leone X. non enim apud Grassum lego, formulam ipsam protestationis a laudato Pontifice pronunciatam in Canonizatione S. Francisci de Paula, quam Grassus ipse descripsit. Ceterum quod eidem Auctori necessaria minime videretur ea protestatio, ex ipsius ms. Diario addiscere licet, ubi sic inter alia inquit: *Si Papa protestatur, ut in Libro, tunc Fiscalis rogat, alias nequaquam.* Porro plura scitu digna, theologicisque fundamentis innixa de ipsa protestatione notavit explicuitque Sanctissimus Dominus noster in eodem laudatissimo Opere Libro I. Capite XLIV. Num. XVII. & seqq. ubi inter alia refellit heterodoxos impiosque Scriptores Albertum Fabritium, & Joannem Launojum, qui ex dicta protestatione perperam inferebant, Romanos Pontifices confessos fuisse, in Canonizatione Sanctorum falli posse. Scitissime docet Num. XX. Pontificem protestando, per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod sit contra Fidem, & Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei, nullatenus vereri, se in Canonizatione errare posse: verborum sensum hunc rectum & legitimum videri: *Protestor, me non decernere cultum Sanctis, qui Deo debetur, esse impendendum; quod quidem esset contra Fidem, & Ecclesiam Catholicam, & contra honorem Dei; & protestatio hoc modo declarata, similis est protestationi Septimæ Synodi, in qua Patres declararunt, se Sanctorum Imaginibus colendis Latriam non asserere soli Deo debitam.* Ita sapientissimus Pontifex, qui etiam paulo post aliam ejus protestationis declarationem enarrans, diserte ait, ipsam protestationem nihil aliud fuisse, quam precationem Deo a Pontifice fusam, ne ipse eum sineret in errorem incidere.

§. X.

Pronunciatio Pontificis.

Deinde alia voce, sedens tamen cum Mitra, pronunciat in hunc modum: *Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & diffinimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsamque Catalogo hujusmodi adscribimus. Statuentes, ut ab universa Ecclesia anno quolibet in die tali Festum ipsius, & Officium sicut pro uno Confessore* (si sit Confessor) vel *Martyre* (si sit Martyr) *devote & solemniter celebretur.* Et si Domino Papæ placuerit, poterit addere ista verba: *Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis ad Sepulturam ejusdem in die tali devoti accesserint, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis infra Octavas dicti Festi ad Sepulturam quadraginta dies* (1) *de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.*

COMMENTARIUS.

I. MEminit formulæ hujus pronunciationis absque ulla prævia protestatione Romanus Ordo XIV. Auctore Gaetano Cap. XV. his verbis: *Dominus Papa tenendo Mitram in capite, definit publice illum, de quo agitur, esse Sanctum, & Sanctorum Catalogo esse adscribendum, & tanquam Sanctum esse ab omnibus venerandum, ipsique Sanctorum Catalogo adscribit, statuens, ut ab universali Ecclesia in die tali Festum ejus, & Officium devote, & solemniter celebrentur.* Sequitur mox formula ipsa pronunciationis, quæ tamen non nihil variat ab illa in nostro §. descripta. Sic enim inquit: *Ad honorem Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritui Sancti, & exaltationem Fidei, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ipsius Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, Beatorum Petri & Pauli, & nostra, de Fratrum nostrorum Consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. quondam Episcopum..... Sanctorum Catalogo adscribendum, & tanquam Sanctum esse ab omnibus venerandum.* Eadem fere est formula, quæ legitur in ms. Codice Piersanctiano pag. 47.

II. Ergo in recitata formula initio pronunciationis singulæ Personæ Sanctæ Trinitatis nomi-

(1) *Dies* deest tam in editione Veneta, quam Romana, legitur tamen in Romano Ordine XIV. & in ms. Codice Piersanctiano.

Digitized by Google

minantur, eumque ritum ſervavit Bonifacius IX. in Canonizatione S. Birgittæ, itemque Pius II. in decreto Canonizationis S. Catharinæ Senenſis, & deinde Leo X. in Canonizatione S. Franciſci de Paula, & Sixtus V. in Canonizatione S. Didaci, longeque ante hunc Pontificem, & Leonem X. Sixtus IV. in Canonizatione S. Leopoldi ſimili fere formula uſus fuit, quæ eſt hujuſmodi: *Ad laudem æterni Dei individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ac Fidei Catholicæ robur, & ornamentum, ad Religionis Chriſtianæ cultum augendum &c.* Verum non nominant ſingillatim tres Perſonas ſequioris ævi Pontifices, Hadrianus VI. in Canonizatione Sancti Bennonis Epiſcopi Miſnenſis, ſicut nec Clemens VIII. in Canonizatione SS. Hyacinthi, & Raymundi, nec Paulus V. in Canonizatione S. Franciſcæ Romanæ, & S. Caroli Borromei, nec Gregorius XV. nec, ut alios omittam, Urbanus VIII. Hi ſiquidem non initio formulæ, ſed poſtea ſingillatim Perſonas Divinas nominant, poſt illa ſcilicet verba: *Auctoritate &c.* Verba illa, *Ad exaltationem*, adhibuit quidem Bonifacius IX. in Canonizatione S. Birgittæ, Pius II. in Canonizatione S. Catharinæ Senenſis, Innocentius VIII. in Canonizatione S. Leopoldi, & alii in aliorum Canonizationibus.

III. Notandum quoque nunc illud, quod ubi in hoc §. dicitur, ſicut etiam in Romano Ordine XIV. *Auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti &c.* Pius II. Innocentius VIII. Leo X. Hadrianus VI. in memoratis Canonizationibus, hac uſi ſunt clauſula: *Auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Atque ea eſt formula, qua utuntur hodie paſſim Pontifices, ubi Decretum Canonizationis pronunciant, uti videre eſt in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum peractæ a ſanctæ memoriæ Clemente XI. a Juſtiniano Chiapponi editis pag. 224. & noviſſime in Actis Canonizationis quinque Sanctorum habitæ a regnante Summo Pontifice BENEDICTO XIV. Merito enim ea adhibetur formula, quia ſcilicet Romanus Pontifex Maximus eſt Chriſti Domini in Terris Vicarius, atque adeo illius, qui Pontifex, & Sacerdos eſt in æternum, & inviſibile Caput Eccleſiæ, auctoritate agit, & quidem non modo in Canonizationibus Sanctorum, ſed in aliis multis Decretis Eccleſiaſticis.

IV. Præter auctoritatem Chriſti Domini, & Apoſtolorum Petri & Pauli, jam ex antiquo ritu addit Pontifex, *ac noſtra*, uti videre eſt in citato Romano Ordine XIV. & in Codice ms. Pierſanctiano. Certe in Bulla Canonizationis S. Petri Martyris Ordinis Prædicatorum, quam die XXV. Martii anno MCCLIII. edidit Innocentius Papa IV. incipitque, *Magnis, & crebris*, ſic inter alia inquit: *Confiſi de Omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtra, eum Sanctorum Martyrum Catalogo duximus adſcribendum.* Verbum ipſum, *ac noſtra*, legitur paſſim in aliis Sanctorum Canonizationibus celebratis ab aliis Pontificibus, quales ſunt, Alexander IV. in Canonizatione S. Claræ, Clemens V. in Canonizatione S. Petri Cæleſtini, Joannes XXI. in Canonizatione S. Ludovici, Joannes XXII. in Canonizatione S. Thomæ Aquinatis, Bonifacius IX. in Canonizatione S. Birgittæ, Eugenius IV. in Canonizatione S. Nicolai Tolentini, Pius II. in Canonizatione S. Catharinæ Senenſis, & alii paſſim; eaque formula concinit quidem verbis illis S. Petri Apoſtolorum Principis, qui in Concilio Hieroſolymitano, uti in Apoſtolorum Actis Cap. XV. legitur, dixit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*

V. Explicanda nunc reliqua ſunt ejus formulæ verba, quibus Decretum ipſum Canonizationis pronuncians Pontifex, ſic ait: *De Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & diffinimus, bonæ memoriæ N. &c.* Eadem plane ſunt verba, quæ leguntur in Ordine Romano XIV. & in ms. Codice Pierſanctiano. Verum mutatus eſt iſte loquendi modus, & luculentius explicari ſolet hac alia dicendi formula, quæ legitur in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum factæ a Clemente XI. & noviſſime in Canonizationis Actis quam de quinque Sanctis ſolemni ritu ac pompa peregit Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. ubi poſt ea verba, *Auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra*, ita ſtatim ſubjicit, *matura deliberatione præhabita, & Divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, Beatos &c. Sanctos eſſe decernimus, & definimus, ac Sanctorum Catalogo adſcribimus.*

VI. Concinit hic loquendi modus antiquo ritui, qui in uſu erat jam longe editionem noſtri hujus §. Etenim Innocentius II. anno Chriſti MCXXXIV. in Canonizatione S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani celebrata in Concilio Piſano ſic inquit: *Vita ejus, & auditis, quæ per B. Hugonis merita fiunt, miraculis, ſupernæ Majeſtatis Clementiam collaudavimus, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium, atque aliorum, qui nobiſcum aderant, communicato conſilio, ipſum inter Sanctos, & electos honorari præcipimus &c.* Ubi nota, præponi in recitato Decreto Archiepiſcopos, Epiſcopoſque Cardinalibus. Sed & Eugenius III. ubi anno MCLII. S. Henricum Imperatorem canonizavit, nulla facta Cardinalium mentione, *Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum*, ait, *& Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter Sanctos de cetero fieri cenſemus &c.* Eadem legere eſt paſſim in aliis Canonizationis eo ſeculo, & aliis ſequioribus celebratis, ut conſtat ex variis variorum Summorum Pontificum conſtitutionibus, quas de Canonizationibus Sanctorum ediderunt.

VII. Sed & antiquum pariter illud eſt quod hodieque dicitur: *matura deliberatione præhabita &c.* occurritque is modus loquendi in Bulla Canonizationis S. Bernardi data Anagniæ ab Alexandro III. Papa, XV. Kal. Februarii anno MCLXIII. *Quibus omnibus pia conſideratione penſatis, & in Concilio Fratrum noſtrorum expoſitis &c.* Alexandro III. adjungimus Innocentium III. qui in Canonizatione S. Homoboni Cremonenſis celebrata in Lateranenſi Baſilica anno MCXCVIII. ita loquutus eſt: *De Fratrum noſtrorum conſilio poſt multam deliberationem habitam, cum eiſdem Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quos ſuper hoc ad conſilium noſtrum admiſimus, de divina miſericordia, & ejuſdem Sancti meritis confidentes, ipſum Sanctorum Catalogo conſcribendum duximus.* Nequis autem putet, Roma-

num Pontificem solis niti hominum attestationibus in canonizandis Sanctis, lubet hoc loco referre formulam, qua usus est Honorius III. ubi anno MCCXXIV. S. Laurentium Archiepiscopum Dublinensem Sanctorum Fastis adscripsit: *De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, Divinumque sequuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis, eundem Beatum Virum Catalago Sanctorum adscripsimus &c.* Notanda sunt ea verba, *Divinum sequuti judicium*; validissimum enim argumentum præbent, ad probandum, falli non posse in ea re magni momenti Summum Romanum Pontificem.

VIII. Omissa hac quæstione, testatur Gregorius IX. in Bulla Canonizationis S. Francisci de Assisio edita XIV. Kal. Augusti anni MCCXXVIII. se *habito Fratrum consilio, & assensu, ipsum adscribi* decrevisse *Sanctorum Catalogo venerandum*. Ubi nota, fieri in hac Bulla mentionem non modo *Fratrum* idest Cardinalium, & Episcoporum, *consilii*, verum etiam *assensus*. Porro passim occurrunt in sequioris ævi Pontificum Canonizationibus ea verba, *ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe præsentium consilio*; quinimo in Canonizationis Decreti forma, quam ex antiquis Libris descripsit eruditissimus Angelus Rocca, inseruitque suo *De Canonizatione Sanctorum* Commentario, Cap. XXXVIII. post illa verba: *De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio*, statim hæc alia adjuncta sunt: *& unanimi consensu, matura deliberatione præhabita, summaque diligentia ex Majorum institutis, etiam abundantius adhibita &c.*

IX. Ex præscripto demum nostri §. in Decreti pronunciatione inquit Pontifex: *Decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo hujusmodi adscribimus*. Ita fere legitur in Ordine Romano XIV. & in ms. Codice Piersanctiano. Juxta recentiorem ritum, ut alios omittam, regnans Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. in Canonizatione quinque Sanctorum ita pronunciavit: *Beatos Fidelem a Sigmaringa &c. Sanctos esse decernimus, & definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus*. Variatum nonnihil & ea in re jam olim fuit, ut constat ex Canonizatione S. Birgittæ, in qua Bonifacius IX. ita pronunciavit: *Decernimus, declaramus, definimus, pronunciamus, Sanctam esse, & Catalogo Sanctorum &c.* Pius II. in Canonizatione S. Catharinæ Senensis dixit: *tanquam Sanctam colendam decernimus, & definimus*; atque hæc verba passim adhibita fuerunt in Sanctorum Canonizationibus, quæ a sequentibus Pontificibus celebratæ fuere, longumque esset hoc loco ea testimonia referre.

X. Sed nec omittenda ea Decreti verba, quibus juxta §. nostri præscriptum statuit Pontifex, *ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die tali Festum ipsius, & Officium, sicut pro uno Confessore, si sit Confessor, vel Martyre, si sit Martyr, devote, & solemniter celebretur*. Festum, quod ad ritus Ecclesiasticos attinet, ut scite docet Guyetus in sua Heortologia Lib. I. Cap. I. Quæstione I. in duplici sensu usurpari solet. Primo quidem pro feriatione, seu cessatione a strepitu forensi, servilibusque operibus, quæ certis diebus ex præcepto, seu generali totius Ecclesiæ, seu particulari loci alicujus populo indicitur, eoque sensu accipitur Festum in Canone, *Pronunciandum*, De Consecratione, Distinctione III. & Cap. *Conquestus*, *De Feriis*. Secundo Festum accipitur pro Officio, quod est de festo, cujus oppositum est Officium de tempore, & in hac acceptione sumi debent verba nostri §. quæ deinde mutata fuerunt in hunc alium modum, qui legitur in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum peractæ a Clemente XI. & in Canonizationis Actis, quam de quinque Sanctis non ita pridem celebravit regnans feliciter Pontifex BENEDICTUS XIV. *Statuentes, ab Ecclesia universali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali .... pia devotione recoli*.

XI. Sanctis Canonizatis septem deberi honores, notavit jam post Bellarminum eruditus Rocca in suo Commentario, *De Canonizatione Sanctorum*, Cap. XXXVIII. sunt autem sequentes. I. Canonizati Catalago Sanctorum adscribuntur, hoc est, jubetur, ac statuitur, ut ab omnibus publice colantur, ac dicantur Sancti. II. Canonizati in publicis Ecclesiæ precibus invocantur. III. Templa, & Aræ Deo in eorum memoriam, & honorem eriguntur. IV. Sacrificia tam Sacrosanctæ Eucharistiæ, quam laudum, & precum, quod passim Officium, sive Horæ Canonicæ nuncupatur, Deo in honorem eorundem publice offeruntur. V. Dies festi in eorumdem honorem celebrantur. VI. Imagines eorumdem pinguntur, addito certo quodam lumine, in signum gloriæ, quam habent in Cælo. VII. Eorundem Canonizatorum Reliquiæ pretiosis thecis inclusæ publice in Ecclesia honorantur. Legendus laudatus Bellarminus Lib. I. *De Beatitudine Sanctorum*, sed præ ceteris Auctoribus Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Libro I. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Cap. XXXVII. quod inscriptum est: *De actibus cultus Servis Dei post Beatificationem deferendis*, ubi rem ipsam fuse, ac solide, doctissimeque pro more dilucidavit.

XII. Restat nunc, ut aliquid de Indulgentiis dicamus, quarum ex antiquo ritu in ejusdem Decreti pronunciatione fit mentio: *Et, si Domino Papæ placuerit, poterit addere ista verba*, ait hic noster §. *Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis ad Sepulturam ejusdem in die tali devoti accesserint, unum annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis infra Octavas dicti Festi ad Sepulturam, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus*. Concinit Romano XIV. Ordini, atque ms. Cæremoniali Codici Piersanctiano quod & in §. nostro edicitur circa Indulgentias, quas soliti erant Pontifices ei pronunciationi adjungere: *Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis ad Sepulchrum ejusdem in die tali devote accesserint, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis infra Octavas dicti Festi ad Sepulchrum ipsius, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus*. Ita memorati Romanus Ordo XIV. & Cæremonialis Codex ms. Piersanctianus.

XIII. Se-

Digitized by Google

XIII. Seculo XIII. cœpisse primum, sed parce tamen, dari Indulgentias in Canonizatione Sanctorum, notat Vanespen, Parte II. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo VII. Cap. II. Num. xx. Primus, qui eas concessisse legitur, fuit Honorius III. qui anno MCCXXV. in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, *omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam, ubi Corpus ejus Sancti requiescit, in die solemnitatis ejusdem, vel infra Octavas cum devotione accesserint, ejus Orationum suffragia petituri, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit*; uti legitur in Bulla laudati Pontificis, quæ incipit, *Ineffabilis*. Ejusdem seculi anno XXXIII. Gregorius IX. in Canonizatione S. Antonii de Padua, omnibus vere pœnitentibus & confessis Sepulchrum hujus Sancti in Festivitate ipsius usque ad octavum diem cum reverentia visitantibus *unum annum* de injuncta eis pœnitentia relaxavit. Similem concessit in Canonizatione S. Dominici peracta anno MCCXXXIV. at paulo post, nempe anno Domini MCCXXXV. in Canonizatione S. Elisabethæ, quam celebravit Perusii in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, ad annum addidit dies quadraginta: *Unum annum & quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia relaxat*; uti legitur in ejusdem Papæ Epistola data *Perusii Kalendis Junii anno nono Pontificatus*. Similem huic Indulgentiam concessit deinde Clemens IV. in Canonizatione S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ anno MCCLXVII. visitantibus scilicet Sepulturam illius Sanctæ, in die Festivitatis ejusdem; infra Octavas vero prædictæ festivitatis *centum dies*.

XIV. Itaque sensim crevit Indulgentiarum liberalitas, quas in Canonizatione Sanctorum soliti erant Romani Pontifices largiri; id quod multo luculentius ostendi potest ex seculis posterioribus. Constat enim Callixtum III. Seculo XV. in Canonizatione S. Vincentii Ferrerii, accedentibus ad Sepulchrum, & Ecclesiam hujus Sancti, *septem annos, & totidem quadragenas* de injunctis eis pœnitentiis relaxasse; uti habetur in Litteris a Pio II. de ea re expeditis. His addidit Sixtus IV. eodem seculo in Canonizatione S. Bonaventuræ, *Dominicis singulis per annum, dies centum*; uti in Bulla ipsius legitur, quæ incipit, *Superna*. Seculo tandem XVI. Leo X. in Canonizatione S. Francisci de Paula anno MDXIX. celebrata Indulgentiam plenariam dedit omnibus, qui Officio divino solemnis ejus Canonizationis astiterant; qualem nullus ante hunc Pontificem hujusmodi causa dedisse legitur. Quod autem hic Pontifex concessit assistentibus solemni Canonizationis officio, hoc subsequentes tandem Pontifices extenderunt ad visitantes Ecclesias Sanctorum, ut hodie passim observari videmus. Ceterum ex dictis hactenus liquet, Pontifices etiam Seculo XIII. in concedendis Indulgentiis moderatos fuisse, sensimque earum liberalitatem crevisse; verissimum autem esse id, quod notavit Lupus eruditissimus in Dissertatione, *De peccatorum ac satisfactionum Indulgentiis*, Cap. VIII. posteriores Pontifices in largiendis Indulgentiis *longe liberaliores* fuisse prioribus.

XV. At vero silentio premendum non est, quod tradit Petrus Amelius in Romano Ordine XV. Cap. CLIII. de Indulgentia concessa a Bonifacio Papa IX. in Canonizatione S. Birgittæ. Postquam enim *reassumta Mitra ..... sedendo pronunciavit Beatam Brigidam fore Sanctam, & adscribendam in Catalogo Sanctorum*, ut in citato Ordine Romano legitur, *ore proprio concessit Indulgentiam ista die, & in sequenti visitantibus Ecclesiam S. Petri, & S. Laurentii in Panisperna, & qui interfuerint in divino Officio isto illam Indulgentiam Jubilei, & multas alias in terris*. Peculiaris fuit hæc indulgentia, quam in Canonizatione S. Birgittæ laudatus Bonifacius concessit in modum Jubilei. Porro sunt qui censent, datas ad Jubilei modum Indulgentias, esse Institutum Bonifacii, sed uti notat memoratus Lupus citato loco Cap. IX. labuntur, quia scilicet gratia hujusmodi est antiquior; etenim quod Clemens VI. Basileensi, in quo Frater Thomas Argentinensis fuit electus in Priorem Generalem Fratrum Augustinensium, Generali Capitulo dederit *plenas in Jubilei formam Indulgentias*, testatur idem Lupus ex testimonio gravis Scriptoris Alberti Argentiensis. Quidquid vero de hac re sit, testatur quidem & hoc nostrum Cæremoniale infra in sequenti §. *Bonifacium Nonum Pontificem, cum canonizavit Beatam Brigidam, dedisse plenariam Indulgentiam visitantibus Ecclesias Beati Petri, & S. Laurentii in Panisperna, ubi jacebat Corpus illius Sanctæ*.

XVI. Fuit haud dubie celeberrima illa Indulgentia, quam Leo X. concessit in Canonizatione civis mei S. Francisci de Paula, postquam enim ipse in sua Constitutione, quam de ea Canonizatione edidit, narravit, se tunc Missam celebrasse, ita mox de Indulgentia subdit: *Indulgentiam plenariam omnibus Officio hujusmodi tunc assistentibus devote concessimus, ac etiam in loco Sepulturæ ejusdem S. Francisci de Paula in depositionis suæ die, videlicet secunda Aprilis hujusmodi perpetuo duraturam quadraginta annorum, totidemque quadragenarum Indulgentiam annuatim condonavimus*. Hodie demum uti nos docet Sanctissimus Dominus noster in suo Opere, *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XXXVI. §. V. Summi Pontifices plenariam elargiuntur Indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui confessi, & sacra Communione refecti, vel propositum habentes intra hebdomadam confitendi, & sacram Eucharistiam recipiendi, solemni intersunt Canonizationi Sanctorum; tum autem Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum visitantibus natali eorum die ipsorum Sepulcra, uti legitur in Actis Canonizationis quatuor Sanctorum peractæ a Clemente XI. & a Justiniano Chiapponi collectis.

XVII. Jam non desunt qui cum Baronio autumant, ex fide Epistolæ S. Ludgeri Episcopi Monasterienſis, quæ extat ad calcem vitæ ejusdem Sancti apud Bollandum die XXVI. Martii, in qua scribitur Leonem Papam III. anno DCCCIII. cum Carolo Magno Imperatore Verdum se contulisse, ac ibidem S. Suvibertum Sanctorum Catalogo adscripsisse, & *speciales indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus Festum S. Suviberti, & ad Divina confluentibus* concessisse. Verum, ut alibi notavimus, ejus Epistolæ fides, ob varia, quæ in ipsa occurrunt, apud Eruditos non tantum vacillat, sed uno pene consensu censetur conficta, & S. Ludgero ab aliquo recentiore falso supposita.

Digitized by Google

§. XI.

De ritibus poſt ipſam pronunciationem, & Indulgentiarum conceſſionem ſervandis.

Quibus finitis, Procurator Fiſcalis rogitat Protonotarios &c. de proteſtatione facta per Papam, & Procurator Cauſæ ſimiliter (1) rogat de ſolemni pronunciatione Canonizationis, & petit inſtrumentum, & a Papa decerni Bullas ſuper his opportunas; & mox ſurget Pontifex ſine Mitra, & incipit: *Te Deum laudamus*; & Chorus proſequitur. Diaconus a dextris in fine dicit: *Ora pro nobis beate N.* Reſpondet (2) Chorus: *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*. Et Pontifex deinde dicit orationem de communi, Sancto Canonizato convenientem, ſi non habetur propria, & concludit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Finita oratione, Diaconus a dextris ſtans ante Pontificem dicit alte: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* & poſt Apoſtolos nominat Sanctum N. & Papa ſine Mitra, Cruce ſua præſente, dicit: *Precibus, & meritis &c.* & in fine dat Indulgentias, ut ſibi placet. Legimus, Bonifacium Nonum Pontificem, cum canonizavit Beatam Brigidam, dediſſe plenariam Indulgentiam viſitantibus Eccleſias Beati Petri, & Sancti Laurentii in Paniſperna, ubi jacebat Corpus illius Sanctæ.

COMMENTARIUS.

I. QUod initio hujus §. edicitur, ut facta nempe pronunciatione a Pontifice, & conceſſione Indulgentiæ, de quibus dictum ſuperius fuit, Procurator Fiſcalis rogitet Protonotarios de proteſtatione facta per Papam, & Procurator Cauſæ ſimiliter roget de ſolemni pronunciatione Canonizationis, & petat inſtrumentum, & a Papa decerni Bullas ſuper his opportunas, deſideratur quidem non modo in Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Cap. CXV. verum etiam in ms. Cæremoniali Codice Pierſanctiano: ſit tamen aliqua ejus ritus mentio in Romano Ordine XV. Auctore Petro Amelio, Cap. CLIII. ubi enarrans Canonizationem S. Birgittæ, ſic inquit: *Poſt hoc Procuratores dictæ Sanctæ petierunt publica inſtrumenta de hoc &c.* Sed audiamus primum enarrationem ritus, quem memoratus Ordo Romanus XIV. deſcribit loco citato: *Quibus verbis per Dominum Papam prolatis*, pronunciationis ſcilicet Canonizationis, & Indulgentiæ, *ipſe Dominus Papa incipit cantando Pſalmum*, Te Deum laudamus, *quem ceteri cantando proſequuntur. Quo finito, Diaconus Cardinalis a ſiniſtris Papæ aſſiſtens dicat verſiculum*, Ora pro nobis Beate N. alleluja; *& ceteri reſpondent*: Ut digni efficiamur gratia Dei, alleluja. *Si vero hujuſmodi ſolemnitas fuerit a Septuageſima uſque ad Paſcha, in prædicto verſiculo omittitur*, alleluja. *Deinde Dominus Papa cantando dicat*: Dominus vobiſcum; *& reſponſo*, & cum ſpiritu tuo, *dicat*, Oremus, *& poſt Orationem, quæ competat illi Sancto, finiendo ipſam Orationem*, Per Chriſtum Dominum noſtrum; *& reſpondeatur*, Amen. *Sed ipſa oratione finita, dictus Diaconus Cardinalis a ſiniſtris Papæ aſſiſtens dicat*, Confiteor &c. *ut moris eſt, & locis debitis, ſcilicet immediate poſt Apoſtolos faciat mentionem de dicto Sancto. Qua confeſſione finita, Dominus Papa dat Indulgentiam gratioſam ſeptem annorum, & ſeptem quadragenarum; & data Indulgentia per Dominum noſtrum Papam, ac Mitra eidem depoſita, facit abſolutionem, & dat benedictionem more conſueto dicendo*, Precibus & meritis &c. *faciendo mentionem loco ſuo de Sancto Canonizato*.

II. Hactenus Romanus Ordo XIV. in quo ritus ipſi luculentius ac in noſtro §. enarrantur. Sane digni notatu ſunt ritus in Canonizatione S. Birgittæ jam longe ante editionem noſtri Cæremonialis a Patricio ordinatam ſervati. Poſtquam enim Procuratores Cauſæ ipſius Canonizationis petierunt publica inſtrumenta, ut tradit Petrus Amelius in ſuo Romano Ordine XV. Cap. CLIII. *tunc omnes Cardinales, & Prælati receperunt paramenta alba, Epiſcopi Pluvialia, Presbyteri Planetas, Diaconi Tunicellas, & Dalmaticas, & iterum venerunt ad reverentiam Papæ. Poſt hoc, depoſito Pluviali rubeo, recepit chirothecas pretioſas, & anulum Pontificalem, & Pluviale album pretioſum cum Mitra ſolemni, & depoſita Mitra, incepit cantando*, Te Deum laudamus; *& tunc data ſunt duo magna tortitia de cera alba, quælibet de octo libris ceræ, & cuilibet Cardinali, ac Patriarchæ de VII. libris ceræ aliæ non albæ, & omnibus Prælatis de duabus libris, & aliis Clericis, & Cantoribus, Auditoribus, & Nobilibus, & aliis de una libra ceræ; & tunc incepta fuit Proceſſio, & omnes tenebant faculas ſuas accenſas in manibus, quilibet in ordine ſuo, & duo Patriarchæ ibant cum Cardinalibus; item Dominus Papa ſubtus pallium*, ideſt Baldachinum, *ſed Milites portabant extra pallium tortitia Papæ accenſa, & ſic ivimus per totam Capellam uſque ad aliam Capellam, & reverſi fuimus proceſſionaliter ad magnam Capellam &c.* Conſueviſſe in Sanctorum Canonizatione ſolemnem peragi Proceſſionem, conſtat etiam ex Actis Canonizationis S. Bonaventuræ apud Volaterranum in ſuo Diario ad annum MCDLXXXII. ubi expreſſa fit mentio ejus Proceſſionis, mirumque idcirco videri debet, cur ejus ritus, qui jam in uſu erat, noſtrum hoc Cæremoniale nullam fecerit mentionem.

III. Dicemus de hujuſmodi Proceſſione infra, operæ enim pretium cenſemus proſequi hoc

(1) Ita in Romana editione, in Veneta legitur, *ſimpliciter*. (2) In ipſa Veneta deeſt tota hæc Chori reſponſio.

Digitized by Google

hoc loco filum narrationis memorati Petri Amelii, qui post descriptum Processionis ritum factæ in Canonizatione S. Birgittæ, ita deinde subjicit: *Dominus Summus Pontifex ascendit ad Cathedram ante medium Altaris, ubi fecerat Sermonem suum prius, & stando Diaconus a dextris, dixit cantando*: Ora pro nobis Beata Brigida, alleluja; *& Papa dixit*: Dominus vobiscum; *& aliam Orationem de Beata Brigida; & cantato per Cantores*: Benedicamus Domino, *Diaconus a sinistris dixit*: Confiteor; *& Papa dedit benedictionem more solito; & prior Episcoporum Cardinalium pronunciavit Indulgentias*. De Indulgentiis in Canonizationibus Sanctorum dari solitis, jam fuse diximus supra in Commentario ad §. x.

§. XII.

De Missa Canonizationis, & Oblationibus.

His finitis, Pontifex incipit Tertiam, & accipit Sandalia, vel, si magis placet, dimissa Tertia, accipit paramenta omnia Pontificalia, & cantat Missam solitis suis cæremoniis, vel de Sancto, vel, si aliqua Solemnitas esset, cantat de die cum commemoratione de Sancto; & si non posset, aliquis Cardinalis celebrat pro eo. Dum cantatur *Credo*, tres Cardinales Commissarii descendunt ad portam inferiorem suggestus, & ordinant Offertorium; & debito tempore, antequam Papa lavet manus in Sede eminenti, veniunt ordinate; & primus, idest Episcopus Cardinalis, offert duos magnos cereos, & cum eo primus Orator offert cereum suum, & canistellum deauratum cum duabus turturibus. Tum Presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & secundus Orator cereum suum, & canistellum argentatum cum duabus columbis albis. Ultimo Diaconus Cardinalis offert duo vasa vini, & tertius Orator suum cereum, & canistellum diversorum colorum cum variis aviculis. Cardinales osculantur genu, & pedem Summi Pontificis; proceditur deinde in Missa, ut alias.

COMMENTARIUS.

I. RItum esse antiquum, ut peractis cæremoniis in Commentario ad §. præcedentem explicatis, *accedat Dominus Papa ad locum consuetum, ubi recipiat Pontificalia paramenta, scilicet alba, & postea more solito Missam celebret solemniter in honore dicti Sancti canonizati*, docet nos Romanus Ordo XIV. Cap. CXV. Teste Petro Amelio in Ordine Romano XV. Cap. CLIII. die ipsa, in qua canonizata est S. Birgitta, *Papa*, idest Bonifacius Papa IX. *non potuit dicere magnam Missam de Sancta, causa infirmitatis, sicut debebat, sed in crastinum celebravit, ubi istum ordinem tenuit: Dominica ergo die viij. mensis Octobris bono mane post parvam Missam, Dominus Papa indutus cum Pluviali descendit ad Ecclesiam S. Petri cum omnibus Cardinalibus, duobus Patriarchis Constantinopolitano scilicet,* & Gradensi, *& cum Prælatis, & toto Clero; & in porta Ecclesiæ venerunt ei obviam omnes Canonici S. Petri cum Cruce, Pluvialibus, Pavilione, & Campana processionaliter, cantando*, Te Deum laudamus, *duxerunt eum ad majus Altare; & facta aliquali Oratione ante Altare, recessit ad Cathedram, ubi consueverunt Romani Pontifices induere se, & sedendo, Cardinales, & omnes Prælati venerunt ad reverentiam, & ipse voluit, quod cantaretur Tertia. Missa fuit de S. Brigida cum commemoratione de Dominica*. Ita Amelius loco citato, ex quo præsertim addiscimus, I. debuisse Pontificem in Canonizationis solemnitate celebrare Missam. II. ubi causa infirmitatis celebrare die ipsa non potuit, distuliisse Missæ celebrationem in diem sequentem. Sed invaluit tamen mos, ut nempe, ubi Papa ea die celebrare non posset, *aliquis Cardinalis celebraret pro eo*, ut ait hic noster §.

II. Esse autem antiquum ritum, ut in Canonizatione Sanctorum Missarum Solemnia a Summo Pontifice celebrentur, docet nos exemplum Alexandri Papæ III. qui in Canonizatione S. Thomæ Cantuariensis factæ ab ipso post medium Seculum XII. Missam celebravit, ut colligitur ex ms. Codice Vaticano de Vita ejusdem Alexandri, ubi ita inquit: *In die Purificationis B. Mariæ, convocatis Episcopis, & Abbatibus, Campaniæ apud Signiam, ad honorem ipsius specialiter Missarum Solemnia celebravit*. Meminit & ejus ritus Cardinalis Ostiensis in Capite, *Audivimus, De Reliquiis &c.* ubi verba faciens de ritibus in Canonizatione servari solitis, sic inter alia inquit: *Cantatur* Te Deum laudamus, *& celebrat Missam idem Papa in honorem ejusdem Sancti*. Servatum fuisse hunc ritum in Canonizatione S. Petri Cæleſtini, in qua Missam Clemens V. celebravit, testis est Auctor, qui dictam Canonizationem Carmine expositi apud Bollandianos die XIX. mensis Maji.

Signataque manu turba, prædicit aperte
Se Petri memorem, celebris solemnia Missæ
Festa impleturum, verbis & facta repensat.
Nam celebrat solemnis apex, & canduit albis.

Sane eruditus Phœbeus in sua Dissertatione typis impressa post Acta Canonizationis Sanctorum Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis, solide ostendit ex vetustioribus Canonizationum Actis, non esse de essentia Canonizationis, ut Missa a Summo Pontifice tunc celebretur, licet in magnum decus tantæ rei cedat, si eam ipse celebret, vel alius eo impedito. Sed de hoc ritu, sicuti & de aliis Canonizationem spectantibus legi possunt quæ Magister omnium docet BENEDICTUS XIV. in Opere, *De Servorum Dei Beatificatione &c.* Lib. I. Cap. XXXVI. §. I.

III. Di-

Digitized by Google

III. Dignum notatu in hac Missa Canonizationis illud profecto est, quod juxta veterem ritum docet idem §. noster, ex cujus præscripto, *dum cantatur* Credo, *tres Cardinales Commissarii descendunt ad portam inferiorem suggestus, & ordinant Offertorium, & debito tempore, antequam Papa lavet manus in Sede eminenti, veniunt ordinate; & primus, ideſt Episcopus Cardinalis, offert duos magnos cereos.* Esse plane antiquum ritum offerendi in Missa Canonizationis Pontifici cereos, panem, vinum, turtures, columbas, aliasque aviculas, testis est memoratus Ordo Romanus XV. Cap. CLIII. ubi enarrat ritum Canonizationis S. Birgittæ celebratæ anno MCCCXCI. a Bonifacio Papa IX. sic inquiens: *Post Evangelium Diaconus a sinistris dixit:* Confiteor; *& dicto*, Credo in unum Deum, *& post Offertorium sedebat Papa super bassam Cathedram cum scabello ante regias ferreas Papæ, ubi lectum fuit Evangelium, versa facie ad Sedem, in qua fuit indutus. Tunc Domini Commissarii tres Cardinales de Canonizatione istius Sanctæ exierunt de Sacristia S. Petri cum oblationibus suis.* Pergit idem Ordo, narratque cæremonias, quibus oblationes ipsæ delatæ fuere ad Pontificem: *Primo*, ait, *Dominus de Francia cum duobus magnis tortitiis accensis coopertis de auro, obtulit osculando pedem & manum: secundo Dominus Anglicanus cum duobus panibus coopertis cum tobaleis, & armis, & scudetis S. Brigidæ, & trium Cardinalium Commissariorum, & osculatus est pedem, & manum Papæ: tertio Dominus Barensis cum duobus magnis bacilibus de vino, & malvatico, quæ vocantur Romæ scyphi deaurati, & cum armis, & scudetis Dominæ, & Cardinalium prædictorum, & osculatus est pedem, & manum Papæ: ultimo venerunt quinque Procuratores istius Sanctæ cum Advocato, & quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra cerè albæ modicum laboratam cum rosis, & floribus, viridis, alba, & rubea: item unum parvum canistrellum totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duæ columbæ albæ, & duæ turtures.*

IV. Ejus ritus plurima afferri exempla possunt, quæ passim occurrunt in Canonizationibus Seculo XIV. & deinceps celebratis. Ut alia omittam, ita eumdem ritum enarrat Grassus in ms. Diario, ubi refert gesta Leonis Papæ X. ubi nempe exponit Canonizationem S. Francisci de Paula ab ipso Pontifice anno MDXIX. peractam: *Dicto Offertorio, fit solemnis oblatio Papæ per tres Cardinales Commissarios cum tribus Oratoribus Christianissimi Regis, & primo primus Cardinalis Episcopus adveniat solus, ideſt, sine aliquo laterali, quem sequuntur duo scutiferi ejusdem, singuli cereos magnos albæ cerè portantes illuminatos, & post hos veniunt Procuratores non Prælati hoc ordine, videlicet, primo post Cardinalem veniat primus Orator, seu Procurator portans in dextera cereum album illuminatum, & sinistra par turturum in canistrello pulchre laborato, & inaurato. Deinde sequatur secundus Cardinalis Presbyter ducens duos Scutiferos duos panes inauratos, & mappatos portantes, quos alius Orator, seu Procurator sequatur, portans in dextera cereum album, ut primus, & sinistra duos pullos columbarum canistrello similiter inclusos; & demum sequatur tertius Cardinalis Diaconus post se ducens duos Scutiferos duo barilia vini portantes, & post hoc tertius Procurator cum cereo in dextera, & sinistra canistro pleno avibus vivis, extensa reticula desuper, & circumcirca rosis & floribus diversorum colorum; & cum omnes tres sunt ante Papam, offerunt successive, Cardinales osculantes manum & genu, & Oratores similiter offerunt cereos, & canistra cum osculo manus, & pedis, nihil dicentes.* His similia legere est in aliis sequioris ævi Canonizationibus, ac præsertim in illa, quam nostro seculo celebravit Clemens XI. anno MDCCXII. quo in Sanctorum numerum retulit Pium Papam V. Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, & Catharinam de Bononia, teste Justiniano Chiapponi, qui Acta ipsa Canonizationis collegit, auxitque Dissertatione super mysteriis Oblationum, quæ fieri in Missa Canonizationis solent. Sed de ista Oblationum significatione videri possunt quæ jam ante Chiapponum docuere Angelus Rocca in suo Commentario, *De Canonizatione Sanctorum*, Joannes Baptista Marus in sua Diatriba, *De mystica rerum significatione, quæ in Sanctorum Canonizatione ad Missarum Solemnia Summo Pontifici offerri solent*, Petrus Ruisius a Visitatione Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula in suo Discursu hac de re edito, Franciscus Victonus ejusdem Ordinis in Tractatu, *De Canonizatione Sanctorum*, Penia in Notis ad Vitam S. Raymundi Lib. III. Cap. XLII. Observatione II. aliique eruditi Auctores.

V. Porro Benedictus XIII. eam turturum, columbarum, aviumque aliarum oblationem fieri noluit in Canonizationibus Sanctorum, quas ipse peregit anno MDCCXXVI. octo Sanctorum, & S. Margaritæ de Cortona anno MDCCXXVII. ac S. Joannis Nepomuceni anno MDCCXXIX. Testis est hujus rei Justus Fontaninus in suo Canonizationum Codice, in Notis ad Litteras Bonifacii IX. scriptas Clarissis Urbanis S. Laurentii in Panisperna super Canonizatione S. Birgittæ, ubi postquam ait, *in hac Cæremonia, post consuetas ex veterrima Ecclesiæ disciplina, panis, vini, & cerè oblationes de more Summo Pontifici factas*, columbas, & turtures primum visas fuisse *arbitrio Petri Amelii Pontificii Sacristæ*, ita subjicit: *Hæc tamen avium oblatio in Domo Dei facta displicuit Summo P.N. Benedicto XIII. cumque accepisset, eam quoque displicuisse vener. mem. Cardinali Josepho Mariæ Thomasio sacrorum rituum peritissimo; prætereaque idem Sanctissimus Pontifex eam esse minime consonam reperisset sanctiori Ecclesiæ disciplinæ, quam summe callet, hujusmodi avium oblationem fieri noluit in solemni Canonizatione, quam habuit in Basilica Vaticana sub finem elapsi anni* 1726. *& initio hujus anni* 1727. Morem a Benedicto XIII. Papa servatum probat comprobatque Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. in suo Opere, *De Servorum Dei Beatificatione, & Sanctorum Canonizatione*, Libro I. Capite XXXVI. §. XII. Num. XXXV. ubi inter alia post relata Fontanini verba, sic inquit: *Revera, si ad antiquiora Ecclesiæ monumenta, & ad ea a nobis non adeo remota manum admoveamus, inveniemus, oblationes in Missæ Sacrificio fieri consuevisse, & etiam nunc fieri, rerum tantum ad Sacrificium ipsum pertinentium, ideoque panis, & vini, & cerè: una quippe pars harum oblationum in materiam Sacrificii assumebatur, secunda pro eulogiis benediciebatur, & alia pars in usus Ministrorum, & pauperum cedebat.*

VI. Ad-

Digitized by Google

VI. Addit & alia doctiſſimus Pontifex N. BENEDICTUS XIV. aitque, priſcis innixum monumentis ſanctæ memoriæ Benedictum XIII. noluiſſe in Canonizationibus, quas ſolemniter variis peregit temporibus, fieri turturum, columbarum, & avium oblationem. Ajebat enim Benedictus XIII. proſcriptam fuiſſe oblationem avium, atque animalium in Canone III. vulgo Apoſtolorum, & quamvis lactis, melliſque oblatio vetita in Canone Apoſtolico, permiſſa eſſet Canone III. Concilii III. Carthaginenſis anni CCCXCVII. ſubdebat idem Benedictus Pontifex, id ex ſpeciali ratione fuiſſe pro die Paſchæ admiſſum, quod prædicta nempe die lac & mel infantibus recens baptizandis juxta antiquum morem infundendum ſpeciali benedictione benedicebatur: *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum: primitiæ vero, ſeu lac, & mel, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in Altari offeratur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominico Corporis & Sanguinis diſtinguantur.* Extat hic Canon in pervetuſto Africanæ Eccleſiæ Codice, eſtque Canon XXXVII. quem nos explicuimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LVII. Trullanum pag. 152. & ſeqq. Concludebat denique laudatus Pontifex Benedictus XIII. ſe regulæ generali velle adhærere, nec ab ea ſe poſſe recedere, nulla ſpeciali urgente circumſtantia, nec ullo exiſtente antiquioris Eccleſiæ documento, quod receſſum ab ipſa regula ſuaderet.

VII. Notat & hæc recitato loco probatque BENEDICTUS PAPA XIV. ubi & illud obſervat, morem illum oblationis turturum, columbarum, & avium reſumtum fuiſſe poſtea a ſuo deceſſore Clemente XII. in Canonizatione ab ipſo peracta anno MDCCXXXVI. quatuor Sanctorum Vincentii a Paulo, Joannis Franciſci Regis, Julianæ de Falconeriis, & Catharinæ Fliſcæ Adurnæ. Ceterum eum Benedicti XIII. morem ſequutus eſt BENEDICTUS XIV. in Canonizatione Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Joſephi a Leoniſſa, & Catharinæ Ricciæ, quam celebravit die XXIX. Junii anno MDCCXLVI. *Ab hac enim ſolemnitate hoc genus oblationis*, turturum ſcilicet, columbarum, aviumque verſicolorum, *omnino tolli Sanctiſſimus imperavit*, ut habent Acta Canonizationis memoratorum quinque Sanctorum a diligentiſſimo & peritiſſimo primo Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfecto Ignatio Reali ordinata, pag. 508. Sane digna præ ceteris lectu ſunt Acta ipſa, in quibus admiratus ſum præſtantiſſimi Auctoris elegantiam non modo, ac præclariſſimam methodum, verum etiam eximiam diligentiam in quibuſque minutiſſimis cæremoniis referendis, dicique iccirco merito poſſunt Cæremoniale numeris omnibus abſolutiſſimum ad peragendas rite recteque in poſterum Sanctorum Canonizationes, tum præſertim quod ipſa Acta contineant Canonizationem celebratam a Sanctiſſimo Domino Noſtro feliciter regnante Pontifice BENEDICTO XIV. qui in ipſa Canonizationis præſertim materia cenſeri merito Magiſter omnium debet.

VIII. Juxta antiquum ritum, cujus meminit in Romano Ordine XV. Cap. CLIII. Petrus Amelius, jam non modo in Miſſa Canonizationis Sanctæ Birgittæ oblatum fuit Bonifacio IX. Papæ *parvum caniſtrellum totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duæ columbæ albæ, & duæ turtures*, verum etiam Executores ipſius Canonizationis, celebrata Miſſa, *miſerunt unam pintolam de auro Papæ, valoris C. ducatorum, & unum vitulum, XXIIII. Capones, XXIIII. pullos, XXIIII. columbos, duo barilia de vino.* Morem hunc ſervatum etiam fuiſſe in Canonizatione S. Nicolai de Tolentino Ordinis Eremitarum S. Auguſtini peracta anno MCDXLVI. ab Eugenio Papa IV. ad quem celebratis Miſſarum ſolemniis, ejuſdem Ordinis Fratres miſerunt duo doliola vini, quod Græcum vocant, multos hædos, multos phaſianos, multos pullos, multas gallinas, multos anſeres, multas turtures, & coturnices, & unam vitulam, docet nos ad ipſum annum MCDXLVI. Paulus Petronus in ſua Hiſtoria Italico idiomate ſcripta, quam ex ms. Codice Bibliothecæ Vaticanæ vulgavit eruditiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius, Legiturque Tomo XXIV. *Rerum Italicarum*, Columna 1103. & ſeqq.

IX. Reliquum eſt, ut ad calcem Tituli hujus aliquid de magnis impenſis dicamus, quæ fieri in Sanctorum Canonizationibus ſolent, quaſque heterodoxi calumniatores perperam ad Romanæ Curiæ referunt avaritiam, inter quos impius apoſtata Marcus Antonius de Dominis Lib. VII. *De Republica Eccleſiaſtica*, Cap. v. Num. LVIII. ita inquit: *Eos enim Papæ canonizant, hoc eſt, ferme deificant, quos ambitio Romana, quos avaritia deificandos ſuadet.* Sed hanc calumniam egregie refellit Sanctiſſimus Dominus noſter in citato Opere Lib. I. Cap. XLVI. ubi per varios paragraphos dilucide exponit eorum ſumtuum neceſſitatem, refertque inter alia celebre teſtimonium incogniti Auctoris, qui in Diſcurſu dogmatico, *De Sanctorum Canonizatione*, Pariſiis impreſſo anno MDCCXXXIX. pag. 65. ita impenſas ipſas defendit: *Expenſæ*, inquit, *ſi ſtatutæ fuiſſent, ut difficilior, & exactior eſſet cauſarum diſcuſſio, prudentia laudanda eſſet. Sed quis eſt, qui ignorare poſſit, quod Commiſſarii accedentes ad locum, ubi Sancti vixerunt, vel in quo miracula facta ſunt, ut ſumant informationes, multitudo teſtium examinandorum, multitudo ſcripturarum imprimendarum, honoraria ſolvenda negotiorum geſtoribus, Congregationis Officialibus, magni Feſti celebratio, neceſſario immenſas quodammodo requirunt expenſas, ex quibus nullum Camera Apoſtolica percipit emolumentum, & quarum magna pars fit extra Urbem.* Sed vide quæ de ipſis expenſis laudatus Pontifex citato loco diſſerit, præſertim vero §. VII. ubi agit de apparatu Baſilicæ Vaticanæ, & de pretioſis veſtibus Pontificalibus ad Canonizationis ſolemnitatem neceſſariis.

X. Neque deſunt antiqui Auctores, qui expenſarum magnitudinem excogitatam ajunt fuiſſe a Romanis Pontificibus, *ut abſterreantur Principes, & Populi*, ad petendum, hujuſmodi Canonizationes fieri. Hæc fuit quidem ſententia Paridis Graſſi Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſtri, qui in ſuo ms. Diario, ubi enarrat geſta Pontificatus Leonis Papæ X. agens de Canonizatione S. Franciſci de Paula hæc habet: *Cum dixiſſem ipſi*, nempe Leoni Papæ, *multam eſſe expenſam in Canonizatione ordinaria faciendam,*

Digitized by Google

dam, præterquam credibile ſit, quæſivit a me Pontifex, quanta ea expenſa eſſe ſoleat; reſpondi, me recordari, tempore Sixti quarti canonizatum fuiſſe B. Bonaventuram, & vidiſſe multum peratum, & pulcherrimum, ſimiliter & tempore Innocentii octavi vidiſſe, & interfuiſſe, quando canonizatus fuit Beatus Leopoldus, cujus etiam pompa fuit maxima, legiſſe autem in Libro Babioli, & Auguſtini Patricii tunc Magiſtrorum cæremoniarum pro Bonaventura fuiſſe expoſitos ducatos auri 27. m. & pro Leopoldo fuiſſe 25. m. expoſitos, ſicut expreſſe ſcripſit idem Auguſtinus Patritius, & Joannes Bruccardus tunc Magiſter Cæremoniarum, quam exceſſivam ſummam cum audiret a me Pontifex, & quaſi de illa rideret, ut impoſſibilem factu, interrogavit, in quibus rebus tanta pecunia expenderetur; dixi, hanc expenſam ſic amplam ideo ab Eccleſia, ſive a Sede Apoſtolica, & a Pontificibus non ſolum tolerari, ſed etiam quodammodo præcipi, ut ex ea quaſi impoſſibili, vel ſaltem dura, abſterreantur Principes, & Populi ad petendum, hujuſmodi Canonizationes fieri, quæ aliquando non ex meritis ejus, qui canonizatur, ſed ex interceſſione communitatis, ac Populi, vel Principis ſupplicantis, qui vel affinis, vel devotus illius fuit, aut ſit, ſicut modo eſt Cardinalis de Jacobatiis, qui etiam petit, Beatam Cecollellam, ideſt Franciſcam Romanam, *affinem ſuam canonizari, & ſicut Communitas Florentiæ Patriæ ſuæ Sanctitatis, quæ petit Beatum Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, & ſicut Natio Alemanna quæ nunc inſtat pro Canonizatione Beati Benonis, & ſicut Dux Venetiarum, qui petit & inſtat pro expeditione ſui anteceſſoris Ducis Venetiarum, & ſicut Rex Ungariæ qui petit Beatum Ladislaum Prædeceſſorem & affinem ſuum, & ſicut Rex Poloniæ, qui petit Beatum Caſimirum avum ſuum, & alii multi ſunt, qui ſimiliter petunt, & inſtant pro Canonizationibus ſuorum affinium, & devotorum ſuorum, quos ſi Sanctitas ſua velit omnes audire, & exaudire canonizando, profecto talis Sanctitas veniet in contemtum, vel omnino relinquetur. Itaque conſultiſſime, ut opinor, Sedes Apoſtolica tantos, ac tam exceſſivos ſumtus tolerat, & quidem hæc pecunia expendi ſolet ſic, nam omnia requiſita paramenta, veſtimenta, ornamenta, tam ſacra, quam non ſacra, emuntur, & fiunt nova.*

XI. Hactenus Paris de Graſſis, ſed ſcitiſſime docet Sanctiſſimus Dominus Noſter citato Cap. XLVI. Num. v. *Beatificationum, & Canonizationum difficultatem nequaquam petendam eſſe, aut peti ab expenſarum magnitudine, ſed utique a longo & rigido examine, quo cauſæ pertractantur, ut teſtari poterunt quotquot hujuſmodi negotiorum expeditioni tanquam Poſtulatores in Romana Curia vacarunt, & quemadmodum plane deſumitur ex his, quæ nonnulli inter ipſos ſcripta reliquerunt.* Refert mox doctiſſimus Pontifex eorum teſtimonia, quibus omiſſis, dicimus nos, falli in ea ſua opinione Graſſum, qui licet peritiſſimus fuerit Apoſtolicarum cæremoniarum Magiſter, non pauca in Diariis ſcripſit, quibus adhærere nullatenus poſſum. Quis autem neſcit, juſte petitam fuiſſe canonizationem illorum, quos ipſe commemorat, quoſque deinde Sedes Apoſtolica, poſt diligentiſſimum virtutum & miraculorum examen, Sanctorum Catalogo adſcripſit. Certum profecto illud eſt, nunquam ipſam Apoſtolicam Sedem falli poſſe, aut errare in Canonizatione Sanctorum, nec unquam Principum preces valuiſſe, aut valituras ad hujuſmodi Decreta ab Apoſtolica Sede extorquenda.

DE PLURIBUS BENEDICTIONIBUS

TITULUS VII.

I. BEnedictio in Scripturis & Deo & hominibus tribuitur. Benedicere Dei eſt benefacere; qui enim quod vult facit, cui bene vult, aut benedicit, eo ipſo benefacit. In hominibus autem benedicere, eſt alteri bene precari; ſeu, ut bona proveniant, optare. Ex quo patet, quod docet eruditiſſimus Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XXXI. diſcrimen inter benedictionem divinam, & humanam. Etenim illa ſuo effectu numquam fruſtratur; unde Geneſis Cap. XII. dicit Deus Abrahæ: *Benedicam tibi, eriſque benedictus*: hæc vero ſæpe inefficax, & inanis eſt, quia non eſt in poteſtate hominis præſtare bona quæ alteri optat, ſed ea a Deo petenda ſunt, qui ſolus omnium bonorum auctor & largitor eſt, ut docent paſſim Scripturæ, & fatetur Eccleſia in plurimis ſuis Orationibus. Plura de Benedictionibus in peculiari de eo argumento Tractatu tradit Paulus Maria Quarti, explicatque varia humanæ Benedictionis genera; idque etiam videri poteſt apud memoratum Eveillonium loco citato.

II. Omiſſis variis humanæ benedictionis generibus, dicemus nos brevi pauca, quæ publicam Eccleſiaſticam Benedictionem ſpectant, quando quis ſcilicet ratione muneris ſacri, quo fungitur, petit a Deo, ut perſonis, ſeu rebus aliquibus bona convenientia tribuat; hæc enim eſt, quæ benedictio Eccleſiaſtica proprie appellatur, quippe quæ nomine Eccleſiæ, & ex auctoritate ei, ejuſque Miniſtris a Deo conceſſa, fiat. Poſuit namque Deus Sacerdotes, & Miniſtros Eccleſiaſticos diſpenſatores Benedictionum ſuarum, uti addiſcimus ex Numerorum Cap. VI. ubi per Moyſen ita Deus ait Aaroni, & filiis ejus: *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis*: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem: *invocabuntque Nomen meum ſuper filios Iſrael; & ego benedicam eis*. Quem locum ſic exponit S. Petrus Damiani in Epiſtola ad Florentinos data, quæ eſt XI. Lib. VIII. *Dominus in Libro Numeri de Sacerdotibus ait*: Invocabunt Nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. *Sacerdos quippe Dominum ſuper hominem verbis invocat, ſed ipſe ſuper eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus ita-*

Digitized by Google

itaque benedictionis non in merito Sacerdotis conſtat, ſed hanc invocatio Divini Nominis adminiſtrat; ut quod ex ore ſonat hominis, intus impleat Creator; & per indigni ſæpe hominis miniſterium, divina virtus ſuum veraciter efficiat Sacramentum.

III. Quod hucuſque docuit S. Petrus Damiani, conſentaneum plane eſt doctrinæ S. Auguſtini, qui eundem Scripturæ locum exponens in Libro Quæſtionum Veteris Teſtamenti, Capite XI. ita inquit: *Per quod oſtenditur, Spiritum gratiarum non perſonam ſequi, aut digni, aut indigni, ſed ordinationem traditionis, ut quamvis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere, niſi fuerit ordinatus, ut officium miniſterii exhibeat. Dei autem eſt effectum tribuere benedictionis.* Eadem docent ceteri Patres, atque Theologi paſſim. Deo itaque operante in miniſterio Sacerdotali, benedictio Eccleſiaſtica habet effectum, non quidem ex opere operato ad inſtar Sacramentorum, ſed ex vi precum Eccleſiæ, quæ cum ſit Sponſa Chriſti dilecta, non poteſt non exaudiri ab eo pro merito, & dignitate ſua, quando aliquid pro filiis petit. Tota vis igitur benedictionum Eccleſiaſticarum eſt in oratione, & invocatione Eccleſiæ, quæ fit per ejus Miniſtros, ut de omni genere ciborum, qui a Chriſtianis ante eſum benedicuntur, dicit Apoſtolus in Epiſtola I. ad Timotheum, Capite IV. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Ideo quemadmodum loco citato e Libro Numerum Deus certam formulam populo benedicendi, Aaroni, & Sacerdotibus veteris Legis præſcripſit, ita Eccleſia Divino Spiritu edocta, omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in Libris Ritualibus, ut ſciant Sacerdotes, quid in ſingulis, & quomodo petendum ſit; ne videlicet temere, & pro arbitrio loquendo, ab ejus inſtitutione, propoſito, & fine aberrent, & ſic optatis decidant.

IV. Omni itaque ratione cavendum eſt Sacris Miniſtris, ne alias benedictionum formas, ritus, aut cæremonias uſurpent, quam quæ in Libris Eccleſiaſticis, utpote, Miſſali, Pontificali, & Rituali ſuprema auctoritate probatis continentur. Circumferuntur enim non paucæ a ſuperſtitioſis, & maleficis hominibus compoſitæ, & arte dæmonum excogitatæ, quæ ut latens venenum non facile produnt, ita multos incautos decipiunt, & in impietatem prætextu devotionis, aut remedii neceſſarii, facile pertrahunt. Cavendum etiam, ne benedictiones Eccleſiaſticæ quocumque prætextu ad alios fines detorqueantur, quam ad quos ab Eccleſia inſtitutæ ſunt. Cum enim illæ vim non habeant, niſi ex intentione, & invocatione Eccleſiæ, non autem ex propoſito, & voluntate utentium; certum eſt, ex communi ordine providentiæ divinæ, eaſdem neque effectum ſortiri alium, quam ab Eccleſia inſtitutum, neque ſine piaculo ad alienos, & particulari præſumtione excogitatos uſus poſſe applicari. Qui autem ſint legitimi fines & effectus ſingularum benedictionum, intelligitur ex earundem verbis, atque ſententiis, quibus concipiuntur.

V. Rurſus benedictiones ipſæ Eccleſiaſticæ ſunt in duplici differentia, nam aliæ conſtitutivæ, aliæ invocativæ a Theologis appellantur. Conſtitutivæ dicuntur, per quas res, ſeu perſonæ benedictæ conſtituuntur in eſſe permanenti rei ſacræ, religioſæ, & ſanctæ, adeo ut eum ſtatum deinceps non mutent, neque ad profanum uſum redire poſſunt. Quicquid autem ſit de hiſce benedictionibus, de quibus fuſe diſſerunt memorati Auctores, Jacobus Eveillon, & Paulus Maria Quarti; invocativæ dicuntur illæ, quibus Dei benignitas invocatur, ut perſonis, ſeu rebus benedicendis, pro cujuſque conditione, uſu, aut neceſſitate, aliquid boni tribuat, eaſve a malo vindicet, non immutato earundem ſtatu, cujuſmodi ſunt, benedictio Epiſcopalis, benedictio, quæ datur initio Confeſſionis, quæ poſt Baptiſmum, & Communionem, quæ in fine Miſſæ, quæ ante Lectiones Divini Officii, quæ Diacono lecturo Evangelium; benedictio Regis & Reginæ, benedictio Sponſi & Sponſæ, Anuli ſponſalis, novi Militis, armorum, & Vexilli bellici, veſtium Monachorum, & Monialium, puerperæ novæ, novæ navis, vinearum, frugum, atque adeo omnium eſculentorum, & poculentorum, & aliarum ejuſmodi rerum, quarum benedicendarum formulæ habentur in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, & in aliis antiquis Ritualibus Libris, quos recenſet inter alios eruditiſſimus Martene in ſuo Opere, *De antiquis Eccleſiæ ritibus.* Nam licet harum benedictionum virtute, nova quædam bona, ſeu temporalia, ſeu ſpiritualia divinitus conferantur rebus, ſeu perſonis, pro quibus Nomen Dei invocatur; relinquuntur tamen illæ ſibi, & ſuæ conditioni priſtinæ, atque uſui conſueto, neque ob hoc in ordinem rerum ſacrarum tranſeunt.

CAPUT I.

Ordo ſervandus in creatione novi Ducis a Paulo II. inſtitutus.

I. NOvo huic ritui conſtituendo, ut hoc Cæremoniale admonet in §. ſequenti, cauſam dedit Borſius Marchio Ferrarienſis, qui anno MCDLXXI. die I. Aprilis Romam magna cum pompa ad Paulum II. Pontificem venit, ut Titulum Ducis ab ipſo obtineret. Rem inter alios narrat Joannes Baptiſta Pigna in Hiſtoria de Principibus Ateſtinis, & ex eo Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium in Vita Pauli II. Ergo Borſium a Paulo Romam accitum ajunt, & tertio Idus Martii Ferraria diſceſſiſſe, divina ope expetita. Nicolaus Corrigii, Marcus Pius Carpi, Galeottus Picus Mirandulæ, & Mathæus Maria Scandiani Domini Borſium comitati ſunt, & cum his quingenti circiter honeſto orti genere amiculis auro argentoque diſtinctis obtecti, quos familiares ſequebantur. Sarcinæ a ducentis mulis ornatis deferebantur. Juvenes LXXX. pedibus incedentes, ſinguli quatuor canes utplurimum moloſſos loris vinctos ducebant. Cum Urbem iniit, CCL. hominum millia ad ſpectaculum confluxerant; dictum a nonnullis fuit, nullum Regem, aut Auguſtum pompa, ſplendoreque tam inſigni Romam adveniſſe. Borſius die Chriſti Reſurrectione celebri Pontificiæ veſtis ſyrma, quam vocant caudam, dum Paulus in Va-

Digitized by Google

Vaticanam Basilicam Sacris operaturus iret, gestavit. Tertiæ Horæ precibus absolutis, a Mediolanensi, & Cretensi Archiepiscopis ductus, Gladium a Pontifice pro Ecclesia dimicaturus accepit. Thomas Peloponensis Despota baltheo, Neapoleo Ursinus, & Constantius Pisaurienſium Reguli filius calcaribus eum exornarunt, & D. Petri Miles effectus est. Pontifici deinde Angelorum pane refecto manus abluturo aquam præbuit; & deinde ab ipso vestem damascenam murium alpinorum pellibus ornatam, acutamque Insulam binis eximiis pretii lapillis insignem, Virgam etiam auream manu tenendam, & torquem collo inferendum Ducis insignia accepit. Ducem duo Cardinales deduxerunt ad Sedem, Senatus universus, Paulo jubente, Domum singulari honore prosequutus est. Postridie Ducali ornatu honestatus Paulum ad Vaticanum comitatus inter duos Cardinales sedit, & a duobus aliis ad Paulum ductus, Rosa aurea donatus est, quam iterum in limine Basilicæ Vaticanæ, populo inspectante, Pontifex eidem Borsio dedit. Qui eodem Pontifice imperante a Senatu universo præeunte, inter Cardinales Vicecancellarium, & Mantuanum ad insignes D. Marci Ædes, in quibus lautissimo convivio exceptus, perductus est, ante discessum multas gemmas Pontifici donavit. Pauli autem II. sumtibus in Ecclesiastica ditione Borsius iter habuit.

II. Borsii pompam, ac Pontificiam erga eum Pauli II. Papæ liberalitatem memorant passim Scriptores Vitæ ipsius Pauli, inter quos Michael Canensius Viterbiensis in ejusdem Vita, quam ex ms. Codice Bibliothecæ Angelicæ apud Fratres Augustinanos desumtam pietate, doctrina, ac dignitate Vir Eminentissimus Romæ edidit anno MDCCXL. præmissis ipsius Sanctissimi Pontificis vindiciis adversus Platinam, aliosque obtrectatores ita inquit. Per idem tempus Borsius Ferrariæ Marchio ac Mutinæ Dux ingenti Nobilium, & equestris Ordinis frequentia consociatus Romam ad ipsum Pontificem adventavit. Inter cetera autem supra trecentos equos forma, & ornamentis conspicuos, ac centum & eo amplius triginta mulorum impedimenta, tegumentis sericeo apparatu, ac laneis pannis miro opificio consutis, desuper extensis secum deduxit: quem Pontifex per omnem ejus ditionem summo cum honore, ac lautissime cum universa ipsius familia suscipi, alique fecit, demandata ad id opera cunctis Provinciarum Quæstoribus. Adventanti autem Borsio in Agrum Romanum omnes absque delectu Cardinalium familiæ, aliorumque Ordinum Prælati, & omnis simul Romanorum Nobilitas obviam eunt. Sed Urbi jam appropinquanti circiter mille passus, Marcus Barbus Cardinalis in Titulo S. Marci, & Joannes Michael Diaconus Cardinalis tum S. Luciæ, Pontificis jussu læti occurrunt, mediumque ad ipsum Pontificem, & sacrum Senatorium Ordinem honorificentissime deducunt; a quibus quidem ingenti cum jucunditate, ac benevolentia susceptus est. Tum interjectis plerisque diebus eum Ferrariæ Ducem instituit, suppresso inposterum Marchionis nomine; Ducalemque Coronam, & sericeam vestem auro undique contextam suis impensis Pontifex ei tradidit. Venationes quoque publicas in Agro Romano in ejus oblevationem fieri mandavit, ubi absque alia Nobilium pene incredibili multitudine nonnulli ex sacri Senatus Patribus intervenere. Tantus autem rerum omnium esu ac potu opportunarum apparatus extitit, ut omni multitudine affatim satiata, complures reliquiarum salinæ, atque optimi vini vegetes superfuerint. Ludos insuper agonales more vetusto, adhibitis indomitis tauris, in Campo Testaceo ei splendidissime agi fecit. Ante ipsius tandem discessum, ipse, suaque omnis familia, Pontificis præstantiam liberaliter, gratissimeque habuit. Cui quidem Borsio Pontifex dignissima elargitus est munera, quæ supra octo millia aureorum pretium excedebant. Impensæ autem pro eo, atque ejus universa familia exhibita quatuordecim millia aureorum capiebant. Ipse quoque Dux pleraſque gemmas, & aulicos pannos ingentis existimationis sericeo aureoque opere undique contextos Pontifici donavit. Demoratus est autem ipse Dux Borsius Romæ mensem unum, de hinc magna cum Pontificis, ac ceterorum gratia Ferrariam rediit.

III. Ex dictis huc usque judicet Lector, an recognosci Borsius possit, ejusque nobilissimus comitatus in luridis ac pannosis viris, quos exhibet Numisma Pauli II. Papæ cum hac inscriptione: AUDIENTIA PUBLICA PONT. MAX. Borsium Atestinum Marchionem Ferrariensem, quem ipse Paulus II. Pontifex Maximus Ducis Titulo insignivit, significari, sibi suasit Molinettus, qui supplex Pontificis pedes deosculatur; eundem indicari posse, seu potius Fridericum Imperatorem, qui & ipse anno MCDLXVIII. in Italiam venit voti solvendi causa, teste Cardinali Papiensi in Epistola CCCX. affirmavit Joannes Baptista Palatius. Verum nullum ex illis expressum, scite observat eruditus Philippus Bonannus in expositione ejus Numismatis, quia scilicet plures in lacera veste seminudos exhibet manibus ante pectus implexis supplicantium instar ante Pontificium Solium prostratos; indignos profecto, qui & Imperatorem, & Borsium Ducem repræsentent. Borsius enim, ut memorati superius Scriptores narrant, & inter ipsos Alphonsus Ciaconius, tanto apparatu progressus est, qualis nunquam eo Seculo visus. Venit enim DCC. fere equitibus comitatus, & ornatus serico villoso cæleſtini coloris, a Pontifice deinde honorificentissime exceptus, & ab eodem solemni ritu ac pompa Ducis Titulo insignitus, juxta pervetustum Romanorum Pontificum morem, qui Regum etiam Titulo Principes, Ducesque aliquando donarunt.

IV. Fateri porro cogimur, Benedictionem Ducum non ita esse antiquam, ac illam Imperatorum, ac Regum; paulo enim serius Benedictio illa obtinuit, fuitque communis Seculo XII. uti docet Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XI. probatque ex Ordine Benedictionis Ducis Aquitaniæ circa finem memorati Seculi XII. conscripto ab Elia Præcentore Lemovicensi. Circa eadem tempora Joannes in Ducem Normannorum benedictus est a Walterio Rothomagensi Archiepiscopo, cujus Benedictionis meminit Chronicon Rothomagense ad annum MCLXXXIX. & MCXCIX. apud Labbeum Bibliothecæ novæ Tomo I. illiusque ritus ad annum ipsum MCXCIX. Matthæus Paris describit. Benedictionis vero preces in Ducum Normannorum Coronatione recitari solitas edidit Andreas Chesnius cum antiquis rerum Normanni-

ca-

Digitized by Google

earum Hiſtoricis apud laudatum Martene loco citato, Ordine I. de quibus dicemus nos infra in hoc eodem Titulo. Loquuntur & de eadem re alii Autores, quos infra alio loco laudabimus.

§. I.

De Miſſa in creatione novi Ducis, & de ritu, quo idem prius fit Miles S. Petri.

Creandus in Ducem per Summum Pontificem veniet ad Cameram Pontificis indutus Manto aureo panno contexto, aperto a dextro humero ad terram uſque, & ſequitur Pontificem ad Eccleſiam deſcendentem, portabitque caudam Pluvialis. Facta oratione ante Altare, Pontifex ſtatim faciet Confeſſionem cum Celebrante; deinde aſcendet ad Sedem eminentem, & recipit Cardinales ad reverentiam, non tamen imponit incenſum, nec Cantores incipient Introitum; & interim creandus Dux ſedet ad pedes Pontificis ſuper primum gradum, & Celebrans oſculato Altari, accedet ad ſuum Faldiſtorium, & ibi expectabit. Finita reverentia, creandus Dux accedit ad pedes genuflexus Sanctiſsimi Domini noſtri, & fit Miles S. Petri, etiamſi prius erat Miles.

COMMENTARIUS.

I. QUo olim ritu benedicerentur ab Epiſcopis Duces, docet eruditus Edmundus Martene, Lib. II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XI. ubi inter alia deſcribit ritum ipſum ex ms. Codice S. Stephani Lemovicenſis, cujus hæc ſunt verba: *Primo debet venire Epiſcopus indutus Pontificalibus, cum Cappa ſerica, & totus Chorus indutus Cappis ſericis, ad majorem januam Eccleſiæ, ſicut in ſolemnibus Proceſſionibus cum Textu*, ideſt cum ſacro Evangelii Codice, *& thuribulo, & aqua benedicta, & ibidem ante januam Eccleſiæ debet Dux aſſiſtere, & datur ei ab Epiſcopo aqua benedicta, & induit eum Chlamide ſerica &c.* Sed quicquid ſit de ritibus ab Epiſcopis in Benedictione Ducum ſervatis, juxta ritum a Paulo II. præſcriptum in creatione novi Ducis Ferrariæ, qui fuit Borſius, de quo plura diximus ſupra, *creandus in Ducem per Summum Pontificem veniet ad Cameram Pontificis indutus Manto aureo panno contexto, aperto a dextro humero ad terram uſque, & ſequitur Pontificem ad Eccleſiam deſcendentem, portabitque caudam Pluvialis*. Ritus eſt plane antiquus, ejuſque mentionem faciunt paſſim Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis mſs. Diariis, ut ubi Romæ adeſſent magni Principes, Regeſque, ipſi in ſacris Pontificiis functionibus Pluvialis caudam deferant.

II. Ut alia omittam, notandum eſt illud, quod ait hic noſter §. in fine: *Creandus Dux accedit ad pedes genuflexus Sanctiſſimi Domini noſtri, & fit Miles S. Petri, etiamſi prius erat Miles*. Milites creare, & ordinare, proprie ad Principes pertinet, qui eos cum ſolemni pompa, & lætitia, præcipuis feſtiſque diebus, Cingulo militari donare ſolebant, ut ſcite obſervat memoratus Martene citato loco, Cap. XII. Certe quod Eccleſia abhorreat a ſanguine, ideo Benedictio novi Militis in antiquis Pontificalibus Libris minime reperitur, nam quæ in fine Romani Ordinis apud Hitorpium edita habetur, extra ordinem ex recentiori aliquo Codice deſumta videtur. Imo plerique Chriſtianæ pietatis æmuli militiam in Viro Chriſtiano tamquam rem illicitam ſuſpexerunt, uti conſtat ex illa S. Martini ad Julianum voce intrepida, cujus meminit illius Vitæ Auctor: *Chriſti enim ſum Miles, pugnare mihi non licet*. Obtinebat tamen jam ſexto fere ab hinc ſeculo Militum ab Epiſcopis Benedictio, uti conſtat ex Epiſtola Willelmi Cardinalis apud Cheſnium Tomo IV. Hiſtoriæ Francorum ad quendam ſuum amicum ita ſcribentis: *Ceterum nepotem tuum, de quo affectuoſiſſime rogaſti, homini honeſto, & religioſo Epiſcopo de Salib. tradidimus, quatenus uſque ad Feſtum S. Mariæ ipſum Militari Cingulo honoret*. Ritus, & preces in creatione novi Militis recenſet inter alios ms. Pontificale Guillelmi Durandi, qui claruit Seculo XIII. Quod Milites autem S. Petri attinet, de quibus mentio in hoc §. habetur, occurrunt hi paſſim in mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis, de iiſque nonnihil dicit eruditus Franciſcus Mennenius in ſuo Opuſculo, quod inſcripſit, *Militarium Ordinum Origines &c.* pag. 81.

§. II.

Ordo benedicendi novum Militem, ac primo illius Enſem.

Pontifex primo ſtans ſine Mitra benedicit Enſem, quem unus ex Acolythis nudum tenet in manu, dicens: ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum & Terram*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*.

Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, & hanc Enſem, quo hic famulus tuus circumcingi deſiderat, Majeſtatis tuæ dextera dignare bene✠dicere, quatenus eſſe poſſit de-

Digitized by Google

fensio Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium, contra sævitiam paganorum, aliisque sibi insidiantibus sit terror, & formido, præstans ei quæ in persecutionis, & justæ defensionis sint effectum. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Benedic Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus per invocationem Sancti tui Nominis, & per adventum Christi Filii tui Domini nostri, & per donum Sancti Spiritus Paracleti, hunc Ensem; ut hic famulus tuus, qui hodierna die, eo, tua concedente pietate, præcingitur, invisibiles inimicos sub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potitus maneat semper illæsus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde aspergit aquam benedictam. Tum stans sine Mitra dicit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, protector meus, & in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me. Gloria Patri, & Filio &c.* ℟. *Sicut erat in principio &c.* ℣. *Salvum fac servum tuum Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus.

Domine Sancte Pater Omnipotens Æterne Deus, qui cuncta solus ordinas, & recte disponis; qui ad coercendam malitiam reproborum, & tuendam justitiam, usum Gladii in terris hominibus tua salubri dispositione permisisti, & Militarem Ordinem ad populi protectionem institui voluisti; quique per Beatum Joannem Baptistam Militibus ad se in Deserto venientibus, ut neminem concuterent, sed propriis stipendiis contenti essent, dici fecisti: Clementiam tuam Domine suppliciter exoramus, ut sicut David puero tuo Goliam superandi largitus es facultatem, & Judam Machabæum de feritate gentium Nomen tuum non invocantium triumphare fecisti: ita & huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla supponit, pietate cælesti vires, & audaciam, ac Fidei, & justitiæ defensionem tribuas, & præstes ei Fidei, Spei, & Charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, & patientiam bonam, & cuncta in eo recte disponas; ut neminem cum Gladio isto, vel alio injuste lædat, & omnia cum eo justa, & recta defendat; & sicut ipse de minori statu, ad novum militiæ promovetur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus suis, novum induat, ut recte retineat, & recte colat; perfidorum consortia vitet, & suam in proximum charitatem extendat. Præposito suo in omnibus recte obediat, & suum in cunctis juste officium exequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. DEsumta hæc quidem sunt ex Romano Pontificali, Parte 1. ubi agitur de Benedictione novi Militis, cujus ritum jam nos fuse explicuimus Tomo 1. Commentariorum ad ipsum Romanum Pontificale Titulo XXIII. Eadem legere est in ms. Pontificali Guillelmi Durandi, Titulo inscripto, *De Benedictione novi Militis*, apud Edmundum Martene, Lib. II. Cap. XII. *In benedictione novi Militis*, inquit laudatum Pontificale Durandi, *hoc modo proceditur. Pontifex enim, priusquam dicatur Evangelium, benedicat Ensem.* Sequitur benedictio Ensis, quæ eadem est ac illa in §. nostro præscripta, nempe: *Exaudi quæsumus Domine &c.* ex qua oratione addiscimus, finem Ecclesiæ in ea instituenda benedictione fuisse, ut Miles Ense benedicto accinctus, *esse possit defensio Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium, contra sævitiam paganorum &c.* Rursus quales esse debeant Milites, docet nos alia nostri hujus §. oratio, quæ incipit, *Domine Sancte Pater Omnipotens &c.* legiturque in citato Durandi Pontificali, & in aliis quoque priscis mss. Codicibus; contenti quippe debent esse stipendiis sibi assignatis, & neminem prorsus concutere, juxta S. Joannis Baptistæ admonitionem factam aliquando ad Milites sui temporis, qui ad eum audiendum in Deserto prædicantem confluebant. Sed de his jam alibi diximus.

§. III.

De impositione Gladii.

Deinde sedens cum Mitra Pontifex imponit nudum Gladium in ejus manu, dicens: *Accipe Gladium istum in Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ & utaris eo ad defensionem tuam, & Sanctæ Ecclesiæ Dei, & confusionem inimicorum Crucis Christi, & Fidei Christianæ, & quantum humana fragilitas tibi permiserit, cum*

eo

eo neminem injuſte lædas. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Et repoſito Gladio in vagina per eundem Militem, accingitur eodem Gladio per duos nobiliores Milites præſentes, Pontifice dicente: *Accingere Gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, in Nomine Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et attende, quod Sancti non in Gladio, ſed per Fidem vicerunt Regna.*

COMMENTARIUS.

I. EXtat hic ritus tradendi Gladium novo Militi in ms. Pontificali Codice Vaticanæ Bibliothecæ, Num. 4744. in Pontificali Guillelmi Durandi, & in Romano Pontificali Parte I. Tit. XXIII. In Ordine Romano apud Hitorpium hæc exhibetur formula, ubi Pontifex novum Militem accingit Gladio: *Accipe hunc Gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus Sancti reſiſtere, & ejicere valeas omnes inimicos tuos, & cunctos Sanctæ Dei Eccleſiæ adverſarios, adjuvante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo.* Hunc enſem quo Miles accingebatur, ab ipſomet Altari ſumebat Pontifex, ponebatque illum in dextera manu ipſius ex præſcripto ms. Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ, & Guillelmi Durandi. Imponebatur Militi Enſis, præſtito prius ab ipſo Milite juramento de defendenda Eccleſia, viduiſque, pupillis, ac orphanis; ad quem ritum alludens Joannes Saresberienſis Lib. VI. *Policratici*, Cap. X. ita inquit: *Inolevit conſuetudo ſolemnis, ut eo die, quo quiſque militari Cingulo decoratur, Eccleſiam ſolemniter adeat, Gladioque ſuper Altari poſito, & oblato, quaſi celebri profeſſione facta, ſeipſum obſequio Altaris devoveat, & Gladii, ideſt, officii ſui jugem Deo ſpondeat famulatum.* Quæ ipſiſſima verba deſcripſerunt Helinandus Sermone III. in Feſto omnium Sanctorum, Vincentius Belluacenſis, Lib. XXIX. Cap. CXXXI. Nicolaus Uptonus Libro I. *De Militari Cingulo*, Cap. XIV. & Petrus Bleſenſis, qui in Epiſtola CXIV. ita ſcribit: *Sed & hodie Tyrones Enſes ſuos recipiunt de Altari, ut profiteantur ſe filios Eccleſiæ, atque ad honorem Sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & Patriæ liberationem, Gladium accepiſſe.* Gladius quippe, quo accingebatur novus Miles, præcipuum fuit ſemper militaris Ordinis argumentum.

II. Iis quæ diximus ex memoratis hucuſque Auctoribus mirifice ſuffragatur quod legitur in alio ms. Pontificali Codice Vaticanæ Bibliothecæ, Num. 4748. ubi hæc habet: *Deinde ſpondeat ſuo ſacramento Militandus in manibus dicti Domini Archipresbyteri, vel Prioris dictæ Baſilicæ, omnium aliarum Eccleſiarum, viduarum, pupillorum, & orphanorum eſſe defenſor, atque in neceſſitatibus propugnator, & virilis adjutor. Quo facto, procedant ad Altare majus, vel ſi maluerit ex devotione ad Altare Confeſſionis B. Petri Apoſtoli, in quo Altari ejuſdem evaginatum* (Gladium) *reperiant, quem Dominus Archipresbyter, ſi voluerit, vel dictus Prior, eidem jam Militi donet, dicens:* Accipe Gladium deſuper Beati Petri Corpore ſumtum per noſtras manus licet indignas, vice tamen, & auctoritate Apoſtolorum conſecratas militariter tibi conceſſum, noſtræque bene ✠ dictionis officio in defenſionem hujus univerſalis Eccleſiæ divinitus ordinatum ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Et memor eſto, de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: *Accingere Gladio tuo circa femur tuum potentiſſime*; ut in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & Sanctam Dei Eccleſiam, ejuſque Fideles propugnes, ac protegas; nec minus ſub Fide falſos, quam Chriſtiani Nominis hoſtes execres & diſpergas. Viduas, ut pollicitus es, & pupillos, & orphanos clementer adjuves, & defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves; ulciſcaris injuſta, confirmes bene diſpoſita; quatenus in hæc agenda, virtutum triumpho glorioſus, juſtitiæ cultor egregius, cum Mundi Salvatore, cujus typum geris in nomine, merearis ſine fine regnare. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto &c.

III. Hactenus laudatus ms. Codex Pontificalis Bibliothecæ Vaticanæ, Num. 4748. qui uſui certe fuit Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Summo Pontifici. Addit mox etiam illud quod alias legitur in Pontificali Guillelmi Durandi, & in vulgato Romano Pontificali præſcriptum eſt, ut ſcilicet, ubi Pontifex accingit novo Militi Enſem, hæc verba proferat: *Accingere Gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime; & attende, quia Sancti non in Gladio, ſed per Fidem vicerunt Regna.* Aliud Pontificale ms. laudatæ Vaticanæ Bibliothecæ Num. 4744. & illud Guillelmi Durandi, diſerte mandant, ut poſt prolatam tradendi Enſis formulam, *Enſe in vagina repoſito*, accingat Pontifex Militem, dicens: *Accingere Gladio tuo &c.* Ceterum notatu illud dignum eſt, quod docet in Hiſtoria ſua Ingulfus, Gladium quidem ſuper Altare obtuliſſe Militem, ejuſque collo poſt Evangelium a Sacerdote cum benedictione fuiſſe impoſitum: *Anglorum erat conſuetudo*, inquit, *quod qui militiæ legitime conſecrandus eſſet ... Miſſam auditurus, Gladium ſuper Altare offerret, & poſt Evangelium Sacerdos benedictum Gladium collo Militis cum benedictione imponeret &c.* Quicquid ſit de hoc ritu, ex dictis huc uſque addiſcere licet, ordinem a Paulo II. in creatione novi Ducis inſtitutum, ac ritus in ea creatione ſervatos, jam olim ab antiquioribus Pontificalibus fuiſſe præſcriptos, & in creatione novorum Militum adhibitos fuiſſe.

§. IV.

De Enſe ter a Milite vibrando, & de pacis oſculo eidem tradendo a Pontifice.

Novus igitur Miles Enſe accinctus, illum de vagina ter vibrat nudum viriliter, & eo ſu-

Digitized by Google

super sinistrum brachium terso, mox in vaginam recondit. Deinde Pontifex insigniens illum charactere militari, dat sibi osculum pacis, dicens: *Pax tibi*:

COMMENTARIUS.

I. UBi Ense Miles fuerat accinctus, ex præscripto antiqui Romani Ordinis apud Hitorpium, Clerici hasce Antiphonas decantabant: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. ℣. *Accingere Gladio tuo super femur tuum potentissime*, cum *Gloria*. Antiphona: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna*; cum Psalmo: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam deducet te mirabiliter dextera sua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*, cum *Gloria*, & repetitione Antiphonæ, *Specie tua*. Tum hæc Oratio sequebatur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi voluisti: fac illum contra cuncta adversantia ita cælestibus armari præsidiis, quo hic, & in ævum nullis tempestatibus bellorum turbetur, nec inimicorum hominum insidiis terreatur. Per*. Ex eodem Romano Ordine tradebat Pontifex novo Militi scutum, quod prius quidem benedicebat, & post ipsius traditionem, orationem ad Deum fundebat, ut per merita Sanctorum Martyrum, & Militum Mauritii, Sebastiani, Georgii, Militi novo victoriam de hostibus suis præstaret.

II. His omissis, ritui in nostro Cæremoniali præscripto, ac præsertim in hoc §. IV. concinit quidem, quod ante ipsius Cæremonialis editionem præscripserant antiqui Codices Pontificales Vaticanæ Bibliothecæ superius laudati, Guillelmi Durandi, ac Romanus hodiernus, citato Titulo, *De Benedictione novi Militis*, in quibus edicitur, ut Ense novus Miles accinctus, illum de vagina educat, & evaginatum ter in manu viriliter vibret, & eo super brachium terso, mox illum in vaginam reponat. Dari etiam ipsi Militi osculum pacis, antiqui ritus est, quippe cujus meminere memorati Libri Pontificales annorum ut minimum CD. uti jam dixi Tomo I. Commentariorum ad Partem I. Romani Pontificalis, Titulo XXIII. qui inscriptus est, *De Benedictione novi Militis*, in Commentario ad §. V. ubi inter alia notavi, ex ipsis Pontificalibus annorum CD. dari osculum pacis novo Militi sub hac formula: *Esto Miles pacificus, strenuus, fidelis, & Deo devotus*; ex ms. autem Pontificali Vaticano annorum D. ipsum pacis osculum tradi Militi ab Archipresbytero, vel Priore Canonicorum Vaticanæ Basilicæ sub ista verborum formula: *Vade, & age, ut bonus Miles Christi, Beatique Petri cælestis Regni clavigeri*. ℟. *Amen*. Occurrit hæc eadem formula in variis mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis, ubi ritum creandi Militem S. Petri enarrant. Sane plura de Militibus S. Petri videri possunt apud Cohellium in Notitia Cardinalatus, Cap. XXX.

§. V.

De terna Militis percussione cum ipso Gladio, & alapa ei danda.

Tum accipiens illius Ensem nudum, ter Militem percutit plane super spatulas, dicens: *Esto Miles pacificus, strenuus, fidelis, & Deo devotus*; & mox dat sibi leniter alapam, dicens: *Exciteris a somno malitiæ, & vigila in Fide Christi, & fama laudabili*.

COMMENTARIUS.

I. QUod ternam ipsam Militis percussionem, & alapam ei impigendam spectat, notandum illud hic primo est, fieri passim eorum rituum mentionem in citatis superius Pontificalibus, & apud Scriptores medii ævi, a quibus etiam alapa ipsa Militaris dicitur ictus, qui Tyronis ad Militarem dignitatem promovendi collo, aut humeris Ense, vel Gladio, quo Miles fiebat, infligebatur, uti addiscimus ex magno Chronico Belgico ad annum MCCXLVII. cujus hæc sunt verba: *Plerique Milites moderni temporis patrimoniis intendentes, omissis sumtuosis solemnitatibus, saltem per impactum colaphum, Militarem consequuntur dignitatem*. Apud Lambertum Ardensem expresse dicitur, in novi Militis inauguratione inter alios ritus alapam collo ejus fuisse inflictam; *Fidem Comiti in signum Militiæ Gladium lateri, & calcaria sui Militis aptavit, & alapam collo ejus inflixit*. Id quod alio etiam loco Auctor ipse laudatus repetit.

II. Agit & de hujusmodi alapa inter alios Auctores Joannes de Beka in Ottone III. Episcopo Trajectensi, ubi refert Militarem inaugurationem Willelmi Comitis Hollandiæ in Regem Romanorum electi, qui in Æde Coloniæ Urbis præcipua, militari Cingulo accinctus est anno MCCXLVII. ubi ita inquit: *Illis itaque dictis, Rex Bohemiæ grandem dedit ictum in collo Tyronis, ita dicens*: Ad honorem Dei Omnipotentis te Militem ordino, ac in nostro Collegio te gratanter accipio, sed memento, quoniam Salvator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus, & illusus, coram Pilato Præside, & flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram Hærode Rege vestitus chlamide, & coram omni populo nudus, & vulneratus in Cruce suspensus est, cujus opprobria meminisse te suadeo, cujus Crucem acceptare te consulo, cujus mortem ulcisci te moneo. Hactenus laudatus Auctor. Ceterum antiquus hic ritus dandi alapam novo Militi concinit cæremoniæ illi pariter antiquæ, quæ hodieque servatur in Confirmationis Sacramento in quo recens confirmatum leviter in maxilla cædit

Digitized by Google

dit Episcopus, dicens: *Pax tecum*; de quo ritu videri & possunt quæ diximus nos citato Tomo I. in primam partem Romani Pontificalis, Titulo I. in Commentario ad §. XV.

III. Quod hunc præsentem nostrum §. spectat, præter memoratas verborum formulas in alapa Militi infligenda usitatas, notanda hic insuper est formula illa, quam legimus in Historia Cortusiorum Lib. XI. Cap. II. *Imperator .... sedens in equo fecit* (Franciscum de Carraria) *Militem, & cum palma eum percutiens super collum ait*: Esto bonus Miles, & fidelis Imperii. Affert & alia hanc in rem veterum loca eruditissimus Dufresne in suo Glossario, verbo, *Alapa militaris*; ex iisque colligit, errasse Ducheśnium in Notis ad Alanum, qui putavit, ejusmodi alapas militares manu, non Gladio in collum Tyronis impactas. Quicquid sit, ex nostro §. uterque ritus præscriptus est, & percussionis cum Gladio nudo super spatulas Militis, & inflictionis levis alapæ in illius scilicet maxilla; de quo ritu jam & alio loco nos diximus.

§. VI.

De calcariam impositione.

Tunc Nobiles assistentes imponunt sibi calcaria, & Cantores, sive Pontifex, si magis placet, dicit Antiphonam: *Speciosus forma præ filiis hominum, accingere Gladio tuo super femur tuum potentissime.* Deinde dicit Pontifex versiculum: *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus super hunc famulum tuum N. qui hoc eminenti mucrone circumcingi desiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, & eum dextræ tuæ virtute fretum, fac contra cuncta adversantia cælestibus armari præsidiis, quo nullis in hoc seculo tempestatibus bellorum turbetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. RItus imponendi calcaria novo Militi, & quidem post impactam ei leviter in maxilla alapam, mentionem faciunt Pontificales ms. Codices Guillelmi Durandi, & Vaticanæ Bibliothecæ Num. 4744. in quibus ita legimus: *Et mox dat*, Pontifex scilicet, *ei*, ideśt Militi, *alapam leviter, dicens*: Exciteris a somno malitiæ &c. *Tunc Nobiles adstantes imponunt sibi*, nempe Militi, *calcaria, ubi hoc fieri mos est, & cantatur Antiphona &c.* Ex alterius ms. Pontificalis ejusdem Bibliothecæ Num. 4748. præscripto, ubi alias nulla fit mentio de danda Militi alapa, recipiebat quidem Romæ ipse novus Miles de manu alicujus antiqui Militis adstantis calcaria deaurata super gradus Basilicæ S. Petri. Propria fuisse Militum calcaria aurea, seu deaurata, eorumque pedibus aptari consuevisse, quum armis accingebantur, docent passim Latini Scriptores. Joannes Monachus Majoris-Monasterii de Gaufridi Ducis Normanniæ militia agens, *calcaribus*, inquit, *aureis pedes ejus adstricti sunt*. In Historia Caroli VI. de Ludovici II. Regis Siciliæ, & Caroli fratris militiis dicitur, quod eos accinxit *baltheo militari, & per Dominum de Chauvingniaco calcaribus deauratis jussit Rex Carolus insigniri*. Ita fuisse veterum Francorum calcaria, Auctor est Joannes Puricellus in monumentis Ambrosianæ Mediolanensis, pag. 71. ubi tumulum detectum & apertum Bernardi Regis Italiæ, Pipini filii describit. Porro, quod ipsa calcaria amputari solerent Militibus, quum ipsi degradabantur, testis est Thomas Walsinghamus, ubi agit de Andrea de Harcley Comite Carlilensi exauthorato, & propter læsæ Majestatis crimen suspenso: *Primo degradatus est, amputatis securi ad talos suos calcaribus, & sic vicissim discinctus est baltheo militari*.

II. Quod orationem spectat, quæ in hoc nostro §. legitur post calcarium impositionem, legitur plane & ipsa una cum antiphona, quæ ipsam orationem præcedit, in edito Romano Pontificali, Parte I. Titulo XXIII. §. VI. juxta editionem ipsius Pontificalis, quod nos Commentariis jam illustravimus, itemque legitur in Pontificali Guillelmi Durandi, & in aliis Pontificalibus Codicibus Vaticanis. Est illa plane antiqua, extatque in ms. Codice Valicellano annorum ut minimum DCCC. contractius tamen hunc in modum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi jussisti: fac illum contra cuncta adversantia, ita cælestibus armari præsidiis, quo nullis hic, & in ævum tempestatibus bellorum turbetur.*

§. VII.

De Missa, ac juramento in creatione Ducis.

Finita oratione, novus Miles osculatur pedem Papæ; tum surgit, deponit Ensem, & calcaria, & redit ad sedendum ubi prius. Cantores incipiunt Introitum. Incensatur Altare, & procedit in Missa usque ad cantatum Graduale; quod dum cantatur, futurus Dux ducitur ante Pontificem, ubi genuflexus præstabit juramentum: *Ego N. annuente Domino futurus Dux promitto, spondeo, polliceor, atque juro coram Deo, &*

Beato

Digitized by Google

Beato Petro Apostolorum Principe, me de cetero reverentiam, & obedientiam servaturum, etiamsi alias obligatus sum, Sacrosanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ, & Vobis Domino meo, Domino N. divina providentia Summo Pontifici, & Successoribus vestris Canonice intrantibus, nec deficiam in omnibus necessitatibus vestris, & utilitatibus juxta (1) *posse meum, & quantum potero, divino auxilio fultus, pura & bona fide custodiendo etiam & conservando omnes possessiones, terras, loca, honores, jurisdictiones, & jura vestra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus, & per omnia, & propter honorem, & reverentiam Ducalem, quam hodie a Vobis recepturus sum, etiam promitto in recognitione tantæ susceptæ gratiæ pro me, & Successoribus meis, perpetuo dare Vobis, & Successoribus vestris, singulis annis in die Festivitatis Beatorum Apostolorum Petri & Pauli unum palafrenum album bene & decenter ornatum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

COMMENTARIUS.

I. COnstat ex variis Pontificalibus Libris, atque ex illis, qui Historias scripserunt, consuevisse in novorum Militum Benedictione, seu creatione, juramentum ab ipsis præstari. Patet id quidem ex dictis huc usque, ac præsertim ex recitatis superius Joannis Sarisberiensis, & Petri Blesensis testimoniis. Quod formulam juramenti spectat in hoc §. descriptam, quod novus Dux in sua ipsius creatione exhibere debet Summo Pontifici, desumta profecto est ipsa formula ab antiquis juramenti formulis, de quibus alias abunde diximus. Porro teste Matthæo Pariso ad annum MCXCIX. ubi enarrat ritus servatos in benedictione in Ducem Normannorum peracta a Walterio Rothomagensi Archiepiscopo, *Dux coram Clero, & populo juravit super Reliquias Sanctorum, & super Evangelia sacrosancta, quod ipse Sanctam Ecclesiam, & ejus dignitates sine malo ingenio defenderet, & ordinatos honoraret. Juravit etiam, quod leges iniquas, si quæ essent, destrueret, & bonas subrogaret.* Ex ms. Codice S. Stephani Lemovicensis, apud eruditum Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. XI. Ordine I. qui benedicebatur in Lemovicensium Ducem, debebat *vovere, & sub juramento promittere, se pro posse suo conservaturum, & defensurum jura Lemovicensis Ecclesiæ.* Inter alios ritus ad benedicendum Ducem servatos, celebrationis etiam Missæ meminit quidem prædictus ms. Codex, ubi inter alia edicitur, ut præstito juramento, *Dux redeat in Chorum, & Præcentor collocet eum in Sede Decani, & audiat Missam cum devotione, in qua dicet Episcopus has orationes &c.*

II. Nihil frequentius in mss. Diariis veterum Apostolicorum Cæremoniariorum, ac præsertim Joannis Burchardi, & Paridis Grassi occurrit, quam creatio novorum Militum a Romanis Pontificibus facta. Missæ in ea actione celebratæ meminit Grassus in ms. Diario ubi enarrat gesta Leonis Papæ X. anno MDXIII. *Die Dominica* III. *Julii*, inquit, *Sanctissimus Dominus noster creavit unum Militem, qui erat Julius Pompei de Vitellis Perusini, & non donavit ei aliquid, quia sic ipsemet petiit a Papa nihil velle, & deinde die Lunæ sequenti, quæ fuit quarta, creavit alium, qui fuit Dominus N. de Burgeriis, Senensem, ac etiam, ut dicunt, creavit eum Senatorem Urbis futurum, & huic donavit characterem, & torquem satis notabilem, & hujusmodi Militum creatio per Pontificem semper fuit facta in Capella minori, audita parva Missa, aut magna, secundum quod congruebat; & quisque Miles semper donavit nobis ducatos decem auri, si non plures, & Mazzeriis quandoque duos, quandoque tres, aut ad summum ducatos quatuor, & nullis aliis Officialibus nunquam datum est aliquid.* Rursus, ut alias Militum creationes omittam, ait Grassus eodem anno MDXIII. Leonem ipsum Papam X. creavisse *in parva sua Capella quinque Milites, videlicet primo duos Ravennates Dominos, & tres Mantuanos, videlicet duos Oratores, qui præstiterant obedientiam, & alium concivem.* Nulli horum quinque Papam aliquid donasse, nec signum, nec torquem, excusantem se, *quod non esset paratus*, idem Grassus testatur, qui statim mox, quod rei suæ erat, hæc subdit: *Hi autem quinque donarunt nobis decem ducatos singuli, & ne nos deciperent, ut multorum mos est, accepimus torques ex collo eorum pro pignore.*

III. Notatis his obiter, creationem Militum S. Petri Romæ jam olim peragi a Summis Potificibus consuevisse, ex dictis superius patet. Fuerunt autem varia hujusmodi Militum genera, testisque inter alios est Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium in Vita Leonis X. hunc scilicet Pontificem, *ne administratione thesauri aluminis apud Forum Glodii* Tulpha *nuncupatum, sedente Pio II. inventi fraus aliqua committeretur, Collegium certorum hominum, qui Milites S. Petri dicerentur*, instituisse, & erexisse, *quibus ea potissimum cura demandata est.*

§. VIII.

De Litania & orationibus in creatione Ducis.

Præstito juramento, Pontifex descendit ad Faldistorium, & procumbit super illud ante Altare cum Mitra. Dux futurus prosternit se ad sinistram Papæ aliquantulum supra scabellum

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero I. & Colonienſi legitur, *juxta vires meas.*

Digitized by Google

ſcabellum viride. Subdiaconus vero Apoſtolicus facit Litaniam, cæteris cum Choro reſpondentibus, *Kyrie eleiſon &c.* Ubi autem dixerit: *Ut obſequium ſervitutis &c.* & replicatum fuerit, ſurgit Pontifex, & ſignans ſuper Ducem, alte dicit: *Ut hunc famulum tuum in Ducem eligere digneris, te rogamus audi nos.* Et iterum: *Ut hunc famulum tuum benedicere digneris, te rogamus audi nos.* Et tertio: *Ut hunc famulum tuum ad Ducale faſtigium perducere digneris, te rogamus audi nos.* Et ſemper Chorus reſpondet replicando. Recumbit deinde iterum Pontifex, & Subdiaconus, atque alii finiunt Litaniam. Qua finita, Papa revertitur ad Sedem eminentem, & futuro Duce permanente proſtrato, Papa, depoſita Mitra, ſtans dicit ſuper eum: *Pater noſter.* Deinde: *Et ne nos inducas &c.* ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Prætende quæſumus famulo tuo N. Duci dexteram cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, conſequi mereatur.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. DEſumtus hic ritus eſt ex antiquo benedicendi Regem ritu, uti videre eſt noſtro 1. Tomo Romani Pontificalis, Titulo xx. qui inſcriptus eſt, *De Benedictione & Coronatione Regis*, in Commentario ad §. VI. ubi non Litaniæ modo, ſed & earundum precum, atque orationum in hoc noſtro §. deſcriptarum fit mentio. Ritus itaque in hac Ducis Benedictione a Paulo II. adhibiti, antiqui ſunt, non tunc temporis adinventi, ſed ab antiquioribus Pontificalibus accepti; proſixeque referuntur in celebri Epiſtola, quam ſupra memoratus Borſius de ea re ſcripſit, quamque mihi obtinuit Vir Clariſſimus Joſephus Antonius Scalabrinius Canonicus inclytæ Cathedralis Ferrarienſis ab humaniſſimo Viro Ferrante Borſetto a ſecretis Magiſtratus Ferrarienſis, & Archivi Cuſtode. Certe rem gratiſſimam Litterariæ Reipublicæ feciſſem, ſi ipſam Epiſtolam tametſi vulgari Idiomate exaratam ad calcem hujus Capitis ad majorem ipſius explicationem deſcripſiſſem. Sed facultatulæ meæ tantæ non ſunt, ut me majore impenſa ob novi hujus Operis editionem onerem. Neque enim decet, ut Auctoribus quibuſdam contigit, Libros diſperdere, ut fieri ſatis typographo poſſit.

§. IX.

De Bireti, ſeu Ducalis capitis ornamenti impoſitione.

Sedebit deinde Pontifex cum Mitra, & Dux futurus ducetur ad ejus pedes; & tunc Pontifex accipiens Ducale Biretum, imponit ejus capiti ante ſe genuflexi, dicens: *Accipe inſigne Ducalis præeminentiæ, quod per nos capiti tuo imponitur. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen; & intelligas te amodo ad defenſionem Fidei, Sacroſanctæ Eccleſiæ, viduarum, pupillorum, & quarumcumque aliarum miſerabilium perſonarum fore debitorem, veliſque deinceps utilis eſſe executor, perſpicuuſque dominator coram Domino, & inter glorioſos Athletas virtutum merito ornatus appareas: quam gratiam tibi concedere dignetur Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. BIretum, ſeu Birretum, ut docet Dufreſne in ſuo Gloſſario, capitis tegmen eſt, lineum, tenue, ſtrictum, forma ipſius capitis, Pontificumque proprium fuit, probatque variis veterum teſtimoniis. Eodem teſte Auctore, fuit etiam Biretum, Doctorum inſigne, ejuſque meminit Nicolaus de Clemangis in Libro, *De Studio Theologico*, ubi ita inquit: *Non Cappa quippe doctorem facit, non Birreti magiſtralis impoſitio, non Cathedra ſublimior, aut locus ſuperior.* Pluribus jam ab hinc ſeculis invaluit mos, ut cujuſvis ordinis Clerici in ſacris functionibus Bireto utantur, quod quidem, ut notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XLVII. ab origine rotundum erat, & laneum, adinſtar ingentis galericuli. Hoc deinde Biretum cum digitis aſſidue apprehenderetur, ſenſim cornua quædam, ſeu angulos adeptum eſt, qui cum tres eſſent, in Gallia ut majorem ſymetriam nanciſceretur, additus eſt quar-

Digitized by Google

tus, & ita e rotundo quadratus evasit, in Gallia scilicet, nam alias in nostra Italia, aliisque in locis passim Biretum ipsum sacrorum hominum tres habet angulos.

II. Notandum vero hic illud est, Biretum in nostro hoc §. nihil aliud esse, quam Insigne Ducale, quod in antiquis Codicibus, & apud veteres Scriptores *Circulus aureus* appellatur, eratque Coronæ simplicioris species, quæ Patriciatus Insigne erat apud Romanos sub Imperatoribus Occidentalibus, uti addiscimus ex Leone Ostiensi, qui Lib. II. Chronici Casinensis, Cap. LXXIX, hæc habet: *Eidem Henrico IV. Patriciatus honorem Romani contribuunt, eumque præter Imperialem Coronam, aureo Circulo uti decernunt.* In eodem Casinensi Chronico Lib. IV. Cap. CXIX. Petrus Diaconus de Lothario Imperatore loquens, sic ad rem inquit: *Ipse vero in Civitate Coronam Circuli Patricialis acceptu-rus remansit.* Notabile est autem, quod ad rem ipsam scibit in sua Historia Rerum Laudensium Acerbus Morena pagina 117. de Friderico I. Imperatore, his verbis: *Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus Papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia S. Petri Missam honorifice, & cum magno gaudio celebravit, ipsoque die in capite Imperatori Circulum aureum tantummodo imposuit. Sequenti vero die Martis, in quo fuit Festum S. Petri ad Vincula, prædictus Dominus Papa Paschalis Dominum Fridericum Imperatorem, & Serenissimam Augustam Beatricem conjugem suam ex Coronis auro purissimo, & multis pretiosissimis gemmis decoratis coronavit in ipsa Ecclesia S. Petri.*

III. Circulum etiam, non Coronam Regibus tribuit Chronicon Montis-Sereni anno MCXXXIV. ubi de Lothario II. Imperatore agit: *Imperator*, inquit, *celebrat Paschæ Halverstat, ubi quidam de Principibus Danorum Magnus nomine, hominium ei faciens, Regnum Daniæ ab ipso suscepit, & postquam præstitit juramentum Imperatori ad Ecclesiam procedenti, Circulo decoratus aureo, Gladium præportavit.* Rursus anno Christi MCLII. ut idem testatur Chronicon, Imperator Fridericus I. dictus Ænobarbus, *proximum Pentecoste Merseburg celebrans, Sueno Regi Daciæ Circulum Regium concessit.* Et anno MCLVIII. *Dux Bohemiæ concesso sibi ab Imperatore Circulo nominatur.* De quo Ducum Bohemiæ Circulo Wladislao Duci a Friderico Imperatore indulto multa commentatur Bohuslaus Balbinus in Epitome Rerum Bohemicarum Lib. III. Cap. X. & alibi. Ceterum, ut alia ejusdem rei vetera monumenta omittam, quibus dicitur, Circulum aureum concessum ab Imperatore Regibus, Ducibusque, constat plane ex ms. Codice S. Stephani Lemovicensis, ubi agitur de Ordine ad benedicendum Ducem, apud eruditum Martene Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XI. Ordine I. inter alios ritus in ipsa Ducum Benedictione servatos, quam scilicet solemni cum pompa Episcopus peragebat, recenseri Circuli aurei impositionem, quam Episcopus ipse capiti Ducis faciebat, hanc dicens Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum Ducatus honore dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, ut ita in hujus seculi cursu Subditos in communem salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum nostrum &c.*

IV. Quod formulam spectat in hoc nostro §. præscriptam in Bireti Ducalis impositione, desumta videtur ex formula ipsa, quæ in impositione Regiæ Coronæ adhibetur in Regum Benedictione juxta præscriptum Pontificalis Romani, uti videre est Parte I. ejusdem Pontificalis, Titulo XX. §. XI. in quem nos jam plura adnotavimus. Videri etiam potest quod de Coronis Ducum, & Comitum scripsit Dufresne in suo Glossario, verbo, *Coronæ Ducum &c.* & verbo, *Circulus aureus*, ubi inter alia notat, aureis ipsis Circulis, non vero Coronis, usas etiam fuisse aliquando Augustas apud Occidentales, probatque ex testimonio Arnoldi Lubecensis, qui Lib. VI. Cap. II. de uxore Philippi Suevi Imperatoris hæc habet: *Ibi quoque Regina Regio Diademate non tamen coronata, sed Circulata processit.* Varia id genus exempla occurrunt & apud alios Scriptores medii & infimi ævi, quorum loca, in quibus de eadem re fit mentio, supervacaneum putavi in hoc Commentario describere. Videri autem possunt quæ de ipso Circulo aureo notavit eruditissimus laudatus Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario, ubi etiam fuse & alias voces enarrat, quæ in hoc Capite occurrunt.

§. X.

De Sceptri traditione.

Post hæc immediate dat sibi Sceptrum in manu dextra, dicens: *Accipe Virgam directionis, & justitiæ. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti, Amen. Per quam valeas unicuique secundum merita sua tribuere, sive boni fuerint, sive mali, semper Deum ante oculos habens, non declinans a dextris, vel a sinistris; sed cum omni bonitate, & charitate bonos foveas, malos coerceas; ut omnes intelligant, & sciant, te justitiam dilexisse, & iniquitatem odio habuisse: quam gratiam tibi concedere dignetur, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* Et mox cum Bireto, & Sceptro, osculatur pedem Pontificis; qui deinde surgens sine Mitra, dicet super novum Ducem adhuc genuflectentem cum suo habitu hanc Orationem.

Deus Pater æternæ gloriæ sit adjutor tuus, & Protector tuus, & Omnipotens benedicat tibi: preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat: statum dominii tui jugiter firmet; & gentem, populumque tuum in æternum conservet, & inimicos tuos confusione induat, ut super te sanctificatio Christi floreat, ut

Digitized by Google

ut qui tibi tribuit in terris dominium, ipse in Cælis conferat præmium. Qui vivit, & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. POst impositum capiti Ducis Biretum, traditur in dextera ejus manu Sceptrum, cujus tamen nulla fit mentio in ms. Codice S.Stephani Lemovicensis, cujus Ordo ad benedicendum Ducem ab Elia Præcentore S. Stephani digestus est, prout ab honorabilibus, & providis Viris, qui noverant, acceperat, ut idem Codex ms. docet. Vivebat autem Elias sub finem Seculi XII. aut ineunte Seculo XIII. ut notat Martene ad ipsum Ordinem, quem refert Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XI. ad calcem Ordinis X. qui desumtus est ex ipso ms. Codice S. Stephani Lemovicensis. Porro Sceptrum est Regale Insigne, de quo fuse diximus Tomo I. Romani Pontificalis, Titulo XX. in Commentario ad §. XII. Plura de Sceptro videri possunt apud eruditum Dufresne in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario, ubi inter alia docet, Sceptro etiam significari auctoritatem ipsam, cujus Sceptrum insigne est. Porro traditum fuisse Borsio Duci Sceptrum, seu Virgam sub verborum formula in §. nostro descripta, docet Borsius ipse in citata superius Epistola, quam de sua ad Ducalem dignitatem promotione scripsit. Teste insuper laudato Borsio, post illam Orationem, quæ incipit, *Deus Pater æternæ gloriæ*, Papa ipsi Borsio pulcherrimum torquem imposuit ad collum, quem eidem una cum Manto donavit valoris mille ducatorum.

§. XI.

De prosequutione Missæ, & oblatione Ducis ad Offertorium.

Surgit deinde novus Dux, & sociatus per duos juniores Diaconos Cardinales ducitur in locum suum ad sedendum, idest, inter duos ultimos Diaconos Cardinales. Quod recipiatur ad osculum a Cardinalibus, non videtur convenire, cum non sit ex ordine illorum, neque par. His finitis, proceditur in Missa usque ad Offertorium; & tunc novus Dux deposito Bireto accedet ad pedes Pontificis, & offert aurum, quantum voluerit, & recipietur ad osculum pedis, manus, & oris, & mox revertetur ad locum suum; & finita Missa procedet inter ipsos juniores Diaconos Cardinales.

COMMENTARIUS.

I. RItus celebrandæ Missæ in Benedictione novi Ducis antiquus plane est, ejusque meminit laudatus superius ms. Codex S.Stephani Lemovicensis ab Elia Præcentore S.Stephani digestus sub finem Seculi XII. vel ineunte Seculo XIII. Dictam fuisse Missam in Benedictione Borsii Ducis Ferrariæ, quem creavit Paulus II. Pontifex, testem habemus Borsium ipsum in memorata sua epistola, ubi etiam inquit, factam tunc ab ipso fuisse oblationem, de qua loquitur hic noster §. aliasque cæremonias recenset, quæ tunc in ipsa Missa, & deinde post Missam observatæ fuere. Ait inter alia Borsius, magnam tunc fuisse populi multitudinem in Basilica Vaticana, eique tunc ostensum fuisse sanctissimum Sudarium, & datam ab ipso Summo Pontifice Paulo II. Pontificalem benedictionem.

§. XII.

Quæ servantur in Duce minoris potentiæ.

Et hæc quidem servantur, ut supra dictum est, si Dux est, & magnæ nobilitatis, & potentiæ, ut fuit tempore Domini Pauli Papæ Secundi Borsius Ferrariæ. Si vero esset mediocris potentiæ, ut fuit tempore Domini Sixti Papæ Quarti Friderieus Dux Urbini, omnia servarentur, nisi quod non duceretur a Cardinalibus, sed a duobus Assistentibus Papæ principalibus, & sederet ultimus post omnes Cardinales. Quod si adhuc esset inferior, tunc omnia alia servarentur, nisi quod non daretur ei Sceptrum, neque sederet in banco Cardinalium, sed ad pedes Papæ in supremo gradu, & eundo incederet ante Crucem post Oratores, & alios Principes.

COMMENTARIUS.

I. EXplicuimus jam supra ritum, quem in creatione novi Ducis instituit Paulus Papa II. ubi Borsium Ducem Ferrariæ magnæ nobilitatis, & potentiæ Principem benedixit. Agitur nunc in hoc præsenti §. de ritu servato a Sixto IV. in creatione Friderici Ducis Urbini, quem vocat Principem *mediocris potentiæ*. Neque enim iidem honores exhibendi

Digitized by Google

ſunt omnibus Ducibus, Principibuſque, ſed attendenda ſemper eorum ſumma, vel minor potentia, fuitque hic ſemper Romanæ Eccleſiæ mos, ut ampliori honore Imperatores coleret, quam Reges, uti ex dictis in ſuperioribus Commentariis conſtat. Porro laudatus Pontifex Sixtus IV. ut erat magni animi Vir, ut aliquot in Umbria Tyrannos tumultuantes, & adverſus Eccleſiam magis quam Beneficiarios deceret, contumaces tollere cupiens, magno coacto exercitu Fridericum ipſum Feltrium ex Comite Urbini jam Ducem creatum tum abſentem militiæ Imperatorem præfecit, Julianumque S. Petri ad Vincula Cardinalem Legatum creavit, qui quidem, Friderico Duce non expectato, Tudertinos primum, & deinde Spoletinos Pontifici rebelles adortus eſt; quos, Camertium Duce opitulante, ſedatis inteſtinis diſcordiis, factioſorumque principibus in exilium pulſis non ſine magna Spoletinorum ſtrage, in Eccleſiæ Romanæ fide continuit. Movit deinde arma in Nicolaum Vitellium Regulum Typhernatem, auditoque is Friderici Urbini Ducis adventu, Urbem Legato ea conditione dedit, ut ſibi in ea liceret tuto privati hominis vitam agere, & Ducis fretus amicitia, cavit ſibi, ut accepto a Pontifice, quanti bona vendi poſſent pretio, exularet quo vellet. Rem narrat Ciaconius in Vita Sixti IV. viderique alii Auctores poſſunt, præſertim Auctor memoriarum Hiſtoricarum Italico idiomate exaratarum, in quibus refertur, ut tandem Urbini Ducatus fuerit ad Apoſtolicam Sedem devolutus.

CAPUT II.

Ordo ſervandus in Benedictione, & inveſtitura novi almæ Urbis Præfecti a Sixto Quarto inſtitutus.

I. PRæfectus Urbis Romæ ab Auguſto reſtitutus potius, quam inventus eſt, ut ex Tacito Libro VI. Annalium docet eruditus Pitiſcus in ſuo Lexico Romanarum antiquitatum, ubi etiam allato Dionis teſtimonio ait, inſtitutum fuiſſe a memorato Auguſto ipſum Præfectum Mœcenatis conſilio: *Præfectus etiam Urbis*, inquit Dio, *ex primariis Viris quidam creandus eſt, qui omnes Magiſtratus, quos geri ante hunc convenit, geſſerit; non ut per abſentiam Conſulum Rempublicam adminiſtret, ſed ut cum reliquis in rebus Urbi præſit, tum cauſas quoque eas, in quibus ab omnibus indicatis Magiſtratibus appellare licet, itemque capitales, iis exceptis, quas poſt dicam, in Urbe, ac extra eam dijudicet*, pro centum ſcilicet paſſuum millibus, ut patet ex Lege I. §. IV. ff. *De Officio Præfecti Urbis*; ubi hæ partes ab Ulpiano procurationi ipſius attributæ ſunt. Primo ſcilicet ut ſervorum de dominis querelas, viciſſimque horum in illos criminationes audiret. II. ut patronis de libertis ingratis querentibus jus diceret. III. ut de Tutorum, Curatorumve criminibus cognoſceret. IV. ut numulariorum, argentariorumque fraudes coerceret. V. ut carnis curam gereret. VI. ut quietem in populo procuraret, & illicita puniret, VII. ut ſpectaculorum diſciplinæ præeſſet. VIII. denique ut quicquid non modo intra Urbem, verum etiam intra centeſimum ab Urbe lapidem commiſſum eſſet animadverteret, ſicut & Urbe, & Italia interdicendi poteſtatem haberet, itemque in inſulam deportandi, uti conſtat ex Lege VI. ff. *De Interdictis*. Porro ut ex priſcis recentioribuſque Auctoribus docet idem Pitiſcus, omnibus Magiſtratibus Feriis Latinis in Albanum Montem proficiſcentibus, ne Urbs ſine Magiſtratu foret, ac ut petentibus jus dici poſſet, Præfectus Urbis introductus eſt, ſimulacro quaſi quodam, & imagine illius creationis, quæ fiebat ab initio propter Magiſtratuum ab Urbe in Provincias profectionem belli gerendi cauſa.

II. Plura ſcitu digna de Præfecto Urbis, ejuſque muniis videri poſſunt apud eruditiſſimos Romanarum antiquitatum Scriptores, præſertim vero apud Virum undequaque doctiſſimum conterraneum meum Vincentium Gravinam in celeberrimo Opere, *De origine Juris*. Sane quicquid ſit de ipſis Præfectis tempore Romanæ Reipublicæ, & primis noſtræ Chriſtianæ Religionis ſeculis, varia fuit variis temporibus illorum fortuna. Ut enim notat Ciaconius in Vita Joannis XIII. qui electus Pontifex fuit anno Domini DCCCCLXV. *Petrus Præfectus Urbis, Conſules, Tribunique plebis, qui Dechaucontes dicebantur, opes ſuas ab Othone fractas acerbe ferentes, varia moliri inſtituerunt ad libertatem ſuam recuperandam, & potentiam Pontificis, quæ Othonis favore creverat, infringendam, in primis autem Joannem ipſum antiqui exempli Pontificem, cum conatibus eorum ſe adverſarium oſtendiſſet, vetere inſtituto, comprehenderunt, ac nihil de ſententia remittentem Urbe depulerunt, Rofredo Comite ex campania ſummæ potentiæ Viro in auxilium advocato.* Conſtant hæc quidem ex Reginonis Continuatore, & ex Baronio ad ipſum annum DCCCCLXV. atque ex aliis etiam Auctoribus, poſt quos idem Ciaconius tradit, laudatum Othonem, ut importunam Romanorum audaciam inſigni aliquo edito ſeveritatis exemplo inpoſterum coerceret, Romam progreſſum poſt Natalitios dies judicio de Eccleſiæ turbatoribus conſtituto, ſevere animadvertiſſe in omnes. Ergo Conſules fuerunt tunc Italia pulſi, Tribuni, qui Decarchontes appellabantur, ſuſpendio enecati: Petrus vero Præfectus Urbis malorum omnium fons, & origo veſtibus exutus, atque utre redimitus, per frequentiora Urbis loca aſino ad ludibrium averſus circumvehitur, ac demum virgis cæſus, macerandus tetro carceri traditur, & poſt in Germaniam exul vinctus mittitur.

III. Eodem teſte Ciaconio, ſunt qui ſcribunt, Petrum ipſum excarnificandum abraſa barba, capillis ſuſpenſum, ad caput equi Conſtantiniani aliquandiu ſtetiſſe, ut ejus exemplo talia facinora malefici declinarent; inde autem ablatum, aſinoque ſuperimpoſitum, verſo ad clunes vultu, & manibus ſub cauda ligatis, atque ita per Urbem ductum, & virgis cæſum fere uſque ad interitum fuiſſe. Rofredi cadaver, & ejuſdem filii ex ſepulcro extracta, paſſim ſunt diſſipata, Pandulpho Principe Capuano auctore, ad quem Joannes ipſe Pontifex Roma pulſus Capuam venerat, ibique a Pandulpho honorifice exceptus, illius precibus, *tunc primum in eadem Civitate Archiepiſcopatum conſtituit*, ut ait Leo Oſtienſis

Digitized by Google

fis in Chronico Lib. II. Cap. IX. Porro Sirmondus in ea, quam contra Salmasium scripsit, *Adventoria*, existimat, jam inde a Constantii Imperatoris temporibus Capuam fuisse Metropolim. Verum ut Cantelius in Historia Metropolitanarum Urbium Parte III. Dissertatione II. Capite V. aliique observarunt, ejus rationes evincunt tantum, Capuam fuisse Metropolim in Ordine Civili, non vero Ecclesiastico. In eo tamen fallitur Cantelius, quod scribat, anno tantum nongentesimo sexagesimo octavo eam Urbem a memorato Joanne XIII. Metropolitica dignitate auctam. Id enim ex recitatis Leonis Ostiensis verbis, quibus innititur Cantelius, aperte refellitur, ut legere est in Critica Baroniana apud Pagium seniorem ad annum Christi DCCCCLXV. & DCCCCLXVIII.

IV. Præfectum Urbis, cujus vel diu post Joannis XIII. Pontificatum summa dignitas fuit, omnino extinguere conatus est Arnaldus Brixiensis hæreticus, sive Arnoldus, vel Arnolphus, ita varie nominatus reperitur, qui e Gallia reversus, ubi studiis operam navarat, Petro Abaelardo præceptore usus, Brixiæ, & Romæ præsertim rem Christianam turbavit, assumta larva sanctitatis, Monastico scilicet habitu, cujus vitam, turpesque mores, ac falsa dogmata, retulimus jam nos confutavimusque Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIII. Concilii II. Œcumenici Lateranensis. Is itaque cum novas turbas Romæ cieret, populumque Romanum incitasset, ut Præfectura Urbis omnino sublata, ceteri Magistratus Patricio subjicerentur, pertinacissime inclamans, administrationem Urbis ad Pontificem non pertinere, ipsumque Ecclesiastico jure contentum esse oportere; curante tandem Eugenio Papa III. jussu Friderici Imperatoris captus, a Petro Urbi Præfecto ad ignem damnatus est, cinereque in tyberim projecti, *ne a stolida plebe corpus ejus veneratione haberetur*, ut ait Otho Episcopus Frisingensis, Lib. II. *De gestis Friderici*, Cap. XX. cui concinit Guntherus Ligurinus Lib. III. sui Poematis, ita de eodem Arnaldo scribens:

Unde etiam (neque enim reor esse silendum,
Neu de funesto repetatur postea sermo)
Judicio Cleri, nostro sub Principe victus,
Adpensusque cruci flammaque cremate solutus
In cineres tyberine tuas est sparsus in undas,
Ne stolidæ plebis quem fecerat improbus error,
Martyris ossa novo cinereve foveret honore.

IV. Ante Eugenium III. sua potestate fuisse abusos Urbis Præfectos, notavimus nos citato Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XII. Concilii Generalis I. Lateranensis. Inter alias enim extorsiones ipsorum Præfectorum, (qui & Sententiales Præfecti dicebantur, vel quod Sententias pronunciarent, vel quod per Sententias decretam pœnam exequutioni mandarent) famosa illa fuit extorsio, quod nempe Præfecti ipsi minime vererentur de oblatis Basilicæ Vaticanæ participare, quæ alias Viris Ecclesiasticis, vel pauperibus solita erant concedi. Unde non mirum, si ipsi etiam, qui rebus Ecclesiæ minime parcebant, Porticanorum, idest peregrinorum, & advenarum, seu alterius conditionis hominum, in porticibus Vaticanæ Basilicæ habitantium bona usurparent, quum Romæ absque hærede moriebantur. Hanc plane turpem consuetudinem abolevit Callistus II. in citato Canone XII. Lateranensi, & quidem, ut ait, *de Fratrum nostrorum*, idest, Cardinalium, *& totius Curiæ consilio*, idest, Civium Romanorum, non vero Clericorum, ut ea verba scite explicat Antonius Augustinus Lib. II. *De emendatione Gratiani*, Dialogo V. *necnon & voluntate, atque consensu Præfecti*; quia scilicet Imperatori is addictus magna pollebat auctoritate, eoque invito prudenter Pontifex Callistus II. abstinuit consuetudinem pravam illam abolere. Abrogavit tandem eum abusum Callistus, sed adjecta hac conditione: *Ita tamen, ut Porticani in Romanæ Ecclesiæ, & nostra, nostrorumque Successorum obedientia, & fidelitate permaneant.* Quia scilicet inducta ab Imperatoribus in Ecclesiam divisione, ac Civitate ipsa Romana in duas factiones scissa, ab obedientia Ecclesiæ, & legitimi Pootificis, Porticani etiam defecerant, præsertim tempore Schismatis a Præfecto Urbis in partes Burdini Antipapæ tracti. Sed de his vide quæ fuse diximus in laudatum Canonem XII. Concilii I. Lateranensis nostro Tomo III. Conciliorum. Alia scitu digna de ipso Urbis Præfecto, ejusque variis prærogativis dicemus mox infra in nostris ad sequentes Paragraphos Commentariis.

§. I.

De indumentis Præfecti Urbis, & ritu, quo creari solitus fuit.

In primis præparentur hora competenti vestes Præfecturæ, videlicet Tunicella serica ornata fimbriis aureis, & Mantum etiam aureo limbo circumtextum, apertum a parte dextra, & Infula ad similitudinem Bireti Ducalis, & omnia portentur ad Ecclesiam, ubi est celebrandum. Pontifex autem procedit ad Ecclesiam, ut consuevit, cum Pluviali & Mitra pretiosis, orat ante Altare, facit Confessionem cum Celebrante, ascendit Sedem eminentem, & Cardinales exhibent consuetam reverentiam. Deinde duo ex Proceribus Romanis præsentant novum Præfectum in suis vestibus Summo Pontifici; qui genuflectit super infimum gradum Solii Pontificalis, & Pontifex surgens sine Mitra dicit super eum Orationes, quæ in novo Milite creando dicuntur, & alia omnia facit, quæ ad creationem novi Militis pertinent. Si autem antea esset Miles, illis dimissis procedit ad benedictionem in hunc modum. Surgit sine Mtra, & dicit. ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Deus qui in Nomine tuo congregatis famulis tuis te medium esse dixisti, corona valente, da gratiam huic famulo tuo Præfecto nostro, quam Abraham in holocausto, Moyses in exercitu, Hieremias in eremo, Samuel meruit crinitus in Templo: concede Domine concordiam, quam inspirasti Patriarchis, prædicasti populis, tradidisti Apostolis, mandasti victoribus: bene ✠ dic quæsumus Domine hunc Præfectum nostrum, quem ad salutem populi nobis a te credimus esse concessum. Fac eum esse annis multiplicem, ingenti, atque salubri corporis robore vigentem, & ad senectutem optatam, atque demum ad finem pervenire felicem. Sit nobis fiducia eam obtinere gratiam pro populo, quam Aaron in tabernaculo, Elisæus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in Templo. Sit illi regendi virtus, atque auctoritas, quam Josue suscepit in castris, Gedeon sumsit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus est usus in dogmate; & ita Pastoris cura proficiat in Ovile, sicut Isaac profecit in fruge, & Jacob est dilatatus in grege. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam præteritorum seculorum insscitia, atque barbaries parvam nobis notitiam reliquerit de indumentis Præfecti Urbis, fateri nihilominus cogimur, plura in ipsis præteritis seculis de ea re inveniri, quæ in hoc nostro Cæremoniali desiderantur. Sane, ubi Innocentius Papa III. creatus Pontifex Maximus die VIII. Januarii anno MCCXCVIII. & consecratus die XXII. Februarii, sequenti die post suam Consecrationem Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, eum per Mantum de Præfectura publica investivit; ad illud enim usque tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eodem Præfecturæ honorem tenuerat. Id plane inter alia enarratur in Actis Vitæ ejusdem Pontificis, quibus consentiunt, quæ in Regesto Pontificio habentur, secundo nempe die a sua Consecratione Præfectum ipsum Urbis in Cardinalium Consistorio fiduciarii viri officia laudato Innocentio detulisse, ac scypho argenteo accepti gratissimi obsequii ergo donatum fuisse. Notant hæc Ciaconius, ac Pagius in Vita Innocentii, quorum prior sic ad rem inquit: *Petrus Præfectus Urbis accessit*, nempe ad Innocentium Papam III. *atque in Consistorio Palatii Lateranensis publice juravit, se ei, & Successoribus ejus, & Romanæ Ecclesiæ fidelem contra omnes homines fore, & investituram ab eo Præfecturæ per Mantum recepit, atque in manibus ejus ligium hominium fecit, ut vocabant, poculo ab eo aureo insignis benevolentiæ monumento donatus*. Pagius loco citato ait, poculum ipsum, seu scyphum, fuisse argenteum.

II. Ad ornamenta quod attinet, quibus indui Præfectus ipse Urbis olim solitus fuit, ut ab inferioribus ordiamur, caligas, sive ocreas, sive calceos, quos antiqui Scriptores nonnulli minus usitato vocabulo *zancas* appellarunt, Præfecto ipsi tribui, & quidem non unicolores, alteram nempe auream, alteram rubeam, docent nos Romanus antiquus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XXI. & Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. II. ubi agitur de ritu dandi Presbyterium per Papam tempore Adventus, & in Natali Domini: *Præfectus Urbis ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Virginis usque ad Palatium indutus Manto precioso, & calceatus zanca una aurea, idest, una caliga, altera rubea, eadem die, & secunda die, & etiam in duabus diebus Paschæ, & quando Papa eligitur, juxta Dominum Papam collateraliter, nullo medio, equitando incedit*. Zancæ, seu zanchæ, sive etiam tzangæ, uti ad hanc vocem videre est in Glossario eruditi Dufresne, *calcei* erant, *sive potius cothurni, qui crura, & pedes tegebant*. Formam vero hujusmodi calceorum, aliorumque Præfecti Urbani ornamentorum habes in Libro Felicis Contelorii, qui inscriptus est, *De Præfecto Urbis*. Cernuntur autem ibidem calcei ipsi, sive potius cothurni calcaribus muniti.

III. Utitur præterea Tunica laxioribus manicis, atque utroque ex latere aperta ex serico rubro cujus oræ phrygio opere auro exornatæ sunt. Eam qui de sacris cæremoniis tribus ab hinc seculis scripsere, & alii antiquioris ætatis Auctores aliquando Tunicellam, nonnunquam aurifrigiatam, aut Senatoriam dixerunt. Certe, ut alios omittam, Paris de Grassis Apostolicus Cæremoniarius in suo ms. Diario, ubi enarrat gesta Pontificatus Leonis Papa X. ad annum MDXX. agens de creatione Ducis Camerini in Præfectum Urbis facta ab ipso Leone Pontifice, post explicatam Præfecti Urbis dignitatem, & officium, sic de ejusdem vestibus, quibus equitare solitus fuit, inquit: *Equitat autem ipse veste indutus Senatoria, idest, primo Tunicella longa, & quasi Subdiaconali, & Paludamento desuper oloserico ad manum dexteram aperto, quod antiquitus latus clavus dicebatur, limbis circumcirca auro contectis, gestatque capite Infulam concolorem, pendentibus utrinque vittis, qui habitus ejus proprius, & singularis est, nec cum aliquo communis*. Porro notat idem Grassus, quoties Imperator ad Urbem venit, & per illam, sive pedester, sive equester incedit, a Præfecto Urbis, eo, quem dixi, induto habitu, duci consuevisse, prout sub Paulo II. Pontifice Præfectus Urbis sic vestitus equitavit ante Fridericum Imperatorem, auctore Augustino Patricio, qui eum Cæsaris ingressum pene triumphalem descripsit.

IV. Extat ea Patricii descriptio apud Mabillonium Tomo I. Musæi Italici, distincta in varia Capita. De Præfecto autem Urbis sic inquit Cap. IV. *Præfectus rubro paludamento, quod Pluviale vocant, indutus, apertura tamen supra dextrum humerum existente, incedebat, Pileum in capite gestans oblongum, vittis ab aure pendentibus in modum Tiaræ Pontificalis, coloris*

Digitized by Google

loris autem rubei, ac signis quibusdam in longum porrectis distinctum, vehebaturque equo sericeo panno ejusdem coloris tecto. Itaque supra Tunicellam, Chlamidem, sive Paludamentum Præfectus induebat, quod aliqui Mantum, alii Pallium, nonnulli etiam Pluviale appellarunt, teste laudato Patricio. Id ex veste holoserica punicea confectum, auroque ad extremas oras distinctum circuli forma, una tantum ex parte apertum, ad talos usque consuevisse dimitti, ac supra dexterum humerum aurea ligula necti, notavit eruditus Contelorius in suo citato Opusculo, *De Præfecto Urbis*, Cap.II. In quo etiam Opusculo videre est ejus Paludamenti figuram ære incisam, sicut & aliarum vestium, quibus in certis solemnitatibus Præfecti Urbis induti, soliti erant incedere, præsertim vero quum equitabant; utebantur tunc enim equo ornatissimo, purpureaque veste instrato, cui aureum ephippium, aureæ phaleræ, aureæque fræni bullæ adhiberi solebant.

V. Jam vero quod capitis tegumentum spectat, quod alii Tiaram, alii Coronam, quidam Pileum ad modum Ducalis Bireti, nonnulli Infulam vocant, ex serico purpurei coloris, non unius semper formæ fuisse, compertum est. Aliquando enim, ut ex antiquis monumentis docet memoratus Contelorius loco citato, cubitali ferme altitudine in metam assurgens, aurea Cruce phrygii operis distinguebatur, tæniis utrinque pendentibus, quo usus est Florentiæ Franciscus Ursinus, quem Eugenius IV. Pontifex, XIV. Kalendas Novembris anno MCDXXXV. Præfectum Urbis creavit, uti ex ejusdem Eugenii Diplomate liquet; non vero Joannes Antonius, ut per errorem scripsit Contelorius; hic enim creatus fuit Urbis Præfectus a Callisto Papa III. anno MCDLVI. uti apud eundem Contelorium videre est in Serie Præfectorum ad annum ipsum MCDLVI. Præterea ipsum capitis tegumentum Præfecti Urbis distingui solitum fuit apice in alteram partem obverso; & nonnumquam etiam depressius latiusque in summo usurpatum est. Sane quæ hactenus de Præfecti vestibus, ac præcipue de Pileo diximus, ea ex laminarum æneārum scriptura impressa videre curiosus poterit Lector apud laudatum Contelorium. Non enim idipsum a nobis sperari debuit, quippe qui vix potuimus, & quidem non sine rei familiaris incommodo, Libros hosce edere in lucem, nullo nos Mœcenate adjuvante.

VI. Quod tandem Orationem spectat in §. hoc nostro descriptam pro Benedictione, & investitura novi almæ Urbis Præfecti, antiqua profecto illa est, & in Benedictione Principis, seu Comitis Palatini usitata, uti liquet ex antiquo Arelatensi Pontificali apud eruditum Martene Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap.XI. ubi etiam idem Auctor notat, eandem Benedictionem, seu Orationem, quæ incipit, *Deus, qui congregatis in tuo Nomine famulis &c.* exhiberi in ms. Pontificali Guillelmi Durandi, cui præmissus est etiam Versiculus, *Adjutorium nostrum &c.* & *Dominus vobiscum*. Porro variat tantisper Oratio ipsa descripta in nostro §. ab ea, quæ legitur in citatis Pontificalibus, uti videre est apud laudatum Martene, ubi ex memorato Arelatensi Codice refert Ordinem benedicendi Principem, seu Comitem Palatinum, ejusque Pontificalis auxilio correximus nos Orationem ipsam in nostro §. tam juxta editionem I. Venetam, quam Romanam, mendose descriptam; in quarum prima ita legitur: *Deus in nomine tuo congregatis famulis tuis te medium esse Christi &c.* In altera quoque occurrit vox *Christi*; sed legendum, *dixisti*, ut in Pontificali Arelatensi.

§. II.

De benedictione vestium Præfecti Urbis.

Benedicat deinde vestes, quæ per aliquem Acolythum ad dexteram Pontificis tenentur. Pontifex vero stans sine Mitra dicat ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus omnium bonarum virtutum dator, omnium bonorum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas: Tunicellam, Mantum, & Regnum præparatum virtute Sancti Spiritus benedicere ✠, & sanctificare ✠ digneris ✠ & omnibus eis utentibus gratiam.

§. III.

De ipsarum vestium impositione.

His dictis, sedet Pontifex cum Mitra, & sine alia vestium benedictione, quoniam secularium Principum vestes non benedicuntur, exuitur Præfectus veste communi ab illis Proceribus, & adducitur ad pedes Pontificis cum stricta veste. Qui illi primo imponit Tunicellam, & deinde Mantum cum apertura super humerum dexterum, dicens: *Induat te Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundet te. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Imponit deinde ei genuflexo Infulam, sive Biretum Præfecturæ, dicens: *Accipe insigne Præfecturæ præeminentiæ, quod per nos capiti tuo imponitur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

Digitized by Google

Sancti. Et intelligas, te amodo ad defensionem Fidei, & Sacrosanctæ Ecclesiæ fore debitorem. Quod ut opere perficere valeas, ille tibi concedere dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. TAmetsi antiquissima sit institutio Præfecti Urbis, uti superius notatum jam fuit, docet nos nihilominus Auctor nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius, ritum huc usque præscriptum servandum in Benedictione, & investitura ipsius Præfecti, institutum a Sixto IV. primum fuisse, una cum cæremoniis, orationibusque, ac formulis, in benedictione, atque impositione Insignium Præfecturæ adhibendis, qualia sunt Tunicella, Mantum, & Regnum, de quibus jam diximus supra in Commentario ad §. 1. Regnum hic idem est, ac Corona, seu Biretum, vel Infula, ideſt tegumentum capitis Præfecti Urbis, quod etiam aliis nominibus appellatum est. Porro quod Orationes spectat, ac formulas benedictionis, ac impositionis vestium Præfecti Urbis, occurrunt illæ in priscis Pontificalibus, sed tamen ad alias functiones adhibitæ, præsertim vero formula illa verborum imponendi Tunicellam, & Mantum, *Induat te Dominus &c.* quæ quidem legitur in variis antiquis Pontificalibus, & in Pontificali etiam hodierno Romano, ubi agitur *de ordinatione Diaconi*, uti videre est nostro primo Tomo ejusdem Pontificalis Commentariis a nobis illustrati, Titulo XI. §. X.

§. IV.

De aliis ritibus in Benedictione Præfecti Urbis servatis.

Surgit demum Pontifex, & sine Mitra dicit super Præfectum genuflexum hanc orationem.

Oremus.

Deus Pater æternæ gloriæ sit adjutor tuus & protector, & Omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, inimicos tuos confusione induat, & super te sanctificatio Christi floreat, & qui tibi in terris contulit Præfecturam, ipse tibi in Cælis conferat æternam gloriam. Qui vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

His finitis, Cantores incipiunt Introitum. Imponitur incensum a Pontifice, & incensatur Altare, & reliqua ut alias. Novus Præfectus cum suo habitu sedet ad pedes Pontificis in supremo gradu.

COMMENTARIUS.

I. EST & antiqua oratio illa, *Deus Pater æternæ gloriæ &c.* legiturque, ut alia mittam, in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Laudensis apud Clarissimum Edmundum Martene, Lib. II. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XI. Ordine II. qui orationes continet pro Duce recipiendo, ideoque tantisper variat ab oratione in §. nostro descripta; post illa enim verba, *& vitam tuam longitudine dierum adimpleat*, ita statim subdit; *Thronum Ducatus tui jugiter firmet, & gentem in æternum, populumque tuum conservet &c.* In fine quoque ipsius orationis, ubi in nostro §. dicitur: *qui tibi in terris contulit Præfecturam &c.* in citato Laudensi Pontificali habetur: *qui tibi tribuit in terris Ducatum*. Ex quibus omnibus licet addiscere, quod alias superius iterum iterumque notatum fuit, ordinem servandum in Benedictione, & investitura novi almæ Urbis Præfecti institutum a Sixto IV. Pontifice, compactum esse ex antiquis probatis cæremoniis, orationibusque alias usitatis.

II. Teste Contelorio in Opusculo, *De Præfecto Urbis*, Cap. V. Pontifex inter Missarum solemnia eum quem Urbis Præfectum delegerit, insignibus Magistratus vestibus, sacro, ac vetere ritu, induere solet. Quo die autem ipse Præfectus, ut idem Auctor notat, in Sacello Pontificio Præfecturæ Insignia suscipit, ad osculum oris a Pontifice admittitur, atque eodem ipso ornatu in supremo Solii gradu ad Papæ dexteram parieti innixus consistit, Diacono Cardinali, qui adsidet, proximus; idemque facit, quotiescumque, vel in eodem Sacello, vel in Templo coram Pontifice res sacra solemni ritu peragitur. Ita Julio II. Pontifice anno MDIV. in Epiphania, & Dominica die Palmarum Franciscus Maria Feltrius ibidem inferiorem habuit Robertum Salernitanum Principem. Iterum eodem anno in Templo S. Mariæ super Minervam die Beatæ Virginis Annunciationi sacro, ac denuo anno MDVI. tum festo die Purificationis Deiparæ, tum Dominica Palmarum. Ita quoque Leone X. Pontifice anno MDXXI. Joannes Maria de Varano Camerini Dux, Urbis Præfectus die Purificationis Beatæ Virginis in Pontificis Solio ipsi propior stetit, quam Nolanus Comes. Atque hæc constant ex ms. Diariis Apostolicorum Cæremoniariorum, Joannis Burchardi, & Paridis Grassi, quos idem Contelorius recenset.

III. Porro, ut contendit laudatus Grassus in suo ms. Diario, ubi enarrat Pontificatum Leonis X. ad annum MDXX. ubi agit de creatione prædicti Joannis Mariæ de Varano Ducis Camerini in Præfectum Urbis facta ab ipso Leone Papa X. die VI. Augusti, Præfectus ipse Urbis *non nisi*

Digitized by Google

niſi in Urbe inveſtiri debet, ſicut ipſe Imperator non niſi in Urbe per Pontificem, aut ejus Legatum inveſtitur, & coronatur. Conatur ſuam hanc opinionem pluribus argumentis probare, quia ſcilicet ipſe Joannes Maria de Varano, ut idem Graſſus rem narrat, *intendebat ſe in civitate Camerini per aliquem Commiſſarium Apoſtolicum inveſtiri facere, prout etiam in eodem loco de Ducatu Camerinenſi ſimiliter inveſtitus fuerat, exiſtimans ipſe, ſimili modo hoc fieri poſſe, ſicut etiam illud fieri potuit in dicta Civitate*. Addit Graſſus tunc Apoſtolicus Cæremoniarius, ſe, quod dixiſſet procuratoribus ejuſdem Ducis, qui ipſum de hac re conſulebant, *quod non eadem ratio eſſet, ſed longe diverſa hæc Præfecturæ inveſtitura ab illa Ducali*, irriſſum ab eiſdem fuiſſe, putantibus ipſum ideo contendere, inveſtituram ſcilicet Præfecturæ Urbis non Camerini, ſed in Urbe peragendam, ut Officiales Papæ, ac ipſe præſertim Graſſus propinam caperent. Ceterum inter alia argumenta pro ſua propugnanda ſententia ait Graſſus, Præfecti Urbis inveſtituram nihil aliud eſſe, niſi meram quandam equitationem per Urbem, ſolemnem, ac pompoſam, *cum Magiſtratibus, & Proceribus Romanis ipſum Præfectum paludatum & infulatum feſtiviter comitantibus*; eamque equitationem, ſi Camerini, & non in Urbe fieret, profecto non Urbis, ſed Camerini Præfectum vocari debere, & eſſe.

IV. Quicquid ſit, *hæc Præfectura noſtro tempore*, inquit Graſſus, ideſt initio Seculi XVI. quo ille ſcribebat, *nullam, aut puſillam in Urbe juriſdictionem retinuit reſpectu illius antiquæ, de qua in Libris Digeſtorum & Codicis fit mentio; ſed tantummodo titulo tenus dignitatem ſuam retinet, ut ſit ſupra omnes Urbis Magiſtratus; nam & Præfectus iſte cum inveſtitur dignitate ſua, equitat per Urbem cum pompa & ſolemnitate, comitantibus univerſis Urbis Magiſtratibus, ac Senatore, Conſervatoribus, Confalonerio, Regionariis, Proceribuſque, & Civibus Romanis*. Jam ſuperius notatum fuit a nobis, quod ubi Imperator per Urbem eques, vel pedes incederet, illum proxime Præfectus ſui Magiſtratus ornatus inſignibus præire ſolet; idque factum fuiſſe non modo ubi Fridericus III. Imperator peregrinationis gratia anno Chriſti MCDLXVIII. Romam venit Paulo II. Pontifice in magno equitum comitatu; verum etiam cum ad ipſam Urbem Ludovicus Bavarus acceſſit, de cujus ad Vaticanum deductione ita ſcribit in Hiſtoria ſua Florentina Joannes Villanius, Lib. X. Cap. LVI. *Urbis Præfectus, quod ſui muneris erat, illum ſemper præivit*. Item cum Imperator Coronam ſuſcepturus, vel poſt illam ſuſceptam, aut alio quovis tempore, ſolemni pompa Urbem ingreditur, Præfectus inſignibus ſuis indutus nudatum enſem eidem præferre conſuevit; idque Clemens V. in Coronatione Henrici VII. atque Innocentius VI. in Coronatione Caroli IV. ſervari præcipiunt, Diplomatibus ea de re ad Legatos Cardinales miſſis, uti apud Raynaldum videre eſt.

V. Tandem ut alias omittam antiquas Præfecti Urbis prærogativas, quæ notantur variis locis noſtri hujus Cæremonialis, Præfectus ipſe cum ex itinere ad Urbem olim veniret, atque ingenti equitum multitudine, & Nobilium celebritate exciperetur, præcedere ſolebant muli bene exornati atque itinerariis ſarcinis onuſti, quas ſtragula integebat veſtis gentilitiis ejuſdem inſignibus opere phrygio depicta: hos regebant agaſones laxioribus ſagis coloratis induti; ſubſequebantur tubicines, tum Pontificiæ cuſtodiæ Equites; mulæ purpureis dorſualibus inſtratæ, auratiſque bullis decoræ, quibus inſidebant famuli a pedibus cum Cardinalitiis Galeris ſecundum humeros dependentibus; deinde honeſtiores Cardinalium famuli, aliique nobiles viri permiſte. Hos excipiebat familia Pontificis ſuis muneribus ordinibuſque diſtincta; de hinc tympaniſtæ, tum Romani Proceres, ac Dynaſtæ ingenti circumpedum turba aſſociati, quos ſequebatur Præfectus peditibus famulis veſte conſimili ornatis, magno numero ſtipatus, interque duos principis dignitatis Viros medius, Helvetiis Pontificis Cuſtodibus utrinque ad latera procedentibus. Agmen claudebant Præſules, aliique inſignes Togati complures. Atque in hunc ferme modum intrarunt Romam Joannes Ruvereus Præfectus, & Franciſcus Maria ejus Filius, uti ex Burchardo, & Graſſo notavit laudatus Contelorius, Cap. V.

VI. Noviſſime cum Taddæus Barberinus Præneſtinus Princeps, Eretanorum Dux, & copiarum Eccleſiæ Generalis Ductor ab Urbano Papa VIII. ejus Patruo abſens in Conſiſtorio, IV. Judus Maji anno MDCXXXI. Præfectus Urbis creatus eſſet, captaque Sedis Apoſtolicæ nomine Urbinatis ditionis poſſeſſione ad Urbem rediret, III. Kalendas Auguſti, qui dies feſto illius ingreſſui dicatus erat, obviam ad portam Flaminiam proceſſere familiæ, tum Pontificis, tum Cardinalium, atque Oratorum, omneſque, qui Romæ aderant Proceres, ac Dynaſtæ ſinguli, ingenti famulorum peditum numero ſtipati, equiſque generoſis, ac veſtibus inſignes.

CAPUT III.

De benedictione Roſæ, quæ fit Dominica, Lætare Jeruſalem, *& ejus traditione.*

§. I.

Conſueverunt Romani Pontifices in Dominica quarta Quadrageſimæ, in qua cantatur in Eccleſia, *Lætare Jeruſalem*, Roſam auream benedicere, & illam poſt Miſſarum Solemnia alicui magno Principi, ſi præſens eſt in Curia, dono (1) dare. Si autem (2) non eſſet in Curia Princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem

(1) Ita in editione Romana; in Veneta vero I. deeſt vox *dono*. (2) In ipſa Veneta legitur, *ſi minus eſſet &c.*

Digitized by Google

Regem, vel Principem, ut placuerit Sanctiſſimo Domino noſtro cum conſilio Sacri Collegii. Nam conſuevit Summus Pontifex ante, vel poſt Miſſam convocare Cardinales ad Circulum in Camera ſua, vel ubi ſibi placet, & cum eis deliberare, cui danda, vel mittenda ſit Roſa.

COMMENTARIUS.

I. SCitiſſimè docent qui de divinis officiis tractant, quartam Dominicam Quadrageſimam, ideo conſueviſſe appellari Dominicam, *Lætare Jeruſalem*, quia ab hiſce verbis incipit in ipſa Dominica quarta Introitus Miſſæ. Dicta eſt etiam *Dominica in Roſa*, ſeu *de Roſa*; eratque Romæ admodum celebris, quinimo ab ea tantum fiebat Officium de Quadrageſima, quod deinceps ad Dominicam primam Quadrageſimæ anticipatum eſt, ut tradit Amalarius, quem citat Grançolas in Commentario Hiſtorico ad Breviarium Romanum, Capite LI. ubi etiam notat, celebrari hoc Feſtum externis lætitiæ ſignis, quæ a Feria quinta in media Quadrageſima ad hanc diem translata ſunt, ut populi in jejuniorum curſu ſolatium invenirent. Plura de hac Dominica apud Durandum, in ſuo divinorum Officiorum Rationali, Lib. VI. Cap. LIII. ubi etiam obſervat, hodiernum Officium totum lætitia plenum eſſe, & in omni verborum clauſula jucunditatem exuberare, gaudium reſonare, hilaritatem inculcari; additque, fieri etiam in hac Dominica Coronationem Chriſtiani Imperatoris, & ſolemnem per Romanum Pontificem Roſæ aureæ benedictionem.

II. Nicolaus Harpsfeldius in Hiſtoria Anglorum Seculo XV. Cap. IV. apud Theophilum Raynaudum, in Tractatu quem de Roſa mediana Romani Pontificis benedictione conſecrata ſcripſit, refert quidem ex Diplomate Eugenii IV. ad Henricum VI. Anglorum Regem, juxta antiqua Romanorum Pontificum ſcita non alia die, quam Dominica, *Lætare* benedici ſolitos Romanorum Reges in Auguſtos, nec niſi poſt Roſam auream illis ea die a Pontifice traditam Imperii inſignia, & Diadema capere. Idem tradere Durandum in Rationali ſcribit Raynaudus, qui hujus rei unicum exemplum adducit, nempe Friderici III. qui fuit a Nicolao V. eadem die coronatus Imperator. Verum cum, ut ſcite ait Pagius in Vita Innocentii IV. Num. XXX. poſt Carolum Magnum nullus ex Imperatoribus ea die Coronam Imperii acceperit, hæc obſervatio rejicienda, & Durandus aliter interpretandus. Hic ſane poſtquam de Roſa aurea loquutus eſt Lib. VI. Cap. LIII. ubi diei Dominicæ IV. Quadrageſimæ ritum explicat, ita Caput ipſum claudit: *Hac etiam die Chriſtianus coronatur Imperator, ut ſemper coronæ ſupernæ Jeruſalem meditemur*. Sed hoc tantum Durandus vult, ut, ſicut Pontifices Romani in præcipuis anni feſtivitatibus coronabantur, inter quas una erat Dominica de Roſa, ſeu IV. Quadrageſimæ, ut oſtendit Pagius in Vita Alexandri III. & ſicut Reges Franciæ in præcipuis Feſtis Coronam ſolemni ritu accipiebant, ut idem Auctor in Vita Eugenii III. notavit; ita etiam Imperatores die ipſa Dominica, *Lætare*, Corona Imperiali ſolemniter fuiſſent redimiti.

III. Quicquid autem de hoc ritu ſit, de Coronatione Imperatoris jam diximus ſupra in Commentariis ad Titulum V. Quod autem benedictionem ipſius Roſæ aureæ ſpectat, ſciendum hic primo illud, ritum plane eſſe antiquum in Eccleſia Romana ſervatum, Seculo nempe XI. ut in Dominica quarta Quadrageſimæ Roſam auream muſco & balſamo plenam Papa geſtaret. Sunt qui autumant, primum auctorem ejus ritus fuiſſe Urbanum II. de quo ita ſcribit Fulco Andegavenſis Comes apud Lucam Holſtenium in Collectione Romana Parte II. pag. 222. *Venit & inde Turonum, ibique datis venerabili Concilio decretis, media Quadrageſima coronatus eſt; & eum ſolemni Proceſſione ab Eccleſia S. Mauritii ad Eccleſiam Sancti Martini deductus; ubi mihi florem aureum, quem manu gerebat, donavit: quem ego etiam ob memoriam, & amorem illius, in Oſanna*, ideſt in Dominica die Palmarum, *ſemper mihi, meiſque Succeſſoribus deferendum conſtitui*. Spectant hæc ad annum MXCV. Sed conſtat tamen ritum ipſum eſſe Urbano II. Pontifice vetuſtiorem, ut docet Raynaudus in parvo Tractatu, quem de Roſa mediana Romani Pontificis benedictione conſecrata edidit, qui extat Tomo X. ejus Operum. Et quidem fit apud Cencium Camerarium in Libro, *De cenſibus*, mentio S. Leonis IX. inſigne Monaſterium Bambergæ exædificantis, & multis privilegiis, ampliſſimaque immunitate donantis anno ML. impoſita ejuſdem Monaſterii monialibus a ſe ſub ſpeciali S. Petri protectione conſtitutis, obligatione pendendi quotannis Romanæ Eccleſiæ, aut Roſam auream a Pontifice benedicendam Dominica quarta Quadrageſimæ, aut quantum auri in ipſius Roſæ confectionem eſſet inſumendum.

IV. Si hæc admittatur narratio, conſtat plane quod dictum eſt, hunc ritum non modo eſſe vetuſtiorem Urbano II. verum etiam ante laudatum Pontificem S. Leonem IX. inductum. Nec enim, ut ſcite obſervat Pagius in Vita Urbani II. Num. LVI. qui de divinis Officiis poſt Carolum Magnum tractarunt, agentes de Dominica quarta Quadrageſimæ, hujus, aut alterius peculiaris ejus Dominicæ ritus ullam mentionem fecere. Porro poſt Seculum XI. loquuntur paſſim de Roſa ipſa Romani antiqui Ordines, inter quos Ordo XI. ſcriptus anno MCXLIII. Auctore Benedicto, Num. XXXVI. ita inquit: *Dominica*, Lætare Jeruſalem, *Statio ad Jeruſalem in Palatio Seſſoriano, ubi Dominus Pontifex honorifice cantat Miſſam, habens in manu ſua Roſam de auro cum muſco. Poſt Evangelium aſcendit pulpitum, & prædicat de flore, & de rubore Roſæ, & odore, oſtendens eam populo. Deinde tractat de Evangelio. Factis Laudibus, & finita Miſſa, ibi accipit Coronam, & coronatus cum Proceſſione, ſicut mos eſt, redit ad Palatium. Longe ante deſcenſum Pontificis deſcendit Præfectus, & pedeſter adextrat eum uſque ad locum, ubi Pontifex deſcenſurus eſt, ibi dat ei Roſam, & Præfectus oſculatur pedes ejus*. Sane Dominica ipſa quarta Quadrageſimæ, in qua Statio fiebat in Baſilica S. Crucis

ad

Digitized by Google

ad Jeruſalem, Pontifices una cum Cardinalibus Roſeo colore indutis ſolebant agmine inſtructo progredi ad memoratam Eccleſiam S. Crucis, ubi dicebatur Miſſa, & fiebat Roſæ aureæ benedictio, uti inter alios laudatus Grancolas docet; poſt Evangelium prædicabatur, & Roſæ iſtius ſignificatio allegorica explicabatur; extatque unus ex his ſermonibus inter habitos ab Innocentio Papa III. qui electus Pontifex fuit labente Seculo Chriſti XII. ideſt anno MCXCVIII.

V. Eadem fere quæ Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, tradit & de ipſa aurea Roſa Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Seculo XII. labente exaratus, uti videre eſt apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici. Sic enim ille Cap. VIII. in fine inquit: *Dominica vero, qua cantatur*, Lætare Jeruſalem, *Camerarius repræſentat Domino Papæ in Camera Roſam auream cum muſco, & balſamo: quam Dominus Papa portat in manu propria uſque ad Sanctam Crucem, ubi ea die debet Miſſam celebrare; eandem deferens in reverſione ſua ſimiliter uſque ad locum, in quo deſcendit, ubi debet eſſe Præfectus, cui Dominus Papa tunc dat Roſam ipſam; & eadem die portat Mitram aurifrixiatam.* Additque mox: *Sciendum eſt, quod ipſa hora, qua Camerarius repræſentat Roſam, Dominus Papa debet accipere Mitram aurifrixiatam.* His concinit Romanus Ordo XIII. ſeu Cæremoniale Romanum juſſu Gregorii Papæ X. editum, poſt medium Seculum XIII. ſcriptum, Num. XX. ubi ritum ipſum luculentiſſime enarrat his verbis: *Dominica*, Lætare Jeruſalem, *Papa portat Mitram cum aurifriſio, & vadit cantare ad Sanctam Crucem, ſi eſt Romæ; & ſi eſt alibi, ubi placet; & portat in manu quandam Roſam auream miro opere operatam, in qua intus ſunt muſcus & balſamum, & tenet ipſam in manu dum dicit Tertiam; & dum calciatur, & cum induitur, ſervat eam Camerarius, & juxta ipſum hodie ſervat eam Diaconus: Si Papa non celebrat, & induitur precioſis, quibus induitur in Dominica de* Gaudete, *& tenet ipſam Roſam, cum ſermocinatur, & in Miſſa ſervat ipſam Subdiaconus juxta ipſum, qui ſervit de tobalea, & dicta Miſſa, reportat eam in manu, & Præfecto Urbis, vel alteri, cui placet eam dare, qui adextrat Papam tenendo frenum equi pedes ad locum, in quo Papa deſcendit, & præcedit ſubſequendo uſque ad Cameram, & Papa dat ei Roſam, & ille oſculatur ejus manus & pedes, & recedit ad Domum ſuam cum Roſa decenter.* Hactenus laudatus Ordo XIII. ex cujus etiam præſcripto, *ſi Papa celebrat, dat Roſam poſt deſcenſum ſuum; ſi vero non celebrat, dat Roſam in Camera ſua.*

VI. Conſtat plane ex dictis huc uſque, Præfectum Urbis, cujus, uti ſupra dictum fuit a nobis in Commentariis ad Caput II. magna fuit olim dignitas, donari olim ſolitum fuiſſe Romæ aurea Roſa, tametſi conſueverint etiam antiquitus Romani Pontifices ipſam Roſam ad Reges, ac Principes mittere, ut inferius dicemus. Hic enim potiſſimum examinanda eſt Quæſtio illa, an Benedictio Roſæ aureæ fieri ſolitæ a Romano Pontifice in ipſa Dominica, *Lætare &c.* æque antiqua ſit, ac ejus uſus jam primo introductus Seculo XI. uti notatum ſuperius fuit. Porro licet ritum ipſum Roſæ aureæ tam Durandus in Rationali divinorum Officiorum, Lib. VI. Cap. LIII. quam varii Ordines Romani, ante & poſt Seculum XIII. exarati, quorum loca jam nos retulimus, plene luculenterque deſcribant, nulla tamen in iis reperitur mentio benedictionis iſtius Roſæ, *quam ab Innocentio IV. inſtitutam fuiſſe tradit Auctor ipſius Vitæ apud Labbeum*, inquit Edmundus Martene in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XIX. Num. XVII. ubi recitat verba illius Auctoris, quæ ſunt hæc: *Primus Roſam auream ſolemni cæremonia, ac ritu benedixit, eamque Canonicis S. Juſti hoſpitibus ſuis Lugduni dono dedit.* Sed hæc verba, ut notat Pagius in Vita laudati Innocentii IV. Num. XXVIII. ſunt ipſius Labbei, vel Coſſartii, qui cujuslibet Pontificis Vitam in Collectione Conciliorum edidere; vel ſunt verba Cæſaris Engenii Caraccioli Seculi XVII. Auctoris, qui, teſte laudato Raynaudo in ſuo de Roſa mediana Tractatu, in Neapoli ſacra, pag. 29. ſcripſit, Innocentium IV. fuiſſe primum, qui Roſam auream benedixit; vel potius hæc ſunt verba Ciaconii in Vita ejuſdem Innocentii IV. qui ea fine dubio deſumſit ex Federico Federicio, qui ea refert in Tractatu, *De familia Fliſca*, teſte Auguſtino Oldoino in ſuis ad Ciaconium adnotationibus.

VII. At vero ſive Labbeus ex Ciaconio, ſive ex Federico Federicio, ſive quiſpiam alius Auctor fuerit prædictæ vitæ Innocentii, certe Auctor hic eſt valde recens, cum citet Platinam, qui exeunte Seculo XV. ſcripſit, ideoque fidem omnem non meretur; cum præſertim in recitatis Romanorum Ordinum locis, & apud Auctorem Romani Ordinis XV. Petrum Amelium, qui adhuc vivebat anno MCCCXCVIII. ut in ſua ad ipſum Ordinem Adnotatione obſervat Mabillonius Tomo II. Muſei Italici, ejuſmodi ſolemnis benedictionis Roſæ aureæ ne levis quidem mentio reperiatur, uti notat inter alios memoratus Pagius loco citato, ubi etiam ait, non male inde deduci poſſe, ipſius Roſæ benedicendæ conſuetudinem poſt annum MCD. invaluiſſe. Sane ſcribit & Victorellus apud Ciaconium in Additionibus ad Vitam Alexandri III. de more benedicendi Roſam auream agere laudatum Duranum, itemque Innocentium III. in Sermone, *De Dominica, Lætare*, & Petrum Bleſenſem, Sermone XV. ſed neque in Durando, neque in Papa Innocentio III. neque in Petro Bleſenſi, locis ab eo laudatis, ullum ejus benedictionis apparet veſtigium, ut legentibus manifeſtum eſt. Citat etiam Victorellus Auguſtinum Patricium Auctorem hujus Cæremonialis, & Collectorem Antiquitatum Liturgicarum, ſed cum prior vixerit Seculo XV. & Collector ille ſit ſine dubio recentior, neuter officere videtur ei opinioni, ſeu ſententiæ, quam inter alios tenet Pagius, eam nempe conſuetudinem Roſam auream ſolemniter benedicendi, inductam eſſe poſt annum MCD. cum Petrus Amelius, qui vivebat anno MCCCXCVIII. in recitato Romano Ordine XV. de ea non loquatur, de benedictione ſcilicet ipſius Roſæ, tametſi fuſe de Roſa ipſa differat Cap. XLVIII. quod inſcriptum eſt, *De quarta Dominica Quadrageſimæ, quæ vocatur de Roſa.*

VIII. Porro inter alia ita inquit laudatus Amelius Romani Ordinis XV. Auctor: *Si Papa fuerit in Urbe, paret ſe in Camera more ſolito cum Mitra aurifriſiata nobile, non precioſa; alias portaret aurifriſiatam ſimplicem; ſed propter*

Digitized by Google

pter Proceſſionem portat nobilem illam cum imaginibus. Quo induto, venit Camerarius cum Roſa aurea, & flexis genibus præſentat Papæ, & oſculatur ei manum; & Sacriſta præſentat balſamum cum muſqueto; quæ debent recipi ab aliquo Cubiculariorum Papæ; & Papa infundat ſuper Roſam balſamum, & muſquetum, & ſic bajulans Roſam, exit de Camera; & vadit ad Capellam ſuam; vel, ſi in Urbe fuerit, ad Sanctam Crucem in Jeruſalem: In manu ſiniſtra eam tenet, & cum alia ſignat; & ſic eam tenet, quando facit Confeſſionem, etſi non celebrat: quoniam dum incipiet; Confiteor; *dictam Roſam tradet Diacono Cardinali; qui eum ſervit a dextris; & poſt oſculationem Altaris, & incenſationem, iterum recipit; dicto prius Introitu Miſſæ, de manu prædicti Diaconi, & ſic tenet eam. Quod ſi aliquis celebrat coram eo, illam non dimittit in tota Miſſa, niſi dum flectit genua ante medium Altaris, & in elevatione Corporis Chriſti, & dicitur*; Lætatus ſum; *& etiam dum dicit illas Orationes; dimittit*: Monet mox; quod ſemper Diaconus Cardinalis in capiendo, & dando dictam Roſam; debet oſculari manum Papæ.

IX. Pergit Amelius, aliaque docet ſervanda in Miſſa ejus diei, præſertim ſi adeſſet aliquis Rex; tum vero ita rem noſtram ſubdit: *Miſſa vero finita; Dominus Papa dictam Roſam in manu portat uſque ad Cameram ſuam; vel, ſi ſit in Urbe uſque ad Lateranenſe Palatium; & dum revertitur, ſequuntur eum omnes Nobiles in Curia præſentes; & dum ad Cameram ſuam redierit, ſi ſit extra Urbem; dat ipſe Dominus Papa Roſam nobiliori, vel illi ſoli, cui magis placet; & ille incontinenti flectit genua, & oſculatur pedem Papæ; dato etiamſi eſſet Rex; deinde Papa recipit ipſum ad oſculum oris; quo facto, ille recedit eum comitantibus duobus Diaconibus antiquioribus Cardinalibus; & cum illo equitant aliquantulum per Civitatem, quantum ſibi placet &c.* Rurſus, ut idem Auctor docet, *ſi Papa ſit Romæ, Roſam prædictam defert Papa uſque ad gradus Palatii Lateranenſis, ubi quieſcere debuit nocte præcedente, & in deſcenſu equi, Præfectus Urbis indutus ſcarleto, vel purpura habens unam Caligam* (forte deeſt, rubeam) *& aliam deauratam, tenet Papæ ſtaphan, & Dominus Papa cum deſcendit, dat ei auream Roſam; & ille flexis genibus oſculatur pedem Papæ dextrum, & Dominus Pontifex eum recipit ad oſculum oris: Quo facto, Papa aſcendit Palatium; & ille incontinenti cum Nobilibus equitat cum magno triumpho per Urbem*: Sed nec omittenda, quæ paucis interjectis deinde idem Amelius de ipſa Roſa differens ſubjicit: *Notandum*, ait, *quod Papa; antequam det Roſam, debet dicere aliqua verba brevia de conditionibus, & proprietatibus Roſæ; quia habet colorem gaudioſum, odorem confortativum, aſpectum lætificum; prout eſt in Libro Rationali Divinorum Officiorum*; Guillelmi Durandi ſcilicet Libro Libro VI. Capite LIII.

X. Ergo nullum in citato Ordine XV. Petri Amelii de benedictione ipſius Roſæ veſtigium, tametſi fuſe de eadem Roſa differat; nulla quoque ejus benedictionis mentio in ms. Cæremoniali Codice Brunonis Joannis de Davantria, quem mihi commodavit humaniſſimus Præſul Ignatius Reali primus Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus, cui multum me debere profiteor, ob ſuam erga me benevolentiam. In citato autem Cæremoniali nihil aliud reperi, niſi quod in ſuo Romano Ordine XV. deſcripſit laudatus Amelius. Labitur itaque inter alios Grancolas, quippe qui in ſuo Commentario hiſtorico ad Breviarium Romanum, Cap. LI. ubi de Dominica quarta Quadrageſimæ agit, benedicendæ aureæ Roſæ ritum ad primam ipſius Roſæ inſtitutionem refert. Perperam enim veterum monumenta de benedictione intellexit, perperamque concluſit: *Itaque fallitur Auctor vitæ Innocentii IV. qui de eo Papa tradit, quod primus Roſam auream benedixerit, eamque Canonicis S. Juſti Lugdunenſibus miſerit*. Fallitur porro ipſe Grancolas ſic loquens; nam uti ſuperius oſtenſum eſt, longe poſt Innocentium IV. inſtituta fuit Roſæ aureæ benedictio, & quidem, uti ex dictis, & ex ſilentio memorati Petri Amelii, qui vivebat anno Chriſti MCCCXCVIII. licet conjicere, non ante annum MCD.

§. II.

De loco, in quo Roſa ipſa benedicitur, & de oratione ad benedictionem illius.

Pro ejus igitur benedictione juxta lectum paramenti, ubi Sanctiſſimus Dominus noſter accipit ſua paramenta, paratur parvum Altare, & ſuper illud duo candelabra, & Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali, & Mitra, accedit ad ipſum Altare, & depoſita Mitra dicit: *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

Oremus.

Deus, cujus verbo, & potentia facta ſunt omnia, & cujus nutu univerſa diriguntur, qui es lætitia, & gaudium omnium Fidelium: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut hanc Roſam odore, viſuque gratiſſimam, quam hodierna die in ſignum ſpiritualis lætitiæ in manibus geſtamus, bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare tua pietate digneris, ut plebs tibi dicata ex jugo Babylonicæ captivitatis educta, per Unigeniti Filii tui gratiam, qui eſt gloria, & exultatio plebis Iſrael, illius Jeruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, ſinceris cordibus gaudium repræſentet. Et quia ad honorem Nominis tui Eccleſia tua hoc ſigno hodie exultat, & gaudet, Tu ei Domine verum, & perfectum gaudium largiaris, & devotionem ejus accipiens, peccata dimittas, Fide repleas, indulgentia foveas, miſericordia protegas, adverſa deſtruas, proſpera cuncta concedas: qua-

Digitized by Google

quatenus per fructum boni operis in odorem unguentorum illius floris transeat, qui de radice Jesse productus, Flos campi, & Lilium convallium mystice prædicatur, cum quo in superna gloria cum Sanctis omnibus sine fine lætetur: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. SIcut olim ex præscripto Romanorum Ordinum in Dominica IV. Quadragesimæ, quæ Dominica *Lætare* appellatur, uti supra jam diximus, Camerarius præsentabat Papæ in ejus Camera Rosam auream, ita & ibidem juxta ritum recentiorem parato parvo Altari idem Pontifex *indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Plaviali, & Mitra, accedit ad ipsum Altare*, & ipsam auream Rosam benedicit peculiari oratione in hoc nostro §. descripta, & confecta ex iis, quæ jam olim inter alios Durandus de eadem Rosa loquens Libro VI. Rationalis Divinorum Officiorum, Cap. LIII. adnotavit. *Tria*, inquit, *designantur in tribus propietatibus hujus floris, charitas in colore, jucunditas in odore, & satietas in sapore. Rosa quippe præ ceteris floribus colore delectat, odore recreat, & sapore confortat. Delectat in visu, recreat in olfactu, & confortat in gustu. Nempe Rosa in manu Romani Pontificis gaudium Israelitici populi designat, quando per gratiam Christi data est illi de Babylonica captivitate redeundi.* Tum vero post pauca & hæc addit, quibus magis magisque mysticus sensus orationis descriptæ illustratur: *Spiritualiter autem flos iste florem illum significat, qui de se dicit in Canticis*: Ego Flos campi, & lilium convallium; *& de quo Propheta*: Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet. *Qui vere est Flos florum, ideſt, Sanctus Sanctorum, quia præ ceteris floribus, ideſt, Sanctis colore delectat in visu.* Nam speciosus forma præ filiis hominum; in quem desiderant Angeli prospicere. *Qui odore recreat in olfactu, quia sicut legitur in Canticis*: Meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. *Qui sapore confortat in gustu; quia panis, quem ipse dat, caro est pro mundi vita; omne delectamentum habens, & omnis saporis suavitatem.*

§. III.

De inunctione balsami, & impositione musci, ac aliis, quibus Rosa aurea benedicitur.

Finita Oratione, inungit cum balsamo Rosam auream, quæ est in ipso ramusculo, & superimponit muscum tritum, quæ per Sacristam ei ministrantur, & imponit incensum in thuribulo more consueto, & demum aspergit Rosam aqua benedicta, & adolet incenso. Interim Clericus Cameræ Apostolicæ sustinet Rosam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis a dextris, & ille ad manus Pontificis, qui manu sinistra Rosam gestans, & dextra benedicens, progreditur ad Capellam, & Diaconi Cardinales hinc inde elevant fimbrias Pluvialis. Cum pervenerit ad Faldistorium, dat Rosam Diacono prædicto, qui eam Clerico Cameræ tradit, & ille eam super Altare ponit.

COMMENTARIUS.

I. COæva est balsami inunctio, & musci impositio primæ Rosæ aureæ institutioni, uti addiscimus ex recitatis superius Romanis Ordinibus, quorum undecimus Auctore Benedicto, Num. XXXVI. ita inquit: *Dominica*, Lætare Jerusalem, *Statio ad Jerusalem in Palatio Sessoriano, ubi Dominus Pontifex honorifice cantat Missam, habens Rosam de auro cum musco.* Musci non modo, sed & balsami mentionem facit sequens Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. in fine, ubi agens de ipsa Dominica, ita inquit: *Camerarius repræsentat Domino Papæ in Camera Rosam auream cum musco, & balsamo.* Idem legere est in aliis Ordinibus, & Romanæ Ecclesiæ Cæremonialibus, mysticumque ejus ritus sensum explicat Durandus Libro VI. sui Rationalis divinorum Officiorum, Cap. LIII. Num. X. sic inquiens: *Triplex autem est in hoc flore materia, aurum videlicet, muscus, & balsamum, quia triplex est in Christo substantia, Deitas, Corpus, & Anima. Sed balsamo mediante muscus auro conjungitur, quia anima mediante Corpus conjungitur Deitati. Divina enim natura tantæ subtilitatis est, ut corpori de limo terræ formato non congrueret uniri, nisi rationabili spiritu mediante.* Tum vero mox addit: *Rursus flos ipse aureus est, quia Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus rubor apparuit in insigniis Passionis, & odor in gloria Resurrectionis &c.* Scio flocci a nonnullis pendi mysticas hujusmodi explicationes, sed dico omnino hujusmodi homines contemnendos arguendosque, tum quia Ecclesia passim in suis Orationibus mysticis hisce utitur significationibus, tum etiam quia antiqui non modo Patres, sed & ipsæ Sacræ Scripturæ, ac præsertim Liber Apocalypsis easdem adhibuerunt.

II. Quod Rosam auream spectat, jam longe ante Durandum, mysticam ipsius significationem docuit Alexander Papa III. in Epistola CVIII. secundæ Appendicis apud Labbeum Tomo XII. Conciliorum editionis Venetæ, ad Ludovicum VII. Galliæ Regem data anno MCLXIII. cui illam misit. Sic enim Pontifex inter alia in ipsa Epi-

Digitized by Google

Epistola scribit: *Quia vero floris hujus significantiam, tuam Celsitudinem credimus tanto libentius nostra velle expositione cognoscere, quanto te constat corde, & opere, divinis obsequiis, & piis actibus ferventius inhærere: prudentia Regiæ serenitatis agnoscat, quod flos iste Christum Regem exprimit, ac designat, qui de se ipso loquitur, dicens*: Ego Flos campi, & Lilium convallium. *Aurum namque Regem non immerito dicitur adnotare, cum ad hoc designandum a Magis figuraliter oblatum fuerit Salvatori, ut per hoc Rex Regum, & Dominus Dominantium demonstraretur. Rubor autem, quo aurum coloratum est, & suffusum, Passionem significat Redemtoris, de quo utique scriptum legitur.* Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? *Et iterum*: Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

III. Pergit Alexander Pontifex mysticum Rosæ sensum exponere, sic subdens: *Odor autem hujus floris, Resurrectionis ejus gloriam præfigurat; ut sicut ipse Primogenitus mortuorum ex multis Fratribus, & resurgens a mortuis, jam non possit mortis vinculo detineri; quia & mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo in immortalitatis gloriam reparavit. Sane hujusmodi anfractus, & climata omnium scelerum fœditate concreta tantus odor Dominicæ Resurrectionis asperfit, ut nulla pars Orbis alienam se ab odore sentiat, vel expertem: sed omnes se gaudeant odore hoc suavissimo spirituales nequitias in cælestibus jam vicisse. Porro si ad ipsius Christi resurrectionem figuraliter denotandam sanctæ illæ Mulieres ad Sepulcrum aromata detulerunt, suavitate redolentium unguentorum gloriam præsignantes; quæ utique terrorem inferis, Cælis gaudium, terris intulit sanctitatem. Hæc sunt fili in Christo carissime, quæ in flore isto noveris figurari &c.* Hanc Alexandri III. Papæ epistolam non videtur legisse auctor Cæremonialis Gregorii X. Papæ jussu editi, qui loquens de ipsa Rosa, Num. xx. ita in fine inquit: *Quid vero Rosa hæc, aurum, muscus, & balsamum, quæ sunt intus in ea, & quod tali die portatur, significent, diligenti inquisitori servatur.* Sed tandem post Alexandrum Durandus citato superius loco eandem mysticam significationem huic Rosæ tribuit, & insuper explicat quare portatur Dominica IV. Quadragesimæ: *Hujus floris bajulus*, inquit, *est Vicarius Salvatoris, Romanus videlicet Pontifex, Successor utique Petri, & Vicarius Jesu Christi, qui hunc florem fidelibus populis demonstrat, non omni tempore, sed in hac Dominica tantum, quæ septima est ab illa, quæ Septuagesima nuncupatur; quia Christus non in qualibet hora, sed in septima tantum ætate videtur ab illis, qui beata requie consolantur.*

IV. Porro quamvis & balsami inunctio, & muschi impositio coæva sit Rosæ aureæ institutioni, recens tamen est ille ritus, ut Rosa ipsa aqua benedicta aspergatur, & incensetur. Nullam profecto mentionem hujus ritus facit vel Romanus Ordo XV. auctore Petro Amelio, qui vivebat anno MCCCXCVIII. ubi fuse de ea loquitur Cap. XLVIII. putoque iccirco cœpisse hunc ritum, cum cœpit benedictio istius Rosæ, nempe Seculo Christi XIV. uti jam a nobis notatum superius fuit.

§. IV.

De ritu donandi, vel mittendi alicui magno Principi auream Rosam.

Finita Missa, Pontifex, facta Oratione ante Altare, recipit Rosam, ut supra, & eam defert ad Cameram suam; & si ille, cui eam dare velit, est præsens, vocatur ad ejus pedes, & genuflexo dat ei Rosam, dicens: *Accipe Rosam de manibus nostris, qui licet immeriti, locum Dei in terris tenemus; per quam designatur gaudium utriusque Jerusalem, triumphantis scilicet, & militantis Ecclesiæ; per quam omnibus Christifidelibus manifestatur Flos ipse speciossimus, qui est gaudium, & corona Sanctorum omnium. Suscipe hanc tu dilectissime Fili, qui secundum seculum nobilis, potens, ac multa virtute præditus es; ut amplius omni virtute in Christo Domino nobiliteris tanquam Rosa plantata super rivos aquarum multarum, quam gratiam ex sua uberanti clementia tibi concedere dignetur, qui est trinus, & unus in secula seculorum. Amen. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Hoc aliquando in Capella factum fuit, finita Missa, antequam Papa descenderet de Sede sua; sed convenientius est, ut Papa revertatur ad Cameram suam cum Rosa; & ita apud Majores factitatum reperio.

COMMENTARIUS.

I. DOnari consueviſſe a Romano Pontifice auream Rosam Principi Viro, nobiliorive, docent nos allati superius Romani Ordines, ac varia tum vetera, tum recentiora ejus rei exempla. Fulconi Comiti Andegavensi donasse Urbanum II. anno MXCV. Rosam auream in Turonensi Civitate, ubi tunc Pontifex morabatur, testatur idem Fulco in ms. Libello relato a Luca Holstenio in Collectione Romana, Parte II. his verbis: *Venit & inde Turonum, ibique datis venerabili Concilio Decretis, media Quadragesima coronatus est, & cum solemni Processione ab Ecclesia S. Mauricii ad Ecclesiam Beati Martini deductus, ubi mihi florem aureum, quem manu gerebat, donavit, quem ego etiam ob memoriam, & amorem illius, in Osanna*, idest in Dominica Palmarum, *semper mihi, meisque Successoribus deferendum constitui.* Ex præscripto Ro-

Digitized by Google

Romani Ordinis XIII. sive Cæremonialis jussu Gregorii Papæ X. editi, ubi Papa dat alicui Rosam, *ille osculatur manus ejus, & pedes, & redit ad domum suam cum Rosa decenter.* Ceterum docet Romanus Ordo XV. auctore Amelio, Capite XLVIII. quod dum Pontifex *ad Cameram suam redierit ..... dat ipse Dominus Papa Rosam nobiliori, vel illi soli, cui magis placet, & ille incontinenti flectit genua, & osculatur pedem Papæ, dato etiam si esset Rex; deinde Papa recipit ipsum ad osculum oris.* Idem docet in suo ms. Cæremoniali Joannes Bruno de Davantria in eo Capite, quod inscribitur, *De officio quartæ Dominicæ, quæ vocatur de Rosa*, ubi ita inquit: *Dicta vero Missa, prout est consuetum, Dominus Papa eandem Rosam reportat usque ad Cameram suam; dum autem revertitur, sequuntur eum Nobiles in Curia existentes, & cum ad Cameram suam redierit, dat ipse Dominus Papa ipsam Rosam Nobili uno, de quo ei placuerit; & ille, cui data fuit per eum in Camera, statim ea recepta, osculatur pedem ipsius Papæ, & postea Papa recipit eum ad osculum oris.*

II. Ergo ex recitatis locis, genuflexo Nobili datur a Pontifice Rosa aurea, quam etiam ille, qui accipit, osculatur pedem Pontificis. Rursus, ut ajunt Codices Cæremoniales, cum ad Cameram suam redierit Pontifex, Nobili Viro tradit mox auream Rosam; atque ad hunc ritum in citatis Codicibus notatum, & ad varia exempla, quæ ipsum ritum comprobant, alludit nostrum Cæremoniale, ubi in præsenti §. ait, licet aliquando in Capella, finita Missa, antequam Papa descenderet de Sede sua, tradita fuerit ab ipso Rosa aurea; convenientius tamen esse, *ut Papa revertatur ad Cameram suam cum Rosa, & ita apud Majores factitatum reperiri.* Id quod etiam deinceps factum etiam constat.

§. V.

De ritu servando ab eo, cui Rosa ipsa donatur.

Ille, cui Rosa data est, postquam manum, & pedem Pontificis osculatus est, eique pro tempore gratias egit, cum Papa in Camera vestes sacras deposuerit, ipse Rosam manu gestans, associatur usque ad Domum suæ habitationis a Collegio Cardinalium medius inter duos antiquiores Diaconos, post omnes alios Cardinales equitantes. Circa illum sunt pedites cursores Romanæ Curiæ cum suis baculis, qui solent illa die strenas ab eo, qui Rosam habuit, accipere.

COMMENTARIUS.

I. JUxta Romanum Ordinem XIII. seu Cæremoniale jussu Gregorii Papæ X. editum, Num. XX. ille qui Rosam auream a Summo Pontifice accepit, *osculatur ejus manus, & pedes, & redit ad Domum suam cum Rosa decenter*. Deferri consuevisse Rosam ipsam ab eo, qui illam a Pontifice accepit, ad propriam Domum, magno comitante equitatu aliquorum etiam S. R. E. Cardinalium, docent Cæremoniales antiqui Codices, inter quos Romanus Ordo XV. auctore Amelio, Cap. XLVIII. ita eum ritum enarrat: *Ille recedit*, a Pontifice scilicet post acceptam Rosam, *eum comitantibus duobus Diaconibus antiquioribus Cardinalibus, & cum illo equitant aliquantulum per Civitatem, quantum sibi placet*. Addit tum mox: *Sic etiam, si sit Rex, vel Imperator, aliqui de aliis Cardinalibus eum modicum equitando associare consueverunt; & sic revertitur ille ad comedendum cum Papa; & facto prandio cum gente sua, equitat per Civitatem absque Cardinalibus, cum suis Nobilibus, & Principibus*. Cardinales ipsos equitantes Virum etiam Nobilem, qui non esset Rex, vel Imperator, comitari consuevisse *aliquantulum per Civitatem*, docet quidem laudatus Ordo XV. loco citato, ubi etiam notandum ait, *quod Cardinales non consueverunt in Urbe associare Præfectum*, cui donari scilicet solita fuit Rosa a Pontifice, *quia satis habet de comitatibus*. Porro Præfectus ipse, ut idem Ordo inquit, *incontinenti cum Nobilibus Romanis equitat cum magno triumpho per Urbem*.

II. Cæterum ut alia exempla omittam, tradit Auctor primæ Vitæ Urbani Papæ V. apud Baluzium, & apud Pagium in ipso Urbano V. Numero XXXIV. Joannam Reginam Siciliæ anno MCCCLXVIII. venisse Romam, ubi & aderat Petrus Rex Cypri, *& cum tunc occurreret Dominica, Lætare Jerusalem, in qua consuevit dari per Papam Rosa aurea Viro nobili tunc in Curia existenti, dictam Rosam memoratæ Joannæ tanquam nobiliori, majori, & excellentiori, licet Vir non existeret, dedisse, Regi prædicto ipsam in hoc præferendo, qua more solito domum cum Cardinalibus, & aliis Nobilibus per Urbem equitavit*. Baluzius in Notis ad hunc locum columna 1015. observat ex Garosco de Ulmoisca veteri factum illud displicuisse quibusdam Cardinalibus. Sed quicquid de ea re sit, ubi Martinus V. Pontifex Florentiæ existens Rosam auream in Dominica quarta Quadragesimæ, seu *Lætare Jerusalem*, a Romano Pontifice gestari solitam Florentino populo donavit, Thadæus Gherardinus nomine Confalonerii tunc ægrotantis eam recepit, & a civibus, ac populo, & quindecim S. R. E. Cardinalibus, aliisque Prælatis stipatus eandem ad Palatium Dominorum detulit. Ita Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium in Vita laudati Pontificis Martini V.

III. Possem in hoc Capite & plura alia adnotare de ipsa Rosæ aureæ benedictione, & de ritu eam ad Principes transmittenda, sed videri de iis possunt docti Auctores Chartarius, & Rocca, ac præ ceteris doctissimus amicus noster Josephus Carafa Clericus Regularis in celeberrimo Opere, *De Capella Regis utriusque Siciliæ, & aliorum Principum*, Cap. XI. Vide nostrum Romanum Pontificale Tomo II. in Commentario ad

Digitized by Google

ad §. II. Tituli XXIII. pag. 38. & seq. ubi inter alia retulimus doctam Epistolam in qua Reginaldus Cardinalis Polus mysticam significationem ejus ritus, ac Ensis & Pilei benedici soliti a Romano Pontifice in nocte Natalis Domini, pie solideque exponit.

CAPUT IV.

De Ense in nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo.

§. I.

De origine ejus ritus.

In nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi consueverunt Romani Pontifices Ensem benedictum cum quodam Capello Ducali ornatum candidis margaritis in formam columbæ, alicui magno Principi, si præsens est, dare, vel, si non sit præsens, ad aliquem Regem, vel alium Principem per aliquem ex suis transmittere. Sed quamvis Ensis benedictus vocatur, non tamen reperi ejus benedictionem. Sixtus Papa Quartus aliqua verba ordinavit, cum Ensis datur, dicenda, quæ subjiciam.

COMMENTARIUS.

I. SI qua fides Libro diversarum Chronicarum Regni Siciliæ ms. in Archivo Vaticano, Num. 454. juxta Bzovium anno MCCCLXVIII. Num. IV. in Festo Paschatis, seu die IX. Aprilis benedictum inter sacrificandum *Ensem auratum* Urbanus Papa V. qui eo anno Romæ erat, Joannæ Siciliæ Reginæ Romæ tunc immoranti donavit, postquam scilicet eidem, uti dictum est in Commentario ad §. v. Capitis præcedentis, Rosam auream largitus fuerat. Sed & ex eodem Codice ms. docemur, ipsam Reginam Joannam Ense ipso donasse Petrum Cypri Regem, qui eo accinctus Nicolaum Spinellum Juvenatium Reginæ Cancellarium baltheo militari ornavit. At vero, ut ait hic noster §. *in nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi consueverunt Romani Pontifices Ensem benedictum cum quodam Capello Ducali ornatum candidis margaritis in formam columbæ alicui magno Principi, si præsens est, dare, vel, si non sit præsens, ad aliquem Regem, vel alium Principem per aliquem ex suis transmittere*. Ceterum ut id aliquo exemplo comprobemus, Urbanus Papa VI. Lucæ existens labente anno MCCCLXXXVI. nocte Natalis Domini, Divinis peractis, *supremum Magistratum Lucensem Ense & Pileo gemmis auroque exornatis donavit*, ut inquit Ciaconius in ejusdem Urbani Vita in fine. Quæ Ciaconii verba esse *Nicolai Tugrini Lucensium Oratoris in Oratione ad Alexandrum VI. qui Ensem & Pileum a Pontifice datos, libertatis, & justitiæ, sine qua libertas stare non potest, insignia vocavit*, observat Andreas Victorellus in suis ad Ciaconium Notis.

II. Usum benedicendi Ensem auratum jam ante Urbanum VI. invaluisse, probat allatum exemplum Urbani Papæ V. qui, ut superius diximus, anno MCCCLXVIII. Joannæ Siciliæ Reginæ Romæ dedit. Benedixit quidem illum Urbanus ipse V. in Festo Paschatis; consuevitque deinde in nocte Nativitatis Dominicæ benedici una cum Pileo, ut præter allatum Urbani VI. exemplum docent nos aliorum Romanorum Pontificum exempla, qui vel ante Sixtum IV. claruerunt. Certe Ensem & Pileum benedictos Paulum II. anno MCDLXVIII. Friderico III. Imperatori Romæ dedisse in ipsa nocte Natalis Domini, scribit ipse ordinator nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius in descriptione adventus Friderici ad laudatum Paulum Pontificem, Num. XI. ubi etiam ita inquit: *Gladium sacrum, quo eum volebant accingi, non accinxit; sed armigero suo jussit dari, & Pilleum cuidam ex adstantibus. Donatur enim & Pilleum quoddam cum Ense, ut nosti. Imperator post hæc ante Pontificis Thronum accedens, detecto capite strictum Ensem ex armigeri manu accipiens, eum tertio vibrat, redditque statim armigero*. Cantavit deinde Evangelium in Matutino ipsius noctis Natalis Domini, septimam scilicet lectionem, quæ principium habet Evangelii secundum S. Lucam, ubi dicitur: *Exiit Edictum a Cæsare Augusto &c.* quo lecto, *Imperator sacras exuit vestes, & inclinata rursus cervice coram Pontifice, ad Sedem suam rediit. Ille autem, qui Gladium tenebat sacrum, eum in aurea vagina condidit, superposuitque Pilleum*. Descriptio Friderici adventus Romam ad Paulum II. data ad Joannem Manellum Cremanum extat apud Mabillonium Tomo I. Musei Italici Parte II. pag. 256. & seqq.

III. Sed & ante Paulum II. Pius itidem II. ejusdem generis Ensem dono misit Philippo Burgundiæ Duci, & alium alterius anni benedictione sacrum Ludovico XI. Galliarum Regi, cum Pragmaticam Sanctionem, quam Carolus VII. promulgaverat, ab ipso, pio animo damnatam, sublatamque intellexisset. Ensis ipse, ut idem Victorellus ait in Additionibus ad Ciaconium in Vita Urbani VI. gemmis, & auro, ac hisce versibus ornatus erat.

Exerat in Turcas tua me Ludovice furentes
Dextera: Grajorum sanguinis ultor ero.
Corruet Imperiũ Mahumetis, & inclyta rursus.
Gallorum virtus, te, petit astra, Duce.

Porro quod vel nostris temporibus Ensis ipse ac Pileus non modo in nocte Natalis Domini, sed & alio quocumque Festo solemni benedici consueverit, docet nos Exemplum Clementis Pa-

Digitized by Google

Papæ XI. qui Enſem, Pileumque, quos anno MDCCXVI. ad Principem Eugenium de Sabaudia miſit ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatam, benedixit in Eccleſia S. Mariæ de Populo die VIII. Septembris. Porro ut huic Commentario finem faciam, tametſi benedici olim Enſis conſueverit, ut docuimus ſupra exemplis variorum Pontificum, fatetur nihilominus Auctor hujus noſtri Cæremonialis Auguſtinus Patricius, ſe *ejus benedictionem*, ſeu benedictionis formulam non reperiſſe, quæ ſcilicet dicebatur in benedictione Enſis, quæ fieri conſuevit in nocte Natalis Domini; nam alias antiqua eſt benedictio Enſis, occurruntque variæ ejus formulæ in antiquis mſs. Pontificalibus allatis ab erudito Martene in Libris, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*. Quicquid ſit recenſet quidem Patricius in hoc Capite benedictionem, & verba præſcripta a Sixto IV. dicenda, cum Enſis datur, & Pileus. Sed teſte Victorello loco citato, Urbanus VIII. anno Jubilei MDCXXV. Poloniæ Principi hujuſmodi Enſem Pileumque dedit, præſcripſitque egregias ſacras preces, quas idem Victorellus affirmat, eas ſe mſs. vidiſſe in Libro ms. Benedictionum Sacrarii Apoſtolici. Addit autem & illud mox, non vetuiſſe tamen Urbanum ipſum Papam VIII. *quin inſtitutis a Sixto IV.* precibus ſcilicet in hoc noſtro Cæremoniali deſcriptis, *Succeſſores uti poſſint, ſi velint*; nemo enim eſt qui Romano Pontifici poſſit legem præſcribere, nam eſt in ejus arbitrio ritus Prædeceſſorum mutare.

§. II.

Ritus benedicendi ipſum Enſem cum Pileo.

Benedictio autem poterit fieri hoc modo, ſi placebit. Pontifex indutus Alba, Cingulo, Amictu, & Stola, antequam ſumat Cappam purpuream, qua in hac nocte uti ſolet, benedicit Enſem, quem Clericus Cameræ in manu tenet, dicens. ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cœlum & terram*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*.

Benedicere digneris, quæſumus Domine Jeſu Chriſte, hunc Enſem in defenſionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Chriſtianæ Reipublicæ ordinatum noſtræ benedictionis officio ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, ut per eum, qui te inſpirante, illo accingetur, vim æquitatis exerceas, molemque iniquitatis potenter evertas, & Sanctam Eccleſiam ejuſque Fideles, quos ut pretioſo Sanguine tuo redimeres, hodie in terris deſcendere, & carnem noſtram ſumere dignatus es, ab omni periculo protegas, atque defendas; & famulum tuum, qui hodie Gladio in tuo Nomine armatus erit, pietatis tuæ firma cuſtodia munias, illæſumque cuſtodias. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Aſpergit deinde Gladium, & Capellum aqua benedicta, & incenſo adolet. Deinde ſumit Cappam, & præcedente Clerico Cameræ cum Enſe benedicto immediate ante Crucem, Pontifex deſcendit ad Capellam, & omnia ſervantur, ut in Officio noctis Nativitatis Domini dicetur.

COMMENTARIUS.

I. AGit & de ipſa benedictione Enſis fieri ſolita a Summo Pontifice in nocte Natalis Domini Graſſus in ſuo ms. Diario, ubi enarrans geſta Pontificatus Leonis X. ad diem XXV. Decembris anni MDXVIII. hæc habet: *Papa venit*, ad Capellam ſcilicet, *cum prius benedixit Spatam in Camera ſua. Ego dixi ſibi, non bene fuiſſe, quia Papa id facit in Camera ſua, quando ipſe non venit ad Miſſam, aut quando non celebrat. Ipſe dixit, eſſe ſolitum benedicere in nocte. Reſpondi, non bene eſſe, niſi quando aliquis Princeps eſt præſens, qui debeat cantare Lectionem cum nudo enſe, quia tunc Papa benedicit in nocte; alias Papa regulariter ſemper debet in die benedicere apud lectum paramentorum, cum primum ipſe paratus eſt totaliter, abſque Regno, & juſſit Papa, ut de cetero ſic faciam ſervari.* Sed audiamus uti ritum ipſum recenſet Franciſcus Mucantius in ſuo ms. Diario ad annum MDLXXIII. ubi refert geſta Pontificatus Gregorii Papæ XIII. *In nocte Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti circa & ante tertiam horam Sanctiſſimus Dominus noſter deſcendit per ſcalas ſecretas in Sacriſtiam Capellæ Palatinæ..... Pontifex in ipſa Sacriſtia paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, & impoſito incenſo in thuribulo, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, benedixit Enſem, & Pileum more ſolito. Mox accepta Cappa ſericea, & Enſe ante ipſum per Clericum Cameræ delato, proceſſit ad Capellam. Enſis autem cum Pileo fuit traditus a prædicto Clerico in manibus unius Clavigeri, qui illud tenuit per totum Officium ſuper cornu ſiniſtro Altaris, prout a quibuſdam annis circa introductum fuit.*

II. Reprehendit hunc morem Macantius, minuſque id convenire inquit, *quia debet poni ſimpliciter ſuper Altare, nec decet ipſum Clavigerum armatum adhærere continuo Altari, ſed poſſet aliquo modo provideri, ut Enſis prædictus ſuſtentaretur aliquo ferreo, vel ligneo inſtrumento ſuper Altari, ne caderet, quod erit in Congregatione reſolvendum.* Huc uſque Mucantius Apoſtolicus Cæremoniarius. Sane ritum noſtro hoc ævo a Benedicto XIII. ea in re

Digitized by Google

servatum enarrat in suo ms. Diario Franciscus Bolza Novocomensis Cæremoniarius Apostolicus ad annum MDCCXXIV. sic inquiens: *Descendit paulo post per gradus secretos Sanctissimus Dominus noster ad cubiculum Sacrarii, induturque usque ad Stolam inclusive a Cardinalibus Diaconis, benedixit de more Ensem cum Pileo, quo ante Crucem præcedente, venit cappatus, caputioque tectus ad Sixtinam, ubi Clericus Cameræ Ensem Mazzerio consignavit in cornu Epistolæ supra Mensam Altaris sustinendum.* Eadem legere est in aliis Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis passim, ubi agitur de ritu servando in Pontificia Capella nocte Natalis Christi.

III. Quod orationem autem spectat in hoc nostro §. descriptam, quæ incipit, *Benedicere digneris &c.* compacta & ipsa est ex antiquis Orationibus, seu verborum formulis, quæ in traditione Ensis dici jam olim consuevere, ubi Imperatores, Regesque coronabantur, imo & in benedictionibus Ducum, ac Militum, uti supra suis locis diximus in nostris ad eos Titulos Commentariis.

§. III.

De oratione à Sixto IV. instituta in ipsius Ensis traditione.

Cum vero Pontifex dat Ensem prædictum alicui præsenti, dicit hæc verba, quæ, ut diximus, Sixtus IV. instituit: *Solent Romani Pontifices in præclara Natalis Domini celebritate Christianissimo, Clarissimoque alicui Principi ornatum Ensem dare, aut destinare, quæ res profecto non caret mysterio. Unigenitus namque Dei Filius, ut humanam naturam suo reconciliaret Auctori, eam assumere dignatus est; ut inventor mortis diabolus per ipsam, qua vicerat, vinceretur, quæ quidem victoria per Ensem congrue designatur. Fuerunt insuper infideles Ariani, qui non veriti sunt Dei Filium puram creaturam affirmare; cum tamen hodierni Evangelii Scriptura testetur, Deum omnia feciſſe per Verbum. Largitur igitur præsenti die Maximus Pontifex Ensem Dei infinitam potentiam signantem in Christo Deo vero, Patriquæ æquali, & vero homini residentem, per quem facta sunt omnia, juxta Davidicum illud:* Tui sunt Cæli, & tua est Terra, Orbem Terræ, & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. *Sedes denique Dei, Apostolica videlicet Sedes, a Christo suum sumsit stabilimentum, extititque præparata Dei justo judicio, præmio, atque justitia, quibus Salvator noster verus Jesus Deus, & homo profligavit Sedis ipsius adversarios, hæreticos videlicet, & tyrannos, juxta id quoque Propheticum:* Justitia, & judicium præparatio Sedis tuæ. *Figurat denique Pontificalis hic Gladius potestatem summam temporalem a Christo Pontifici ejus in Terris Vicario collatam, juxta illud:* Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. *Et alibi:* Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. *Quam & declarat Cappa illa fericea, quam Pontifices gestare solent in nocte Nativitatis Domini. Nos ergo volentes, ut æquum est, approbatas Sanctorum Patrum consuetudines observare, statuimus, & Principem Catholicum, Sanctæque Sedis a Deo utrumque Gladium habentis filium devotissimum hoc nostro præclaro munere insignire, necnon & hoc Pileo in signum muniminis, & defensionis adversus inimicos Fidei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ protegere. Firmetur igitur manus tua contra hostes Sanctæ Sedis, ac Christi Nominis, & exaltetur dextera tua, eos veluti ipsius assiduus, intrepiduſque propugnator de terra delendo, & armetur caput tuum Spiritus Sancti per columbam* (1) *perleam figurati protectione adversus eos, in quos Dei justitia, atque judicium pro Romani Sancti Ecclesia, & Apostolica Sede præparatur. Quod tibi præstare dignetur idem Dei Filius, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi hæc oratio, seu concio instituta primum a Sixto IV. qui electus Pontifex fuit anno MCDLXXI. antiquiora tamen sunt ipso argumenta, quibus ea oratio nititur. Ut alia omittam, notatu dignum est illud, quod idem Pontifex docet, sic inquiens: *Figurat denique Pontificalis hic Gladius potestatem summam temporalem a Christo Pontifici ejus in Terris Vicario collatam juxta illud:* Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra. *Et alibi:* Dominabitur a mari usque ad mare; & flumine usque ad terminos orbis terrarum. *Quam & declarat Cappa illa fericea, quam Pontifices gestare solent in nocte Nativitatis Domini.* Primum, qui ex Romanis Pontificibus in Officio noctis Natalis Christi Cappam laneam rubei coloris adhibuerit, fuisse Bonifacium IX. testis est Petrus Amelius in Ordine Romano XV. Cap. VII. ubi ita inquit: *In Matutinis Papa venit indutus Cappa lanea. Modernis temporibus est de veluto cremesino foderata de ermelinis. Hoc adinvenit Bonifacius IX.*

(1) Ita legitur in editione Romana, deest vero vox *perleam* in Veneta 1. & in Coloniensi editione.

Digitized by Google

cius IX. Cappa lanea de ſcarleto rubeo, clauſa uſque ad medium pectoxis cum bireta connodata ſubtus barbam propter frigus; & ſine Mitra ſedet in dictis Matutinis, quas ipſe incipit more ſolito. Nec ſtant ante ipſum, nec ad latera Cardinales Diaconi, ſed ſedent in ſcamnis ſuis juxta ordinem ſuum. Rurſus Cap. CXXXVI. ita in eandem rem ait: *Nota bene, & bene nota, prout eſt in Rubrica de Mitra portanda; quia quandocumque Papa indutus portat Mitram in capite in officio, duo Diaconi ſtant ante ipſum, & unus Præsbyter Cardinalis.* Sed ut alia omittam ejuſdem Auctoris loca, non omittendum quod mox ſubjicit Cap. CXXXVII. *Sed nota quod in Paraſceve, quando Papa ſtat in Cappa lanea a medio pectoris aperta uſque ad pedes, tunc non ſtant ante eum, quoniam non conſuevit Mitram portare, neque caputium replicatum ſuper caput, nec etiam nocte Nativitatis.*

II. Plura ſcitu digna docet de Cappa eruditiſſimus Petrus Morettus in celebri Opuſculo, ſeu in Diſceptatione Epiſtolari, quæ inſcripta eſt, *De ritu variandi Chorale indumentum &c.* Myſticam vero Cappæ ſignificationem tradit inter alios Macrus in ſuo Hierolexico, verbo, *Cappa*, ubi ex Ruperto in Cap. I. Apocalypſis, ait, Cappam ſignificare Sacerdotalis dignitatis eminentiam; caudæ vero illius longitudinem denotare, *quod uſque ad diem extremum Judicii ſit dignitas Sacerdotalis duratura.* Quod Cappam ſpectat, quam in ipſa nocte Nativitatis Dominicæ Summus Pontifex geſtat, Gladiumque ab eo tunc benedictum, docet in hoc noſtro §. Sixtus Pontifex IV. iiſdem denotari *poteſtatem ſummam temporalem a Chriſto Pontifici ejus in Terris Vicario collatam juxta illud*, Matthæi ſcilicet Cap. XXVIII. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra*; & alibi, nempe in Pſalmo LXXI. *Dominabitur a mare uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Certe hæc fuit jam longe ante Sixtum IV. multorum Theologorum, & Juriſconſultorum ſententia, Summum ſcilicet Romanum Pontificem jure divino pleniſſimam habere poteſtatem in univerſum terrarum Orbem, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in politicis. Ita docent Alvarus Pelagius Lib. I. *De planctu Eccleſiæ*, Cap. XIII. Auguſtinus Triumphus in Summa, *De poteſtate Eccleſiæ*, Oſtienſis in Capite, *Super his*, *De voto & voti redemtione*, Panormitanus in Capite, *Novit*, *De judiciis*, & alii non pauci. Quin etiam Oſtienſis ulterius progrediens aſſerit, per Chriſti adventum omne Dominium Principum infidelium translatum eſſe ad Eccleſiam, & reſidere in Summo Pontifice ut Vicario Summi & veri Regis Chriſti, & ideo poſſe Pontificem Regna infidelium jure ſuo donare quibus voluerit fidelium.

III. At vero communis Catholicorum Theologorum ſententia eſt plane illa, quam propugnat etiam Cardinalis Bellarminus Lib. V. *De Summo Pontifice*, Cap. I. & ſeqq. Romanum nempe Pontificem, ut Pontificem, non habere directe & immediate ullam temporalem poteſtatem, ſed ſolum ſpiritualem, ratione autem ſpiritualis habere ſaltem indirecte poteſtatem quandam, eamque ſummam in temporalibus. Atque hanc ſententiam tenent Hugo de S. Victore, Lib. II. *De Sacramentis*, Parte II. Cap. IV. Alexander Alenſis, Parte III. ſummæ, Quæſtione XI. & Parte IV. Quæſtione X. in explicatione Canonis Miſſæ in illud: *Et pro Rege N.* itemque S. Bonaventura, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Parte II. Cap. I. Durandus in Libro, *De origine juriſdictionum*, Quæſtione III. in fine, Joannes de Pariſio in Tractatu, *De poteſtate Regia & Papali*, Cap. VI. & VII. Jacobus Almain, *De ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica*, Cap. VI. Gabriel Biel in explicatione Canonis Miſſæ, Lectione XXIII. Henricus de Gandavo Quodlibeto VI. Quæſt. XXIII. Joannes Driedo Lib. II. *De libertate Chriſtiana*, Cap. II. Cardinalis Turrecremata Lib. II. Summæ, Capite CXIII. & ſeqq. & alii plures, quos recenſet laudatus Bellarminus loco citato Cap. I. qui etiam ſententiam ipſam Theologorum, Papam ſcilicet habere ſummam temporalem poteſtatem indirecte, eaque verba Matthæi XXVIII. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra*, intelligi debere ait Capite V. non de poteſtate temporali, ſed ſpirituali, uti exponunt S. Hieronymus, & S. Anſelmus, qui eſſe volunt ſenſum eorum verborum, ut ſicut in Cælo Chriſtus eſt Rex Angelorum, ita per Fidem regnet in cordibus hominum.

IV. Celeberrimum pro contraria ſententia, quæ dicit, Summum Pontificem Jure divino habere pleniſſimam poteſtatem in univerſum Terrarum Orbem, tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in politicis, argumentum illud eſt, quod Chriſtus Lucæ XXII. verſu XXVIII. duos gladios Petro concedat. Cum enim diſcipuli dicerent: *Ecce duo gladii hic.* Chriſtus non ait: nimis eſt, ſed, *ſatis eſt*; quare S. Bernardus Lib. IV. *De conſideratione*, & Bonifacius VIII. in Extravagante, *Unam ſanctam*, *De majoritate & obedientia*, ex eo loco deducunt, Romanum Pontificem S. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem duos gladios ex Chriſti inſtitutione habere. Sed reſpondet Bellarminus, juxta litteralem ejus loci ſenſum, nullam fieri ibidem mentionem de gladio ſpirituali, vel temporali Pontificis, ſed ſolum Dominum illis verbis admonere voluiſſe diſcipulos, tempore paſſionis ſuæ in iis anguſtiis, & metu ipſos futuros fuiſſe, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt, ut emant gladium; ut ex Theophylacto, aliiſque Patribus colligitur. Porro S. Bernardus, & Bonifacius Papa VIII. ut memoratus Auctor notat, myſtice interpretati ſunt eum Evangelii locum; volunt enim ſignificare, Pontificem habere per ſe gladium ſpiritualem; & quia gladius tem. poralis ſubjectus eſt ſpirituali, poſſe Pontificem Regi imperare, aut interdicere uſum gladii temporalis, quando nimirum id requirit Eccleſiæ neceſſitas.

V. Sed audiamus verba S. Bernardi, quæ Bonifacius VIII. imitatus eſt. Sic enim ille citato Lib. IV. *De conſideratione*, inquit Papam Eugenium III. alloquens: *Quid tu denuo uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic*: Converte gladium tuum in vaginam. *Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus; alioquin ſi nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apoſtolis*: Ecce gladii duo hic; *non reſpondiſſet Dominus*: Satis eſt; *ſed*: Nimis eſt. *Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & ma-*

materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris. Ubi etiam notandum, quod cum hæretici reprehendunt Bonifacii Extravagantem, ut erroneam, arrogantem, tyrannicam, sic enim de ea passim loquuntur, monendi sunt, ut cogitent eadem esse Bernardi verba in Libris, *De consideratione*, ubi tamen sine adulatione loquitur, ut Calvinus Lib. IV. *Institutionum*, Cap. XI. §. X. dicat, ita loqui in Libris illis Bernardum, ut veritas ipsa loqui videatur. Porro Petrum Apostolorum Principem jam non solum supra totum Orbem auctoritatem accepisse, sed etiam utriusque gladii potestatem fuisse assequutum, docuit inter alios Josephus Stephanus Valentinus Lib. I. *De potestate coactiva, quam Romanus Pontifex exercet in negotia secularia*, Cap. VIII. quem Romæ edidit anno Christi MDLXXXVI. dedicavitque Sixto Papæ V.

VI. Mysticum Cappæ sericeæ sensum, quam Romani Pontifices gestare solent in nocte Nativitatis Domini, ad declarandam scilicet *potestatem summam temporalem a Christo Pontifici ejus in terris Vicario collatam*, ut ait in hoc nostro §. Sixtus IV. nonnulli forte improbaverint, qui scilicet morem medii, & infimi ævi ignorant, quo magis magisque mysticæ rerum cæremonialium significationes invaluerunt. Sed politici ipsi, qui easdem irridentes, ridendi potissimum sunt, quippe qui non semel & ipsi ineptis usi sunt argumentis ad ampliandam laicorum Principum vel in rebus Ecclesiasticis potestatem. Ut alia exempla omittam, an non ridendi sunt illi, qui jus Regaliæ competere Francorum Regi contendebant ob rotunditatem ejus Regiæ Coronæ, quasi alii Principes Coronam quadratam gestent. Porro nusquam auditum est, Regum, aut Imperatorem aliquem quadratam Coronam gestasse; imo licet Reges omnes rotundam seu sphericam Coronam deferant; contendunt tamen non pauci Auctores Galli, jus Regaliæ non ad alios, quam ad solos Galliæ Reges spectare: *Franci contendunt, nihil ipsis peculiarius esse inter jura Coronæ, quam illud illustre, & excellens jus Regaliorum &c.* Verba sunt Arnulphi Ruzæi in Tractatu, *De jure Regaliorum*. Sed de his vide, quæ scripsimus Tomo IV. Conciliorum in Commentario ad Canonem XII. Generalis Concilii II. Lugdunensis, ubi fuse de ea re diximus.

§. IV.

De ritibus servandis ab eo, qui Ense ipso donatus est.

Princeps, qui Ense donatus est, ut primum illum de manu Pontificis accepit, pedem, & manum ejus osculatur, & pro tempore gratias agit; deinde discedens, deducitur ad domum habitationis suæ a familiaribus, & domesticis Prælatis Papæ, & ab Amicis, Oratoribus, & Nobilibus, qui voluerint illum honorare. Servientes armorum præcedunt illum, qui Ensem cum Pileo ante Principem præfert, & in hoc actu ipsi debent habere præcipuam strenam, sicut Cursores in Rosa.

COMMENTARIUS.

I. ENsem, & Pileum benedictum in nocte Natalis Christi anno MCDLXVIII. donasse Paulum II. Pontificem Friderico III. Imperatori, qui Matutino ipsius noctis interfuit, cantavitque Stola ac Pluviali indutus septimam Lectionem, idest principium Evangelii secundum Lucam, *Exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*, docet nos Auctor hujus Cæremonialis Augustinus Patricius in Epistola ad Joannem Manellum Cremanum, in qua describit adventum ipsius Friderici Romam ad laudatum Paulum Papam, sic inter alia inquiens: *Imperator post hæc ante Pontificis Thronum accedens, strictum Ensem ex armigeri manu accipiens, eum tertio vibrat, redditque statim armigero, vadensque deinde ad ornatum plateum, quo Liber sustinebatur, inclinato capite benedictionem petiit a Pontifice; qua accepta cantavit Evangelium usque ad principium Homeliæ. Homeliam vero prosecutus est Cardinalis Diaconus, qui ministrabat a sinistris. Evangelio lecto, Imperator sacras exuit vestes; & inclinata rursum cervice coram Pontifice, ad Sedem suam rediit. Ille autem, qui Gladium tenebat sacrum, eum in aurea vagina condidit, superposuitque Pilleum*. Hactenus Patricius. Videri autem potest figura ipsius Gladii, & Pilei, sicut & aureæ Rosæ, apud eruditum Angelum Roccam Tomo I. ejus Operum Romanæ ultimæ editionis in Commentario, *De aurea Rosa*, ubi inter alia descripsit Epistolam Reginaldi Cardinalis Poli ad Philippum Regem, & Mariam Reginam Angliæ, in qua de Rosa ipsa aurea, & Ense, muneribus ad ipsos Regem & Reginam a Julio III. Papa missis fuse differit. Videri etiam potest quid & de eisdem Ense, ac Pileo dono ad Reges, & Principes missis fuse docte solideque scripsit amicus noster præstantissimus Auctor Josephus Carafa Clericus Regularis in Opere, quod inscripsit, *De Capella Regis utriusque Siciliæ, & aliorum Principum*, Cap. XI. Porro nefas esse puto omittere hoc loco auream Allocutionem Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIV. habitam in Consistorio secreto die XXXI. Julii MDCCXLVII. *De Ense, & Pileo ad Fratrem Emmanuelem Pintum Ordinis Hierosolymitani Magnum Magistrum dono transmittendis*. Est autem hujusmodi.

VENERABILES FRATRES.

Nemo Vestrum fortasse reperietur, qui præsens aliquando non interfuerit, cum Nos ipsi, vel aliquis ex Pontificibus Prædecessoribus nostris *Gladio* benedictionem impertivit, priusquam die Natalis Salvatoris sacra solemnia perage-

Digitized by Google

agerentur. Equidem vulgi vocabulo *Gladium* nuncupavimus, ſed in Ritualibus libris *Enſis* appellatur; nam inter reliquas illius Feſtivitatis ceremonias, ac ritus, *Benedictio Enſis, ac Pilei* recenſetur.

Porro hunc ritum Eccleſiaſticum commemorat Liber de Sacris Romanæ Eccleſiæ Ceremoniis, qui in lucem editus fuit, cum Leo Decimus Prædeceſſor noſter Summum Pontificatum gereret, a Chriſtophoro Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo, quem univerſa fere antiquitas ejuſdem Libri auctorem cenſuit, quod plures etiam hac ætate verum arbitrantur, qui nempe ignorant, eum Librum confectum fuiſſe ab Auguſtino Patricio Piccolomineo, Pientino Epiſcopo, cum Innocentius Octavus hanc Sedem Apoſtolicam obtineret.

Hic libenter prætermittimus hujus Eccleſiaſtici ritus myſterium explanare; cum Theophilus Raynaudus de illo ſatis erudite copioſeque diſſeruerit. Id etiam ſatis per ſe explicatur ex verbis, quibus in benedictione *Enſis, & Pilei* a Sixto Quarto ad Urbanum Octavum Summi Pontifices utebantur. Idem aperte conſtat ex verbis, quæ ſubſtituit Urbanus Octavus, & quæ in ea benedictione peragenda ad hanc uſque diem proferuntur. Hæc, inquam, libenter omittimus, ſed eximiam Reginaldi Poli Cardinalis Epiſtolam Angliæ Regi, Reginæque inſcriptam, prætereire nullo modo debemus. In ea ſymbolum *Enſis Pileique* declarans, quæ a Julio Tertio Prædeceſſore noſtro iiſdem Principibus dono miſſa fuerant, Juſtitiæ exercitium per *Enſem* ſignificari teſtatur; benedictione autem illum ſacrari die Natali Salvatoris, ut Reges intelligant, a Chriſto Domino Enſem ſe accipere, qui Juſtitiæ Rex a Prophetis nuncupatur: *Pileum* vero gemmis exornatum, Columbæ effigie ſuperaddita, Reges potiſſimum admonere, ne unquam prava cupiditate adducti Enſem diſtringant, atque adhibeant, ſed ea ſolum mente, animoque, quem Salvator in terris gerebat, qui margaritas ipſas candore ſuperavit, in quem etiam Spiritus Sanctus Columbæ figuram præferens deſcendit, ut ſedem in eo figeret, & ſuorum munerum amplitudine cumularet.

Miſſam quoque facimus veterem Romanorum Pontificum conſuetudinem, qui Imperatori, Regi, aut Principi præſentibus *Enſem, & Pileum* largiebantur. Id clare deſumitur ex Libro, quem ſuperius nominavimus, *De Sacris Romanæ Eccleſiæ Ceremoniis*. Ejuſdem autem rei teſtimonium vetuſtius continetur in Actis Concilii Conſtantienſis celebrati coram Pontifice Joanne Vigeſimotertio, & Imperatore Sigiſmundo. Theodoricus quippe Urie, qui totius Concilii hiſtoriam poſteritati commendavit, illud ſcriptum reliquit, ab eodem Imperatore lectum fuiſſe cum cantu Evangelium, *Exiit Edictum*, cum die Natali Domini Pontifex rem Divinam Sacro ſolemni conficeret: quo peracto, *Enſem* manu Pontificis accepit Imperator, qui ſimul admonitus de Eccleſia tuenda, ac defendenda, id ſe facturum majori, quo poſſet, ſtudio, & contentione, jure jurando confirmavit. Et in Libro Ceremoniali Cardinalis Rothomagenſis, qui anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono in veſtrum Collegium ab Eugenio Quarto cooptatus fuit, memoriæ poſterorum traditum eſt, a Clericis Apoſtolicæ Cameræ ornatiſſimum Pluvialem parari conſueviſſe, quo Princeps indutus, Gladioque diſtricto ſæpius aerem verberabat; deinde cum *Pileus* ipſi imponeretur, caput Pontifici inclinabat, ut ab illo benedictionem expoſceret; poſtremo, lectione cum cantu abſoluta, in locum ſuum revertebatur.

In eodem quoque memorato Libro *De Sacris Romanæ Eccleſiis Ceremoniis* aliquid innuitur de *Enſe, & Pileo*, qui ad abſentes Principes tranſmittuntur. Ante vero hæc tempora deprehendimus, Callixtum Tertium Prædeceſſorem noſtrum anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo ea munera Henrico IV. Regi Caſtellæ, ac Legionis miſiſſe, qui ex Mauris Granatenſibus poſt acerrimum bellum victoriam reportaverat. Biennio peracto, Pius Secundus Prædeceſſor noſter eodem munere Fridericum Tertium Imperatorem Roma abſentem cumulavit. Ex quibus deſumi poſſe videtur, ejuſmodi honorem abſentibus traditum fuiſſe ob ſingularia beneficia, quæ ſua virtute, atque armis in Religionem contulerant.

His exemplis adducti Sanctus Pius Quintus, ac Sixtus Quintus Prædeceſſores noſtri, idem munus conceſſerunt Ferdinando Duci Albenſi, & Alexandro Farneſio abſentibus: quorum primus in Belgio, devictis hæreticis, maximam ſibi gloriam comparaverat; alter vero, rebus præclare ac fortiter geſtis, ditionem Erneſti Bavari Colonienſis Archiepiſcopi, & Electoris ab hæreticis vindicaverat. Iiſdem veſtigiis inſtiterunt poſteriori tempore Innocentius Undecimus, qui *Enſem, & Pileum* ad Joannem Tertium Polonorum Regem dono miſit, qui Viennam in Auſtria diuturna Turcarum obſidione liberaverat; & Alexander Octavus Prædeceſſor noſter ad Ducem Venetorum Franciſcum Maurocenum, qui Corcyram armis ſubactam in poteſtatem ſuæ Reipublicæ redegerat; & poſtremo Clemens Undecimus ad præclariſſimum Virum Eugenium Sabaudiæ Principem, poſtquam incredibili gloria Temiſvvarium expugnaverat.

Ab eo tempore, quo Nos, licet immerentes, ad hanc Sedem Apoſtolicam aſcendimus, ſi perpaucos menſes ſecernamus, nulla fere dies præteriit, qua bellorum diverſa nuncia ac tumultus ad aures noſtras minime pervenerint. In maxima fortunæ varietate, nunc victoriæ, nunc cædes delatæ ſunt, quæ cum inter Chriſtianos Principes cariſſimos nobis in Chriſto Filios contigerint, nihil profecto Nobis, præter acerbiſſimum mærorem atque triſtitiam, attulerunt. Nec cogitationes noſtras uſque adhuc convertere potuimus, ut Principem Catholicum aliquem *Enſe Pileoque* donaremus, etiamſi plures, ob virtutem militarem hac benevolentiæ noſtræ ſignificatione digniſſimi viſi ſint. Nobis tantum datum eſt Deum Optimum Maximum quotidie precari, ut Pacem Chriſtiano populo impertiat; etiamſi, noſtris ita exigentibus peccatis, in pace amaritudo noſtra deberet eſſe amariſſima.

At, cum ſubinde diligenter expenderimus, Ordinem Hieroſolymitanum graviſſimis expenſis bellum cum Turcis gerere perpetuum, & nobiliſſimos Equites ſacramento addictos vitam ſuam periculis ita objicere, ut incredibilis utilitas Chriſtiano populo afferatur, & jure merito Catholicæ Religionis firmiſſimum propugnaculum contra Barbaros appellentur in Conſtitutionibus Apoſtolicis Summorum Pontificum Innocentii Octa-

Digitized by Google

Octavi, Pii Quarti, & Quinti, Sixti Quarti, Gregorii Decimiquarti, & postremo Clementis Undecimi; inhærentes quoque exemplo Benedicti Decimitertii Prædecessoris nostri, ac de Nobis optime meriti, qui *Pileum*, & *Ensem* Magno tunc Ordinis Hierosolymitani Magistro dono misit, constituimus idem munus elargiri Fratri Emmanueli Pinto ejusdem Sacri Ordinis Magistro, ut benevolentiam nostram in Ordinem universum ob res præclarissime gestas testemur, utque majora, quæ possumus, in Magistrum ipsum honoris ornamenta conferamus, cujus virtute, prudentia, & æquitate Hierosolymitanus Ordo feliciter administratur, & universi Equites ad egregia facinora pro Religionis defensione suscipienda magnopere inflammantur. Quod, ut Vobis innotescat, retulimus. Hactenus Allocutio regnantis Papæ BENEDICTI XIV.

CAPUT IV.

De Benedictione, & Traditione Vexilli bellici.

I. EST haud dubie antiqua Vexilli bellici Benedictio, & quidem sub præscripta verborum formula in §. 1. hujus Capitis, *Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum &c.* legiturque in variis antiquis Pontificalibus Vaticanis, & in ms. Codice Vallicellano signato D. S. annorum circiter DCCC. uti notavimus Tomo 1. Romani Pontificalis in Appendice ad Titulum XXIII. Sed potissimum legendus Titulus XXIV. *De benedictione, & traditione Vexilli bellici*, qui extat Tomo II. ejusdem Pontificalis, in quem Titulum jam nos plura adnotavimus, quæ abs re non erit iterum hoc loco describere. Ritum Pontificalis atque exempla veterum Romanorum Pontificum, atque Episcoporum sequutus præstantissimus, & religiosissimus Archiepiscopus Genuensis Josephus Maria Saporiti, benedixit & ipse Vexilla bellica, in celebri Templo Sanctissimæ Annunciatæ Virginis, Nationis Gallicæ, occasione belli, quo nuper exercitus Germanus Genuensem Rempublicam dire vexabat, & ad extremam angustiam redegerat; extatque ea de re insignis ac docta laudati Antistitis Notificatio Italico idiomate exarata, & Genuæ edita anno MCCXLVIII. Sed ut rem nostram agamus, & de Vexillo tractemus, quod benedici, ac dari, seu mitti Principibus solitum fuit a Summo Romano Pontifice; primum Carolo Martello Galliæ Regi missum fuisse a Gregorio III. Papa Vexillum una cum Clavibus Confessionis, seu Sepulcri sancti Petri, quo tempore illum Patricium delegit, testatur in ejus Vita Pagius; qui etiam, ubi agit de Leone III. affirmat, non modo ipsum Pontificem Vexillum, & Claves prædictas, sicut antea Adrianus I. fecerat, ad Carolum Magnum misisse, sed & Pipinum ejus patrem a Stephano II. eo munere fuisse donatum. Id quod diserte etiam docet Pagius alter in Critica Baroniana, & novissime amicus noster eruditissimus Romanæ Curiæ Advocatus Octavianus Gentilius in suo insigni Opere, *De Patriciis*, Lib. III. Cap. II. Numero VI. ubi egregie ostendit, Galliæ Regibus uti Romanorum Patriciis missum fuisse Vexillum Ecclesiæ Romanæ, quod ejus Defensores, & Advocati essent.

II. Quicquid autem sit de ea Patriciatus dignitate, de qua ex professo loquitur memoratus Gentilius, erat Vexillum defensionis, & patrocinii ita proprium, ac præcipuum insigne, ut nec Carolo Magno, quando renunciatus est Imperator, missum constet, nec aliis Imperatoribus, quorum majestati conjuncta, ac individua erat Ecclesiæ Romanæ protectio, ut ad annum DCCLXXIV. scribit criticus Pagius. Figuram Vexilli, quo Carolum Magnum donavit Leo III. musivo opere expressam vidimus in celebri pervetusto Triclinio, quod ipse Leo prope Lateranensem Basilicam extruxit, atque exornavit. Cernebatur in ipso Triclinio Apostolorum Princeps S. Petrus Solio insidens, dextera Stolam Leoni porrigens, Carolo sinistra Vexillum, ut ita Defensor Ecclesiæ factus indicaretur, uti explicat Everardus Otto Dissertatione 1. *Juris publici & privati*, Cap. II. §. IV. Jam non sine venerandæ antiquitatis studiosorum mœrore, initio Pontificatus Clementis Papæ XII. æquatum solo Triclinium ipsum vidimus, quod peramplam prædictæ Basilicæ Lateranensis plateam impediret, cujus Basilicæ extimam faciem summa impensa laudatus Clemens Pontifex a fundamentis erexit, ac mirifice ornavit. Agendæ autem gratiæ Viris clarissimis Ciampino, Alemanno, Pagio, ac memorato Gentilio, qui ipsam figuram æri incisam in suis Operibus exhibuerunt. Potissimum vero agendæ sunt gratiæ Sanctissimo Domino BENEDICTO XIV. qui celeberrimum ipsum monumentum restituit, ubi etiam in laudem hujus Pontificis hæc posita est inscriptio.

BENEDICTVS XIV. P. M.
Antiquissimum ex vermiculato opere
Monimentum
In Occidentali Apside
Lateranensis Cœnaculi
A Leone III.
Sacro cogendo Senatui
Aliisque solemnibus peragendis
Extructi
Quod ad Templi Aream laxandam
Clemens XII.
Integrum loco moveri
Et ad proximum Sancti Laurentii Oratorium
collocari jusserit
vel Artificum imperitia
Vel rei difficultate
Diffractum, ac penitus disjectum
Ne illustre adeo
Pontificiæ majestatis authoritatisque
Argumentum
Litterariæ Reipublicæ damno interiret.
Ad fidem exempli
Ipsius Clementis Providentia
Stantibus adhuc parietinis
Accurate coloribus expressi
Et simillimæ in Vaticano Codice
Veteris Picturæ
Nova Apside
A fundamentis excitata
Eruditorum Virorum Votis occurrens
Urbi æternæ
Restituit
Anno CIↃIↃ CCXLIII.
Pont. sui III.

III. Etsi

Digitized by Google

III. Etsi autem una cum Vexillo Galliæ Regi Carolo Martello, aliisque ejus Successoribus missæ & Claves Sepulchri Sancti Petri a Romanis Pontificibus fuerint, sciendum nihilominus est, morem quidem fuisse, ut ex Confessione S. Petri acceptæ Claves Christianis Principibus mitterentur, uti complures Sancti Gregorii Magni, aliorumque Pontificum Epistolæ nos docent; at vero Vexillum ad Romanos tantum Patricios, qui adversus infideles, schismaticos, & hæreticos pugnaturi erant. Sic Alexander II. illud Willelmo Notho Duci Normanniæ in Bello contra Haroldum deferendum tradidit, ut legitur apud Ingulfum pag. 9. Ita quoque, ut alios mittam Pontifices, Victor III. Ruberto Guiscardo in Grecos schismaticos bellum moventi, ut notat Guillelmus Apulienſis Lib. IV. *De gestis Normannorum*. Tradit Gentilius Lib. III. *De Patriciis*, Cap. II. Num. VI. quod cum circa initium nostri hujus seculi vetus Basilica S. Matthæi Apostoli ab ipso Roberto magnificentissime olim extructa Salerni in nostro Regno Neapolitano, ex pia munificentia Bonaventuræ Poerii Calabri ex Ministro Generali Ordinis Minorum Archiepiscopi Salernitani instauraretur, multiærei & argentei inter rudera nummi fuerint inventi, quorum pars altera effigiem S. Matthæi, altera Roberti equo insidentis, gerentisque Vexillum Cruce insignitum exhibent.

IV. Una cum Vexillo missas jam olim fuisse Carolo Magno a Leone III. Claves aureas ex S. Petri Sepulchro acceptas, tradit ad annum DCCXCVI. Cardinalis Baronius, ubi etiam Novatores ignorantiæ redarguit, quod per Claves Carolum in possessionem immissum Romanæ Ecclesiæ esse contendunt, per Vexillum autem Romanæ Urbis. Constat siquidem, hujusmodi dona a Pontificibus, ac præsertim a S. Gregorio I. mitti consueviſſe, ut testantur ejusdem Gregorii, & aliorum Pontificum multæ Epistolæ, quarum meminit eruditus Dufresne in suo Glossario, verbo, *Claves*. Tradit etiam ad annum DCCC. memoratus Baronius, & quidem ex Annalibus Francorum in Vita Caroli Magni, a Joanne Patriarcha Hierosolymitano ad eundem Carolum, loco benedictionis, missum Vexillum una cum Clavibus Locorum Sanctorum. Dictæ sunt vero Claves S.Petri, quod ipsius Principis Apostolorum Confessio, sive Sepulchrum, iisdem Clavibus clauderetur. Hinc Poeta Saxonicus Lib. III. *De rebus Caroli Magni*, ita cecinit.

Confestim Claves, quibus & Confessio Sancti
Conservata Petri, Vexillaque miserat Urbis
Romuleæ Carolo, pariterque recentia dona.

Sane soliti erant Summi Pontifices de limatura Catenarum S. Petri, quæ religiose Romæ asservantur in celebri Templo, quod S.Petri ad Vincula dicitur, ad Reges, & Principes, alioſque Viros summos pro ingenti munere mittere, quam in aurea Clavi instar illarum, quibus Confessio S. Petri claudebatur, effecta, ab Altari ipsius Principis Apostolorum accepta, includebant. Eam vero ad quos illa transmittebatur, suspendebant ad collum veluti sacrum contra mala imminentia amuletum. Præter Gregorium Magnum in suis Epistolis passim, & Gregorium VII. Lib. VI. Epistola VII. ac alios Romanos Pontifices, transmissarum ejusmodi Clavium meminit antiquus Scriptor Gregorius Turonensis Lib. I. *De miraculis*, Cap. XXVIII. Sed de his videri potest, quod præstantissimus amicus noster Michael Angelus Monsacratus in celebri Dissertatione, *De Catenis S.Petri &c.* §.VI. scripsit, ubi pro sua erga me benevolentia, mei Romani Pontificalis Commentarios laudavit.

V. Sed hisce omissis, quod Benedictionem Vexilli bellici spectat, de qua in præsenti §. agimus, solitos etiam fuisse Episcopos in suis Diœcesibus Vexilla benedicere, suisque Principibus profecturis ad bellum tradere, innumera exempla nos docent, quorum aliqua legere est nostro II. Tomo Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XXIV. qui inscriptus est, *De Benedictione, & traditione Vexilli bellici*. Addi his potest recens, ac celebre exemplum Religiosissimi Genuensis Archiepiscopi Josephi-Mariæ Saporiti, de cujus zelo diximus initio hujus Capitis. Gesta illustria tanti Viri supervacaneum est hoc loco describere; nota enim omnibus sunt, donarique merito eo Evangelii elogio potest, nempe boni Pastoris, quippequi non dubitavit non modo rem suam dispergere, sed & animam suam ponere pro ovibus suis. Ceterum quod ipsa Vexilla benedicantur, eos procul dubio spectat, qui sunt illis usuri; ut nimirum Deus det ipsis prosperum belli exitum, & secundet consilia suscipientium prælium; nam alias ipsa per se arma, aut Vexilla idoneum benedictionis subjectum non sunt, nullumque eis benedictione bonum conciliari, aut malum ab illis averti potest, ut scite admonet eruditissimus Theophilus Raynaudus in suis Heteroclitis, Tomo II. pag. 218.

§. I.

Benedicendi Vexilli bellici ritus.

Pontifex consuevit Vexilla Ecclesiæ, & armorum suorum benedicere, & Capitaneo, seu Vexillifero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dare in fine Missæ, sedens in sede sua. Vexillum unum, sive plura, tenent brachiis plicata sine hastis aliqui Clerici Cameræ ante Sanctissimum Dominum nostrum, qui deposita Mitra surgit, & dicit. ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. *Oremus*.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc Vexillum, quod bellico usui præparatum est, cæleſti benedictione sanctifica, ut contra adversarias, & rebelles Nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum; sitque inimicis Christiani populi ter-

Digitized by Google

terribile, ac interced entibus Sanctis tuis ſolidamentum, & victoriæ certa fiducia. Tu enim es Deus, qui conteris bella, & cæleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

COMMENTARIUS.

I. CApitaneus, & Vexillifer, ſeu Vexillarius, antiqua ſunt in Romana Eccleſia officia, uti conſtat ex teſtimoniis, quæ ad eas voces recenſet eruditus Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario. Quod orationem ſpectat in hoc §. deſcriptam, jam nos adnotavimus in Commentario ſuperiori, illam plane eſſe antiquam, & legi in variis priſcis mſs. Pontificalibus, præſertim vero in ms. Codice Vallicellano annorum circiter DCCC. & in antiquo Romano Ordine apud Hitorpium. Porro ex ipſa orationis formula addiſcimus benedici Vexillum, ut nempe contra adverſarias, & rebelles Nationes ſit validum, divinoque munimine circumſeptum; ſitque inimicis Chriſtiani populi terribile, atque in Deo confidentibus ſolidamentum, & certa fiducia victoriæ. Hanc certæ Pontificiæ Benedictionis virtutem plerique Chriſtiani Reges, & Principes experti ſunt, qui ad prælium contra Chriſtiani Nominis, atque Fidei hoſtes profecturi, pia præparatione illud a manu Pontificis accipientes, victorias reportarunt. Varia ejus rei exempla attulimus jam in Commentario præcedenti, quibus addi & poteſt quod apud Baronium ad annum MLXI. & apud Pagium in Alexandro II. legitur de S. Herlembaldo, *cui etiam Pontifex*, laudatus nempe Alexander II. *& Cardinales ex B. Petri parte mirificum Vexillum dedere; ut quoties hæreticorum veſania ultra modum inſaniret, illud in manu tenens eos reprimeret: quod conſtanter per decem & octo fere annos implevit.*

II. Simile Vexillum pari effectu Willelmo Normanniæ Duci contra Araldum tyrannum idem Alexander II. Pontifex miſit. Cum enim Haraldus S. Eduardo Angliæ Rege mortuo anno CLXVI. eidem Willelmo qui in Regnum ſucceſſit, ſe Regis inſignia non affectaturum juraſſet, poſtridie vero mortis S. Regis, ipſo Epiphaniarum die, paucorum Procerum fide impetrata, Coronam, & Regis inſignia ſumſiſſet, Willelmus tandem, ut refert Ordericus Lib. III. Hiſtoriæ, *Gislebertum Lexovienſem Archidiaconum Romam miſit, & de his, quæ acciderant, ab Alexandro Papa conſilium requiſivit. Papa vero, auditis rebus, quæ contigerant, legitimo Duci favit, audacter arma ſumere contra perjurum præcepit, & Vexillum S. Petri Apoſtoli, cujus meritis ab omni periculo defenderetur, tranſmiſit.* Ergo Willelmus, accepto Vexillo, III. Kal. Octobris mare transfretavit, prælioque commiſſo, Haraldus peremtus eſt, & Willelmus in ipſo die Natalis Domini anni MLXVI. ab Aldredo Archiepiſcopo Eboracenſi in Regem Anglorum eſt conſecratus. Eſt hic Willelmus, ſeu Guillelmus Dux Normanniæ II. *baſtardus* vulgo, & *conqueſtor* cognominatus, de quo plura videri apud utrumque Pagium poſſunt.

III. Seculo tandem XVI. Joannes Auſtriacus Summus Belli Dux ex ſimili benedictione per S. Pium V. Pontificem Maximum collata, nobiliſſimum de Turcis triumphum, atque omnium ſeculorum maxime memorabilem ad Echinadas inſulas victoriam retulit, uti rem narrat Gabutius in Vita ejuſdem Pii Lib. v. Cap. I. ubi inter alia de Vexillo a Laudato Pontifice ad ipſum miſſo ita ſcribit: *Joannes interea Neapoli ab Antonio Cardinale Granvellano Neapolitani Regni per id tempus Prorege honorifice acceptus, ibi in Æde S. Claræ de ipſius Cardinalis manibus inter Sacrorum Solemnia, Sceptrum, Vexillumque dati honoris inſignia a Pio Pontifice miſſa, ſingulari religione, ac cæremonia ſuſcepit. Quo quidem in Vexillo Jeſu Chriſti affixi Cruci Imago mire auro & argento adumbrata erat; ſub qua locata in medio Pontificis Maximi, a dextra Philippi Regis, a læva Senatus Veneti, atque ex iis quibuſdam annexa catenulis ipſius Joannis pendebant inſignia.* Ita ille, ex quo etiam addiſcimus, qualis fuerit hujus forma Vexilli.

IV. Summa itaque eſt benedictionis Vexilli virtus, ſi tamen is, qui illud accipit, pia præparatione contra Chriſtiani Nominis, vel Fidei hoſtes, aut violatores juſtitiæ bellum ſuſcipiat. Unde non mirum videri debet, ſi Ludovicus VII. Galliæ Rex fractus maris tempeſtatibus in Palæſtinam appulſus, nihil ibidem perfecerit, etſi Vexillum ab Altari S. Dionyſii antequam ſe ad iter accingeret, ſumſiſſet: *Tunc enim per totam Galliam facta eſt exactio generalis; nec ſexus, vel ordo, vel dignitas quempiam excuſavit, quin auxilium Regi conferret. Unde factum eſt, ut ejus peregrinatio multis imprecationibus perſequeretur.* Verba ſunt Matthæi Pariſii anno MCXLVI. qui etiam alia his conſona habet ad annum MCCL. Sunt qui docent, Ludovicum ipſum Galliæ Regem primum omnium induxiſſe *auxilium pro ſubſidio Terræ Sanctæ*, quandam ſcilicet tributi, & vectigalis ſpeciem, quod Regibus ſubditi ſolvere tenebantur, quoties ipſi in Terram Sanctam bellandi gratia contra Fidei hoſtes proficiſcerentur. De hujuſmodi exactionibus frequenter queſti ſunt Populi, præſertim vero ubi Terræ Sanctæ prætextu Miniſtri Regum quæ ſua erant, quærebant, non vero quæ Jeſu Chriſti.

§. II.

Ritus tradendi bellicum Vexillum.

Finita benedictione, aſpergit Vexilla cum aqua benedicta, & adolet incenſo, quæ mox haſtis infiguntur, & erecta ſimul cum haſtis dantur per Summum Pontificem ſedentem

Digitized by Google

tem cum Mitra Capitaneo genuflexo ad ejus pedes cum his verbis dicens: *Accipe Vexillum cæleſti benedictione ſanctificatum, ſitque inimicis populi Chriſtiani terribile, & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipſius Nomen, & honorem cum illo hoſtium cuneos potenter penetres incolumis & ſecurus*. Capitaneus, accepto Vexillo, oſculatur pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, & ſurgens recedit cum ſuis.

COMMENTARIUS.

I. JUxta Ordinis antiqui Romani præſcriptum apud Hitorpium, poſt benedictum Vexillum, ſequitur ſtatim benedictio lanceæ, ſeu haſtæ, cui Vexillum alligabatur, ſub iſta Orationis formula, cujus jam mentionem fecimus Tomo II. Romani Pontificalis, Titulo XXIV. in Commentario ad §. II. *Domine Deus Omnipotens lux, & vita fabricæ Mundi, qui per manus Tubalcain ad uſus hominum fabrilia opera inſtituiſti: reſpice propitius noſtri deprecationem officii, ad benedicendam hanc lanceam militaris inſtrumenti, qui a milite latus Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti pro noſtra ſalute in Cruce pendentis permiſiſti lancea perforari, & per Nomen ejuſdem Filii tui, eam ſic conſecrare, & benedicere digneris, ut is, qui eam tulerit, des ei proſperum ſignum tuæ defenſionis, ſicut dediſti Gedeoni, Sauli, David quoque Regi, ut tuis ſemper fultus auxiliis, congaudeat, & lætetur in te in omnibus proſperitatibus ſuis. Per eundem*. Eandem Orationem legere eſt in aliis antiquis mſs. Pontificalibus.

II. Recitata hac Oratione, mandat tum ipſe antiquus Ordo Romanus, ut *deinde alligetur Vexillum lanceæ, & tenente eam milite, aſpergat eam Epiſcopus aqua benedicta, & dicat*, aliam ſcilicet Orationem, quæ ita dicit: *Inclina Domine Jeſu Salvator omnium, ac Redemtor animarum aures tuæ pietatis ad preces noſtræ humilitatis, & per interventum B. Michaelis Archangeli tui, omniumque cæleſtium Virtutum, præſta nobis auxilium dexteræ tuæ, ut ſicut benedixiſti Abraham univerſos quinque Reges triumphantem, atque Davidem Regem in tui Nominis laude triumphales congreſſus exercentem, ita benedicere, & ſanctificare digneris hoc Vexillum, quod ob defenſionem Regni, & Sanctæ Eccleſiæ contra hoſtilem rabiem defertur; quatenus in Nomine tuo Fideles, & defenſores Populi Dei illud conſequentes, per virtutem Sanctæ Crucis, triumphum, & victoriam, ſe ex hoſtibus acquiſiſſe lætentur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.* Porrò formula traditionis Vexilli in hoc §. noſtrò deſcripta deſideratur quidem in Ordine antiquo Romano, extat tamen in ms. Pontificali Gulielmi Durandi annorum circiter 500. & in aliis multis.

III. Tandem juxta noſtri ejuſdem §. præſcriptum finita benedictione Vexilli, antequam ipſum tradatur, non modo aqua benedicta aſpergitur, ſed & incenſo adoletur, deinde vero haſtæ infigitur. Ceterum tradito Vexillo juxta formulam jam deſcriptam, *Capitaneus accepto Vexillo oſculatur pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, & ſurgens recedit cum ſuis*. Juxta præſcriptum Romani Pontificalis, Parte II. Titulo ultimo, ubi agitur de traditione Vexilli, quæ, uti ſuperius dictum fuit, fieri & ab Epiſcopis in Diœceſibus ſuis conſuevit, facta Vexilli traditione, Epiſcopus *dat ei oſculum pacis, dicens*, Pax tibi, *qui accepto Vexillo oſculatur manus Pontificis, ſurgit, & diſcedit*. Si veterem diſciplinam ſpectemus, conſuevere & olim Fideles pedes Epiſcoporum deoſculari, ſuntque eam in rem innumera apud Eccleſiaſticos Scriptores exempla; ſtatuit tamen demum in ſuo Dictatu, Can. IX. S. Gregorius VII. qui floruit labente Seculo XI. ut ſolius Papæ pedes omnes Principes oſculentur. Quod quidem reverentiæ indicium Chriſti in Terris Vicario a Chriſtianis jure exhiberi validiſſimis argumentis Catholici Auctores propugnant adverſus hæreticos, ac præſertim proteſtantes, qui ritum ipſum perperam carpunt.

CAPUT V.

De conſecratione Agnus Dei.

§. I.

Agnus Dei ſoliti ſunt benedici a Summo Pontifice primo anno ſui Pontificatus, & deinde ſeptimo quoque anno, dum vivit.

COMMENTARIUS.

I. NOtandum primum hoc loco cenſemus, quod alias docuimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXXXII. Trullanum, poſſe nimirum quaſdam uno tempore admitti Imagines, & alio tempore improbari, ſive etiam poſſe eaſdem Imagines, ſeu picturas, pro vario hominum ingenio, & interpretatione, ab una Eccleſia probari, quæ ab alia ob periculum erroris minime admittuntur. Itaque cum priſci Fideles, Scriptura præeunte, non modo apud Latinos, ſed & apud Græcos Chriſtum Dominum noſtrum in figura Agni ſoliti eſſent adumbrare, quia ſcilicet Agnus, qui ab Hebræis, Moyſe præcipiente, immolatus eſt, cujuſque ſanguine conſignata domorum limina, Primogenitorum interfectori inacceſſa fuere, is Chriſti Jeſu typum, ac imaginem referebat; ac præterea quia

Digitized by Google

quia S. Joannes Baptista, cum Christum populo indicaret, dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Ceterum contra statuit memoratus LXXXII. Trullanus, nempe, Agni loco, ut umbra veritati cedat, substituendam Christi Imaginem humano habitu, ac figura expressam: *Ut ergo quod perfectum est*, ait Canon *vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in Imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi ac depingi jubemus*.

II. At vero moris esse Ecclesiæ antiqui, ut Christus in figura Agni depingeretur, egregium testimonium suppeditat S. Paulinus, ubi ad Severum scribens, sic inter alia inquit in sua Epistola XXXII.

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia leto.

Si vera sunt Acta S. Silvestri, jam ante S. Paulinum erat in usu exprimendi Christum in figura Agni; etenim apud ipsa legimus, Constantinum Magnum in Baptisterio, quod ipse Romæ prope Basilicam Lateranensem construi jussit, apponi feciſſe Agnum aquam fundentem, & figuram S. Joannis Baptistæ Agnum digito monstrantis, quasi diceret: *Hic est, qui baptizat*. Sane sæpius in Vitis Romanorum Pontificum apud Anastasium Bibliothecarium occurrit Christus Agni specie effictus. Porro Agnus sub Cruce stat in lapide Altaris Vesontione, ejusque figura videri apud Chiffletium potest pag. 208. alia in hanc rem exempla legi possunt apud eruditissimum Muratorium in Notis, & Observationibus Variorum ad ipsam Epistolam XXXII. S. Paulini.

III. In Ecclesia Romana quam antiquus sit usus ille conficiendi, & consecrandi per Summum Pontificem cereos Agnos, constat sane ex ipsis Agnis Dei cereis, quos vel a priscis seculis Romani Pontifices benedicere consueverunt. Commenti sunt quidem nonnulli, ac præsertim hæretici, Philippus Morneus, Petrus Paulus Vergerius, & alii ejusdem farinæ homines, ritum ipsum non esse antiquiorem Urbano V. Papa, qui floruit post medium Seculum XIV. Verum invicte alsam, hanc opinionem refellunt, Victorellus in Notis ad Ciaconium, ubi de ipso Urbano V. agit, Antonius Baldasarrius in Opusculo Italice scripto, *De Agnis Dei dilucidatis*, & ut alios omittam, Josephus-Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in Libello Romæ evulgato anno MDCLVI. cui Titulus: *De Baptismo Paschali, & origine, ac ritu consecrandi Agnos Dei*, ubi inter alia pluribus ostendit, ritum ipsum usurpatum quidem fuisse ab exordio nascentis Ecclesiæ. Tum Cap. VII. citat Ordinem antiquum Romanum a Gelasio Papa circa annum CDXCII. concinnatum, in quo ita legitur: *Mane itaque primo venit Archidiaconus, & fundit ceram in vas mundum majus, & miscitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem Agnorum, & servat in loco mundo*. Hæc Titulo de Sabbato Sancto, seu ordine benedicendi Cerei; & postea Titulo, In Octavis Paschæ: *In Dominica*, inquit, *post Albas infra Civitatem Romanam dantur Agnus Dei ab Archidiacono post Missam, & Communionem populo &c.* Eadem verba leguntur in Appendice primi omnium Romani Ordinis, quos doctissimus Mabillonius publicavit Tomo II. Musei Italici. Merito itaque *consecrandorum Agnorum Dei usum inductum primis Christianæ Religionis seculis*, docet etiam Clarissimus Paullus M. Paciaudus in suo singulari Libro, *De sacris Christianorum balneis*, Cap. IX. ubi exponit schema in fronte ejus libri adjectum, quod est theca cerei Agni, in cujus altera parte legitur versus.

Agne Dei miserere mei, qui crimina tollis.

IV. Scripsit eruditissimum carmen labente Seculo XVI. de hisce Agnis Dei, earumque virtute Andreas Frusius Societatis Jesu, ubi etiam ex veterum testimonio tradit, Leonem III. Pontificem Maximum Seculo IX. ad Carolum Magnum hujusmodi munus misisse, ab eoque magni æstimatum.

Ante octingentos ferme Leo Tertius annos
Optimus, exhibito munere, testis adest.
Carolus hoc Magnus magna pietate recepit,
Thesaurum reputans cælitus esse datum.

Fuit enim vel antiquus mos, ut hujusmodi cerei Agni a Summo Pontifice consecrati, non modo præsentibus dispensarentur, verum etiam ad Imperatores, & Reges, atque ad Magnates absentes mitterentur, ut infra dicemus. Prisci autem ritus benedicendi per Papam ipsos Agnos, testes sunt Romani antiqui Ordines a laudato Mabillonio citato Tomo II. Musei Italici descripti, præsertim vero Ordines XI. XII. ac alii sequentes, itemque veteres æque multi, ac recentiones Scriptores, qui de divinis Officiis Tractatus scripserunt, Amalarius, Alcuinus, Durandus, & alii.

V. Pati illud non potest memoratus impius Vergerius, Romanum Pontificem soli sibi hanc facultatem arrogasse benedicendi Cereos Agnos, temereque debacchatur, *summam esse indignitatem, & facinus intolerandum, quod solus Papa horum Agnorum consecrandorum potestatem sibi arroget*. Verum scitissime hanc ineptiam refellit Cl. Theophylus Raynaudus in Libro, cui Titulus, *Agnus Cereus Pontificia benedictione consecratus*, ubi sic inter alia argumentatur: *An non in omni bene constituta Communitate quædam sunt præcipue reservata sublimioribus, prout postulat decentia, & commune bonum? Mirum igitur esse non debet, quod in Ecclesiastica quoque Politia quædam, inter quæ est Cereorum Agnorum consecratio, reserventur Summo Sacerdoti Christi in Terris Vicario, nec cum inferioribus Antistitibus communicentur*. Huc referri possunt quæ Theologi passim docent in comprobanda quorundam criminum absolutione jam vel secundum veterem receptamque Ecclesiæ disciplinam Romano Pontifici Maximo reservata.

VI. Illud quoque perperam commentus est Vergerius, ejus fuisse opinionis Baronium, confectionem scilicet, ac benedictionem cereorum Agnorum, suam a paganismo ducere originem. Baronius enim anno Christi LVIII. illud scitissime docet, Agnorum Dei usum, ad tollendam superstitionem Gentilium, fuisse introductum, recensque baptizatos consuevisse suspensos illos ferre ad collum, mutata videlicet in religionem superstitione, qua suis infantibus Gentiles Bullas ad avertendas fascinationes re turpicula consignatas, vel aliter superstitionibus auctas, collo appenderent. Cum autem & iidem cordis figuram in bullis suis ferre consuevissent, quo sic noscerent, se esse homines, si corde

præ-

Digitized by Google

præstarent: ita Christiani Imaginem Christi Agni susceperunt, ut discerent ejus exemplo esse mites & humiles corde. Ita Baronius ad annum LVIII. quem perperam hæretici allegant. Sed audiamus & de eadem re laudatum superius Raynaudum sic ajentem: *Erant bullæ quædam in cordis effigiem efformatæ, quas Macrobius testatur nobilium puerorum collo appendi consuevisse, ut viri esse recordarentur. Ad eas itaque ethnicas quisquilias convellendas, censet Baronius, Ecclesiam instituisse cereas Christi Agni Imagines collo Christianorum appendendas, quæ substituerentur inanibus illis, nec raro diabolicis amuletis, aut monimentis inter Ethnicos usu receptis.* Ita laudatus Auctor, qui & alia in eandem rem refert.

§. II.

Qui olim efformarent Cereos Dei Agnos, & quibus demum eorundem conficiendorum data est provincia.

Sed antiquitus cera alba munda pro illis formandis per Magistrum ceræ Palatii Apostolici, & per illos, qui volebant pro se fieri Agnus Dei, ponebatur super Altare Beati Petri, quam Subdiaconus Apostolicus de Altari accipiebat, & in aliqua Camera capaci & idonea in Palatio ipse cum aliis Subdiaconis, & Acolythis Papæ, manibus propriis formabant Agnus Dei cum magna devotione, reverentia, & munditia: habebant aliquos servitores, qui necessaria ministrabant; & omnia fiebant impensis Cameræ; ceram albam mollificabant cum Oleo Sancto, & Oleo Chrismatis, quod superfuerat de anno præterito. Deinde cum facta erat tota quantitas, præsentabantur capsæ plenæ Agnus Dei, & benedicebantur per Papam. Hodie autem Sacrista cum suis Capellanis, & Clericis Capellæ, format ipsos Agnus Dei.

COMMENTARIUS.

I. COnsueviſſe primum, & quidem longe ante annum Christi millesimum, Archidiaconum Romanæ Ecclesiæ mane Sabbati Sancti ceram fundere in vas mundum majus, miscere Oleum utique sanctum, benedicere ceram, & ex ea fundere *similitudinem Agnorum*, docet nos pervetustus Ordo I. Romanus, cujus locum descripsimus supra in Commentario præcedenti, Num. III. in fine. Meminit ejusdem ritus Pollicitus, qui vixit sub Innocentio Papa II. in Ordine Romano XI. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 138. sic inquiens: *In Sabbato Sancto mane surgit Archidiaconus, & miscitat Oleum, & Chrisma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam, & colat, & facit ex ea similitudinem Agnorum, quos Dominus Pontifex expendit in Sabbato in Albis.* Papa itaque solum cereos Agnos Sabbato in Albis populo distribuebat, quos scilicet Acolythus conficiebat ex cera benedicta ab Archidiacono mane Sabbati Sancti, cui idem Archidiaconus solitus fuit Oleum Sanctum, & Chrisma immiscere. Seculo etiam XIII. labente, quo claruit Durandus, consuevisse Acolythos Romanæ Ecclesiæ conficere *Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis admisto Chrismate, qui in Sabbato in Albis in Ecclesia per Dominum Papam populo distribuuntur*, tradit laudatus Auctor Lib. VI. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. LXXIX.

II. Ineunte Seculo XV. quo Martinus V. Ecclesiam regebat, consuevisse Fideles ceram albam nitidamque deferre ad Subdiaconum Apostolicum, qui Agnos ipsos efformabat, addiscere licet ex ejusdem Martini Papæ V. Edicto, quod solitum erat Basilicarum valvis affigi his verbis conceptum: *Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus, D. Martinus divina providentia Papa Quintus intendit in die Jovis proximo instanti conficere, & consecrare sacrum Chrisma, & sacros Agnos Dei, & alia solemniter facere, quæ Summi Pontifices ipsa die post suam consecrationem de septennio in septennium facere consueverant. Quare omnes volentes habere Agnos Dei, deferant bona hora ceram albam, puram, & mundam ad Domum Domini nostri Subdiaconi.* Vel ex recitato hactenus testimonio comprobatur, quod supra in §. I. edicitur, nempe Agnos Dei solitos esse benedici *a Summo Pontifice, primo anno sui Pontificatus, & deinde septimo quoque anno, dum vivit.* Constat id quidem ex Vitis Romanorum Pontificum, præsertim vero ex mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, in quibus & initio cujusque Pontificatus, & anno ejusdem quoque septimo fit ejus ritus mentio.

III. Notatu porro hoc loco digna sunt illa, quæ de Agnorum Dei consecratione a Leone X. anno Christi MDXIII. initio Pontificatus peracta tradit in suo ms. Diario Grassus: *Ut Pontifex*, inquit, *primo hoc anno sui Pontificatus voluit Agnorum Dei solemnia peragere, jussit mihi, ut tot Agnos Dei ad summam confici facerem, quot antecessor Julius*, nempe Secundus, *confecerat, ideſt mille ac ducentas libras ex omni sorte, nec plures; & licet mihi Aromatarii, & alii plerique jam pridem formas fabricassent pro consecratione ipsorum Agnorum, tamen hoc ego indignum reputans, suasi Auditori Cameræ, ac Urbis Gubernatori, ut per publica bannimenta sub pœnis, & censuris, ac pecuniariis prohiberent, nequis etiam Cardinalis, aut Princeps quivis Agnos conficeret, aut emeret, sive venderet, quia solus Pontifex ad tollendas causas, & aliarum malarum occasionum peccandi, volebat per suum Aromatarium Agnos fieri facere. Itaque Pontifex, ut omnia servarentur, fecit Agnos*

Digitized by Google

Dei omnes per aliquos fabricatos emi ſub pretio carlenorum quatuor quamlibet eorum libram. Addit etiam mox Graſſus, alias fuiſſe ab ipſo Leone Papa X. diligentias adhibitas ad avertenda ſacrilegia, quæ in hujuſmodi Agnorum Dei conſecratione committebantur. Quicquid autem de iis ſit, ex memorato Graſſi loco multa addiſcere licet, ſed notandum illud, ſuo tempore conſueviſſe confici Agnos ab Aromatario Palatii Apoſtolici.

IV. Audiendus iterum Graſſus, qui in eodem ipſo ms. Diario, ubi agit de altera Agnorum Dei conſecratione facta ab eodem Leone anno VII. Pontificatus, ejuſdem uſus mentionem facit, ſic inquiens: *Hoc anno MDXIX. qui eſt ſeptimus in Pontificatu Sanctiſſimi Domini noſtri Leonis Papæ X. facta eſt ſolemnis benedictio Agnorum Dei per Sanctitatem ſuam die Mercurii vigeſima ſeptima Aprilis in Aula magna, quæ eſt ſupra audientiam Rotæ, in qua nunc Cardinalis de Cybo habitat, & in die inquam Mercurii, licet in die Jovis conſueverit fieri; ſed ſic placuit Sanctitati ſuæ, tum quia hac tali die ipſe jejunat, & ſtudioſe vult tempus trahere, tum etiam quia Jovis eſt plenilunium, & tum maxime, quia cum omnis populus ſe præparaverit ad Agnorum hujuſmodi copiam innumerabilem benedicendam, vult prævenire, ne tanta* eſſet *copia benedicendi, ſed hoc fruſtatorium fuit, quia innumerabilis copia facta fuit per omnes, non obſtante, quod Sanctitas ſua per multos dies ante factum fecerat bandiri:* Nequis Agnos Dei conficeret, aut confici faceret præter ſuum Aromatarium. *Et ſic me Commiſſarium in hoc fecit, & ego, convocatis Conſulibus, & aliis artificibus, mandavi:* Ut nullus faceret, nec minus factos venderet ſine licentia mea, præter Aromatarium Palatii Papæ.

V. Verum non obſtante hoc Edicto, teſte laudato Graſſo, *quatuor Aromatarii iverunt ad Maglianam, ubi forte Papa reſederat, & ſupplicarunt, ut liceret cuique unam capſam conficere diverſarum formarum uſque ad ſummam centumquinquaginta librarum pro quolibet, & ſic conceſſit; & Aromatarius Palatinus fecit uſque ad ſummam mille librarum; itaque in capſis 16. factæ ſunt libræ* 2000. Præterea, cum Cardinales etiam quererentur, non poſſe habere ſe hanc facultatem, *Papa conceſſit eis, ut quiſque Cardinalis poſſet habere tres, aut quatuor libras; ſenioribus autem conceſſit quinque libras*, ut idem Graſſus teſtatur, qui etiam mox ſubjicit, dediſſe ipſum *licentiam Aromatariis, ut ſic facerent*; & quod *etiam nonnullis Oratoribus, & Prælatis conceſſa eſt ſimilis licentia; & in totum fuerunt circa viginti capſæ*. Quicquid ſit de quantitate Agnorum Dei, quæ ſequiori ævo pene in immenſam crevit, coſtat ex hactenus dictis, Aromatarii Palatii Pontificii fuiſſe provinciam, aliorumque etiam Aromatariorum Urbis, ubi ſcilicet id eis Papa concederet, Agnos cereos Dei conficere.

VI. Ceterum abuſus ipſe, quod Aromatarii, aliique paſſim Agnos ipſos conficerent, ut ex Graſſo didicimus, videtur jam paulo ante illum invaluiſſe; nam alias tempore Auguſtini Patricii, qui noſtrum Cæremoniale hoc ordinavit ſub Pontificatu Innocentii VIII. qui creatus fuit anno MCDLXXXIV. *Sacriſta cum ſuis Capellanis, & Clericis Capellæ* formabat *ipſos Agnus Dei*, ut ait hic §. noſter. Licet autem non multo poſt invaluerit mos, ut Aromatarii, aliique efformarent cereos Agnos, data eſt demum ea provincia Monachis, quos vocant Reformatos Sancti Bernardi, Ordinis Ciſtercienſis, Congregationis Fulienſis a Clemente Papa VIII. confirmatumque id privilegii eiſdem fuit a Leone XI. ac deinde a Paulo V. ut hic idem Pontifex teſtatur ſuo Diplomate Romæ dato apud S. Petrum die XXVIII. Martii anno MDCVIII. ipſumque Diploma ex Latino in Italicum Idioma translatum legere eſt apud eruditum Baldaſſarrium, in Opuſculo Italice ſcripto, cui Titulus: *Pontificii Agnus Dei dilucidati*, Cap. III.

§. III.

De materia, & ritibus quibus Agni Dei conficiuntur, & a Pontifice conſecrantur, & primum de benedictione aquæ.

Ceram ipſam ſumit, vel ex Cereo benedicto in Sabbato Sancto anni præteriti, vel aliunde, expenſis Papæ. Non miſcentur Oleo ſancto, aut ſacro Chriſinate, ſed puri, & mundi præſentantur in capſis Sanctiſſimo Domino noſtro in Camera ſua. Pontifex aliquo die poſt Paſcha ante Sabbatum in Albis, dicta, vel audita Miſſa in ſua privata Capella, indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Mitra ſimplici, benedicit aquam benedictione communi, ſicut fit in Dominicis diebus a Sacerdotibus, in aliquo vaſe ibi præparato; & ſi magis placet, poteſt illa aqua prius benedici ab aliquo Epiſcopo domeſtico Papæ. Deinde Pontifex accedit ad vas prædictum, depoſita Mitra ſtans dicit ℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum & terram.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Domine Deus Pater Omnipotens ſtatutor elementorum omnium, & conſervator humani generis, datorque gratiæ ſpiritualis, & largitor ſalutis æternæ, qui aquas ex Paradiſi fonte manantes totam Terram irrigare juſſiſti, ſuper quas Unigenitus tuus ſiccis pedibus ambulavit, & in eis baptizari dignatus eſt; quæ una cum ſuo Sanguine de latere ſacratiſſimo perfluxerunt, & baptizare in ipſis præcepit Diſcipulis omnes gentes: adeſto benignus, & clemens, & nobis tua hæc magnalia recolentibus gratia tuæ benedictionis adveniat, ut ea, quæ in hoc aquarum vaſculo ad gloriam Nominis tui præpara-

Digitized by Google

parato infundere decrevimus, & immergere, bene ✠ dicas, & benedicta sancti ✠ fices, quatenus ipsorum veneratione, & honore nobis famulis tuis crimina diluantur, abstergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur, & tandem una cum Sanctis, & electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. DOcet eruditissimus Jacobus Sirmondus in suis ad Ennodium Notis, morem fuisse antiquum, ut ex Cereo Paschali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die Dominica post Albas post sacram Communionem distribuerentur, unde suffitum in Ædibus facerent, vel agros, vineasque munirent adversus dæmonum præstigias, aut contra fulgura, ac tonitrua. Addit hunc morem servatum dumtaxat fuisse extra Urbem; quia scilicet Romæ Cerei Paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, particulasque inde in Agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die, qua dictum est, dividendas. Atque hic antiquus Ecclesiæ ritus originem dedit Cereis Agni Cælestis imaginibus, quæ a Pontificibus Maximis augustiore postea cæremonia consecrari cœperunt. Porro ex pervetusto Romano I. Ordine, cujus meminit Amalarius Lib. I. *De Divinis Officiis*, Cap. XVII. Sabbato Sancto benedicebat Archidiaconus ceram oleo mixtam, indeque Agni efformabantur. Nulla in hoc Ordine, sicut nec in aliis sequentibus Cerei Paschalis mentio; testatur tamen Durandus, qui claruit Seculo XIII. in suo Rationali Divinorum Officiorum Lib. VI. Cap. LXXIX. consueviſse Acolythos Ecclesiæ Romanæ facere *Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis*. Docet, Agnos istos significare Agnum illum immaculatum, qui tollit peccata mundi; ceram autem, *ejus humanitatem, sicut Beatus Gregorius dicit*: Mel in cera, Divinitas in humanitate.

§. IV.

De balsami, & Chrismatis in ipsam aquam benedictam infusione.

Resumit deinde Mitram Pontifex, & infundit balsamum ex ampulla in aquam in modum Crucis, dicens: *Consecrare, & sanctificare digneris Domine aquas istas per istam unctionem balsami, & nostram benedictionem. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.* Et ter signat. Deinde ex alia ampulla infundit in eandem aquam, & in modum Crucis, dicens: *Consecrare & sanctificare digneris Domine aquas istas per istam unctionem sacri Chrismatis, & nostram benedictionem. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.*

COMMENTARIUS.

I. SI primum veterem Romanum Ordinem perscrutemur, jam nulla ibidem balsami mentio in consecratione Agnorum Dei celebranda. Certe ipse Ordo Romanus I. Olei tantum meminit: *Mane primo venit Archidiaconus, & fundit ceram in vas mundum majus, & miscitat ibidem Oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem Agnorum*. Olei pariter & Chrismatis mentionem quidem facit Romanus Ordo XI. sed nihil tamen dicit de balsamo in ipsa benedictione adhibendo. Hæc ejus verba: *In Sabbato Sancto mane surgit Archidiaconus, & miscitat Oleum, & Chrisma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam, & colat, & facit ex ea similitudinem Agnorum, quos Dominus Pontifex expendit in Sabbato de Albis*. Sed nec apud ipsum Durandum, qui claruit labente Seculo XIII. & ineunte XIV. ulla mentio balsami, sed dumtaxat Olei, vel Chrismatis. Sic enim inquit Lib. VI. sui Rationalis, Cap. LXXIX. *Acolythi Ecclesiæ Romanæ faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis, admisto Chrismate*. Subdit tum paulo post: *In cera admiscetur Oleum seu Chrisma, quia Dominus noster plenus est misericordia, quæ per Oleum designatur.*

II. Porro Seculo ipso XIV. consueviſse balsamum adhiberi in ipsa Agnorum benedictione, testem habemus Urbanum V. qui electus Pontifex fuit anno MCCCLXII. Is enim, ut vel hoc nostrum Cæremoniale docet in hoc Capite §. VII. ubi misit ad Joannem Græcorum Imperatorem tres cereos Dei Agnos, expressam balsami mentionem fecit, sic inter alia scribens suis rudioribus versibus, quos infra describemus.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.

Balsami æque, ac Chrismatis, & aquæ benedictæ in consecratione Agnorum, diserte meminit Sixtus Papa V. in Apostolicis Litteris suis, quas una cum plurimis Agnis Dei cereis ad Paschalem Ciconiam anno MDLXXXVI. misit; in iisque non modo eorum virtutem explicat, sed etiam singula mystice exponit, quæ in Agnorum Dei consecratione adhibentur: *Hi Agnus Dei*, inquit, *ex cera alba, pura, virginea conficiuntur, ad denotandum Christi humanitatem ex Sanctissimo Virginis utero absque ulla contagione, & sola Dei virtute sumtam. Imago Agni, quæ in illis est, Agnum illum immaculatum repræsentat, qui humani generis reparatione in ligno Crucis*

Digitized by Google

eis eſt immolatus. Adhibetur aqua benedicta, cujus ſubſtantia ad maxima quæque Sacramenta in Veteri, & Novo Teſtamento uſus eſt Deus. Aquæ miſcetur balſamum, unguentorum omnium præſtantiſſimum, ad deſignandam famam optimam, quam Chriſtianus veluti ſuaviſſimi odoris fragantiam in ſua converſatione debet redolere. Poſtremo ſuperinfunditur Chriſma, quo charitas virtutum omnium maxima figuratur, & quo eodem Templa, Altaria, Vaſa, & ipſi homines Dei cultui præparantur, & conſecrantur. Eadem occurrunt in aliorum Pontificum Litteris, quibus ipſi ad Principes miſere cereos Dei Agnos a ſe conſecratos; eademque ad notarunt, varii pii doctique Auctores, qui de iiſdem Dei Agnis Opuſcula ediderunt, quorum loca ſupervacaneum putavi in noſtro hoc Commentario deſcribere.

§. V.

De variis Orationibus ad cereos Dei Agnos conſecrandos.

Benedicta aqua, vertit ſe ad capſas, ubi ſunt Agnus Dei, & ſine Mitra ſtans dicit: *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpitu tuo. Oremus.*

Deus omnium ſanctificationum dominator Dominus, cujus pietas ſine fine ſentitur: qui Abraham Patrem Fidei noſtræ præcepto tuo filium Iſaac immolare diſponentem in figuram redemtionis noſtræ per arietem vepribus inhærentem, ejus ſacrificium conſummare voluiſti; quique Moyſi famulo tuo legifero juge holocauſtum præcepiſti in Agnis immaculatis offerri: te ſuppliciter deprecamur, ut noſtræ vocis exoratus officio has cereas formas innocentiſſimi Agni imagine figuratas bene ✠ dicere, & per invocationem tui ſancti Nominis ſanctificare digneris, ut per ejus tactum, & viſum Fideles invitentur ad laudes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, ventorum rabies, infeſta tonitrua temperentur; fugiant, atque tremiſcant maligni Spiritus ante Sanctæ Crucis vexillum, quod in illis exculptum eſt; cui flectitur omne genu, & omnis lingua confitetur, quia (1) *abſorpta morte per Crucis patibulum, Jeſus Chriſtus regnat in gloria Dei Patris. Ipſe enim tanquam ovis ad occiſionem ductus in morte, tibi Patri ſanctum ſui Corporis obtulit ſacrificium, ut ovem perditam diabolica fraude ſeductam reduceret, & reductam ſuis humeris ad Cæleſtis Patriæ gregem reportaret. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Deinde dicit aliam Orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui legalium hoſtiarum, & ceremoniarum es inſtitutor, & quæ pro reſtauratione humani generis fieri inſtituiſti, ut plaſmatio tua, quæ ſuggeſtione diabolica decepta, tuæ majeſtatis imperium contemnendo, indignationem tuam incurrit, & his hoſtiis, atque ſacrificiis obediendo placari voluiſti, ſicut in Sacrificio Agni primitiarum inſtituiſti Abel, & in oblatione Melchiſedech Sacerdotis tui, atque in immolatione hoſtiarum, agnorum, arietum, & taurorum pinguium, Abrahæ, Moyſi, & Aaron, famulis tuis, quæ omnia illis in figuram contingebant, quia cum tua ſancta benedictione ſancta erunt, atque ſalutifera humiliter offerentibus; & ſicut ille Agnus, de cujus ſanguine poſtes, & ſuperlimina domus immolatus, populum tuum a perſecutione Ægyptiaca media nocte liberavit; & quemadmodum ille Agnus innocens tua voluntate immolatus in Ara Crucis Jeſus Chriſtus Filius tuus protoplaſtum noſtrum de diabolica poteſtate eripuit: ſic iſti Agni immaculati virtutem illam accipiant, quos conſecrandos offerimus in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ. Tu eos bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare, & conſe ✠ crare digneris, ut tua larga benedictione ſanctificati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas verſutias, & fraudes maligni ſpiritus, ut illos devote ſuper ſe ferentibus, nulla tempeſtas eiſdem prævaleat, nulla adverſitas dominetur, nulla aura peſtilens, neque aeris corruptio, nulluſque morbus caducus, nulla maris procella, & tempeſtas, nullum incendium, neque ulla iniquitas dominetur eis, neque prævaleat. Homo partus cum matre incolumis conſervetur per interceſſionem Unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus &c.

Oremus taam clementiam Omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creaſti, & poſt Adæ lapſum, Noe, & filiis ejus benedixiſti, qui juſti coram majeſtate tua comparuerunt, atque tua miſeratione ab aquis diluvii ſalvi facti ſunt; ſic iſtos Agnos bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare, & conſe ✠ crare digneris, quatenus eos devote deferentes, ob reverentiam, & honorem Nominis tui liberentur ab omni inundatione aquarum, & ab omni fluctuatione diabolicæ tempeſtatis, & a morte ſubitanea per virtutem Paſſionis

(1) Ita in Romana editione, in Veneta vero legitur *devicta*.

Digitized by Google

sionis Jesu Christi Filii tui benedicti, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. DE hisce Orationibus, sicut & de aliis, quas in sequenti §. describemus, loquitur & in suis laudatis superius Litteris Sixtus Papa V. quas una cum pluribus. Agnis Dei cereis a se benedictis misit ad Paschalem Ciconiam Venetiarum Ducem anno Christi MDLXXXVI. Sic enim ille inter alia inquit: *In aqua benedicta balsamo & Chrismate mixta hi Agnus Dei ab ipsomet Pontifice merguntur, & baptizantur, & tam ante, quam post mersionem, sanctissimis precibus, & orationibus idem Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas imagine Agni impressa benedicere, sanctificare, consecrare, eisque virtutem cælestem infundere dignetur, ita ut qui illas pie, & devote, & cum fide habuerint, & detulerint, eorum crimina deleantur, maculæ peccatorum abstergantur, veniæ impetrentur, gratiæ conferantur; præterea, ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, & infesta tonitrua temperentur; fugiant & contremiscant maligni spiritus; nulla hic adversitas dominetur, nulla aeris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempestas, nullum incendium, nullave iniquitas noceat, parturientes cum partu incolumes conserventur; omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea, & a cunctis adversis liberentur.* Pergit Sixtus Pontifex, aitque, *hæc propitiationis, & gratiarum dona a Deo misericordiarum Patre, & bonorum omnium largitore vere tribui, atque concedi his cereis formulis sic benedictis, & baptizatis, præsertim Summo Sacerdote ipsius Christi in Terris Vicario tam pie orante, ac supplicante, firmiter credendum esse; sicut id ipsum sæpissime magnis & variis miraculis, quæ diversis temporibus divina bonitas per hæc sacra operari dignata est, fuit sæpius comprobatum.* Addit, mirum videri haud debere, si non semper idem contingat effectus, *quoniam id ex infirma utentis fide, vel ex alia occulta causa, non ex defectu virtutis rei sacræ accidere certum est.* In comprobationem tandem mirabilis multipliciſque virtutis hujusmodi Agnorum Dei cereorum affert etiam egregium luculentissimumque Urbani Papæ V. testimonium, qui magni muneris loco tres Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem misit una cum versibus, quos leoninos vocant, virtutem ipsam exponentibus, quos in hoc Capite nostrum Cæremoniale §. ultimo descripsit.

II. Porro ut alia omittam, notabile est, quod in secunda Oratione edicitur; orat enim Pontifex, *ut quemadmodum ille Agnus innocens .... immolatus in ara Crucis Jesus Christus ..... protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit; sic isti Agni immaculati virtutem illam accipiant.* Non enim tanta cereis istis Agnis tribuenda est virtus, quanta Passioni & Sanguini Jesu Christi tribuitur; quippe qui *lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.* Passio quidem Christi Domini vera & sola est causa remissionis peccatorum, ut docet Angelicus Doctor S. Thomas Parte III. Quæstione XLIX. Articulo I. Sensus itaque verborum prædictæ Orationis non alius esse potest, quam iste, ut nimirum sicut Passio Christi vere & efficaciter, ut Theologi loquuntur, a peccato & potestate diaboli eripuit, eam & isti cerei Agni consecrati virtutem consequantur modo, quo possunt. Fit in ipsa oratione comparatio inter Christum, & Agnos cereos, sed cum multa tamen differentia; sicut Christus cum nos hortatur, ut simus perfecti, *sicut & Pater cælestis perfectus est*, jam non aliud significavit, quam ut summo studio ad perfectionem tendamus, Patrique ejus cælesti, qui est infinitæ perfectionis, quantum nobis permitti potest, assimiliari conemur; uti inter alios docet eruditus Baldasarrius in Opusculo, cui Titulus, *Agni Dei dilucidati*, Cap. XV. ubi etiam versiculum illum exponit, qui de cereo Dei Agno dicit: *Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit.* Sed de hoc versu vide quæ infra dicemus in Commentario ad §. VII.

§. VI.

De immersione Agnorum cereorum in aquam benedictam, & aliis Pontificis Orationibus.

His finitis, accingitur linteo Pontifex, & sumpta Mitra, sedet apud vas aquæ, & Cubicularii ad eum portant Agnus Dei in pelvibus argenteis, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati adstantes eos extrahunt, & in pelvibus portant super mensas cum mappis mundis præparatas, ut siccentur; & omnibus baptizatis per Pontificem, vel per ejus Prælatos, surgens Pontifex, & stans sine Mitra dicit super eos has Orationes.

Oremus.

O *alme Spiritus, qui aquas fecundas, & cuncta vivificas, & in aquarum substantia, maxima quæque Sacramenta constituisti, quæ a te sanctificante, amaritudine dimissa, in dulcedinem sunt conversæ, & tuo flatu sanctificatæ, atque imperante lavacri susceptione, Sanctæ Trinitatis Nomine invocato, omnia peccata diluunt: quæsumus Domine, ut hi Agni sacra & perenni unda, balsamoque sacri Chrismatis perfusi, tu illos bene✠dicere, sancti✠ficare, & conse✠crare digneris, quatenus a te benedicti virtu-*

Digitized by Google

tutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti eſſe poſſint inter adverſa & proſpera; ut tua conſolatione accepta nullum periculum timeant, nullamque formident umbram; nulla ſævitia diabolica, aut verſutia humana eis noceat, ſed fortitudine tuæ virtutis roborati tua conſolatione glorientur, qui vere Paraclitus diceris, & in Trinitate perfecta vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui vere es Agnus innocens, Sacerdos, & hoſtia, qui Prophetica voce vitis, & lapis angularis prædicaris; qui mundi peccata abſtuliſti; qui occiſus nos redemiſti Domine Deus in Sanguine tuo, atque poſtes pectoris, & frontis noſtræ tuo cruore liniviſti, ne diabolica nocturna verſutia, & meridiani incurſus, & populus ſæviens, & ſuper domos noſtras tranſiens, vires in nos exercerent. Tu vere es Agnus immaculatus pro noſtra reconciliatione, & jugis voluiſti a tuis Fidelibus in tui memoriam immolari, & in Agnum Paſchalem ſumi ſub ſpeciebus panis, & vini, in Sacramento in ſalutem, & remedium animarum noſtrarum, ut mari, & præſenti ſeculo tranſacto, ad reſurrectionis, & æternitatis gloriam venire poſſimus. Rogamus ergo clementiam tuam, ut hos Agnos immaculatos bene✠dicere, ſancti✠ficare, & conſe✠crare digneris, quos de cera virginea in tuum honorem formavimus per opera Crucis, & ſacra unda, balſamoque, & ſacri Chriſmatis liquore confectos in ſanctificationem tuæ conceptionis, quæ abſque contagione, ac propagine humana, ſola divina virtute ſuſcepiſti, ſic eos deferentes tuearis, protegas, & defendas ab omni periculo incendii, fulguris, procellæ, & tempeſtatis, & ab omni adverſitate cuſtodias per myſterium Paſſionis tuæ, & ſic eos liberare digneris ab omnibus periculis, & in puerperio laborantes, ſicut Matrem tuam ab omni periculo liberaſti, & Suſannam de falſo crimine, & Beatam Teclam Virginem & Martyrem tuam ab incendiis, & Petrum a Vinculis abſolutum illæſum abire feciſti, ita nos ab hoc ſeculo illæſos abire facias, ut tecum ſine fine vivere valeamus. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. UTi olim in aquam benedictam cerei Agni immergerentur, quos ſcilicet quiſque ſuos ad Pontificem conſecrandos deferebat, docet nos in ſuo Diario Graſſus ubi recenſet benedictionem Agnorum Dei factam a Leone Papa X. anno Chriſti MDXIX. Pontificatus vero ſui VII. ſic inter alia inquiens: *Retia etiam diverſarum perſonarum fuerunt in copia infinita, & Papa juſſit mihi, ut ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandarem tunc quando Papa erat in actu benedictionis, ut nulli Agnos, quos portaverant in retibus, aut pannis, aut capſis, reportarent illos extra illam aulam, ſed omnia illa retia conſignarent Magiſtro domus, qui caperet illa, & ſcriberet, quot libræ in unaquaque reticula eſſent, & cujus eſſent, quia Sanctitati ſua volebat, aut ſolvere, aut reſtituere, & ſic ego elevata voce publicavi hanc Sanctitatis ſuæ voluntatem, & omnibus placuit, & omnes conſignarunt ſua reticula eidem Magiſtro Domus, qui ſcripſit, & bene ſucceſſit, quia Ordo poſitus fuit in ipſa aula, quæ Innocentii dicitur.* Ita in ſuo memorato ms. Diario Graſſus. Ceterum, quod linteum ſpectat, quo accingitur Pontifex ipſos Cereos Agnos immerſurus in aquam prædictam, quamvis olim ſoliti eſſent illud ſibi accipere Apoſtolicarum Cæremoniariorum magiſtri, invaluit tamen mos, ut linteum ipſum a Pontificatu Clementis XI. Præfectus Pontificii Cubiculi vindicet, correctuſque ab eodem Clemente fuit Candidus Caſſina Apoſtolicus Cæremoniarius, quod linteum ipſum, quo ipſe Pontifex in benedictione cereorum Agnorum uſus fuerat, e manu Præfecti Cubiculi, qui illud ſibi vindicaverat, violenter eripiens, dilaceravit. Quicquid de ea re ſit, lubet hoc loco deſcribere quod refert idem Graſſus in citato Diario de apparatu ab ipſo ordinato in benedictione Agnorum Dei peracta a Leone X. anno MDXIX. ſic autem inquit.

II. Feci poni bancalia tantæ longitudinis, ut a pariete uſque ad alium parietem tranſverſaret totam Aulam per medium; nam medium ipſius Aulæ diſpoſui pro Altaribus, & manſione Papæ, ac Cardinalium, & medium pro populo, dimiſſo tantulo ſpatio in angulo verſus feneſtras, ut eſſet aditus quaſi oſtium ante caminum; imo in ipſo camino feci Altare ad parietem verſus cornu Evangelii. Feci credentiam non Altari collateralem, ſed cohærentem parieti longo. Inter Altare, & credentiam, poſui capſas Agnorum viginti. In medio ante conſpectum Altaris poſui Sedem Papæ, & concam magnam, ita ut Papa verſa facie eſſet ad Altare; quatuor ſcabella erant pro duobus aliis adjuvantibus cum ſpatulis, ſive cochlearibus magnis argenteis, & ipſi Cardinales ſe per vices mutuo adjuvabant accincti omnes gremiali ſuo, & ſimiliter Papa voluit habere ſuum gremiale. Feci apponi ſedile tranſverſum ad dextram Papæ pro Cardinalibus Epiſcopis, & aliquibus Presbyteris, & poſt ſedile hoc feci poni duos ordines ſedilium pro Prælatis, & omnia bene fuerunt. In Aula ulteriori fuerunt circumcirca menſæ latæ in duplo quam ſit menſa communis, in qua communiter prandetur, & in medio ſex ſimiles latæ menſæ capientes totam Aulam, & omnes menſæ fuerunt novæ novis telis coopertæ, quas telas Papa juſſit poſt Agnorum repoſitionem debere aut comburi, aut quod melius eſſet,

Digitized by Google

esset, assignari pauperibus Ecclesiis pro Mappis Altarium, & similiter mensas ligneas aut comburi, aut fieri Altaria, aut aliquam sacram fabricam.

III. Papa hac die per semetipsum potius in sua Capella quotidiana parva celebravit. Deinde venit ad Aulam cum omnibus Cardinalibus, quos ipsemet prius invitaverat, licet ego dixerim, non debere nisi quatuor interesse, videlicet Priorem Episcoporum, Priorem Presbyterorum, & duos Priores Diaconorum. Sed Papa voluit eos invitare, & habere, ut ministrarent singuli per vices, devotionis causa. Scutiferi portantes bacilia Agnorum baptizandorum erant viginti, & totidem Cubicularii ferentes Agnos baptizandos ad mensas, & sex Cubicularii recipiebant in cribella, & macara, & omnia bene fuerunt ab hora decimaquarta usque ad decimam nonam. Papa in Aula voluit etiam interesse Missæ parvæ, quam Sacrista celebravit, sed prius aquam benedixit, ut in Ordinario, & bene fuerunt omnia. Feci quod Papa mandavit Capitaneo Guardiæ, & vocatis sex, aut octo provisionatis, portaretur concha cooperta munda mappa, & cum eo esset Episcopus Astensis casu ibi receptus ad Basilicam S. Petri, & projiceretur aqua illa quæ superfuerat in concha simul cum aquis, quæ in diversis vasculis superfuerant benedictæ, & consecratæ, quod bene factum fuit. Ultimo scias quod cum balsamum in ampulla coagulatum superinfundi in aquas debet, est prius conficiendum, alias liquefieri non potest, nec diffluere; propterea ampulla ipsa balsami debet prius ibi in pila aquæ bullientis immergi, & deinde tolli, & conchæ aquarum infundi, alias, ut dixi, diffluere non potest, tanquam coagulatum & concretum, sed calefacta, ut supra, liquescit, & defluit.

§. VII.

De Agnorum Dei distributione, & versibus Urbani Papæ V. eorum virtutem docentibus.

His finitis, reponuntur Agni Dei in suis capsis, & deinde Sabbato in Albis post *Agnus Dei* in Missa dantur, ut in Cæremonia illius diei plenius dicemus. Legimus, Urbanum Quintum Pontificem Maximum misisse ad Imperatorem Græcorum tres Agnos Dei cum versibus infrascriptis.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit,
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde de fluctibus eripit undæ.

COMMENTARIUS.

I. SEquentes ordinem nostri hujus Cæremonialis, dicemus Libro II. ubi nempe de Sabbato in Albis agendum erit, de Agnorum Dei distributione, quæ hodieque juxta antiquum ritum prædicta die fieri assolet. Quod autem alteram hujus §. partem spectat, Joannes Molanus, Jacobus Gretzerus, aliique ex hoc nostri §. loco testantur, Urbanum V. ad Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem tres particulas ceræ benedictæ, quas Agnos Dei communiter nominant, misisse tanquam ingens Donum cum rudioribus versibus in hoc §. descriptis, quibus eorum vis, & efficacia exprimitur in fulguribus depellendis, peccatis frangendis, tentationibus dæmonum superandis, prægnantibus, partubusque servandis, periculis ignis, & aquarum vitandis. Porro præter descriptos versus, sunt & alii quatuor, qui habentur in ms. Codice Benedictionum Pontificalium, quibus Papa utitur, asservato in Sacrario Apostolico, eosque recenset inter alios Pagius in Vita Urbani V. Num. XXXI. & sunt.

Morte repentina salvat, satanæque ruina.
Siquis honoret eum, retinet super hoste trophæum
Parsque minor tantū tota valet integra quantum,
Agne Dei miserere mei, qui crimina tollis.

II. Ex recitatis versibus, quos passim Scriptores Urbano Papa V. tribuunt, jam quidam falso intulerunt, sacra amuleta ista ex cera confecta in usu esse cœpisse sub ipso Urbano V. verum hanc opinationem jam nos supra refutavimus, ubi ostendimus, Agnos Dei suam trahere a priscis Ecclesiæ seculis originem. Ut itaque id hoc loco omittamus, illud silentio minime prætereundum, quod nempe ait Victorellus in Notis ad Ciaconium in Vita laudati Urbani Papæ V. versum illum, *peccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit*, ab hæreticis, Illyrico, & Plessæo male intellectum, defendi, & explicari egregie a Joanne Molano, & ab aliis doctrina, & ingenio præstantibus. Particula enim, *ut*, non æqualitatem, sed similitudinem quandam analogicam ostendit, sicut & illa Christi ore prolata, *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus &c.* Finiti ad infinitum nulla est proportio. Dei perfectio infinitatem complectitur, quæ in homine certis terminis circumscripto esse non potest. Cerea Agni Dei forma nequaquam abolet peccatum, ut Christi Sanguis; neque enim ea virtute præstat, qua divinus ille Sanguis in hominum lapsorum redemtionem effusus; sed ab ipso Sanguine, &

Digitized by Google

morte Christi, precationibus, & benedictionibus Romani Pontificis, virtutem aliquam ad frangendum peccatum accepit. Aquæ lustralis aspersionem, Sacramentalem unctionem ad venialium culparum remissionem agere, scripsit S. Thomas Parte III. Quæstione LXXXVII. Articulo III. Ita Victorellus loco citato, ubi & de hac re plura adnotavit. Ceterum Bzovius ad annum MCCCLXVII. Num. IX. ait, si Urbanus eos cereos Dei Agnos vere Palæologo Imperatori misit, forte id eum eo consilio fecisse, ut Græcos ejurare doceret errores de Ceremoniis Ecclesiæ Romanæ. Nam & hi schismatici pari cum hæreticis temeritate hos Dei Agnos rident, inque locum vituli conflatilis apud Catholicos contra Canonem Concilii Nicæni successisse perperam ajunt.

III. Quanta sit denique virtus cereorum Agnorum Dei, præter testimonium memorati Urbani V. qui multiplicem eorum virtutem versibus superius descriptis expressit, & aliorum Pontificum, qui eandem rem in Apostolicis litteris suis testati sunt, quotidiana ipsa miracula, quæ ipsorum Agnorum virtute experimur, nos docent. Unde non mirum, si Fideles eosdem magni æstiment, impense colant, ac venerentur, præsertim vero illos, quos sciunt a Pontificibus religiosioribus consecratos, quales inter alios sunt cerei Agni Benedicti XIII. ex quibus multa passim prodigia prædicantur. Fuit enim Benedictus Vir eximiæ pietatis, eique Deus hanc gratiam contulit, ut Christiani Populi, eo regnante Pontifice, summa pace gauderent, & rerum omnium copia abundarent; laici autem Principes ita eum colerent, ut quod eis scriberet, veluti Oraculum venerarentur.

DE CREATIONE NOVORUM CARDINALIUM

TITULUS VIII.

§. I.

Quibus temporibus Cardinales creandi.

Quamvis Romanus Pontifex de plenitudine potestatis, quando voluerit, & quos utiles Reipublicæ Christianæ putaverit, possit in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumere, tamen consuevit Cardinalium creationem celebrare in Quatuor Temporibus ad imitationem Sanctorum Patrum, qui illis diebus Ordinationes faciebant Clericorum Romanæ Ecclesiæ, sicut & hodie faciunt aliarum Civitatum Episcopi: aliquando tamen etiam nostris temporibus extra Tempora creati sunt Cardinales. Sixtus enim Papa Quartus anno salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, & suo Pontificatus secundo, septima die Maji creavit octo Cardinales. Servatum tamen est (1) ut usque ad Tempora Pontifex non creet novos Cardinales, nisi de consensu majoris partis Sacri Collegii.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam ritum novos Cardinales creandi juxta receptum ab aliquibus seculis Romanæ Ecclesiæ morem narrem, nonnulla hic censui de eorum origine præmittere, & de pervetusto Cardinalium nomine in Ecclesia quod quidem a recentioribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus diversum est, ut non uno in loco ostendit eruditissimus Thomassinus, præsertim vero Parte III. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. CXV. Certe olim quisquis erat alicujus Ecclesiæ Presbyter Titularis, is ejusdem Ecclesiæ seu Romæ, seu alibi Presbyter Cardinalis dicebatur, Similiter quisquis erat alicujus Ecclesiæ Diaconus Titularis, vel primarius inter ejusdem loci, seu Romæ, seu alibi Diaconus Beneficiarius, appellabatur Diaconus Cardinalis. Videri possunt multa in hanc rem exempla apud laudatum Thomassinum, qui etiam docet, similem in modum fuisse antiquitus Subdiaconos Cardinales, itemque dictum etiam fuisse antiquitus Episcopum Cardinalem, Episcopum illum, qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus, sive incardinatus, hoc est proprius illius Ecclesiæ Episcopus. Itaque, ut notat Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici* Tit. XXII. Cap. I. *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in hoc unice ab aliis non Cardinalibus differebant, quod illi tanquam proprii, & quasi fixi, ac immobiles Ministri Ecclesiis suis essent intitulati: hi tanquam adventitii, & subsidiarii alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem Cardinalium nomenclaturam hodierni Parochi vere dicerentur Presbyteri Cardinales, Vicepastores vero non Cardinales.* Hoc sensu addit Gelasium I. in Litteris ad Cælestinum Episcopum apud Gratianum Distinctione XXIV. Canone IV. oppositisse Pontificem Cardinalem Pontifici, seu Episcopo Visitatori, qui scilicet dumtaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tanquam Visitator invigilat.

II. Puto autem, labi memoratum Vanespen, aliosque eruditos, quos citat, ajentes, ante Gelasium Papam, qui Pontificatum gessit sub finem Seculi V. *nomen Cardinalis non legitributum Episcopis, Presbyteris, aut Diaconis.* Siquidem jam ante Gelasium Episcopi Cardinales dicti sunt in Collatione Carthaginensi inter Ca-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta Vero legitur: *servatum tamen usque ad tempora, ut Pontifex.*

Digitized by Google

Catholicos, & Donatiſtas, S. Auguſtini ævo, qui Seculo IV. claruit. Petilianus enim Epiſcopus cum crimini verteret Catholicis, quod eidem Eccleſiæ plures intruſiſſent Epiſcopos, *Cardinales, atque authenticos Epiſcopos*, eos dixit, qui vere & veri ſponſi Eccleſiæ ſuæ eſſent; reliquos autem quaſi redundantes, & ſupernumerarios, *imagines* vocavit. Ceterum occurrit quidem Cardinalis nomen in quadam Synodo, quæ habita dicitur ſub Sylveſtro Papa initio Seculi IV. ſed hanc Synodum, ejuſque acta ævo Caroli Magni conficta, & Sylveſtro Papæ ſuppoſita eſſe, eruditi paſſim cenſent, quod multa ſcilicet in ea occurrunt, quæ id evidenter evincant. Quicquid ſit, ſcite obſervat Thomaſſinus Parte III. Lib. II. Cap. CXV. jam ante Gregorium extare apud Pelagium Papam nomen Presbyteri Cardinalis, & apud Auguſtinum Epiſcopi Cardinalis, quamquam res illis nominibus deſignata omni ab ævo fuerat.

III. Temporis progreſſu cœperunt ſenſim Cardinales Romanæ Eccleſiæ ab aliis diſtingui ob prærogativas ſcilicet, quibus eos donabant Summi Pontifices. Refert Baronius ad annum DCCCLXXXII. ex Vaticanæ Eccleſiæ monumentis Joannis Papæ VIII. Conſtitutionem de jure Cardinalium S. R. E. qua ſtatuit, ut bis in menſe ad aliquem Titulum convenirent de reformatione Cleri, & Chriſtianæ plebis acturi, Clericorum, & Laicorum querimonias audituri, juſque ipſis dicturi; quod ſicut Pontifex Moyſi, ita Cardinales ſeptuaginta Seniorum, qui ſub eo judicabant, formam gerant in Eccleſia. Monaſteriorum diſpoſitionem, atque Abbatum inſtitutionem iis committit Cardinalibus, qui fuerant ex Monaſteriis aſſumti. Jubet quoque, ut ob eandem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſollicitudinem bis in hebdomada ad Palatium Apoſtolicum convenirent juxta Leonis IV. deceſſoris ſui decreta, tandemque addit: *Sancimus de Parochiis noſtris, quantumque Pontifici competit, Pontificali beneficio vos in perpetuum poſſidere, & in principalibus Eccleſiis juxta primatum veſtræ conſecrationis viciſſim officia divina peragere, & earum oblationibus, ſalva ſemper Cardinalium Diaconorum priſca conſuetudine, æqualiter participare tam propter uſum veſtrum, quam in Eccleſiarum veſtrarum luminarium concinnationes*. Notanda vero potiſſimum ſunt, quæ ipſa Conſtitutione Joannes ipſe VIII. de Cardinalibus edixit; declarat ſiquidem, *Romanæ Eccleſiæ Cardinales eodem fungi apud Romanum Pontificem officio in Sancta Dei Eccleſia, quo Seniores Septuaginta apud Moyſem in Synagoga*. Ex quibus liquet, in Gardinalibus conſtitui univerſalis Eccleſiæ Senatum, atque ordinarium Summi Romani Pontificis Conſilium. Nulla quippe tam præcellens ſapientia eſt, quæ conſiliorum adminiculis non egeat, adeo ut præclare obſervet S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia ad Caput I. Actuum Apoſtolorum, Petrum Apoſtolorum Principem Sancti Spiritus donis cumulatiſſime ornatum, & munitum, nihil per propriam auctoritatem, aut imperium conſtituiſſe, ſed in rebus gravis momenti agere ſolitum ex Fratrum conſilio, ut liquet in electione Succeſſoris Judæ Iſcariotis ad Apoſtolicum munus, & in gravi diſceptatione orta circa Legalium obſervationem.

IV. Crevit autem multum S. R. E. Cardinalium dignitas, ubi ipſis in Concilio Romano Nicolai Papæ II. anno CXIX. habito, Can. I. data eſt poteſtas eligendi Papam; ſic enim ſcribit S. Petrus Damiani, qui eo ævo claruit Lib. I. Epiſtola XX. *Romanæ Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt; ſalvo quippe univerſalis Eccleſiæ ſacramento, iſti ſunt oculi unius lapidis, ipſi lucernæ unius candelabri*. S. Bernardi Lib. IV. *De conſideratione*, Cardinales S. R. E. vocat Judices Orbis. Extat Reſcriptum Eugenii IV. Papæ ad Henricum Cantuariæ Archiepiſcopum, & Angliæ Primatem, ubi hæc inter alia referuntur verba: *Ipſos præterea Cardinales honoris & dignitatis eminentia partem ſui corporis Summi Pontifices appellant, ex quo ſine ulla dubitatione oſtenditur, poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt Fratres ejus Cardinales, præ ceteris Eccleſiæ membris, ac partibus honorari debere*. His etiam iſta Eugenius adjungit, quoſcumque Primates, & Epiſcopos a Cardinalibus Summo Pontifici aſſidentibus judicari, & ſingulos Epiſcopos ſingulis, ac particularibus Eccleſiis præeſſe, & providere; Cardinales autem univerſæ ſub Papa Eccleſiæ. Profert demum Eugenius ſuperiorum Generalium Conciliorum exempla, præſertim duorum Lugdunenſium, in quibus Cardinales citra omnem ambiguitatem honoratiorem præ cunctis Epiſcopis locum tenuerint, teneantque etiam nunc in Concilio Florentino, quod tunc temporis agebatur. Inſuper Leo Papa X. in Concilio Lateranenſi V. Seſſione IX. aſſerit, S. R. E. Cardinales dignitate, ac honore poſt Summum Pontificem reliquos omnes antecellere. Noviſſime Concilium Tridentinum Seſſione XV. *De reformatione*, Cap. I. ait, Cardinalium conſilio apud Summum Romanum Pontificem, univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem niti. Atque hæc ſunt, quæ inter alios notavit eruditus Cabaſſutius in Notitia Conciliorum, Cap. LXXXVII. ubi enarrat Concilium Generale XIV. & Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. Papa.

V. Quod vero creationem novorum Cardinalium ſpectat, admonet noſtrum Cæremoniale initio hujus Tituli, quod *quamvis Romanus Pontifex de plenitudine poteſtatis quando voluerit, & quos utiles Reipublicæ Chriſtianæ putaverit, poſſit in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales aſſumere: tamen conſuevit Cardinalium creationem celebrare in Quatuor Temporibus ad imitationem Sanctorum Patrum, qui illis diebus Ordinationes faciebant Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ſicut & hodie faciunt aliarum Civitatum Epiſcopi*. Sacris Canonibus, Pontificumque Romanorum Decretis ſancitum olim fuiſſe, ne Sacræ Ordinationes fierent extra Quatuor jejuniorum Tempora, jam abunde oſtendimus Tomo I. Romani Pontificalis Titulo II. in Commentario ad §. XII. Eam ſequutos fuiſſe diſciplinam complures Seculi XIII. XIV. ac etiam XV. Romanos Pontifices, in Cardinalium creatione, quam ſcilicet peragere ſoliti erat Quatuor jejuniorum Temporibus, docent nos antiqui Auctores qui Geſta Pontificum ſcripſere. Certe Innocentius IV. qui electus Pontifex fuit anno MCCXLIII. ſequenti anno, die XXIX. Maji,

Digitized by Google

Sabbato quatuor Temporum Pentecostes duodecim Cardinales creavit, ut scribit in ejus Vita Nicolaus de Curbio, Cap. XII. ubi ita inquit: *Cernens igitur Dominus Papa*, Innocentius IV. *se plurimum Fratrum indigere consilio, cum non essent tunc, nisi septem in Ecclesia Cardinales, primo anno Pontificatus sui in Ecclesia B. Petri Apostoli de Urbe Sabbato infra octavam Pentecostes, XII. Cardinalium, videlicet trium Episcoporum, & trium Presbyterorum, ac sex Diaconorum ordinatione decentissime Ecclesiam adornavit*. Deceptus est itaque Ciaconius scribens, Innocentium in quatuor Temporibus Adventus Domini Lugduni primum tredecim S. R. E. Cardinales creasse.

VI. Innocentio IV. successit Alexander pariter IV. anno MCCLIV. sed cum hic licet annos sex, menses quinque, ac dies tredecim vixerit, nullum Cardinalem creasset, Urbanus IV. in ejus locum suffectus anno MCCLXI. quod Cardinalium numerus valde imminutus esset, quarto a suæ Electionis mense, in jejuniis nempe quatuor Temporum mensis Decembris ejusdem anni MCCLXI illum ampliavit, & septem *præclaros Viros vita, & scientia*, ad tam Sanctum Collegium promovit, ut scribit Monachus Paduanus in Chronico Lib. III. & Gregorius Decanus Bajocensis Urbani Vitæ Scriptor asserit, primam illam promotionem factam fuisse ab Urbano mense Decembri, nempe in quatuor ejus mensis Temporibus. Idem plane ritus servatus fuit, ut alia exempla omittam, Seculo XIII. a Nicolao III. qui unica creatione novem Cardinales fecit, interque ipsos, duos ex Ordine Prædicatorum, & duos ex Ordine Minorum. Factam hanc promotionem fuisse anno MCCLXXVIII. Pontificatus Nicolai primo, diserte asserit Ptolomæus Lucensis Lib. XXIII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXVI. Panvinius annum quidem ejus promotionis non determinat, sed ait tamen, factam illam esse quarto Idus Martii, & quidem recte, ut notat Pagius in Vita ipsius Nicolai III. Num. XX. *is enim dies, scilicet duodecimus Sancto Gregorio Magno sacer, anno MCCLXXVIII. concurrebat cum Sabbato Quatuor Temporum, cum Pascha celebratum sit die decimaseptima Aprilis*. Longum esset alia id genus exempla afferre, constat enim, & alios Romanos sequioris ævi Pontifices eam ut plurimum disciplinam servasse, cujus ante nostrum hoc Cæremoniale ab Augustino Patricio scriptum, meminit etiam Piersanctianus ms. Codex Cæremonialis Romanæ Ecclesiæ labente Seculo XIV. exaratus. Seculo demum XV. anno scilicet MCDXLVIII. Nicolaus V. Papa, *XIII. Kalendas Januarii*, hoc est die Veneris XX. Decembris in pervigilio Sancti Thomæ, & jejunio quatuor Temporum veterem morem sequutus, sex Cardinalium promotionem fecit, ut ex Diario Consistoriali Jacobi Radulphi tradit in ejusdem Nicolai V. Vita Dominicus Georgius anno MCDXLVIII. Num. XXII. Factas ut plurimum promotiones ipsas Cardinalium quatuor jejuniorum Temporibus, præsertim vero mensis Decembris, docet passim in Vitis Romanorum Pontificum Ciaconius.

VII. Porro, ut ait nostrum Cæremoniale, Seculo XV. quo ipsum ordinatum fuit ab Augustino Patricio, *aliquando etiam extra tempora creati sunt Cardinales. Sixtus enim Papa IV. anno salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, & sui Pontificatus secundo, septimo die Maji creavit octo Cardinales*. Hoc idem fecisse alios etiam qui post ipsum Sixtum IV. Apostolicam Sedem tenuerunt, nullaque temporum habita ratione, sed quandocumque S. R. E. utilitatem esse putarunt, Cardinales creasse, res ipsa demonstrat apud Auctores, qui gesta Pontificum Litteris consignarunt. Ceterum variis exemplis ostendi potest, etiam ante Sixtum IV. Pontifices extra præscripta Tempora, ac dies Cardinalium creationem fecisse. Sane anno MCCCLXXV. die XX. mensis Decembris, quæ fuit dies Jovis ante Feriam VI. quatuor Temporum Gregorius Papa XI. ut ait Auctor primæ ejus Vitæ apud Baluzium, octo Cardinales Presbyteros, & unum Diaconum creavit. Obfervat autem laudatus Auctor, eam promotionem more consueto fieri debuisse Feria VI. quatuor Temporum, & sequenti die publicari, sed quia Festum Sancti Thomæ Apostoli, quo die non debuit fieri Consistorium, ut infra Lib. III. ex Cap. XIII. demonstrabimus, concurrebat cum Feria VI. creationem factam die Jovis, & publicatam die Sabbati sequenti: *Hic attendendum*, inquit, *quod ista creatio non fuit facta die Veneris secundum quod alias est fieri consuetum, & hoc ideo, quia illa die occurrit Festum B. Thomæ Apostoli, qua die non fuit tenendum Consistorium. Fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio usque ad diem Sabbati subsequentem propter dictum Festum, cum tamen alias in crastinum fieri debuisset*. Sed antiquato postea hoc more, subdit Spondanus ad ipsum annum, invaluit alius facilior, ut uno eodemque actu creentur Cardinales, & publicentur, sed tamen neque hic mos semper servatus fuit, ut infra suo loco dicemus.

VIII. Ait denique nostrum Cæremoniale, servatum esse, *ut usque ad tempora Pontifex non creet novos Cardinales, nisi de consensu majoris partis Sacri Collegii*. Puto equidem, hujus novi instituti originem referri posse ad annum MCCCLII. quo in Conclavi post mortem Clementis VI. Avenione constructo, inter alias leges a Cardinalibus editas, quas renunciatus ab ipsis Pontifex sacramento confirmaturus esset, statutum fuit, *ut novus Pontifex non creet aliquos Cardinales donec eorum numerus ad sexdecim redactus fuerit, & tunc tot assumeret, quot ad plus ascenderent ad numerum viginti, & non ultra, præditis sexdecim in eo numero computatis: quos quidem ab ipso creandos ordinare deberet de omnium Cardinalium, seu duarum partium eorundem consilio, & consensu; hoc tamen salvo, quod extante numero, qui tunc erat, ordinet duos Cardinales de consilio omnium, vel majoris eorum partis*. Tradit hæc in Vita Innocentii Papæ VI. Pagius Num. II. ubi etiam addit, eas pactiones se servaturos sacramento simpliciter alios spopondisse, alios vero cum hac clausula, *si jure niterentur*. Ceterum ipse Innocentius VI. anno MCCCLIII. memoratas leges, seu pactiones a Cardinalibus in Conclavi editas, quas ipse, & quidam alii sub hac conditione juraverant, *si, & in quantum scriptura hujusmodi de jure procederet*, rescidit in cœtu quorumdam Cardinalium, ac plurium Doctorum, & Jurisperitorum, quod Constitutionibus Gregorii X. & Clementis V. cautum esset, Cardinales Sede vacante de quibuscumque negotiis,

Digitized by Google

tiis, præterquam de provisione Romanæ Ecclesiæ facienda, se intromittere non posse, certis dumtaxat exceptis casibus, de quibus tamen aliquis contentus in scriptura hujusmodi non existeret; & quod scriptura ipsa in diminutionem, & præjudicium plenitudinis potestatis a Deo collatæ soli dumtaxat Romano Pontifici, redundaret, esset que temerarium, & insanum apud Catholicos asserere, *quod Romanus Pontifex Successor Petri, & Vicarius Jesu Christi, non sit vocatus, & assumtus in plenitudinem potestatis; quæ profecto apud ipsum non esset, si ex aliorum consensu, arbitrio, vel adminiculo dependeret.* Declaravit itaque, Cardinales contenta in scriptura nullatenus facere potuisse, ideoque nec Romanum Pontificem, nec Cardinales ipsos ad dicti juramenti observantiam aut fuisse, aut esse quomodolibet obligatos. Diploma hanc in rem editum refert Raynaldus ad annum ipsum MCCCLIII. Num. XXIX. datum apud Villamnovam Avenionensis Diœcesis, II. Kalendas Julii anno I. Pontificatus.

IX. Crevit magis magisque ea Cardinalium pactio fieri in Conclavibus solita, ne scilicet Papa Cardinales crearet ultra certum determinatum numerum, vel sine consensu duarum saltem partium Cardinalium, tempore Schismatis, idque statutum fuit in Conciliis Constantiensi, & Basileensi, uti jam diximus nostro IV. Tomo Conciliorum, ac renovatum etiam deinde in Conclavibus, & in eo præsertim, in quo electus fuit anno MCDLXIV. Paulus II. Inter alias siquidem leges a se aliisque Cardinalibus constitutas & juratas in Conclavi, numero V. ita legitur: *Cardinales non ante crearet, quam ii, qui creati jam haberentur, intra* XXIV. *essent reducti, majoremque hoc numero non pati in Ecclesia esse; neminem quoque assumere, qui non trigesimum annum excederet, quique non professus esset, vel Pontificium jus, vel Civile, vel litteras sacras, nec nisi unum, eumque hujus generis hominem de cognatione sua eligeret; in omnibus autem eligendis, sententias Patrum non tacitas in aurem, ut ante, sed ex subselliis, ad declinandos errores, palam acciperet.* Cardinalium sententias, seu vota, sive consilia circa novorum Cardinalium creationem, dicta olim fuisse ad aurem Papæ, ideoque appellata *auricularia*, docet nos ms. Cæremonialis Codex Piersanctianus Seculo XIV. exaratus, ubi recensetur ceremonias, solemnitatesque servari solitas in creatione novorum Cardinalium, in eo Capite, quod inscriptum est: *Quæ fiunt per Papam die Veneris quatuor Temporum*, ubi ita inquit: *Die Veneris vero sequenti mandatur in Consistorio per Dominum Papam duobus Cardinalibus, quod vadant ad requirendum, & habendum consilium Cardinalium absentium super personis in Cardinales de novo creandis. Quo consilio habito, veniunt ad Consistorium dum Dominus Papa audit consilia auricularia Cardinalium, & referunt ad partem, dum est in Cathedra sua, consilia Cardinalium absentium.* Ut infirmorum Cardinalium vota exquirantur per duos Cardinales juxta præscriptum nostri Cæremonialis, dicemus infra in Commentario ad §. IV.

§. II.

De primo Consistorio, an sint creandi Cardinales, & quot?

Cum igitur Pontifex voluerit novos Cardinales creare, quarta Feria Quatuor Temporum in Consistorio secreto proponit Fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus causas, quæ mentem suæ Sanctitatis movent ad novos Cardinales faciendum; deinde exquirit sigillatim eorum sententiam, an videatur eis expedire nova Cardinalium creatio. Exponunt vota sua omnes per ordinem libere, & ut ab omnibus intelligantur, servato ordine dignitatis, & prioritatis, videlicet, primum Episcopi, deinde Presbyteri, ultimo Diaconi. Et quamvis antiquis temporibus in consiliis, & votis dandis, præterquam in electione Pontificis, ordine præpostero, inter Diaconos prior Diaconorum esset ultimus, & junior primus; tamen hodie res ad debitum ordinem redacta est, & prior est primus, & junior ultimus. Si major pars Collegii in sententiam Pontificis venit, tunc agitur de numero promovendorum, in quo si eadem die conveniunt, dimittitur Senatus, & indicitur ad sextam Feriam aliud Consistorium, & Pontifex monet Cardinales, ut cogitent de personis promovendorum.

COMMENTARIUS.

I. AGit & de hoc ritu Romanus Ordo XIV. Cap. CXVI. & Codex ms. Cæremonialis Piersanctianus Seculo XIV. exaratus in eo Capite, quod inscribitur, *Quæ fiunt per Papam die Mercurii Quatuor Temporum in creando Cardinales*, ubi ita inquit: *Die Mercurii Quatuor Temporum Dominus Papa in Consistorio consuevit quærere a Cardinalibus, faciendo aliqualem brevissimam collationem, quod expediat creare novos Cardinales. Cardinales vero postea omnes, quilibet secundum ordinem suum, consueverunt respondere, & consulere, an expediat fieri, vel non. Quo facto, Dominus Papa consuevit dicere*: Nos sequimur consilium dicentium, quod secundum quod ejus melius videbitur, fiant. *Et ubi eligit viam quod fiant, immediate interroget Cardinales de quanto numero videtur eis fiendum. Quo responso per eos ut supra, Dominus Papa dicit*: Nos sequimur consilia dicentium, quod fiat usque ad talem numerum. *Deinde dicit ibidem*: Cogitabimus, & vos cogitetis de personis nominandis. In die Veneris proxima agemus Deo dante super his. *Ista sunt verba, quando Cardinales omnes in Con-*

Digitized by Google

Conſiſtorio ſunt præſentes; ſi autem aliqui ſint in domibus ſuis infirmitate detenti, eſt conſuetum ante Conſiſtorium mandare duos Cardinales per Dominum Papam ad Cardinales abſentes, & requirant, & habeant eorum conſilium ſuper prædictis duobus quæſtionibus, & relatione facta poſtea Domino Papæ in Conſiſtorio, audientibus omnibus Cardinalibus, per illos Cardinales Deputatos, ipſe poſtmodum eligit in Conſiſtorio, an velit ſequi conſilium Cardinalium, an non. Hactenus Romanus Ordo, & Pierſanctianus Codex longe haud dubie ante hoc noſtrum Cæremoniale exaratus, ex cujus poſtremis verbis addiſcimus, conſueviſſe quidem vel olim Pontificem Cardinales novos creaturum vota antiquorum exquirere, non tamen ea ſequi fuiſſe adſtrictum, vel omnino duarum partium votis adhærere, ut non ſine temeritate prætenſum aliquando a Cardinalibus fuit.

II. Luculentiſſimum tamen antiquioris diſciplinæ teſtimonium habemus quidem apud Raynaldum, qui ad annum MCCCXXXI. Num. XXXII. Litteras refert ad Joannam Galliæ Reginam datas, quibus ſe excuſat, non poſſe ſe precibus Philippi Regis annuere, qui eum urgebat, ut Gallicæ ſuæ Nationis Cardinalem alium crearet: *Utinam filia cariſſima*, inquit, *mos ſervatus in creandis Fratribus circumſpectioni Regiæ eſſet notus. Ipſorum quidem creatio nunquam fit in Camera, ſed in Conſiſtorio votis Fratrum omnium exquiſitis. Item non conſuevit, niſi ex cauſa creatio fieri eorundem. Cauſæ autem conſueverunt exiſtere, vel parvus eorum numerus, vel ipſorum impotentia ad ſuum officium exercendum; quæ ſi ad præſens conſiderarentur attente, profecto nec numerus parvus, nec ex parte illorum debet aliqua impotentia judicari.* Oſtendit id Pontifex exemplo Prædeceſſoris ſui Clementis Papæ V. ac deinde hæc ſubjicit, quæ & rem noſtram quam maxime ſpectant: *Optaremus inſuper filia benedictionis & gratiæ, quod Regum aliorum te inſtantia non lateret. Adhuc deſideramus, quod Celſitudo Regia dictum Sapientis dicentis*, Omnia tempus habent; *& quod cum negotio eſt tempus, & opportunitas, interdum ad memoriam revocaret. Credimus quidem, quod ſi hoc deduceret ad conſiſtorium rationis, quod pro creatione novi Fratris iſto tempore non inſtaret. Nos autem præmiſſis in conſideratione deductis, ac cum venerabili Fratre noſtro Petro Tituli S. Martini in montibus Presbytero Cardinale, ac Regio Nuncio conferentes, licet parati eſſemus Fratribus noſtris vota exponere Regia; quia tamen ex iis, quæ in proximo præteritis ordinibus probavimus, ubi vota ſuper hoc eodem negotio Regia eiſdem fuerunt expoſita, verebamur, quod attentis omnibus ſupradictis, eorum non haberemus aſſenſum, viſum fuit expedientius ad præſens iſtud negotium ſubticere. Quare habeat nos ſuper hoc Celſitudo Regia excuſatos. Datum VI. Kal. Octobris, anno XVI.* id eſt Pontificatus, anno vero Chriſti MCCCXXXVIII.

III. Edidit præterea Raynaldus excerptum ex Rituali anni MCCCXXXVIII. quo refertur, Feria quarta Quatuor Temporum Conſiſtorium a Papa indici, & ſubductis Cardinalium ſuffragiis, ex majori eorum numero declarare, an novos creari Cardinales neceſſe ſit, & quo numero. Sexta Feria in alio Conſiſtorio deligi ſolitos Cardinales novos, Sabbato vero publicari, ducto initio ab eorum abſolutione a vinculis aliarum Eccleſiarum, ſiqui Prælatorum electi ſint. Narrat idem Raynaldus, quod cum Eugenius IV. Summum Pontificatum conſequutus eſſet, juramento confirmavit eoſdem articulos, quibus ſe jam cum aliis Cardinalibus adſtrinxerat. In his articulis ille ante alios memorandus erat, Cardinales a ſe creatum non iri ullos, niſi ſervatis regulis Concilii Conſtantienſis, & cum conſenſu Cardinalium. Concilium vero Baſileenſe anno MCDXXXVIII. Seſſione XXIII. ut eſſent re, quod nomine ſunt Cardinales, & fulcimenta Eccleſiæ, *qui ſicut nomine, ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia univerſalis verſentur, & ſuſtententur Eccleſiæ*, edixit, ut ex omnibus Chriſtiani nominis Regnis, quantum fieri poſſet, eligerentur; ne eorum numerus ſupra vigintiquatuor excreſceret; ne ejuſdem nationis eſſe ad ſummum poſſet niſi tertia pars; ne ejuſdem Diœceſis niſi unus; non magis dignitate, quam pietate, & eruditionis ſacræ copia eminerent; triginta ſaltem eſſent annorum; tertia ſaltem eorum, vel quarta pars Graduatorum eſſet; eſſent aliqui, ſed pauci ſtirpis Regiæ, Principumque; ea dignitate arcerentur nepotes Pontificis, vel Cardinalis cujuſcumque, dum ſuperſtes ipſe eſſet; nominaret eos Papa, non vota Cardinalium ſeorſim, taciteque ſcrutatus, ſed ſuffragiis ſcriptis majoris eorum numeri; denique, ut illud animo altiſſime infixum haberent Cardinales, hac ſe Purpura ad Martyrium pro Eccleſia Chriſti ſubeundum authorari, animarique. Eadem pene erant quæ ante Baſileenſe Concilium de eadam re ſtatuerat Concilium Conſtantienſe, ut notat Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CIX. Num. XII.

IV. Rurſus anno MCDLVIII. ante creationem Pii II. Cardinales in plures quoque jurati ſunt articulos, quos inter ille erat de non creandis Cardinalibus, niſi accommodate ad Statutum Concilii Conſtantienſis, uti ad eum annum tradit Raynaldus Num. V. Hinc ubi Pius II. anno MCDLX. tertio Nonas Martii Romæ ex Panvinio, & Ciaconio, ex Contelerio vero, aliiſque, Senis in Palatio Epiſcopali primam Cardinalium creationem fecit, habito prius Cardinalium aſſenſu, ea lege adjecta, ut unus tantum nepos eſſet, Cardinales novos renuntiavit, & præter morem eadem Feria IV. quatuor Temporum Quadrageſimæ publicavit Presbyteros Cardinales quinque, & Diaconum unum. Rem narrat Auctor Commentariorum Pii Papæ II. Lib. IV. cujus verba magis magiſque noſtrum hunc §. illuſtrant: *Aderant*, inquit, *Tempora Quadrageſimalis jejunii, quæ veluti Cardinalium Comitia cenſentur, & jam fama vulgatior, novum Fontificem novos creare Cardinales velle, tanquam perfectus per omnia Pontifex non habeatur, niſi Cardinales aſſumſerit. Tum preces multorum porrectæ ſunt: Imperator unum efflagitavit, cui Pontifex cupide annuebat: Rex Franciæ duos: unum Rex Aragonum: Ferdinandus Rex Siciliæ, & Franciſcus Mediolanenſis Dux plures: Dux Sabaudiæ unum: Dux Burgundiæ unum: Marchio Montisferrati unum: Florentini & Coſmas unum. Pontifici ex nominatis pauci placebant, & habebat ipſe alios ſuo judicio digniores, & quos ſibi fidos exiſtimabat fore.*

V. Multa hic ſunt, quæ adnotari poſſent, ſed

Digitized by Google

ſed digniora notatu ſunt, multumque lucis afferunt noſtro §. quæ mox idem Auctor ſubjicit: *Cœpit itaque*, Pius nempe II. Pontifex, *ſingulos Cardinales alloqui, ut eorum præſentiret animos. Poſtquam vero magna ex parte ſibi ſatisfactum iri cognovit, vocato Conſiſtorio ſecreto ipſa quarta Feria, in qua creandis Cardinalibus ſermo fieri ſolet, in hunc modum præfatus eſt*: Meſſis quidem multa, Operarii autem pauci. Meſſis noſtra, Fratres, animarum ſalus eſt, ager in quo metimus Eccleſia, quam veſtro conſilio regendam accepimus, hanc contra Turcas, & infideles alios tueri debemus, ex hac tribulos, & malas herbas, hoc eſt, hæreſes, & pravos mores extirpare cogimur: ſi volumus meſſem ad aream Domini multam afferre, & denique puri, purgatique tritici in horreo multum recondere, vos ad hæc Operarii nobiſcum eſtis conſtituti, ſed pauci eſtis, & nonnulli ex vobis, aut ſenio, aut ægritudine impediti ſunt, ne ipſis vti poſſimus. Neceſſe igitur eſt, ut numerum veſtrum augeamus, & aliquos aſſumamus, qui debilium vires ſuppleant: curare tamen oportet, quamvis eſt eſt difficile, ut dignos tanto munere eligamus, ne dicat quiſpiam: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*: Verum ſi dignitas hæc merentibus danda eſt, in Cælo quæramus oportet, quos rubeo Pileo donemus: Nos tamen ut homines eligemus homines, quando non Cælum, aut Angelos, ſed terram, & homines recturi ſumus. Miramur autem, tantam eſſe petentium turbam. Nam quis eſt Clericali Charactere inſignitus, qui non ſe dignum Cardinalatus honore dijudicet? qui non petat, qui non inſtet, & inter candidatos, ut ita dicamus, videri, & eſſe velit? Nimium viluit hæc dignitas, quando vel pueri eam ſibi deberi exiſtimant; ſed incidimus in mores iſtos, non poſſumus prohibere petentes, non admittere facile poſſumus. Cogitate, qui ſunt idonei, de numero ipſi judicabimus; curaturi. ne vel nimietate vileſcat dignitas, vel paucitate Reipublicæ non ſatisfaciat.

VI. Hactenus Pii concio ad antiquos Cardinales de novorum Cardinalium creatione; eaque finita, ut idem Auctor ait, *nominavit, quinam eſſent vel per ſe ipſos, vel per alios Cardinalatum petentes. Conſenſere Cardinales, quinque aſſumi novos, ea lege adjecta, ut nepos unus eſſet. Pius, his obtentis,* ſextum, *inquit*, non negabitis, quem nominavero omni exceptione majorem, & quem procul dubio laudabitis nominatim. *Illi nominationem petere, Pontifex conſenſum exquirere ante nominationem. Vicit tandem Pius, & aſſenſu habito, ſextum nominavit Alexandrum Oliva de Saxoferrato oriundum, Ordinis S. Auguſtini Generalem Magiſtrum, Virum Theologum Doctrina celebrem, & vitæ ſanctitate illuſtrem, qui ubi nominatus eſt, non habuit aduerſarium.* Facta novorum Cardinalium electione, ut idem Auctor teſtatur, *non expectavit Pontifex ſextam Feriam, in qua pronunciari Cardinales, & publicari conſueverunt, ſed ipſa die, præter omnium opinionem, pronunciationem, & publicationem fecit. Quæ res non parvam moleſtiam antiquis Cardinalibus abſtulit, quibus ante ora competitorum nulla quies dabatur.* Porro viſus eſt Pontifex Italiæ optime conſuluiſſe, quinque Cardinalibus ex ea creatis, ſed, ut memoratus Auctor ſubdit, *rem quoque prius inauditam feciſſe, qui duos ex familia ſua Cardinales, & nepotem ſuum uno in Conſiſtorio creaſſet.* Illud vero laude dignum ſine controuerſia cunctos judicaſſe inquit, & primo quidem, *quod nominatus nemo tanta dignitate videbatur indignus, nec ullam aliquando creationem factam fuiſſe, quæ in tam parvo numero tot præſtantiſſimos Viros complexa fuiſſet. Secundo, quod abſque Principum interceſſione, excellentiſſimi Viri electi fuerant.*

VII. Quid poſt Pii II. Summi Pontificis obitum, ante electionem Pauli Papæ II. anno Chriſti MCDLXIV. ſtatutum in Conclavi fuerit de Cardinalium electione, præſertim circa articulum illum conſenſus Cardinalium antiquorum, jam dictum ſuperius fuit. Illud certe explicari ſatis nequit, quantam & ipſi Romani Pontifices, & Sacer Cardinalium Senatus, paſſi ſint ſemper vexationem ob novorum Cardinalium creationem, præſertim vero ſub Sixti Papæ IV. Pontificatu. Cum enim menſe Maji anno Chriſti MCDLXXIII. ut narrat Spondanus, octo creatis Cardinalibus, reſervatus fuiſſet Imperatori, Regi Francorum, & Ferdinando Neapolis Regi locus, uni creando, quem ſibi quiſque deposceret; petitum mox eſt, ut ſequenti menſe Junio nova fieret creatio, urgente maxime tanta inſtantia Ferdinando pro neſcio quo penitus indigno, ut minas etiam intentaret obliterationis omnium in ſe meritorum Eccleſiæ, & remiſſionis ſingulorum Cardinalium amicitiæ. Vnde, & multæ ortæ inter ipſos etiam Cardinales, nec non Pontificem contentiones pene vſque ad ſeditionem. Dilata tandem creatio uſque ad Natale Domini, ingenti præcipue mœrore Ferdinandi, qui per plures Litteras Senatus Cardinalium ſuadendus fuit immoderatam ſuam cupidinem temperare, poſtea evanuit prudentiorum Cardinalium arte. De quibus ſunt plurimæ Jacobi Cardinalis Papienſis Epiſtolæ, nempe DX. & aliæ ſequentes multæ ad diverſos datæ, quæ, & rem docent, & plane oſtendunt, *haud fuiſſe tunc ſolius Pontificis facultatis, niſi pleno, & ſummo jure agere voluiſſet, Cardinales quos vellet creare*, uti obſervat ad ipſum annum MCDLXXIII. Spondanus Num. XIV. ubi etiam notat varias ejuſdem Papienſis extare Epiſtolas, quales ſunt DCLVII. & aliæ ſequentes, de ſimili controverſia ſuſcitata anno MCDLXXVI. Porro teſtante Panvinio, *primus Papa Sixtus IV. nulla habita ratione Concilii Baſileenſis, ſupra omnes Prædeceſſores ſuos Cardinalium numerum maxime ampliavit, cujus exemplum optime ſequutus eſt Alexander Papa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum* LIII. *numerum exceſſit, ut eſſent videlicet plures quam* LIII. *quum nec eum numerum attigerint &c.*

VIII. Præterea, ut idem tradit Panvinius, *omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui Statuti ratione non habita in magna illa* XXXI. *Cardinalium creatione veterem, & antiquum, atque a nullo unquam Romanorum Pontificum exceſſum, numerumque longe ſuperarit. Nam ſub Leone X. plus minus* LXV. *Cardinales ſimul viventes fuerunt, quod nunquam alias contigerat poſt fundatam Romanam Eccleſiam. Ejus exemplum ſequuti ſunt Paulus III., & qui nunc vivit Paulus IV. Prior enim ad* LXIII. *numerum Cardinales auxit,*

Digitized by Google

auxit, sequens ad LXX. *quem quoque numerum nunquam fuisse satis constat*. Hunc numerum tanquam respondentem septuaginta Viris, quos de Senioribus in suum adjutorium ex mandato Dei assumsit Moyses, & septuaginta Discipulis, quos binos ante faciem suam misit Christus, retinendum decrevit Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit, *Postquam verus ille*, statuens, *ut inposterum connumeratis omnibus cujuscunque Ordinis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis prætextu, occasione, vel causa etiam urgentissima minime augeatur*; declarans, electionem, ac nominationem alicujus ultra dictum numerum *nullam, irritam, ac inanem*.

IX. Sicut circa numerum Cardinalium varia pro temporum varietate interceſſit disciplina, quam explicuimus Tom. IV. Conciliorum in Sessionem XXIII. Concilii Basileensis, ita & in veterum Cardinalium assensu, ubi novi Cardinales creabantur. Licet enim juxta morem, qui potissimum post Avenionense Schisma invaluit, non fuerit solius Pontificis facultatis, nisi pleno, & summo jure agere voluisset, ut notat Spondanus ad annum MCDLXXIII. Num. XIV. Cardinales quos vellet creare, sustulisse tamen demum eum morem videtur Leo Papa X. de quo ita scribit in ejus Vita Ciaconius: *Inconsultis Patribus, quod eis valde acerbum fuit, præter quatuor Cardinales jam restitutos, & quatuor alios anno* I. *sui Pontificatus creatos, unum atque triginta Cardinales elegit*. Recessit itaque, & merito quidem ab aula solemnitas illa, quam in Cæremoniali nostro, & in vetustioribus aliis monumentis legimus de antiquorum Cardinalium consensu in creatione novorum Cardinalium. Summus etenim Pontifex, nullo alio, seu paucorum postulato suffragio in unico Consistorio, & quocunque tempore, Viros sibi optime notos, Romanæ Sedi Consiliarios eligere, & sacra Purpura decorare potest, ut inter alios docet Jacobatius, *De Concilio*, Lib. VII. Articulo V. Num. CXVII., & post eum Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. IX. ubi etiam notat, quandoque Sacro instante Collegio Cardinales creatos fuisse, probatque exemplo præstantissimi Gulielmi S.R.E. Cardinalis Sirleti, ex marmoreo lapide, qui hodieque extat in Ecclesia S. Laurentij in Panisperna, ubi aliis omissis legimus: *A Pio IV. Pontifice Maximo, Sacro instante Collegio Cardinali creato*.

X. Unum est, quod in calce hujus Commentarii adnotem, id nempe, quod scribit Ciaconius de Cardinalium creatione facta a Leone X. Papa, *inconsultis Patribus*, intelligi quidem de aliis creationibus ab ipso Pontifice factis non autem de prima quatuor Cardinalium creatione habita anno I. sui Pontificatus, Christi MDXIII. die XXIII. Septembris, in qua, ut scribit Grassus in suo ms. Diario, Cardinales antiqui præsentes consenserunt voce, absentes autem Litteris, & quidem juxta Capitulum in Conclavi stabilitum, in quo Leo ipse fuerat electus: *Die Lunæ*, ait Grassus, *quæ fuit* XXIII. *Septembris* MDXIII. *Sanctissimus Dominus Noster Leo quatuor Cardinales creavit, sedentibus in Consistorio viginti Cardinalibus, atque aliis omnibus per Litteras consentientibus. Sic enim fuerat in Capitulo Conclavis stabilitum, ut Pontifex in Cardinalium creatione teneretur omnes Cardinales absentes a Bononia citra vocare, ut adessent, aut saltem, ut consentirent*. Itaque in hac prima creatione, quam initio Pontificatus Leo X. fecit, oportuit non modo præsentes Cardinales voce, verum etiam absentes per Litteras consentire. Id quod etiam constat ex ipsius Leonis Oratione ad novos Cardinales habita, quam recenset idem Grassus loco citato; estque hujusmodi: *Filii dilectissimi, profecto gratias agentes vos Deo in primis reddere oportet cum istis Reverendissimis Dominis Cardinalibus, qui vos ex infirmis, & simplicibus in tantum fastigium assumere dignati sunt, ut eisdem æquales fieri mereamini Cardinales, sicut ipsi; nempe maximam dignitatem ipsorum beneficio, & benignitate assequuti estis, quam si mente plena considerabitis, & agnoscetis, nunquam cessabitis in Dei Optimi Maximi laudatione, & gratiarum actione adversus præfatos istos Reuerendissimos Dominos. Nos quoque Personas vestras libenter proposuimus, quia maxime speramus, quod totis viribus incumbetis in honorem hunc, & onus digne sufferetis, & impleatis, quæ sunt ad id opportuna, quæ quamvis vos facturos speramus, hortamur tamen, & mandamus, ut ita vos in ipsa Cardinalatus dignitate geratis, quod nos de hujusmodi vestra promotione pœnitere nullo unquam tempore contingat. In Nomine Patris &c.*

VI. Refert hæc in suo ms. Diario Grassus, subditque mox, quod, *his dictis, novelli singuli absque eo quod aliquid particulare responderent, assurrexerunt, & pedem, & manus, & faciem Papæ ab utroque latere osculati sunt, dicentes*: Ago gratias Deo Omnipotenti, & Sanctitati vestræ. *Et demum ad dextrum latus Papæ stantes se se locaverunt. Deinde ad Cardinales fecerunt inclinationem profundam, & osculati sunt ab utroque latere singulos; tum firmaverunt se se ad sinistram Papæ, ubi cum vellent iterum genuflectere, prohibuit &c.* Cardinales ipsi teste Grasso, fuerunt Laurentius Pucius Florentinus nuper Datarius, Julius de Medices Florentinus consobrinus Papæ, Dominicus Bernardinus de Bibiena Florentinus Alumnus Papæ, & Thesaurarius, Dominicus Innocentius Cybo nepos Papæ ex sorore natione Januensis ex Domino Francisco Cybo filio Joannis Baptistæ Cybo, qui postea fuit Innocentius Papa VIII. Sed de his vide Ciaconium.

§. III.

De secundo Consistorio, & forma pronunciandi Cardinales.

Sexta Feria iterum conveniunt Patres ad secretum Consistorium, & (1) proponit Pontifex nomina illorum, qui sibi videntur idonei ad talem dignitatem, & causas, cur ad

(1) deest & in editione Veneta, & Coloniensi, sed legitur in Romana.

Digitized by Google

ad id moveatur, exponit, sive sint merita personarum, sive Principum justæ preces. Rogat (1) Patres sententiam, & in quibus major pars Collegii consentit, illi tantum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales a Pontifice pronunciantur in hanc formam: *Auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, N. Episcopum Firmanum absolvimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiæ suæ Firmanen., & ipsum assumimus in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, & B. Protonotarium Senen. assumimus in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem*; & sic de singulis. Sic vero aliquis non erat prius Episcopus, non dicit, *absoluimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiæ &c.*, sed simpliciter dicit, *assumimus*.

COMMENTARIUS.

I. QUI ritus vel olim servaretur in secundo Consistorio fieri solito in Feria VI. Quatuor Temporum circa novorum Cardinalium pronunciationem, docet nos Romanus Ordo XIV. Auctore Gaetano, Cap. CXVI. & ms. Codex Cæremonialis Piersanctianus, Capite inscripto, *Quæ fiunt per Papam die Veneris Quatuor Temporum*, sic inquiens: *Die Veneris vero sequenti mandatur in Consistorio per Dominum Papam duobus Cardinalibus, quod vadant ad requirendum, & habendum consilium Cardinalium absentium super personis in Cardinales de novo creandis. Quo consilio habito, veniunt ad Consistorium, dum Dominus Papa audit consilia auricularia Cardinalium, & ei referunt ad partem, dum est in Cathedra sua, consilia Cardinalium absentium*. Pergit laudatus Ordo, & ms. Cæremonialis Codex, subditque: *Qua die Veneris, facta primitus reverentia Papæ per Cardinales, Papa mandat, quod portetur Cathedra nuda. Quo dicto, Cardinales omnes exeunt Consistorium, & ponunt se in fine Aulæ, vel Cameræ, quæ est prope Consistorium, excepto priore Episcopo Cardinalium, qui remanet ibi, & ponit se ad sedendum supra Cathedram nudam, quæ debet esse ad latus Papæ dextrum parata*. Neque omittenda, quæ in eodem Ordine, & ms. Cæremoniali leguntur, multum enim lucis afferunt explicando nostro Cæremoniali, priscumque ritum egregie enarrant: *Dominus Papa*, inquit, *consuevit dicere illi Cardinali, & aliis post eum venientibus secundum ordinem suum*: Nos cogitavimus de talibus personis, *quas ibi nominat*. Dicatis quid vobis de ipsis, vel aliis, videtur, esse fiendum. *Tunc Cardinalis ille, & alii successive postea per ordinem suum venientes respondent quid eis videtur, secundum quod eis Deus ministravit; & cum omnes Cardinales successive secundum ordinem suum responderint, omnes redeunt ad sedendum in Consistorio secundum ordinem suum*.

II. Sapiunt præterea antiquum ritum quæ mox in laudato Romano Ordine, & Cæremoniali sequuntur, ubi non modo expressa fit mentio antiquorum omnium Cardinalium consensus, vel majoris eorum partis in nouorum Cardinalium creatione, verum etiam verborum formulæ, qua vel olim vtebatur Pontifex, cum Cardinales creabat: *Quo facto, Dominus Papa consuevit eis dicere*: Deo gratias, Nos habemus de personis concordiam omnium Fratrum; *vel majoris partis, secundum quod fuit; nihil tamen aliud super ipsa concordia specifice exprimendo, & immediate ibi ipse creat Cardinales tam præsentes in Curia, quam absentes, dicendo*: Auctoritate Dei Patris Omnipotentis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, talem, *si sit Prælatus*, absolvimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiæ suæ, & ipsum assumimus in Presbyterum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. *Vbi ille non esset Prælatus, dicit*: Talem assumimus in Presbyterum Cardinalem, *vel* in Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, *secundum quod eidem Domino Papæ magis placebit super hoc ordinare*. Vel ex hac antiqua creandi Cardinales formula addiscimus, cum quis olim Cardinalitia insigniebatur dignitate, omnibus suis ante habitis, ipsoque etiam Episcopatu illico illum fuisse exutum, nisi Pontificis interveniret dispensatio, qui etiam eidem Episcopatum suum ad aliquod tempus commendare solitus erat; uti nos docet exemplum Joannis Papæ XXII. qui cum anno Christi MCCCXXX I. ad preces Gallorum Regis Philippi, Cardinalium Collegio adscripsisset Episcopum Altisiodorensem Talarandum, veniam ei fecit, ut bimestri tantum spatio reditus Ecclesiæ suæ retineret, ad itineris expensas. Sic enim Joannes ipse Pontifex ad Regem scripsit, VIII. Kalendas Junij anno MCCCXXX I. apud Raynaldum, Num. XXX III. *Vt in veniendo possit expensas habiliter supportare, eidem dictam Altisiodorensem Ecclesiam de Fratrum nostrorum consilio vsque ad instans Festum Mugdalenæ duximus commendandam*.

III. Teste eodem Raynaldo, Clemens Papa VI. anno MCCCXL IV. cum Episcopum Atrebatensem Cardinalatus Purpura exornasset, a vinculo eum prioris absolvit Ecclesiæ, juxta formulam creandi Cardinalem, qui erat alicui Episcopatui alligatus: *A vinculo, quo Atrebatensi tenebaris adstrictus, per Nos de potestatis plenitudine absolutum ad Cardinalatus duximus assumendum*. Ex quibus verbis apertissime demonstratur quam non cohæreret olim Cardinalatus cum Episcopatu, exceptis iis Episcopalibus Ecclesijs, quæ Tituli Cardinalium ipsæmet sunt; estque hæc vetus disciplina, cui inhærens Innocentius Papa IV. circa annum Christi MCCXL I. ut tradit Synodocon Rotomagense pag. 251. transtulit Episcopum Rotomagensem ad Ecclesiam Albanensem, qui Titulus est Episcopi Cardinalis, Successoremque dedit in Ecclesia Rotomagensi Abbatem Sancti Dionysii. Certe quod donatus Cardinalitia dignitate, illico Episcopatu, siquem habebat, exueretur, jam multi oblatam sibi Purpuram abnuebant. Refert Theodericus de Niem, Lib. I. *De schismate*, XL III. allectos Cardinalium Collegio

(1) Ita in Romana editione, in Veneta, & Colonienſi legitur: *Rogantur Patres ſententiam*.

Digitized by Google

legio ab Urbano Papa VI. tres Electores Imperii, eosdemque Archiepiscopos, cum aliis Germaniæ Episcopis, omnes abnuisse, & dissensu suo spem frustrasse Pontificis, licet is ultro largiretur, ut simul propriæ administrationem Ecclesiæ retinerent: *Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licet Papa Archiepiscopis, & Episcopis præfatis Ecclesiarum sibi commissarum administrationem in spiritualibus, & temporalibus, quoad viverent, eis etiam non petentibus conservasset*. Specialis erat gratiæ, & arbitrarii beneficii, quod Archiepiscopatus, & Episcopatus suos retinere permitterentur. Maluere ergo illi Germanici Principes Imperii Ecclesias suas jure suo, quam alieno beneficio; Titulo, quam Commenda, possidere, ut observat Thomassinus Parte II. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap.v. Num.XII. ubi etiam ex eodem Scriptore Niemo refert, adscriptum a Gregorio XII. Cardinalium Collegio Episcopum Vormaciensem recusasse eam Eminentissimam Dignitatem, veritum, ne ea admissa daretur sibi Successor in Ecclesia Vormaciensi: *Episcopum Vormaciensem Gregorius XII. fecit Cardinalem, sed noluit acceptare, timens forte, quod si illum acceptaret honorem, alius sibi subrogaretur Antistes in Ecclesia Vormaciensi*. Verba sunt Theodorici de Niem, Lib. III. Cap. XXXIX,

IV. Verum ut dilucidius adhuc fiat, quam non possit Episcopatus cum Cardinalatu consistere præter sex illos Cardinales Episcopos, scitissime idem Thomassinus notat, repulsam passos fuisse ab Innocentio Papa III. Ravennates, qui Cardinalem postulabant in suam Rauennatem Ecclesiam Episcopum, ajente Pontifice, eum Cardinalem Romæ sedentem, non uniuersali tantum, sed & ipsi Ravennati Ecclesiæ, utilitati, & ornamento majori futurum, quam si Ravennati Ecclesiæ affixus fuisset. Extat Pontificis Rescriptum in Capite, *Bonæ memoriæ, De postulatione Prælatorum*, ubi ita inquit: *Considerantes, quod ejusdem Cardinalis præsentia utilior sit, non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali, tam apud Apostolicam Sedem, quam apud Ecclesiam Ravennatem. Unde non immerito præferentes speciali utilitati communem, & minori majorem, prædictum Cardinalem vestræ postulationi non duximus concedendum*. Non postulabantur, nisi qui ex Regulis Juris eligi non possent. Responsio Pontificis abnuentis, & ratio ab eodem depromta eandem produnt legem non sociándi unquam Episcopatus cum Cardinalatu. Non dissimulabat enim Innocentius, si Ravennatis Ecclesiæ Sedem Cardinali indulsisset, Roma illi demigrandum, Ravennam concedendum post hac fuisse, & ab eis cessandum officiis, quibus de Ecclesia uniuersa benemerabatur. Certissime tamen ejusdem Pontificis creberrimæ fuere Epistolæ ad Willelmum Archiepiscopum Remensem, & Episcopum S. Sabinæ Cardinalem, quem ea dignitate auxerat Alexander Papa III. Erat ille Ludouico VII. & Philippo Augusto Galliæ Regibus arctis cognationis nexibus vinctus, ideoque non mirum, si favori Regum, aut Archiepiscoporum, Episcoporumque splendidissimis natalibus donaretur, ut cum eis præter avitas Ecclesiæ leges, in ejusdem Ecclesiæ bonum, dispensaretur.

V. Sequioribus seculis ea certe fuit causa necessaria permittendarum Cardinalibus Ecclesiarum, quas prius regebant, quod alioqui abnuebatur Cardinalatus, in quo tamen Ecclesiæ universæ operam industriamque suam utilius tum nauassent. Anno MCDXXVI. a Martino V. albo Cardinalium inscriptus est Joannes de Rochetaille Archiepiscopus Rotomagensis, solutusque vinculo, quo ei Ecclesiæ illigabatur, quamvis & eam retinere sineretur, quod jam sæpissima ea indulgentia utendum fuisset, ne a Cardinalatu resilirent, qui eo collato, prioribus omnibus Beneficiis excutiendi erant: *Quod aliquibus de Ecclesiis, quibus præerant evocatis ad statum Cardinalatus, ex hujusmodi causa eædem Ecclesiæ sunt dimissæ, per illos sicut antea in spiritualibus, & temporalibus gubernandæ*; & hoc sæpius expertum est Ecclesiis talibus profuisse. Verba ea ipsissima sunt Pontificii Rescripti. Invaserat tunc Rex Angliæ plerasque Gallicani Regni Provincias, & Civitates; concessumque iccirco fuit huic Cardinali, ut Archiepiscopatum retineret, ea cautione, ut cum primum assentiretur Cardinalatui accipiendo, a Regiis Ministris occuparetur Ecclesia Rotomagensis, ut jure Regaliæ vacans, nec ei restitueretur, nisi post novum fidei sacramentum in Cancellarii manus præstitum, pollicitoque Roma redituram, aut undecunque, quando a Rege reuocaretur, ut tradit Marcha in Præfatione Operis, *De Concordia*, Num.XIV.

VI. Priscam illam legem, quæ Cardinalatui vetat sociari Episcopatus, renovare conati sunt quidem Cardinales illi, & Consultores, quos initio Pontificatus percontatus est Paulus III. ad mores Ecclesiæ meliorem in formam revocandos. Fidenter hi inter alia Pontifici renunciarunt, una consistere, & sociari, non posse Cardinalatum & Episcopatum, quod ex officio tenerentur Cardinales apud Apostolicam Sedem residere, & Pontifici colloborare in regenda Ecclesia universali: *Alius abusus invaluit*, inquiunt, *ut Reuerendissimis Cardinalibus Episcopatus conferantur, seu commendentur, non unus tantum, sed plures; quem, Beatissime Pater, putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei. Primo quidem, quia officium Cardinalatus, & officium Episcopi incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuæ pro gubernanda uniuersali Ecclesia; officium autem Episcopi est pascere gregem suum, quod præstare bene, & ut debet, haud potest, nisi habitet cum ovibus suis, ut Pastor cum grege. Præterea, Pater Sancte, hic usus magis obest exemplo. Quomodo namque hæc Sancta Sedes dirigere & corrigere aliorum abusus poterit, si in præcipuis membris abusus non tollentur. Nec ob id, quod Cardinales sint, putamus, eis magis licere transgredi legem, imo longe minus. Horum enim vita debet esse aliis lex; nec imitandi sunt Phariſæi, qui dicunt, & non faciunt, sed Christus Salvator noster, qui cœpit facere, & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ. Nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt Cardinales a Regibus, & Principibus Episcopatus, a quibus postea dependent, nec possunt sententiam dicere; imo si possent, & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideo ultimum hic mos tolleretur, si prouiderentur Cardinalibus, vt possent honeste pro dignitate vivere, omnibus æquales reditus. Quod putamus, facile fieri posse, si vellemus*

Digitized by Google

lemus abjicere servitutem mammonæ, & Christo tantum servire: Ita illi. Admirabilius autem illud est, quod Consultores ii, quorum plures Cardinales erant, tam vehementer exarserint adversus eam licentiam, qua Cardinales Episcopatus gerebant, vel Titulo, vel Commenda, & quidem plures quandoque.

VII. Utcunque demum obviatum est malo, quod maxime reformidabatur, aucto Cardinalium numero usque ad septuaginta, cum viginti circiter essent olim, quando vigebat ea lex, quæ eos Episcopatibus arcebat. *Itaque*, vti observat laudatus Thomassinus loco citato, Numero XIII. *tam pauci numero cum essent, vix Romæ, & Pontifici suffurari se poterant. At vero nunc, & satis magno numero, poterunt Romæ supereſſe, & reliquis Episcopalibus Ecclesiis per Orbem, quibus affixi fuerint, præsidere, & Concilii Tridentini Decretis obsequi*. Mandat enim Concilium tum alibi, tum Sessione XXIII. *De reformatione*, Cap. 1. Episcopos, *etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur*. Inde est quod fatetur Fagnanus in Capite, *Bonæ memoriæ, De postulatione Prælatorum*, nulla jam dispensatione opus esse, ut Episcopatum priorem retineat, qui Cardinalatu decoratur. Fatetur tamen ipsemet, longe optatius, & conducibilius fore, ut alia suppeditarentur Cardinalibus vitæ, & dignitatis sustentandæ adminicula, Ecclesiis vero non adsignarentur, nisi Pastores ii, qui illis abesse, & subducere nunquam cogerentur: *Fateor tamen*, inquit Num. XXXIII. *consultius fore, ut aliunde suppeditentur S.R.E. Cardinalibus necessaria ad eorum dignitatem decenter sustinendam, & Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis præficiantur Pastores, qui possint in illis assidue residere sine detrimento Ecclesiæ universalis &c.* Ceterum docet ibidem Fagnanus, declaratum fuisse a Sacra Congregatione Tridentini Concilii Interpretum, non posse Cardinales retinere nisi unam Cathedralem Ecclesiam sive Titulo, sive Commenda, neutiquam autem alteram Titulo, alteram Commenda, quæ mera fuerat aliquando Juris ludificatio. Cum enim perpetuæ jam sint Commendæ, merito Tituli instar se habent, uti varii Auctores jam adnotarunt. Atque hæc satis sint ad explicationem primæ partis hujus nostri §.

VIII. Spectat & ad hunc nostrum §. Decretum Sanctissimi Domini nostri BENEDICTI XIV. Papæ, quod inter Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, & inter Acta Consistorialia jussu ejudem Pontificis relatum est: *Cum spirituale*, inquit, *conjugium, quod inter Episcopum, & Ecclesiam, cui præficitur, contrahitur, initum intelligatur in electione, ratum in confirmatione, & in consecratione consummatum, sibi vindicet locum etiam in Episcopis, qui Titulares vocantur, & Ecclesiæ præficiuntur ab Infidelibus occupatæ, qua de causa, cum hi ad aliam Ecclesiam transferuntur, a vinculo prioris Ecclesiæ a Romano Pontifice absolvuntur; cumque de hujus vinculi absolutione nulla fiat expressa mentio, quando aliqui ex dictis Titularibus Episcopis inter S.R.E. Cardinales cooptantur, quamvis de Ecclesiarum vacatione in terris Infidelium, quibus ante Cardinalatum fuerant præfecti, nulla sit dubitatio; Cardinales etenim eosdem non retinent cum Cardinalatu, Summique Pontifices alios iisdem Ecclesiis, cum volunt, præficiunt: Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTVS PAPA XIV. ratus non decere, ut sine expressa vinculi absolutione inposterum præficiantur alii Episcopatibus sitis in Terris Infidelium, quibus fuerant præfecti illi, qui in Sacrum Cardinalium Collegium cooptantur, nec in more positum esset, ut Cardinales prædictos retineant Episcopatus, mandat, ut in Decreto assignationis Tituli Cardinalitii hæc in posterum verba adhibeantur*: Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra absolvimus Te a vinculo, quo tenebaris, Ecclesiæ N. & committimus Tibi Ecclesiam Sancti N. cum Clero, & Populo, & Capellis suis secundum formam, qua committi consuevit Cardinalibus, qui eamdem Ecclesiam in Titulum habuerunt: In Nomine Patris &c. *Quod Decretum Sanctitas Sua mandavit tum Secretario Sacri Collegii, tum primo Magistro Sacrarum Cæremoniarum, ut inter Acta Consistorialia referatur, necnon inter Diaria, quæ a Magistris Cæremoniarum describuntur, & quod hæc nova forma adhibeatur prima vice in Consistorio, in quo Titulus Cardinalitius assignabitur Cardinalibus Oddo, & Lanti, quibus hac ipsa die in Consistorio publico traditur Pileum Cardinalitium. Hac die* XI. *Martii* MDCCXLV.

Ignatius Reali Apostolicis Ceremoniis Præfectus.

§. IV.

Infirmorum vota exquirenda per duos Cardinales.

Et advertendum, quod siqui antiqui Cardinales sunt in Curia, qui infirmitate detenti non possunt venire ad Consistorium, consueuit Pontifex duos alios Cardinales ad Domum infirmi mittere, qui ab illo exquirant votum suum, primo die, & secundo, an sint novi creandi, & de numero, & postea de personis, qui omnia fideliter referant Sanctissimo Domino Nostro in secreto Consistorio coram aliis Cardinalibus. Creatis novis Cardinalibus ipsa sexta Feria, Pontifex, sive Cardinales antiqui solent per suos Nuncios id significare noviter creatis.

COMMENTARIUS.

I. QUod hunc §. spectat, ubi primum edicitur, quod in creatione novorum S.R.E. Cardinalium, *siqui antiqui Cardinales sunt in Curia, qui infirmitate detenti, non possunt venire ad Consistorium, consuevit Potifex duos alios Cardinales ad Domum*

mum infirmi mittere, qui ab illo exquirant votum &c. jam nonnihil diximus in Commentario ad §. 11. ubi antiquum Pierſanctiani ms. Rituali Codicis locum de ea re inſignem retulimus. Unum autem hic addi poteſt, quod de abſentium Cardinalium votis in ſuo ms. Diario tradit Franciſcus Mucantius Cæremoniarius Apoſtolicus enarrans geſta Pontificatus Gregorii Papæ XIII. Sic enim ſcribit ad diem 11. menſis Junii anni MDLXXII. ubi agit de creatione Cardinalis Philippi Boncompagni, laudati Papæ ex fratre nepotis, ad inſtantiam Sacri Collegii: *Abſentium autem Cardinalium vota, miſſo aliquo ſecreto Cubiculario ſuæ Sanctitatis, per ſingraphum ſigillo clauſam capiuntur*. Sed hæc mera cæremonia eſt, veſtigiumque moris antiqui, de quo ſupra in Commentario ad §. 11. abunde diſſeruimus, ubi inter alia notavimus, non teneri Pontificem in creandis novis Cardinalibus, antiquorum vota ſequi, etiamſi omnes ejus ſententiæ ſe opponerent, multoque minus, ſi pauci aduerſarentur, uti contigit in creatione Nicolai Cardinalis Coſciæ facta a Benedicto Papa XIII. anno MDCCXXV. die XI. Junii, quam, paucis quibuſdam contradicentibus, ceteri commendarunt, ac nonnulli etiam ſummis laudibus extulerunt.

II. Sed his omiſſis, notanda ſunt inſuper, quæ hic noſter §. docet; *Creatis*, inquit, *novis Cardinalibus ipſa ſexta Feria, Pontifex, ſive Cardinales antiqui, ſolent per ſuos Nuncios id ſignificare noviter creatis*. Juxta præſcriptum Romani Ordinis XIV. Cap. CXVI. & Pierſanctiani ms. Codicis Cæremonialis, quod plane antiquum eſt, & exaratum Seculo XIV. *Cardinalibus creatis, Dominus Papa vadit ad Cameram ſuam, & Cardinales ibidem publicant proviſiones novorum Cardinalium quibus eis placet. Dominus vero Papa interdum ibidem cum ad Cameram ſuam redierit, conſuevit novis Cardinalibus creationem de eis factam mandare per Domicellum ſuum, interdum non*. Domicellus hic idem eſt, qui Camerarius, Cuſtoſque Cameræ Papalis, uti ex recitato hactenus loco non obſcure addiſcimus, Domicelli etiam dicuntur nobiliores e familia Cardinalium, ut idem Romanus Ordo XIV. nos docet, Cap. XLIII. ubi poſtquam dixit, comeſtione ſumta, Papam lavare manus, ut prius, miniſtrantibus ſibi duobus Diaconibus Cardinalibus, fundente ſibi aquam Epiſcopo Cardinali, ita ſtatim ſubjicit: *Et ſimiliter quilibet Cardinalis lavabit manus, Domicello fundente aquam Cardinali lavanti*.

§. V.

Quod noviter creati Cardinales non ſunt publice viſitandi, antequam Capellum acceperint, & viſitaverint.

Sed non debent prius viſitari publice novi ab antiquis, quam Capellum acceperint a Pontifice, & alios ipſi viſitaverint; poſſunt tamen ab aliquibus amicis viſitari clam, & noctu, & non cum oſtentatione. Vidimus tamen Sixti præfati tempore ſolitam Cardinalium gravitatem non fuiſſe ſervatam, qui non modo publice viſitarunt aliquos novos creatos, ut primum e Conſiſtorio ſunt egreſſi, ſed nonnullos, qui erant in Palatio, omnes ſimul collegialiter deduxerunt ad Domum ſuam cum Cappa Cardinalari, & Galero (1) nigro, quod tamen fuit a multis damnatum.

COMMENTARIUS.

I. LUbet hoc loco referre quod uſum ſui temporis carpens, ſcriptum reliquit in ſuo ms. Diario Gregorii Papæ XIII. doctiſſimus Franciſcus Mucantius Ceremoniarius Apoſtolicus, ubi ad diem II. menſis Junii anni MDLXXII. creationem deſcribit Cardinalis Philippi Boncompagni laudati Pontificis ex fratre nepotis: *Die ſequenti*, inquit, *ſecunda dicti menſis fuit Conſiſtorium ſecretum, in quo ad petitionem, & inſtantiam omnium Eminentiſſimorum Cardinalium creavit*, Gregorius ſcilicet XIII, *Cardinalem Revcrendiſſimum D. Philippum Boncompagnum ejus ex fratre nepotem, & proviſum fuit de multis Eccleſiis vacantibus. In fine Conſiſtorii prædictus Reverendiſſimus Dominus Philippus fuit per Magiſtros Cæremoniarum introductus in Conſiſtorium, ubi factis debitis reverentiis, genuflexus ſuper ſcabello ante pedes Papæ, accepit ab eo biretum rubeum, & ſtatim oſculatus fuit pedem, & manus ejuſdem, & ſublatus ad oſculum oris. Tum ivit ad ſingulos Reverendiſſimos Cardinales per ordinem, incipiendo a Decano, agens gratias, factis mutuis inclinationibus. Antiqui vero Cardinales ipſum amplexabantur, atque ab utroque faciei latere deoſculabantur, prout modernis temporibus fieri conſuetum eſt*. Hactenus ritus ſervatus anno MDLXXII. in creatione Cardinalis Boncompagni nepotis, ut dictum ſuperius fuit, Gregorii Papæ XIII, & a laudato Mucantio deſcriptus loco citato.

II. Hæc autem facta præter ordinem in Cæremoniali Libro deſcriptum, ideoque addendum eſſe dicto Libro Cæremoniali, cum reformabitur, vel reſtituendum uſum priorem, notavit ibidem memoratus Franciſcus Mucantius. Nam in Libro I. inquit, Sectione VIII. expreſſe cavetur, Summum Pontificem, cum novos Cardinales creare intendit, quarta Feria Quatuor Temporum, convocatis omnibus Cardinalibus in Curia exiſtentibus ad ſecretum Conſiſtorium, generaliter proponere, an ſint creandi Cardinales, & quot; quod ſi de voto eorum affirmative concludatur, indici in ſextam Feriam ſequentem aliud Conſiſtorium, & in eo per Pontificem proponi nomina & merita promovendorum,

(1) Ita in editione Veneta & Colonienſi, in Romana legitur: *Capello*.

Digitized by Google

rum, ac de voto majoris partis Cardinalium per eundem Pontificem pronunciari Cardinales per verba in eodem Libro descripta ; & si forte aliqui Cardinales impediti, seu infirmi reperirentur in Curia, qui interesse Consistorio non possent, eorum vota per duos Cardinales a Pontifice missos exquiri. Qua electione & creatione concluſa, & dimisso Consistorio, significari illam per Nuncios Pontificis, seu etiam antiquorum Cardinalium ipsis noviter electis, qui, antequam eis in publico Consistorio detur a Pontifice Galerus, & ipsi alios visitaverint, non debent publice visitari ab antiquis Cardinalibus. Atque hæc plane sunt quæ in nostro Cæremoniali quod Patricius ordinavit, statuuntur, quæque partim jam a nobis explicata fuere in Commentariis superioribus.

III. Sed dolet Mucantius, quod suo tempore a Gregorio Papa XIII. in memorata Cardinalis nepotis sui creatione, ac etiam a nonnullis aliis Romanis Pontificibus Gregorii Prædecessoribus longe diversus, ac pene contrarius modus servatus fuerit, ac etiam servetur, Siquidem non semper adventus Quatuor Temporum expectatur, nec pluribus Consistoriis res agitur, sed omnia ad libitum Pontificum regulántur ; & uno eodemque Consistorio utplurimum expediuntur. Absentium autem Cardinalium vota, misso aliquo secreto Cubiculario suæ Sanctitatis, per singraphum sigillo clausam capiuntur. Quin etiam qui noviter creandi sunt, existentes in Curia, dum Consistorium fit, congregantur in aliquam Aulam Consistorio proximam ; mox vocantur in Consistorium, ubi statim ingressi, ter versus Pontificem genuflectunt, ac demum genuflexi super scabello ante pedem Pontificis capiunt ab eo biretum rubeum ; quo accepto, osculantur pedem, manum, & os Pontificis ; deinde adeunt per ordinem singulos Cardinales in gyrum stantes quasi gratias agentes ; ipsi vero seniores in signum fraterni amoris eos amplexantur, & facie ad faciem deosculantur ; ac discedente demum Pontifice, unusquisque ad proprias mansiones revertitur. Hæc tamen non semper uno eodemque modo servata fuere, ut scite docet memoratus Mucantius, qui etiam mox diversorum Pontificum exempla in eam rem affert,

IV. Tempore quidem Sixti Papæ IV. ordo antiquus cæremoniarum prædictus in omnibus observabatur, nisi quod Cardinales novi, antequam recepissent Galerum, non solum visitabantur ab antiquis, sed nonnulli ex his, qui in Palatio erant tempore eorum promotionis, fuerunt a toto Collegio Cardinalium cum Cappa & Capello nigro associati usque ad eorum domos, sicut fieri solet in die Consistorii publici, prout de hoc in prædicto Cæremoniali Libro habetur mentio. Quod tamen a multis fuisse reprehensum, ibidem dicitur. De traditione autem bireti rubei nulla in eo Libro fit mentio. Tempore vero Innocentii Papæ VIII. ejusdem Sixti immediate Successoris in unica illa promotione octo Cardinalium, quam in toto ejus Pontificatu fecit anno MCDLXXXIX. die IX. mensis Martii, Pontificatus sui anno V. qui ex creandis præsentes erant in Curia, congregarunt se in quibusdam Aulis Palatii, ubi expectarunt, donec vocarentur. Demum fuerunt introducti in Consistorium secretum, quibus Papa paucissimis verbis monitis, significavit, eos Cardinales creasse, cui ipsi Cardinales novi gratias egerunt, osculando pedem, manum, & os illius ; mox ad Cardinales antiquos in gyrum stantes iverunt gratias agentes, & illis inclinatis, a quibus in amplexum fuerunt recepti ea forma qua supra dictum fuit. Et finito Consistorio, fuerunt ab universo Collegio Dominorum Cardinalium associati non quidem ad eorum domos, sed usque ad quandam Aulam Cardinalis tunc Aurienſis in ipso Palatio existentis, sed in propriis eorum mantellis, & biretis, quibus ante promotionem utebantur, quæ bireta in die Consistorii publici dimittebant, & capiebant ex se ipsis rubra, ut notavit Joannes Brucardus Magister Cæremoniarum ejus temporis sub dicta die IX. Martii, & die XIV. ejusdem mensis,

V. Alexander VI. Innocentii VIII. Successor plures Cardinalium promotiones fecit, sed de prima, in qua unicum Cardinalem Joannem Borgiam, ac etiam de secunda, in qua XII. creavit, nihil se reperisse annotatum cæremoniarum ait Mucantius. In tertia vero, qua Gulielmum Brissonetam Gallum Episcopum Maclonienſem ad instantiam Caroli VIII. Regis Franciæ ibi tunc præsentis Cardinalem creavit die XVI. Januarii anni MCDXCV. uno & eodem tempore dictus Episcopus indutus fuit Cappa Cardinalitia, introductus in Consistorium, creatus fuit Cardinalis, & recepit Pileum, teste Brucardo, qui nihil dicit de bireto rubro, sed imo refert, habuisse tunc illum biretum nigrum. Sic & in altera promotione alterius Cardinalis Galli ad instantiam ejusdem Regis sub die XXI. ejusdem mensis & anni nihil reperitur circa Cæremonias. In alia autem promotione, & quarta, qua publicavit quatuor Cardinales sub die XIX. Februarii anno MCDXCVI. tres ex his præsentes in Curia introducti fuerunt in Consistorium, & osculati sunt pedem, manum, & os Papæ ; deinde singulatim ab omnibus antiquis Cardinalibus ibi existentibus recepti ad osculum, & demum ab eisdem fuerunt associati usque ad Cameram Cardinalis Valentini in Palatio, Papa sic jubente, & male, ut annotavit idem Brucardus ; qui etiam dicit in fine, eos accepisse biretum de scarlato, sed non dicit a Papa, putatque Mucantius, quod ex seipsis receperint, prout in altera promotione XII. Cardinalium ab eodem Pontifice Alexandro facta sub die XXV. Septembris anno MD. in qua pariter Cardinales novi præsentes fuerunt in Consistorium recepti cum eisdem cæremoniis proxime dictis, & demum associati ad Cameras Ducis Valentini, cum quo fuerunt in prandio, & acceperunt ex seipsis bireta rubea, postquam egressi fuerunt Consistorium, ut ibidem Brucardus annotavit. Fecit idem Pontifex Alexander & alias promotiones, in quibus nihil circa cæremonias reperitur,

VI. Tempore vero Julii II. Papæ in prima promotione Cardinalium, qua creavit quatuor Cardinales, nullus ex eis etiam, qui in Urbe erant, venit in Consistorium ad agendas gratias Papæ, nec Cardinalibus, nec mutarunt bireta, nec vestes, usque ad diem Consistorii publici, quod factum fuit ex consilio Brucardi tunc Cæremoniarum Magistri, ut ipsemet notavit sub die IX. Novembris anno MDIII. In secunda vero promotione novem Cardinalium ab eodem Julio Papa II. facta, licet idem Pontifex a dicto

Bru-

Digitized by Google

Brucardo tunc Episcopo Ortano & Cæremoniarum Magistro admonitus fuisset, Cardinales novos non debere ingredi Consistorium, nec aliquas Cæremonias fieri, antequam ipsi Cardinales novi in Consistorio publico receperint de manu Papæ Galerum, voluit nihilominus, ut omnes coadunati in quadam Aula expectarent, donec vocarentur in Consistorium, prout postea vocati fuerunt, & unusquisque eorum suo ordine osculatus fuit primo pedem, deinde manum Papæ, & mox receptus a Pontifice ad osculum faciei, sedentibus interim Cardinalibus antiquis. Quo facto, iverunt omnes novi per ordinem ad Cardinales antiquos in gyrum stantes, illis gratias agentes, a quibus osculati fuerunt ab utroque latere faciei, & demum discedente Papa a Consistorio, omnes antiqui Cardinales associaverunt novos usque ad primam Aulam, & ibi denuo congratulationes, & gratiarum actiones inter eos habitæ, sic Papa jubente de voto Cardinalium seniorum, testantium, talem esse consuetudinem, quamquam præter regulas, & debitum Cæremoniarum ritum, ut notavit laudatus Mucantius.

VII. Demum cum Papa ipse Julius II. eosdem Cardinales novos habuisset secum in prandio in eorum habitu Prælatitio, ex persuasione prædicti Brucardi, peracto prandio, allata fuerunt plura bireta rubea nova, singulisque novis Cardinalibus ante se genuflexis unum ex illis capiti imposuit, nihil pro eo actu dicens, sed tantummodo jocosa quædam verba pro hilaritate proferens: Illi autem, biretis receptis, osculati fuerunt pedem Papæ gratias agentes. Nec puto, inquit Mucantius, ante hac memoriam extare, Pontifices suis manibus bireta nova Cardinalibus imposuisse, vel eadem illis absentibus transmisisse, prout hæc omnia, & alia multa ad eam rem pertinentia latissime in suis mss. Diariis descripsit Paris de Grassis Bononiensis tunc junior Cæremoniarum Magister sub die XII. Decembris anni MDV. & pariter Brucardus sub eadem die & anno. Idem in omnibus aliis promotionibus observasse eumdem Pontificem Julium II. legimus præsertim in ultima ejus promotione, quam fecit Ravennæ novem Cardinalium sub die X. Martii MDXI. eo tantum excepto, quod Cardinales novi præsentes post Consistorium non fuerunt a ceteris antiquis associati ad aliquam Aulam, sic Papa jubente, quia voluit illos apud se retinere & eos alloqui dimisso Consistorio, ac secum in prandio habere, ut idem Paris adnotavit sub dicta die X. Martii. Atque hæc sunt quæ in Pontificatu Julii II. servata fuerunt, cujus Successor Leo X. eundem ordinem servare voluit in promotionibus Cardinalium tempore sui Pontificatus, quem tenuit prædictus Julius II. ut idem Paris de Grassis scribit sub diebus XXIII. Septembris anni MDXIII. & I. Julii anni MDXVII. quibus Cardinales numero XXXI. creavit. Porro qui Leoni successit Adrianus VI. creavit unicum Cardinalem, cui dedit Pileum sine Consistorio, & sine cæremoniis, vel paucis, cum esset graviter infirmus, ut Mucantius notavit.

VIII. At vero tempore Clementis VII. Pontificis, qui Adriano successit, licet plures Cardinales fuerint ab eo creati, tamen modica admodum de cæremoniis habita fuit ratio, nempe cum vel turbulentissimis direptionis Urbis temporibus, vel extra Curiam, dum idem Pontifex diversis ex causis iter faceret, creati fuerint, & cæremoniæ abbreviatæ, cum ut plurimum uno eodemque Consistorio, & tempore crearentur, & darentur eis bireta, & Galeri rubei absque multo apparatu, & pompa. Constat enim, eundem Pontificem cum Hippolitum Medicem ejus nepotem Cardinalem fecit, ei biretum, & Galerum simul dedisse, ac eidem statim clausisse, & aperuisse os in Congregatione Cardinalium coram se coadunatorum, cum esset infirmus, & timeret vitæ periculum, ut Blasius Cæsenas Cæremoniarum Magister annotavit sub die X. Januarii anno MDXXIX. Idem rursus servatum fuit ab eodem Pontifice Bononiæ in Consistorio, ubi creavit Cardinalem Barensem ad instantiam Caroli V. Imperatoris, die XXI. Februarii anni MDXXXIII. ut in Memorabilibus ejusdem Blasii legitur. Idem præterea Pontifex creavit quatuor Cardinales Gallos Massiliæ ad instantiam Regis Galliæ eodem anno MDXXXIII. die VII. Novembris, & die sequenti, quæ fuit Sabbatum, fecit Consistorium publicum, in quo dictis Cardinalibus tradidit Galeros, atque deinde die X. ejusdem mensis clausit & aperuit eisdem os in eodem Consistorio, ut refert laudadus Blasius Apostolicus Cæremoniarius in suo Itinerario prædicti anni; nulla tamen facta ibi mentione, quomodo, & quando fuerint eisdem tradita bireta rubea; putatque iccirco Mucantius, idem servatum fuisse, ut in superioribus promotionibus; & hunc arbitratur fuisse primum Pontificem, qui bireta rubea novis Cardinalibus in Consistorio dederit.

IX. Paulus Papa III. plures, ac sæpius, quam ceteri memorati Pontifices, Cardinalium promotiones fecit, & observantior quoque ceteris fuit cæremoniarum. Quotiescumque enim novos Cardinales in Curia præsentes creavit, numquam illos in Consistorium secretum ingredi voluit, nec bireta eisdem dedit, nisi peracto, & dimisso Consistorio, in suis Cameris, & Aulis secretis, ubi illi jam prius vocati expectabant absque eo ut publice videri possent, nisi cum ex aliqua causa sibi visum fuit simul & semel eodem Consistorio secreto Cardinales creare, & eisdem bireta & Pileos tradere absque alio Consistorio publico, velut in promotione, quam fecit die XII. Martii anni MDXXXVIII. duorum Cardinalium, videlicet Archiepiscopi Brundusini, & Nicolai Cajetani de Sermoneta, ut scribit in suis Memorabilibus Blasius sub dicta die XII. Martii, ubi etiam asserit, se de ea re longum sermonem habuisse cum Pontifice percontante ab eo, an id liceret facere, cui se respondisse ait, secundum rectas, & observatas cæremonias id fieri non debere, nisi ex urgenti, aut necessaria causa, prout in exemplis, quæ eo in loco adduxit.

X. At vero Pontifices subsequentes, videlicet, Julius Papa III. & Paulus Papa IV. quid, aut quomodo observaverint, satis non constat, cum nemo quod sciam eorum temporum cæremonias scripserit; id quod etiam notavit Mucantius, qui ait scire se, ac vidisse Pium IV. & Pium V. in promotionibus Cardinalium eam ceremoniam observasse, ut promovendi præsentes in Curia, die quo haberetur Consistorium pro eorum promotione, convenirent in aliquam Aulam proximam Aulæ Consistorii, & cum tempus esset, vocarentur in Consistorium, seu locum Con-

Digitized by Google

Congregationis Generalis, Magiſtris Cæremoniarum eos deducentibus in habitu quotidiano eorum Prælaturæ, hoc eſt, Mantello brevi, & Rocchetto; nam ſi forte quiſpiam eorum Epiſcopus, vel Prælatus non eſſet, conſueverunt Pontifices, antequam ingrediantur Conſiſtorium, creare eos Protonotarios ſupranumerarios, & eos induere habitu Prælaturæ prædicto; cumque eſſent Conſiſtorium ingreſſi, factis debitis reverentiis erga Pontificem, & genuflexi ante eum, aſſiſtentibus duobus antiquioribus Diaconis, acciperent in capitibus biſeta rubra de manu Pontificis, quibus acceptis, ſinguli pedem, & manum illius oſcularentur, tum, vel etiam ante traditionem biretorum; ſiqua verba vellet Pontifex eos alloqueretur, & mox ſingulos Cardinales antiquos in ſuis locis ſtantes adire, & eis cum debitis reverentiis gratias agere in ipſo Conſiſtorio; antiquos vero ipſos amplexari cum oſculo faciei ſolitos fuiſſe, prout ſuperius coram Gregorio Papa XIII. in creatione nepotis ſui Cardinalis Philippi Boncompagni obſervatum fuiſſe diximus. Abſentibus vero promotis paulo poſt per aliquem ex eorum domeſticis bireta rubra mittere conſueverunt.

XI. Apparet igitur, regulas Libri Cæremonialis in hac parte minime obſervari, ſed diverſum, ac pene contrarium uſum irrepſiſſe. Quare valde conſentaneum fore docet laudatus toties Apoſtolicus Cæremoniarius Franciſcus Mucantius, ſi ad antiquum uſum, & regulas in Cæremoniali Libro deſcriptas res reduceretur. Siquidem eo pacto ejus actus majeſtas, & dignitas magis eluceret. Indignum enim, & indecorum videtur, ipſos Candidatos vix ad eum gradum cooptatos introduci in conſpectum Pontificis, & Sacri Collegii, habitu ab ea dignitate alieno, nulliſque cæremoniis inſtructos; nec decens videtur, tam ſubito in eodem Conſiſtorio fieri congratulationes inter ipſos, & antiquos, quæ mox in Conſiſtorio publico peragendæ ſunt. Accedit, quod dum novi Cardinales in Conſiſtorium ſecretum introducuntur, fit concurſus, & ſtrepitus ingens populi, & Curialium illos intueri geſtientium. Longe autem decentius eſſe ait Mucantius, ſi Cardinales recens electi domi ſe continerent abſque ulla mutatione habitus præter biretum rubeum, quatenus tamen eis a Pontifice tradatur, vel geſtari permittatur, & ſi omnino Pontifex velit biretum ſuis manibus novo Cardinali imponere, laudare ſe eum ritum dicit idem Mucantius, ſi extra Conſiſtorium, in loco remoto a turba, & conſpectu multorum imponeret; convenientius tamen eſſe ait, ſi etiam bireti rubei uſus eis interdiceretur uſque ad diem Conſiſtorii publici præſertim his, qui in Curia ſunt præſentes, & infra modicum tempus accepturi ſunt Galerum rubrum in Conſiſtorio publico, quo demum die permitteretur eis uſus bireti, ac veſtium, quas ſub Cappa gerunt coloris rubei; omnino autem non permitterent interim ſe a quoquam viſitari, præterquam ab aliquibus ſecretioribus amicis clam, & ſine oſtentatione, idque eis expreſſe ab ipſomet Pontifice præciperetur.

XII. Neceſſe etiam eſſe ad hoc exactius obſervandum ſubdit Mucantius, ut idem Pontifex cunctis Cardinalibus antiquis vetaret etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, ne prorſus ullos ex novis viſitarent, antequam receperint Galerum in Conſiſtorio publico, & ipſi antiqui fuerint a novis viſitati in ſuis Domibus, præter aliquos, qui conſanguinitate, aut affinitate ipſis novis Cardinalibus forte conjuncti eſſent, quos permittere poſſet per Domos novorum accedere, dummodo ſecrete, & private, atque ſine turba concomitantium. Jam enim eo pervenit abuſus, verba ejuſdem Mucantij ſunt, ut vix pronunciatus ſit aliquis Cardinalis, cum omnes antiqui certatim ad eorum Domos curſitant, ambiens unuſquiſque eorum primum apparere in hujuſmodi viſitationis officio, quod potius ambitioſum, quam honorificum ab æquis arbitratoribus judicatur, & eſt directe contra legem Libri Cæremonialis, maximoque incommodo ipſorum novorum Cardinalium ſit, vt adhuc imparati, & curis impliciti, rebuſque neceſſariis providendis occupati, parum admodum, vel prorſus nihil, in cæremoniis edocti, nullo ordine, nulloque decoro, paucos illos dies, qui præcedunt Conſiſtorium publicum, ſurſum deorſum ambulantes conſumant, ut Cardinalibus antiquis ad ſe venientibus debitum obſequium præſtent. Atque hæc ſunt, quæ poſt narratam Philippi Cardinalis Boncompagni creationem factam ab ejus patruo Gregorio Papa XIII. notavit Mucantius circa abuſus, qui in promotione Cardinalium contra antiquas noſtri Cæremonialis regulas irrepſerunt; quæque nos deſcribenda in hoc Commentario cenſuimus, quo magis magiſque ritus creationis novorum Cardinalium, de qua in hoc Titulo agitur, illuſtrentur.

§. III.

De Conſiſtorio publico, in quo publicantur Cardinales noui.

Sabbato ſequenti fit publicum Conſiſtorium; novi Cardinales veniunt ſummo mane ad Palatium in habitu, quo antea utebantur, & expectant in aliqua Camera ſibi præparata, & hoc antequam Cardinales antiqui veniant. Deinde congregatis omnibus, Pontifex cum Pluviali, & Mitra pretioſis, præcedente Cruce, & Cardinalibus, exit ad publicum Conſiſtorium, aſcendit Cathedram ſuam, & recipit Cardinales antiquos ad reverentiam more ſolito. Deinde, conſedentibus omnibus, Pontifex verbis convenientibus exponit cauſas, quæ moverunt ſuam Sanctitatem, & Sacrum Collegium ad novos Cardinales creandos; deinde deſcendens ad particularia, nominat perſonas ad Cardinalatum aſſumtas, unumquemque laudans pro meritis, & qualitate ſua; verbi gratia: *Aſſumſimus dilectos filios, egregium Sacræ Theologiæ Profeſſorem N. tunc Epiſcopum Ulyſſiponenſem &c. Virum utique probum, modeſtum, & multa*

doctrina

Digitized by Google

doctrina prudentem: & B. tunc Epiſcopum Urbinatem, Juris utriuſque peritiſſimum, Virum integerrimum, & vitæ laudabilis, in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales. Simili modo aſſumſimus dilectos filios, N. de Fuxo, tunc Apoſtolicæ Sedis Protonotarium, Virum, & majorum ſuorum gloria, & ſua virtute Clariſſimum; & demum Joannem noſtrum ſecundum carnem nepotem, cujus merita dies oſtendet, in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconos Cardinales. His dictis, prout res, & tempus exigere videbitur, jubebit Summus Pontifex, novos Cardinales vocari. Diaconi Cardinales antiqui tot numero, ſi adſint, ut duo antiqui unum novum ducant, ad eos proficiſcuntur, & illos ad conſpectum Pontificis adducunt. Duo antiquiores Diaconi medium habent primo nominatum ex novis; quod ſi antiqui Diaconi non ſufficerent, erit unus tantum antiquus cum uno novo, ita tamen, quod antiquus ſit a ſiniſtris; & ſi etiam non ſufficiant antiqui, unus ducat duos, aut tres novos. Si autem nullus adeſſet Diaconus antiquus, aut unus tantum, juniores Presbyteri Cardinales, antiqui vnus vel duo debent ſupplere, ita ut non minus duobus ſint antiqui Cardinales, qui novos ducant: primum tamen locum obtinebit Diaconus Cardinalis, ut prior illius Ordinis. Cum pervenerint in conſpectum Pontificis, detecto capite ſe profunde inclinant, prout ductor eis oſtendet; cum venerint ad introitum Conſiſtorii, ſirment ſe poſt ſcamnum, ubi ſedent ultimi Presbyteri Cardinales ante Pontificis faciem, & capite detecto perſiſtent per ordinem ſuæ pronunciationis, itaut primo nominatus ſtet primus verſus párietem, & alii ſucceſſive ſequantur. Pontifex in hanc ferme ſententiam eos alloquitur.

COMMENTARIUS.

I. ANtiqui profecto & illi ſunt Ritus, qui in hoc §. recenſentur de Conſiſtorio publico, in quo publicantur Cardinales novi. Siquidem jam longe ante ordinationem editionemque noſtri hujus Cæremonialis in uſu erant, uti addiſcimus ex Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gajetano, Capite CXVI. & ex Pierſanctiano ms. Cæremoniali Codice, in quo iidem Ritus fieri ſoliti in Conſiſtorio publico, Sabbato Quatuor Temporum, ſic referuntur: *Die Sabbati ſequenti Dominus Papa, facta ei reverentia in Conſiſtorio per Cardinales, mandat, quod aperiantur portæ Aulæ, vbi tenetur Conſiſtorium, omnibus intrare volentibus, & infra Conſiſtorium, & debent in terram ſedere Camerarius, Notarii, Cappellani Domini Papæ, & Auditores Palatii, & Clerici Cameræ Domini Papæ; alii vero debent eſſe pedes extra Conſiſtorium.* Variat nonnihil laudatus Gajetani Romanus Ordo XIV. ab hoc Cæremoniali Codice Pierſanctiano, cujus locum utpote non dum editum lubet deſcribere. Sic enim deinde ſubjicit: *Domini Cardinales novi debent tunc temporis eſſe extra Conſiſtorium in aliqua Camera ibi ſatis prope, quouſque Dominus Papa mandet eos vocari. Dominus vero Papa facit ibi in præſentia omnium unum brevem ſermonem; in fine vero ſermonis deſcendit per ordinem ad nominationem Cardinalium tam præſentium in Curia, quam abſentium, quos creavit, quemlibet ipſorum commendando de ſcientia, fidelitate, & prudentia, & aliis, prout merita cujuslibet requirent; & in fine commendationis dicit cuilibet novorum Cardinalium ſic:* Talem abſolvimus a vinculo, quo ipſe Eccleſiæ ſuæ tenebatur, & eum aſſumſimus, & aſſumimus in Presbyterum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. *Si non ſint Prælati, non fit mentio de* abſolvimus; *ſed dicit*: aſſumſimus, & aſſumimus in Presbyterum, vel Diaconum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem.

II. Pergit idem ms. Cæremonialis Codex Pierſanctianus, aliaque nos docet, quæ deinde in hoc noſtro Cæremoniali ordinata ac deſcripta ab Auguſtino ejus Auctore fuerunt. Sic autem laudatus Codex inquit: *Quo facto, Dominus Papa facit vocari Cardinales novos, qui debent venire ad eum ſecundum ordinem, quem Dominus Papa dederit in eos nominando; & ſtare pedes retro Conſiſtorium, & firmare ſe retro bancham, quæ eſt ab oppoſito Sedis Cathedræ Domini Papæ, ubi ſedent alii antiqui Cardinales, & tunc Dominus Papa debet dicere novis Cardinalibus aliqua de inſtructione eorum, quales debent eſſe in conſiliis, & aliis agendis. Quibus dictis, vocat eos, quod veniant ad eum, & in introitu Conſiſtorii duo Diaconi Cardinales antiquiores recipiunt novum Cardinalem primo nominatum per Dominum Papam; alii vero duo Cardinales antiquiores poſt primos recipiunt Cardinalem ſecundum, & ſic deinceps faciunt alii Diaconi Cardinales per ordinem, ſi ſint plures Cardinales de novo creati, & eos adducunt ad oſculum pedis Domini Papæ.* Eadem fere ad verbum legi poſſunt in memorato Romano Ordine XIV. Auctore Jacobo Gajetano, qui clarebat labente Seculo XIII. ex quo addiſcimus antiquos eſſe ritus in hoc noſtro Cæremoniali præſcriptos, tametſi in meliorem formam ab Auguſtino Patricio ordinatos.

§. VII.

De monitione Pontificis ad novos Cardinales.

Maxima, dilectiſſimi Filii, & excellentiſſima dignitate donati eſtis, ad Collegium Apoſtoli-

Digitized by Google

ſtolicum vocati Conſiliarii noſtri, & conjudices Orbis terrarum eritis: inter cauſam & cauſam, inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram diſcernere vos oportebit: Succeſſores Apoſtolorum circa Thronum ſedebitis: Vos Senatores Urbis, & Regum ſimiles eritis, veri mundi Cardinales, ſuper quos militantis oſtium Eccleſiæ volvendum, ac regendum eſt. Cogitate animo, quos Viros, quæ ingenia, quam integritatem hæc dignitas requirat; humilitatem, non ſuperbiam; liberalitatem, non avaritiam; abſtinentiam, non ebrietatem; continentiam, non libidinem; ſcientiam, non ignorantiam; virtutes omnes, nullum vitium hic honor expoſcit. Si fuiſtis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet adverſus malignum hoſtem, qui nunquam dormit, cogitans quem devoret. Si liberales fuiſtis, nunc opes in rebus honeſtis profundite, & maxime in alendis pauperibus Chriſti. Si cibi potuſque abſtinentes, nunc præcipue luxuriam fugite. Abſit avaritia, faceſſat crudelitas, exulet arrogantia; ſint libri ſacri ſemper in manibus veſtris; dies noctesque aut diſcite aliquid, aut alios docete; opera perficite, per quæ lux veſtra coram hominibus luceat; & denique tales eſtote, quales eſſe debere Cardinales dijudicaſtis, antequam hoc culmen aſcenderetis. His verbis uſus eſt Pius Secundus Pontifex Maximus, cum primos ſuos Cardinales creavit. Poterit Pontifex pro ſua eloquentia & doctrina mutare & addere prout ſibi expediens videbitur. Nos pro introductione & formula quadam hæc poſuimus; facile erit deinde inventis addere, & pro qualitate temporis & perſonarum variare.

COMMENTARIUS.

I. ESſe antiquum ritum, ut ad novos Cardinales brevis ſermo, ſeu concio a Papa haberetur, *de inſtructione eorum, quales debent eſſe in conſiliis, & aliis agendis*, docet nos Romanus antiquus Ordo XIV. auctore Jacobo Gajetano, Cap. CXVI. & Cæremonialis ms. Codex Pierſanctianus, cujus locum in ſuperiori Commentario, Num. II. deſcripſimus. Sermo a Pio II. habitus cum primos ſuos Cardinales creavit anno MCDLX. in hoc §. deſcriptus, legitur quidem Lib. IV. Commentariorum Pii Papæ II. pag. 99. ubi etiam quædam notantur, quibus idem hic noſter §. magis magiſque illuſtratur: *Sabbato deinde indicto Conſiſtorio in Eccleſia Cathedrali, Pontifex juſſit, Cardinales novos, qui aderant, tres accerſiri, & priuſquam venirent, de creatione facta, deque meritis ſingulorum pleraque locutus, oſtendit omnibus, & dignam, & neceſſariam ordinationem fuiſſe. Poſt hæc, adventantes illos ad cancellum ſtare præcepit, & dirigens ad eos verba*, Maxima, *inquit*, Filii, & excellentiſſima dignitate donati eſtis &c.

II. Recte ait hic noſter §. poſſe Pontificem pro ſua eloquentia & doctrina mutare hanc in Cardinalium creatione admonitionis formulam, & pro qualitate temporis, & perſonarum variare. In mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diariis variæ occurrunt id genus formulæ, viderique ea poteſt formula, qua uſus eſt Leo X. in prima ſua quatuor Cardinalium creatione, quam nos deſcripſimus ſupra in fine Commentarii ad §. 1. hujus Tituli. De Cardinalium autem officiis jam alibi differuimus.

§. VIII.

De receptione novorum Cardinalium ad oſculum pacis, & traditione Galeri.

Dum Pontifex novos Cardinales alloquitur, Diaconi, qui illos deduxerunt, in ſcamno ſuo ſedent, & ut Pontifex dicendi finem fecit, ſurgunt, & rurſus novos ordine, quo venerant, ad Pontificem ducunt. Procedit antiquus, & novo geſtus, reverentiaſque oſtendit. Cum prvenerint ad Pontificem novi, pedem, deinde manum illius oſculantur, & Pontifex eos allevans, ad oſculum oris recipit; inde a Diaconis ad alios antiquos Cardinales deducuntur, & a primo uſque ad ultimum ſtantibus recipiunt ad oſculum pacis. Diaconi deductores ſuo loco & ipſi ſtantes in ſuis ſcamnis novos ad oſculum ſuſcipiunt, qui demum, exoſculatis omnibus antiquis, a Miniſtro Cæremoniarum deducuntur ab ſubſellia Presbyterorum, ſeu Diaconorum, & ſedent ſecundum ordinem factæ pronunciationis, & gradus. Ubi conſederint, poteſt proponi aliqua brevis cauſa per Advocatos, ſi placuerit Sanctiſſimo noſtro, & ea finita, ſurgent omnes Cardinales, & Cantoribus cantantibus, *Te Deum laudamus*, procedent ad Capellam minorem Palatii Apoſtolici, ſi fiet apud S. Petrum, ſi alibi, aliquam Capellam commodam, ſive Altare in proximo præparatum. Præcedent Epiſcopi, deinde Presbyteri, & Diaconi, & novi erunt medii inter ultimos. Duo Diaconi ex ſeniоribus remanebunt apud Papam. Cum pervenerint ad Altare, proſternunt ſe novi omnes ſuper tapetis ante Altare in terra, tenentes caput ſuper brachia ſua; & finito Hymno, Prior Epiſcoporum ſtans in cornu Altaris, ubi Epiſtola legitur, & ex Li-

Digitized by Google

bro super Altari parato dicit versiculos, & orationes infrascriptas. *Pater noster*, secrete prosequitur; & deinde alte, *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. Versus. *Salvos fac servos tuos*. ℟. *Deus meus sperantes in te*. Versus. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto*. ℟. *Et de Sion tuere eos*. Versus. *Domine, exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. Versus. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis tuis, & dirige eos secundum misericordiam tuam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & quæ tibi placita sunt, tota mente perficiant.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Revertuntur Cardinales omnes ad Sanctissimum Dominum nostrum ordine quo venerant, & stantibus antiquis Cardinalibus in circulo ante Pontificem, prior nominatus ex novis genuflectit ante Pontificem, cui Pontifex imponit Galerum rubrum super caput ejus, dicens: *Ad laudem Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum, accipe Galerum rubrum, insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod usque ad mortem, & sanguinis effusionem inclusive, pro exaltatione sanctæ Fidei, pace, & quiete populi Christiani, augumento, & statu Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, te intrepidum exhibere debeas. In Nomine Patris ✠ & Filii &c.* Et sic unicuique sigillatim Galerum imponit secundum ordinationem, sive pronunciationem, & quisque ex deputatis a Pontifice, qui primo tenebant Galerum, cum Pontifex ipsum imposuit Capiti Cardinalis, finita oratione, resumit dictum Galerum, & ipsum portat quousque Cardinalis novus equitat.

COMMENTARIUS.

I. QUæ & in hoc §. primum statuuntur de receptione novorum Cardinalium ad osculum pacis, jam olim in usu fuerunt ex præscripto non modo Romani Ordinis XIV. Cap. CXVI. sed & ms. Piersanctiani Codicis Cæremonialis, ubi ritus iste sic recensetur: *Quibus*, idest novis Cardinalibus, *per Papam ad osculum pedis receptis, immediate omnes Cardinales antiqui, & ceteri supranominati surgunt, & Capellani Papæ*, Te Deum laudamus, *cantare incipiunt alta voce; & Cardinales antiqui secundum ordinem suum bini & bini primo vadunt ad Altare, quod debet esse in Aula paratum, ubi tunc temporis Dominus noster tenet Consistorium, sine Cruce tamen, & post eos duo Diaconi Cardinales antiquiores ducunt novum Cardinalem ad Altare primonominatum per Pontificem, alii vero duo Diaconi Cardinales alium, & sic deinceps faciunt alii duo Diaconi Cardinales, si sunt plures Cardinales de novo creati, secundum ordinem supradictum, & cum pervenerint ad Altare, Cardinales novi debent stare flexis genibus ante Altare prostrati, quandiu cantatur*, Te Deum laudamus. *Quo completo, prior Episcoporum debet dicere submissa voce*, Pater noster, *postea cantando versiculum*, Et ne nos inducas in tentationem &c. ut in nostro §. præscriptum est, una cum Orationibus, *Omnipotens sempiterne Deus &c.* & *Actiones nostras &c.* quæ quidem pro ea cæremonia leguntur in prædicto Romano Ordine XIV. & in ms. Codice Piersanctiano, in quo tamen oscitantia scriptoris multa verba ex iis desunt, quæ supra jam descripsimus in hoc Commentario, sed supplevimus tamen ex eodem Ordine Romano XIV.

II. Juxta Cæremonialium prædictorum præscriptum, *prædicta debent dici per Episcopum prædictum in Libro, qui supra Altare debet esse paratus*; iisque finitis, *Capellani Domini Papæ, bini, & bini recipiunt novos Cardinales, & eos faciunt osculari Altare; deinde ipsos adducunt secundum suum ordinem ad osculandum os Cardinalium antiquiorum; & primo veniunt ad Episcopos, secundo ad Presbyteros, tertio ad Diaconos Cardinales, quemlibet eorum secundum ordinem suum osculando. Quo facto, antiqui Cardinales bini & bini redeunt ad Consistorium ad sedendum secundum ordinem suum. Diaconi vero Cardinales antiquiores ducunt iterum bini & bini novos Cardinales secundum ordinem supradictum ad osculum pedis, & oris Domini Papæ; & postea eos ducunt usque ad Sedem, in qua debent sedere in Consistorio secundum ordinem per Dominum Papam in nominatione eorum eis datum*. Hactenus Romanus Ordo XIV. Capite CXVI. & Cæremonialis ms. Codex Piersanctianus, in quibus varii adnotari possunt Ritus, qui in nostro desunt Cæremoniali, dum interim alii desiderantur, & præsertim ille proponendi aliquam brevem causam per Advocatos, uti olim fieri consuevit, ac presertim ubi Pius Papa II. primam fecit Cardinalium promotionem III. Idus Martii anno MCDLX.

III. Sed audiamus quæso quid de ipso ritu, sicut & de aliis ad hunc §. spectantibus, Lib. IV. Commentariorum ejusdem Pii II. Papæ legitur pag. 99. statim post recitatam superius in §. VII. laudati Pontificis orationem ad novos Cardinales habitam, quales nempe esse oporteat tanta in dignitate constitutos. Sic enim inquit: *Quibus dictis, vocavit eos*, Pius Pontifex, *ad osculum pedis, deinde manum, osque porrexit, & antiqui Cardinales ipsos pariter ad osculum exceperunt, locumque sedentibus præbuerunt. Mox Advocati causas aliquas perorarunt; quibus deciſis, Cardinales antiqui stantes coram Papa fece-*

Digitized by Google

fecere coronam; novi genibus flexis votum pro veteri formula voverunt. Exin Pontifex uniuſcujuſque capiti inſigne Cardinalatus impoſuit, rubrum de more Galerum. Chorus Hymnum cantavit, gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes, exceptis duobus, qui cum Pontifice remanſerunt, novos ad Altare B. Virginis deduxerunt, ibique Senior Cardinalium orationem ſuper capita illorum fundit, bona eis & Eccleſiæ Sanctæ multa precatus; atque ita rebus peractis, ad Pontificem Maximum reverſi ſunt, qui diſſoluto Conſiſtorio, in Palatium abiit. Tametſi ordine inverſo, omnes inrecitato hactenus loco recenſentur Ritus, quos noſtrum Cæremoniale præſcribit.

IV. Quod Galeri, ſeu Pilei rubei, qui eſt *inſigne ſingulare dignitatis Cardinalatus*, traditionem ſpectat, notandum hic plane illud, fieri quidem ejus ritus mentionem non modo in citato toties Romano Ordine XIV. Cap. CXVI. ſed & in ms. Codice Pierſanctiano, in quo etiam verborum formula recenſetur, quæ tamen in ipſo Romano Ordine deſideratur. Juxta Cæremonialium iſtorum præſcriptum fiebat ea cæremonia traditionis Pilei poſt cæremoniam claudendi oris, de qua dicemus infra §. XI. & poſt prandium, quod ea die parare Pontifex ſolitus erat omnibus Cardinalibus, tum antiquis, tum novis in ſuo Palatio. Sic ergo Pierſanctianus Codex in eo Capite, quod inſcripſit, *De claudendo os, & de impoſitione, ſeu datione Capelli*, & Romanus Ordo XIV. inquiunt: *Papa ſurgit & vadit ad Cameram ſuam, & Cardinales omnes remanere conſueverunt in domo Papæ, quouſque menſæ pro prandio ſunt paratæ; & illa die Cardinales omnes comedunt cum Papa. Et cum Dominus Papa exit de camera, & venit ad prandium, aſſociant eum duo Diaconi Cardinales antiquiores uſque ad menſam, ipſum præcedendo; & poſt prandium ſimiliter aſſociant eum uſque ad cameram; & ſedent Cardinales primo ſecundum ordinem ſuum a parte dextera Papæ, Epiſcopi & Presbyteri Cardinales tam antiqui quam novi; a parte vero ſiniſtra ſedent ſecundum ordinem ſuum tam antiqui quam novi Diaconi Cardinales juxta modum Conſiſtorii.* Docent mox, quando Pontifex novis Cardinalibus ipſum Pileum rubeum traderet: *Poſt prandium*, ajunt, *eundem ordinem ſervant in ſedendo tam antiqui, quam novi Cardinales; & cum fuerit tempus recedendi, Papa ſedendo in Cathedra ſua dat Capellum rubeum novis Cardinalibus ſecundum ordinem per eum eis in nominando eos datum; & ipſum Capellum cuilibet ipſorum capiti imponit, ipſis Cardinalibus novis ſtantibus coram eo genuflexis, dicente Papa*, ut inquit Codex Pierſanctianus: *Ad laudem Dei Omnipotentis, exaltationem quoque Catholicæ Fidei, pro qua etiam paratus ſis, ſi expediat, proprium ſanguinem fundere, damus, & capiti tuo imponimus Capellum rubeum.*

V. Hæc eſt antiqua formula in traditione Pilei, ſeu Galeri rubei; agendæque gratiæ Pierſanctiano ms. Codici, qui eam nobis conſervavit, a qua non nihil variat formula, quæ in noſtro hoc §. legitur, Quicquid ſit de ea variatione, ſeu potius majori ejus cæremoniæ explicatione, juxta eundem Pierſanctianum Codicem, Romanumque Ordinem XIV. facta rubei Pilei impoſitione, *immediate familiaris Papæ, qui debet ibi eſſe paratus, Capellum de capite ipſius Cardinalis recipit; & tunc quilibet eorum poſt prædictam impoſitionem Capelli, immediate ſecundum ordinem ſuum, pedem Domini Papæ oſculatur; & poſtea Dominus Papa quemlibet eorum ad oſculum oris recipit ſecundum ordinem prædictum; & quilibet novorum Cardinalium, oſculo per eum a Domino Papa receepto, ad ſedem ſuam ibi redit.* Sed nec omittenda, quæ deinde iidem Cæremoniales Codices ſubjiciunt de alio ritu, quem lubet & hoc loco adnotare: *Quo facto, Dominus Papa ſurgit, & etiam omnes Cardinales; & poſtea ſi Eccleſia Cathedralis ſit, ibi prope, novi Cardinales aliquotiens ad orandum conſueverunt immediate ire, deinde ad domos ſuas redire.* Ritui itaque antiquo adhærent Cardinales recens creati, qui ante alias viſitationes Baſilicam Principis Apoſtolorum ſolemni pompa inviſere ſolent,

VI. Ritibus hiſce obiter notatis, redeo ad Pileum rubeum a Pontifice creatis recens Cardinalibus, ſi præſentes ſint, imponi ſolitum, cujus origo ad Innocentium Papam IV. refertur, uti diximus Tomo IV. Conciliorum in Hiſtoria Generalis I. Lugdunenſis Concilii, Num. LIII. & ſeq. Ajunt ergo plerique, in ipſo Concilio ſtatuiſſe Innocentium, ut Cardinales Pileum rubrum deferrent. Certe Robertus Gaguinus, Lib. VII. *Hiſtoriæ Francorum*, loquens de Innocentio IV. Lugduni Concilium celebrante docet ipſum ſtatuiſſe non ſolum ut Cardinales equo vecti Pileo rubro uterentur, ſed etiam ut illum perpetuo geſtarent: *Cardinalibus*, inquit, *Inſigne dat, quod capite perpetuo deferant, hoc eſt, rubrum Galerum; idque diligenter ſervatur. Quo Pontifex eos admonitos eſſe voluit, paratos omni tempore eſſe debere ſanguinem fundere pro Chriſtiani populi libertate tuenda.* Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii Papæ IV. Cap. XXI. loquens de Colloquio, quod hic Pontifex Cluniaci habuit cum S. Ludovico IX. Francorum Rege anno Chriſti MCCXLVI. diſerte docet, ordinatum quidem fuiſſe in Concilio ut Cardinales Capellis rubris Pontificalibus uterentur, ſed iis tantum anno ſequenti uti cœpiſſe, in ipſo ſcilicet Colloquio: *Interim Pontifex poſt Concilium, anno ſecundo* (quia ſcilicet, ut notat Pagius in Vita Innocentii IV. Num. XXXI. Concilium finitum eſt menſe Julio anno MCCXLV. & Cluniaci habitum eſt Colloquium menſe Novembri exeunte anni MCCXLVI. quo currebat annus ſecundus poſt Concilium) *Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ & ipſius Fratribus loquuturus, ubi Domini Cardinales Capellos rubeos receperunt, ſicut in ipſo Concilio fuerat ordinatum.*

VII. Porro in id conveniunt Auctores paſſim, datum fuiſſe primum ab Innocentio Papa IV. Pileum rubri coloris S. R. E. Cardinalibus, ut nimirum ad amorem invitarentur fundendi ſanguinem pro Eccleſia, in quam dudum Imperatores, ac tum vel maxime ſæviebat Imperator Fridericus II. cujus geſta impia jam nos aliqua ex parte in ipſa Concilii I. Lugdunenſis Hiſtoria narravimus. Atque huc ſpectat formula, qua utitur Pontifex juxta antiquum Eccleſiæ ritum non modo in hoc noſtro Cæremoniali, verum etiam in antiquiori ms. Pierſanctiano Codice præſcriptum, ubi Pileum rubeum novis Cardinalibus imponit. Quod uſum hujus Pilei ſpectat, memorat Victorellus in ſuis ad Ciaconium

Digitized by Google

Additionibus, visas esse a se metallicas icones Pauli Papæ II, in quibus essent Cardinales omnes in Consistorio cum Galeris, seu Pileis suis. Ex quo ille infert, solitos tum eos in Consistoriis uti Galeris illis eisdem, quibus in solemnibus etiam nunc utuntur equitationibus. Id quod etiam tradit Macrus in suo Hierolerico, verbo, *Cardinalis*, pag. 125, ubi etiam figuram Consistorii expressit.

VIII. Præter Pileum rubrum, utuntur Cardinales non modo rubeis vestibus, sed & biretis ejusdem coloris, quæ eisdem concessit Paulus Papa II. ut passim in ejus Vita Auctores docent. Sed illud non omittendum, si ad Cardinalatus dignitatem assumantur Viri ex aliqua Monastica, seu Regulari disciplina, licet ejusdem formæ deferant indumenta ac ceteri Cardinales, colorem tamen Religionis, a qua fuerint assumti non mutari, nec Rochetto eos posse uti, sed Superpelliceo, nisi sint Canonici Regulares, qui Rochettum ipsum in Religione deferunt. Porro sedente Gregorio XIV. permissum est illis biretum coccineum deferre, cum ante nigrum deferrent, licet Paulus II. istiusmodi capitis tegumentum primo anno Pontificatus sui dederit, uti varii Auctores in ejus Vita testantur. Gregorius siquidem XIV. die Dominico IX. Junii Festo Sanctissimæ Trinitatis in Ædibus Hortorum Quirinalium, antequam ad Sanctorum Apostolorum proximam Basilicam descenderet, ut ibi Pontificio more Sacra persolveret, in executionem Sanctionis in Consistorio secreto apud Sanctum Petrum die XXVI. Aprilis anni MDXCI. factæ, F. Michaeli Alexandrino, & F. Hieronymo Asculano Ordinis Prædicatorum, F. Constantino Sarnano Ordinis Minorum Conventualium, & F. Gregorio Montelporo nuncupato Ordinis S. Augustini rubra bireta perpetuo deferenda more aliorum Cardinalium concessit, habitu tamen in ceteris nihil immutato, uti citans ejusdem Pontificis Constitutionem ait Cohellius in sua Cardinalatus Notitia, Cap. XI. Vide Sanctissimum Dominum nostrum BENEDICTUM XIV. in celebri Opere *De Servorum Dei beatificatione &c.* Lib. III. Cap. XXXIII. Num. X. aliosque Auctores, qui de eadem re differunt.

§. IX.

De novi Cardinalis deductione.

Cardinales acceptis Galeris deducuntur ab antiquis equitantes ordine, quo ad Altare ducti sunt. Prior ex novis erit medius inter duos antiquiores Diaconos, qui equitant ultimi. Secundus erit medius inter duos alios Diaconos illis prioribus succedentes, & sic de aliis; ita quod caput Diaconorum incipiatur ab ultimis, & ita deducuntur novi ab antiquis Cardinalibus usque ad domos suarum habitationum. Et primo vadunt non per ordinem promotionis, sed ut magis commodum erit, incipiendo a viciniori, & quemlibet dimittunt domi suæ. Quando perveniunt ad domos novi Cardinalis, antiqui firmant se ante ostium; antiquiores prope ipsum ostium, & alii Episcopi, & Presbyteri successive. Diaconi autem ab alia parte, & novus solus, deducente Clerico Cæremoniarum, equitat ad primum Cardinalem, & detecto capite agit ei gratias pro impenso honore & societate brevissimis verbis; & deinde sigillatim cuique ex antiquis. Revertitur post hæc ante ostium suum, & versus ad Cardinales semper detecto capite, cuique discedenti inclinat caput; & cum omnes Cardinales, & Prælati decesserint, intrat domum suam. Idem fit cum omnibus aliis, tam Presbyteris, quam Diaconis.

COMMENTARIUS.

I. QUanta olim cum pompa deducerentur Romæ recens ordinati ad Titulos suos, in quibus haud dubie habitabant, docet nos Romanus Ordo IX. cujus locum referemus infra in Commentario ad §. XII. Quod ritum spectat in hoc §. præscriptum, deducendi scilicet novum Cardinalem ad ejus domum, abiit ipse tandem in desuetudinem, uti notavit Franciscus Mucantius in suo ms. Diario, ubi enarrat gesta Pontificatus Gregorii Papæ XIII. ejusque loco hic alius inventus fuit, quem recenset ad annum MDLXXII. die XIX. Junii, ubi loquitur de Cardinali de Pelvi, qui ipsa die *deductus ad Consistorium recepit de manibus suæ Sanctitatis Pileum rubrum more solito, & finito Consistorio omnes Cardinales comitati sunt eum usque ad caput prædictæ Aulæ majoris, ubi singulariter singulis Cardinalibus antiquis, procedens in gyrum, gratias egit, profunde unicuique inclinando caput, & remanens ibidem; singuli antiqui ante ipsum pari modo inclinantes recesserunt.* Ita laudatus Mucantius, sed notanda potissimum sunt, quæ mox ibidem subjicit: *Qui mos introductus est loco associandi ad domum, prout in Cæremoniali cavetur Lib. I. Sect. 8. Cap. 5.* quod est quidem hic noster §. IX.

§. X.

De modo visitandi.

Postquam novi Cardinales acceperunt Galerum a Sanctissimo Domino nostro, sequenti die,

Digitized by Google

die, si possunt, visitant Summum Pontificem, deinde alios Dominos antiquos, non per ordinem, sed, ut eis commodum erit; & finita visitatione omnium, ipsi debent ab antiquis visitari in Domibus suis, Quando ipsi visitant alios, debent honorari a visitatis, & poni ad manum dexteram eundo; & cum intrant ostia, primo intrare debent, & tamen facere modestam reverentiam, & renitentiam de non accipiendo dextram, & non intrando prius; sed tamen tandem debent obedire; & similiter quando alii veniunt ad visitandum eos in domo sua, etiamsi sint post eum pronunciati, aut inferioris ordinis, debent eos ponere ad dextram, & præmittere intrando; & cum veniunt, exire eis obviam usque ad fines scalarum, si potest; & cum recedunt, sociare eos, quousque ascendant equum, seu mulam; & hoc non debent dimittere, etiamsi sæpius a visitante rogentur, ut remaneant. Quod servatur & in novis, & in antiquis, cum se mutuo visitant; semper visitatus honorat visitantem.

COMMENTARIUS.

I. JUxta morem qui hodieque servatur, Cardinales, accepto mane Galero a Summo Pontifice secundum ritum superius descriptum, eadem die post meridiem visitant primo S. Petri Basilicam, & deinde solum Cardinalem Decanum. Quod visitationem Cardinalium sive activam, sive passivam, ut ajunt, spectant, jam varia notarunt Cæremoniarii Apostolici, præsertim vero in suis ms. Diariis Paris de Grassis, & Franciscus Mucantius, quorum loca longum esset in præsenti describere, Deberent profecto ipsi Cardinales eadem die quo acceperunt Galerum, qui est insigne Cardinalatus, visitare Pontificem, eique pro tanto accepto honore gratias agere, sed ab ea visitatione dispensantur tunc ab eodem Pontifice per Præfectum Cubiculi, illos monentem, ut commodiori Pontifici tempore ejus visitationis officium persolvant. Sunt hi quidem ritus recentiores, sicut & ille, ut nempe Galeri, quos mane a Summo Pontifice novi Cardinales accepere, per Pontificium Familiarem curru vectum, quatuor Parafrenariis funalia accensa gestantibus, sero ad eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales recens creatos deferantur.

II. Adde & his alium recentiorem ritum, cujus nulla in hoc Cæremoniali, & in antiquis mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis mentio, Sane ubi mane creati sunt Cardinales, pergunt post prandium ad Palatium Pontificis, ibique in Ædibus Cardinalis nepotis Papæ, si adsit, vel Secretarii Status, barbitonsor barbam eisdem radit, & amplam facit Coronam in capite; ingressique deinde ad Pontificem, ab eodem accipiunt bireta rubra in capite, absque ulla verborum formula; egressi deinde a Pontifice, accipiunt a custode rei Pontificiæ domesticæ, quem vulgo *guarda roba* appellant, rubros pileolos. Rem late narrant recentiora Cæremoniariorum Apostolicorum Diaria, longumque esset minutissimas cæremonias describere, quæ de ipsa novorum Cardinalium ad Pontificis Palatium profectione ad accipiendum rubea bireta, in memoratis recentioribus Diariis referuntur. Sed vide quæ de iisdem diximus supra in Commentario ad §. v.

§. XI.

De modo & forma claudendi & aperiendi os novis Cardinalibus.

In primo Consistorio Pontifex novis Cardinalibus claudit os, inhibetque, nequid loqui præsumant in Consistoriis, aut consiliis, quousque de consilio Fratrum duxerit eis os aperire. In secundo Consistorio, aut tertio consuevit eisdem Pontifex aperire os in hunc modum. Postquam omnes tam antiqui, quam novi consederint, Pontifex jubet exire novos Cardinales; qui exeuntes expectant extra Consistorium in loco condecenti; & Summus Pontifex proponit antiquis Cardinalibus, an illis videatur, quod novis sit aperiendum os, & illis sigillatim consentientibus, vocantur intus novi Cardinales, & sedent in locis suis. Tunc Pontifex novos Cardinales stantes verbis paterna caritate plenis instruit, quomodo se in omnibus cum gravitate, modestia, humanitate, & prudentia gerere debeant; quod in Consistoriis cum reverentia & modestia loquantur, & cum ipso Pontifice, & cum omnibus aliis Cardinalibus, & in consultatione, aut collocutione respondeant, & mentem suam exponant, non per modum contradicendi, seu impugnandi aliorum dicta, sed cum omnium reverentia, & modestia sententiam suam explicent ea prudentia, quam Dominus eis subministrare dignabitur. Alios Cardinales & domi & foris honorent, venerentur, & colant. Prælatos omnes pro eorum dignitate revereantur, & benigne tractent, & denique humanos, benevolos, & affabiles quantumcumque dignitati liceat, in omnes se præbeant. In consiliis, seu votis explicandis solum Deum præ oculis habeant, honorem Sanctæ Sedis Apostolicæ, & justitiam in animo suo gerentes; & semota omnium privata affectione amoris, odii, aut alterius

Digitized by Google

terius cujuscumque perturbationis, pura, & sincera mente sententiam suam dicant. Domum, atque familiam suam cum omni honestate & modestia gubernent. Non sint in ea lusores, rixatores, ganeones, & viri infames; sed studiosi, modesti, docti, & honesti. Familiæ namque vitia plerumque Dominis impingi solent. Unde illud: *Qualis Rex, talis & populus*. Incumbant, cum vacant a publicis negotiis, bonarum artium studiis, dicant Officium Divinum, & Missam quotidie audiant, & ita, ut non lateat domesticos, ut Divinum illud adimpleant: *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*. Nam in his, quæ pertinent ad Religionem, oportet habere testimonium etiam ab his, qui foris sunt. Nisi enim alii viderint Cardinalem, Divinum Officium frequentantem, & Missam quotidie audientem, & re, & exemplo plurimum offendunt. In mensa semper aliquid audiant de sacra Scriptura. Venationibus, choreis, ludis inhonestis minime indulgeant. Non exeant in publicum crebrius, non cursitent per Urbem, neque ad Palatium sine causa veniant; & super omnia caveant, ne turpis lucri cupidi esse censeantur. Hæc & alia pleraque in hunc modum poterit Sanctissimus Dominus noster novis Cardinalibus dicere, prout suæ Sanctitati videbitur expedire. Deinde aperit eis os, dicens: *Aperimus vobis os tam in colloquutionibus, quam in consiliis, atque in electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus tam in Consistoria, quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. ANtiquus profecto est ritus claudendi, & aperiendi os Cardinalibus recens creatis. Os Pontifex, ut vel ex hoc §. addiscere licet, novis Cardinalibus claudere dicitur, cum eis inhibet, nequid loquantur in Consistorio, aut in Cardinalium cœtibus, quousque de consilio antiquorum Cardinalium, os eis aperiendum duxerit. Os autem aperire dicitur, quando eis indulget, ut in Consistoriis, aliisque Cardinalium conventibus sententiam dicant; idque ex Pontificis consilio pendet. Testes hujus ritus sunt Romanus Ordo XIV. & Cæremonialis ms. Codex Piersanctianus, qui ita ad rem inquiunt: *Dominus Papa imposuit silentium Dominis Cardinalibus, quousque ipse Dominus Papa de consilio antiquorum Cardinalium os duxerit eis aperire, & tunc dicit eis, qualiter debent cum reverentia loqui in Consistorio, cum loquuntur aliis Cardinalibus, & etiam cum loquerentur tam in viam consilii, quam in viam collationis, non contradicendo, seu impugnando dicta aliorum Cardinalium, sed vel dicendo prudentius cum reverentia quod eis Dominus ministraverit; & qualiter etiam alios Cardinales debeant honorare; qualiter etiam in consiliis dandis debeant Deum præ oculis habere in mente & in ore tunc temporis sinceritatem & puritatem habere, remota omni partialitate amoris, odii, vel favoris.* Hactenus ms. Piersanctianus Codex, qui fere ad verbum memorato Ordini XIV. Romano concinit, additque statim: *Aliquando consuevit eis tamen silentium imponere illo tunc, & reliqua proxime præcedentia eis dicere, dum eis decreverit os aperire.*

II. Multa plane sunt, quæ in ipsam aperitionis oris cæremoniam adnotemus, ac primum, eam novis Cardinalibus simul creatis non uno eodemque tempore factam fuisse, uti nos docet exemplum Nicolai Papæ V. qui, ut in ejus Vita scribit Georgius ad annum MCDXLIX. die quidem Veneris tertia mensis Januarii prædicti anni MCDXLIX. in Consistorio secreto Cardinalibus, quos die XX. Decembris anni MCDXLVIII. creaverat, Titulos Presbyterales assignavit, nempe Astorgio Archiepiscopo Beneventano Titulum S. Eusebii, Latino Archiepiscopo Tranensi Titulum S. Joannis & Pauli, Alano Episcopo Avenionensi Titulum S. Praxedis, Joanni Episcopo Æduensi Titulum S. Stephani in Cælio monte, Philippo Episcopo Bononiensi Titulum S. Susannæ, Nicolao de Cusa Titulum S. Petri ad Vincula; eademque die tertia Januarii aperuit os Cardinalibus Latino Ursino, & Alano Avenionensi. Aliis autem aperitio oris alio tempore facta est, nimirum Astorgio Archiepiscopo Beneventano die IX. mensis Junii, Spoleti; Philippo Episcopo Bononiensi die XXV. Julii, Fabriani, ut Jacobus Radulphi in Diario Consistoriali litteris tradidit, & post eum laudatus Georgius in Vita Nicolai Papæ V. anno MCDXLIX. Num. II. Sane constat, Clementem Papam VII. *cum Hippolitum Medicem ejus nepotem Cardinalem fecit, ei biretum, & Galerum simul dedisse, ac eidem statim clausisse, & aperuisse os in congregatione Cardinalium coram se coadunatorum, cum esset infirmus, & timeret vitæ periculum, ut Blasius* Cæsenas *cæremoniarum Magister notavit sub die X. Januarii MDXXIX.* teste Francisco Mucantio in Diario ms. Gregorii Papæ XIII. die II. Junii anno MDLXXII.

III. Idem ritus servatus quoque fuit ab eodem Pontifice Clemente VII. Bononiæ in Consistorio, ubi creavit Cardinalem Barensem, ad instantiam Caroli V. Imperatoris die XXI. Februarii, ut ex Memoralibus ejusdem Blasii idem Mucantius tradit. Rursus idem Pontifex creatis quatuor Cardinalibus Gallis Massiliæ ad instantiam Galliæ Regis anno MDXXXIII. die VII. Novembris, & die sequenti, quæ fuit Sabbati, traditis eisdem in Consistorio publico Galeris Cardinalitiis, *deinde die X. ejusdem mensis clausit & aperuit eisdem os eodem Consistorio*, ut memoratus Mucantius scribit citato loco ex testimonio prædicti Blasii Cæremoniarii Apostoli, qui in suo Itinerario eam cæremoniam narrat. Sed omissis aliis id genus exemplis, con-

Digitized by Google

consuevit jam olim ipsa oris aperitio, sicut & Anuli, ac Tituli traditio extra Consistorium fieri, uti docent ms. Piersanctianus Codex Cæremonialis, & Romanus Ordo XIV. Cap. XVI. sic inter alia ajentes: *Attendendum est etiam, quod præmissa quantum ad apertionem oris, & donationis Anuli, & Tituli, interdum consueverunt fieri extra Consistorium, quando Dominus Papa vocat omnes Cardinales ad cameram suam pro consilio super negotiis habendo; & tunc omnes præmissæ solemnitates per omnia servantur secundum modum antedictum, prout factum fuit anno a Nativitate Domini MCCCXXXIX. XVI. mensis Januarii Avenione per Dominum Papam Benedictum XII. in personas Dominorum Cardinalium Ebredunensis, cui tunc fuit commissus Titulus S. Marci; & Albi, cui tunc etiam commissus fuit Titulus Quatuor Coronatorum, & Montis Olivi, cui commissus fuit tunc etiam Titulus S. Stephani in Cælio monte, in camera prædicti Domini Papæ Benedicti.*

IV. Sed notanda præsertim hoc loco sunt, quæ de aperitione oris, & de ejus cæremonia juxta antiquum morem docet idem Romanus Ordo XIV. cujus hæc sunt verba: *Norma vero, quæ antiquitus consuevit servari in apertione oris novorum Cardinalium ..... est infrascripta, videlicet, quod postquam sederint Cardinales tam antiqui, quam novi, in ordine suo in Consistorio, tunc quando Domino Papæ placebit, dicitur per eum novis Cardinalibus, quod sedeant* (sive, ut inquit Codex Piersanctianus, *secedant*) *ad partem, & ipsis absentibus dantur consilia circularia* (sive *auricularia* juxta Codicem Piersanctianum, *per Cardinales antiquos, an ora ipsorum Cardinalium sint aperienda; & si consulant quod sic, revocantur ad Consistorium iidem Cardinales absentes, & sedent in locis suis, & tunc Dominus Papa, proposita aliqua auctoritate, si placet, cum brevi, vel modica, & quasi nulla ipsius prosequutione, ora ipsorum aperit, dicendo*: Nos aperimus tibi os, *vel* vobis, *si sint plures*, tam in collationibus, quam consiliis, & in electione Romani Pontificis, & in omnibus actibus, tam in Consistorio quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos sunt soliti exercere. *Ipsi vero ad proposita non respondent*. Legitur & hæc formula in ipso Piersanctiano ms. Codice, Capite inscripto, *forma, quam debet Papa tenere in apertione oris Cardinalium*; eaque, ut vides, eadem est ac illa in hoc §. nostro descripta, in quo tamen & ea clausula addita est: *In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen*.

V. Porro Sanctionem edidit Eugenius IV. quæ in Romano Bullario extat, ubi edixit, eos tantum Cardinalatus jure potituros, qui præsentes Pileum rubeum, Titulum, Anulumque a Pontifice receperint, vel ad quos absentes rubeum Pileum Pontifex miserit, neque in renuntiando novo Pontifice, ceteriſve rebus suffragia laturos, nisi postquam in Consistorio promendæ suæ sententiæ potestatem acceperint, seu postquam eis os clausum, & apertum fuerit. Verum putat Pagius in Vita Urbani Papæ V. Num. III. & in ipsius Eugenii IV. Papæ Vita, Num. XII. eam Sanctionem editam fuisse ab Eugenio, ut Dominicum Capranicam a Martino V. dictum Cardinalem dignitate exueret; cum alias jam longe ante hæc tempora in usu positum fuerit, ut Cardinales vi suæ nominationis, licet ipsum Pileum rubeum non recepissent, nec Titulum, nec alia, ad electionem tamen Pontificis fuissent admissi. Hujus rei insigne exemplum refert Bernardus Guido in Catalago Cardinalium assumtorum ex Ordine Prædicatorum apud Baluzium. Benedictus quippe XI. anno MCCCIV. in jejuniis Quatuor Temporum post Cineres Galterum Winkterburnum Confessarium Eduardi Angliæ Regis creavit Presbyterum Cardinalem, de quo ita ad rem nostram laudatus Guido scribit: *Hic post novem menses a die, qua fuit in Cardinalem nominatus, & post quinque fere menses ab obitu memorati Domini Benedicti Papæ, pervenit ab Anglia Perusium Civitatem, ubi adhuc Curia morabatur, Sede vacante, IV. Kal. Decembris, Sabbato scilicet ante Dominicam primam Adventus, anno Domini MCCCIV. fuitque exhibitus sibi magnus, & debitus honor a populo Perusino, & sine alio diverticulo declinavit ad Conclave Cardinalium, ubi inclusi propter electionem Summi Pontificis commanebant, a quibus cum magno favore, & honore susceptus est, & in sequenti crastino S. Andreæ, scilicet in Kalendis Decembris ad scrutinium electionis Summi Pontificis tanquam Cardinalis admissus, quamvis nondum haberet Titulum, nec Anulum, nec Capellum*; itemque nec ei os clausum apertumque fuisset.

VI. Celebre est & aliud exemplum, quod etiam longe ante Eugenii IV. tempora occurrit. Androynus de Rocha, quem Innocentius Papa VI. ex Abbate Cluniacensi absentem anno Domini MCCCLXI. die XVII. Septembris, quæ eo anno concurrebat cum Feria VI. Quatuor Temporum, una cum aliis septem Viris egregiis S. R. E. Cardinalium Collegio adscripsit, quique gravissimis Reipublicæ Christianæ negotiis alibi occupatus a tempore suæ creationis, non accesserat Avenionem, nisi quando ipse Innocentius VI. laborabat in extremis, quique propterea licet haberet Pileum rubeum, quem ei absenti peculiari gratia idem Pontifex miserat, Titulum tamen non habebat, nec in Consistorio Sedem, quia nondum ei os clausum & apertum fuerat, nihilominus de communi Cardinalium consensu admissus est una cum aliis in Conclave, judicantibus illis concorditer, solam assumptionem, seu promotionem ad Cardinalatum, tribuere vocem in electione Pontificis; idque expresse denotari eo ritu, quo noviter promoto per Papam clauditur os, quousque Titulum acceperit, quando illud ei aperitur, ut imposterum vocem liberam in omnibus habeat; non autem claudi, nisi quod prius apertum est; ac proinde cum non fuisset clausum os Androyno a Pontifice, utique illud ei apertum, & liberum remansisse. Hæc constant ex Auctore primæ Vitæ Urbani V. qui in eo Conclavi electus fuit anno MCCCLXII. ad quem annum scribit Spondanus, Num. x. eam Cardinalium explicationem argute inventam esse, additque contraria de his decreta reperiri sub Eugenio IV. Pontifice.

VII. Sed licet ab ipso Eugenio sancitum fuerit, Cardinalem, cui os solemni ritu apertum non fuerit, in electione novi Pontificis vocem activam non habere; derogavit tamen deinde Constitutioni Eugenii Pius Papa V. die XXVI. Ja-

Digitized by Google

Januarii anni MDLXXI. cujus decretum legere est apud Cherubinum juniorem in Compendio novi Bullarii in Nota ad Constitutionem 1. Eugenii IV. Tomo 1. pag. 55. & apud Cohellium in Notitia Cardinalatus, Cap. IX. pag. 23. estque hujusmodi: *Die* XXVI. *Januarii* MDLXXI. *Quia aliquando dubitatum est, utrum Cardinales, quibus os clausum fuisset, si antequam illud eis aperiatur, Sedis vacatio evenerit, utrum, inquam, in Summi Pontificis electione votum haberent, Sanctitas sua, requisitis Reverendissimorum Dominorum sententiis, de eorum consensu & assensu decrevit, quod cum potissima Cardinalis facultas in Romano Pontifice eligendo consistat, quæ sane ipsis propter insignium, & Cæremoniarum defectum auferri non debet, ob eam causam Sanctitatem suam statuere, ut postquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & consensum suum dederit, is statim vocem, & jus eligendi Romanum Pontificem habeat, etiamsi Cardinalatus Galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit; videtur enim hujusmodi oris claudendi ritus ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem versatur, non pertinere, sed cæremoniam quandam esse ea de causa introductam, ut Cardinales, antequam in Consistoriis, & Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quæ ab ipsis in his, & aliis actibus adhiberi debet, admoneantur &c.* Meminit hujus Decreti Ceremoniale Gregorii Papæ XV. jussu editum de electione Romani Pontificis, §. *Porro Capitula*, ubi ita inquit: *De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clausum, aliquando dubitatum est; verum a Pio V. fuit hæc dubitatio sopita per ejus Decretum editum* XXVI. *Januarii* MDLXXI. *quo declaravit hujusmodi oris clausuram, cæremoniam quandam esse ea de causa introductam, ut Cardinales, antequam in Consistoriis & Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quæ ab ipsis in his, & aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur; non autem pertinere ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem versatur; quæ declaratio Pii V. semper huc usque observata fuit.*

VII. Et quidem introductam fuisse eam cæremoniam, ut Cardinales officii sui admoneantur, ex hoc nostro §. constat, ubi habetur, quod cum iis aperiendum est os in secundo, aut tertio Consistorio, *Pontifex novos Cardinales stantes verbis paterna caritate plenis instruit, quomodo se in omnibus cum gravitate, modestia, humanitate, & prudentia, gerere debeant; quod in Consistoriis cum reverentia, & modestia loquantur, & cum ipso Pontifice, & cum omnibus aliis Cardinalibus, & in consultatione, aut collocutione respondeant, & mentem suam exponant, non per modum contradicendi, seu impugnandi aliorum dicta, sed cum omnium reverentia, & modestia sententiam suam explicent ea prudentia, quam Dominus eis subministrare dignabitur &c.* Ceterum teste Fagnano in Capite, *Cum olim*, XIV. *De majoritate & obedientia*, Num. XLVIII. post obitum Clementis VIII, Cardinalis de Comitibus, cui nondum os fuerat apertum, ad Pauli V. electionem admissus fuit. Idem quoque Fagnanus testatur, in electione Innocentii Papæ X. ante aperitionem oris, vocem habuisse, ut ajunt, activam Cardinales Panzirolum, Rossettum, & Estensem recens creatos. Alia exempla describere supervacanei esset laboris.

§. XII.

De dandis Titulis, & Anulis novis Cardinalibus.

Deinde accedentes novi Cardinales unus post alium ad Pontificem, primus genuflectit ante Pontificem, qui accipiens Anulum pretiosum ad hoc præparatum immittet indigito anulari dextræ manus Cardinalis, dans ei Anulum, & Titulum, dicens: *Ad honorem Dei Omnipotentis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti N. committimus tibi Ecclesiam Sancti N. cum Clero, & populo, & Capellis suis secundum formam, qua comitti consuevit Cardinalibus, qui eandem Ecclesiam in Titulum habuerunt.* In Diaconis autem idem servatur, nisi quod non dicit, Tituli, nec adduntur Capellæ.

COMMENTARIUS.

I. TItuli Ecclesiæ dictæ sunt, quibus deserviendis ordinabantur Presbyteri itaut in iis stabilitatis promissionem facere tenerentur, & ab illis recedere ipsis non liceret, ut pluribus in suo mediæ & infimæ Latinitatis Glossario docet eruditus Dufresne, verbo, *Titulus*. Cur autem eo nomine Ecclesiæ a veteribus Christianis donatæ sint, variæ sunt Auctorum sententiæ. Baronius anno MCII. a titulis Fiscalibus desumtam hanc appellationem putat, quorum appositione rem aliquam sibi Fiscus vindicare solebat: Titulum autem Crucis fuisse, quo appositio, res sacra censebatur, quod pluribus observat in Notis ad Martyrologium Romanum die XXVI. Julii. Alii a Titulis seu Sepulchris Martyrum, vel Confessorum in Ædibus sacris reconditis. Nam Titulum sepulchri dixit Juvenalis Satyra VII. *Titulis decorare sepulchrum*. Sed audiendus Prudentius Poeta Christianus, qui Hymno v. de Sancto Vincentio ita scripsit.

Jam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat
Titulumque figat Martyris,

Et Hymno XII. de Coronis.

Parte alia Titulum Pauli via servat Ostiensis.

Alii denique dictam ajunt Ecclesiam Titulum, quod

Digitized by Google

quod Ædi ſacræ veſtibulis Sancti, cui dicata erat, Nomen inſcriberetur, ſeu quod eo titularetur. Plura de his curioſus Lector inveniet apud eruditum Florentinium Exercitatione II. in vetuſtius Martyrologium, & apud laudatum Baronium loco citato, ubi etiam ait, veterem Romæ obtinuiſſe loquendi uſum, ut non omnis Eccleſia, Martyrumve Memoria *Titulus* diceretur, ſed tantum inſigniores Eccleſiæ, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales.

II. His notatis, quod ritum ſpectat dandi Titulos, Anuloſque Cardinalibus recens creatis, concinit plane noſtro huic §. quod tradit de ea re Ordo Romanus XIV. Cap. CXVI. ſic inquiens: *Poſt hæc in fine Conſiſtorii, vel ibidem poſt apertionem prædictam*, oris ſcilicet, de qua cæremonia in Commentario ſuperiori diximus, *ſecundum quod Domino Papæ videbitur, ſinguli Cardinales novi, ſingulariter unus poſt alium genuflectit coram Domino Papa; & tunc Dominus Papa recipit unum ex Annulis præparatis ad hoc, & immittit digito Cardinalis novi, dicendo tunc hæc, vel ſimilia verba, quæ ſequuntur*: Ad honorem Dei Omnipotentis, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Priſcæ, *vel alterius Sanctæ, vel Sancti, ad cujus honorem eſt fundata Eccleſia, quam Cardinali committit*, commitimus tibi Eccleſiam Sanctæ Priſcæ cum Clero, & populo, & Capellanis ſuis, *ſi eſt in Presbyterum Cardinalem aſſumtus, & ſic in ſimilibus, & interdum additur*, ſecundum formam, quæ committi Cardinalibus conſuevit, qui eandem Eccleſiam intitulatam pro tempore habuerunt. *Si vero eſſet in Diaconum Cardinalem aſſumtus, dicitur*: Ad honorem &c. *ut ſupra*, committimus Eccleſiam Sanctæ N. cum Clero & populo ſuis; & *omittitur*, Capellanis. Eadem leguntur in ms. Codice Pierſanctiano, qui tamen in recitata formula non dicit, *Capellanis ſuis*, ut in prædicto Romano Ordine, ſed *Capellis ſuis*, ut in hoc noſtro Cæremoniali.

III. Lubet hoc loco ritum deſcribere, quo juxta Romanum Ordinem IX. relatum a Mabillonio, Tomo II, Muſei Italici pag. 89. & ſeqq. Romæ recens a Papa ordinati ad ſuos Titulos deducerentur: *Expletis omnibus*, inquit, *Miſſa rite completa, ſtant Regiones paratæ ad ſingulos Titulos pertinentes cum candelabris, & thuribulis, ut proprium ſuſcipiant Sacerdotem. Pontifex autem donat eis Sacerdotalia indumenta, & miniſteria Miſſæ, aurum, vel argentum, vinum, frumentum, & oleum. Egredientes autem de Baſilica S. Petri præcedent unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipſe ſedet ſuper equum album. Præcedens, & ſubſequens populus canit & laudem. Similiter autem feminæ, Diaconiſſæ, & Presbyteriſſæ, quæ eodem die benedicuntur. Plateæ autem Civitatis, unde tranſituri ſunt, coronantur lauro, & paliis, & cum tanta gloria ad ſtatutos Titulos deducunt proprios Sacerdotes, & ipſe facit eis eo die convivium*. Pervetuſtus eſt profecto Ordo iſte IX. Romanus, quippe qui mentionem facit ritus ordinandi Diaconiſſas, & Presbyteriſſas, qui quidem, uti notavimus in Commentariis ad Concilia Œcumenica, & ad Romanum Pontificale, jam longe ante annum Chriſti milleſimum abrogatus fuit. Ceterum quæ ſit hodie poteſtas S. R. E. Cardinalium in ſuos Titulos, legendæ variæ Romanorum Pontificum de ea re Conſtitutiones,

§. XIII.

Quod novi Cardinales non utuntur Anulis antequam habeant Titulum.

Et notandum, quod novi Cardinales, etiamſi antea erant Prælati, non debent portare Anulos antequam habeant Anulum a Summo Pontifice. Cum autem acceperint Anulum, & Titulum, oſculentur pedem, & Pontificis manum; & Sanctitas ſua eos elevet ad oſculum oris, & revertantur ad ſedes ſuas. Datis Anulis, & Titulis Cardinalibus præſentibus, conſuevit etiam Pontifex ad contentiones tollendas etiam dare Titulos Cardinalibus abſentibus, ſiqui ſint noviter creati. Et hæc omnia de ore aperiendo, Anulis, & Titulis dandis, poſſunt etiam fieri extra Conſiſtorium ordinarium, videlicet in circulis, & Congregationibus, quando Cardinales vocantur pro aliqua cauſa, & tamen ſupradicta ſervantur, ſicut in Conſiſtorio.

COMMENTARIUS.

I. COncinunt hæc memoratis toties Pierſanctiano ms. Codici, & Romano Ordini XIV. Cap. CXVI. qui poſt deſcriptam ſuperius in præcedenti Commentario cæremoniam traditionis Anuli, atque Tituli factæ Cardinali recens creato, ita ſubdit: *Cardinalis vero, qui recipit anulum, oſculatur manum, & pedem Domini Papæ, & Dominus Papa ipſum poſt ad oſculum oris recipit, & ſic conſequenter de aliis novis Cardinalibus obſervatur. Quibus completis, vadunt prædicti Domini Cardinales ſedere in locis ſuis, nec tunc etiam Cardinales novi aliquid prædictis verbis & factis reſpondent*. Idem quod Ordo Romanus, dicit etiam Pierſanctianus Codex, qui etiam mox ajunt: *Attendendum etiam, quod Dominus Papa tunc præſentibus omnibus Cardinalibus, ordinat quos Titulos habere debeant novi Cardinales abſentes, ut inde ſollicitudo tollatur*. Attendendum denique & illud monent, *quod præmiſſa quantum ad apertionem oris, & donationis anuli, & Tituli, interdum conſueverunt fieri extra Conſiſtorium, quando Dominus Papa vocat omnes Cardinales ad cameram ſuam pro conſilio ſuper negotiis habendo; & tunc omnes præmiſſæ ſolemnitates per omnia ſervantur ſecundum modum*

Digitized by Google

antedictum, prout factum fuit anno a Nativitate Domini MCCCXXXIX. XVI. menſis Januarii Avenione per Dominum Papam Benedictum XII. in perſonas Dominorum Cardinalium, Ebredunenſis, cui tunc fuit commiſſus Titulus Sancti Marci; & Albi, cui tunc etiam commiſſus fuit Titulus quatuor Coronatorum; & Montis Olivi, cui commiſſus fuit tunc etiam Titulus Sancti Stephani in Cælio monte in camera prædicti Domini Papæ Benedicti. Hactenus laudati Codices Cæremoniales. Panvinius & Ciaconius hanc creationem revocant ad annum Domini MCCCXXXVII. & quidem ad XV. Kalendas Januarii, qua die Bertrandus de Deucio Archiepiſcopus Ebredunenſis, Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci; Frater Guillelmus Curti de Divano Abbas Montis Olivi, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, & Guillelmus Albus Presbyter Cardinalis Tituli S. Stephani in Cælio monte renunciati dicuntur cum aliis tribus. Sunt etiam, qui eam creationem factam dicunt anno MCCCXXXVIII. ejuſque opinionis ſunt Contelorius, & Anonymus Auctor Vitæ Benedicti Papæ XII. apud Boſquetum. Sed præferenda eſt Pierſanctiani ms. Codicis, & Romani XIV. Ordinis, ſive Cæremonialis auctoritas, uti notat Mabillonius ad ipſum Ordinem ad calcem paginæ 432.

II. Notato hoc obiter, notandum præſertim illud, quod initio noſtri hujus §. edicitur, novos ſcilicet Cardinales, *etiam ſi antea erant Prælati, non debere portare Anulos, antequam habeant Anulum a Summo Pontifice.* Eſt is Anulus Cardinalitius, cujus quidem valor quingentis Cameræ ducatis æſtimatur, & in aſſumtione ad Cardinalatus dignitatem, digito anullari illius per Summum Pontificem, ut diximus, imponitur; ſequuta vero Cardinalis morte, non Anulus, ſed valor Cameræ ipſi Apoſtolicæ debetur ex Conſtitutione VIII. Julii III. quæ legitur in Romano Bullario, licet hodie dictus Anuli valor non amplius Cameræ Apoſtolicæ, ſed Congregationi de propaganda Fide a Gregorio XV. erectæ, eodem Pontifice ita mandante, non expectata Cardinalis morte, perſolvitur, ut notat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. XVI. Privilegio XXXIX. ubi & alia tradit, quæ eandem rem ſpectant.

§. XIV.

Diſpenſatio quod retineant Beneficia.

Et quoniam in aſſumtione ad Cardinalatum cenſentur omnia Beneficia promoti vacare, conſuevit Pontifex per Litteras Apoſtolicas ad partem diſpenſare cum promoto, ut omnia Beneficia, quæ obtinebat, retineat, & decernere, illa non vacare.

COMMENTARIUS.

I. Per promotionem ad Cardinalatus dignitatem omnes Eccleſias, & Beneficia quæcumque, cujuſcumque nominis, & tituli ſint, ipſaque officia in Romana Curia, quæ *vacabilia* dicuntur, & pecunia comparantur, vacare, docet hic noſter §. & ſancitum etiam deinde fuit a Sixto Papa V. peculiari ſua Conſtitutione LVII. quæ in Bullario Romano legitur. Plerumque tamen a Summis Pontificibus per Litteras Apoſtolicas diſpenſando conceditur ipſis ad Cardinalatum promotis eorundem Beneficiorum retentio, ut idem noſter hic §. tradit; idque de conſuetudine Curiæ ſervari dicit Lancellottus in ſuo Templo omnium Judicum Lib. II. Cap. I. §. III. Num. XXXI. Hæc autem Beneficiorum retentio conceditur quidem, ſi talia ſint Beneficia, quæ Cardinalitiæ dignitati non repugnent, ut in eadem Sixti V. Conſtitutione cavetur, ubi enarratur etiam, quæ ſint Beneficia, in quibus diſpenſari non poſſit, Archipresbyteratus ſcilicet, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia, cum obtinens hujuſmodi Beneficia teneatur reſidere in Choro, & locum habere poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati minime convenientem, ut notat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. VIII. in fine.

§. XV.

Et notandum, quod, ſicut apud omnes Cæremoniarum Libros invenimus, regulariter Pontifices non conſueverunt mittere Galerum rubeum novis Cardinalibus extra Curiam, niſi eſſent in aliqua Legatione pro aliqua re magni momenti Sedis Apoſtolicæ, quia tunc mittitur, ut ſint majoris auctoritatis, & reverentiæ, & tunc ſervantur infraſcriptæ cæremoniæ.

COMMENTARIUS.

I. Quod in hoc §. edicitur, notarunt jam olim ms. Pierſanctianus Codex, & Romanus Ordo XIV. Cap. CXVI. ſic ajentes: *Regulariter autem Cardinali novo abſenti Capellus rubeus per Dominum Papam non mittitur. Interdum tamen de gratia ſpeciali mitti ei per Dominum Papam conſuevit, quando antea miſſus Legatus, vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges, vel Regem & Principes tractanda, ac etiam conſummanda, ad finem, quod ipſe Cardinalis per ipſos in majori reverentia habeatur, & ex hoc ad pacem me-*

Digitized by Google

melius, & facilius inducatur. Hinc teſte Raynaldo ad annum MCCCXVI. Num. XX. cum Joannes XXII. interpellatus a Galliæ Rege Philippo, ut recens Cardinali creato Pileum mitteret, recuſavit, excuſavitque priſcum morem, per quem id minus liceret: *Quia nec Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices conſueverunt extra curiam hujuſmodi Pileos mittere*; & a temporibus B. Ludovici, Pileum Cardinalitium non eſſe miſſum, niſi ad duos Angliæ Nuncios, quorum neceſſe eſſet dignitatem exaggerari, ut hinc pondus & auctoritas accederet eorum ſtatutis. Clemens VI. ut notavit Thomaſſinus, Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CIV. Num. XIV. cum ſacro adſcripſiſſet Collegio Abbatem S. Dionyſii, Pileum miſit, concrediditque tribus Epiſcopis cum Epiſtola, qua ſignificabat, quamvis inoleviſſet mos, ut Romam proficiſcerentur Pileo donandi a Papa: *Licet imitanda ſervarit antiquitas, ut ad honorem Cardinalatus evectus, non prius Capello rubeo uteretur, quam illum de manu Pontificis ſuſcepiſſet*. Miſſum tamen a ſe eſſe, quem a tribus acciperet Epiſcopis, quod certior factus eſſet, eſſe graviſſima negotia, propter quæ non poſſet tunc a Rege divelli: *Pro negotiis, in quibus Rex præſentia tua indigere ſe dixit diebus aliquibus in partibus iſtis de noſtra licentia remanere*.

II. Clementis VI. Succeſſor Innocentius itidem VI. creatis ſex Cardinalibus die Veneris XXIII. Decembris anni MCCCLVI. inter quos duo tunc abſentes erant a Curia, nempe Petrus de Foreſta, & Nicolaus Roſelli Catalanus Ordinis Prædicatorum tunc Inquiſitor hæreticæ pravitatis Provinciæ Aragoniæ, rogatus a Petro Aragonum Rege, ut Pileum rubeum ei transmitteret, reſpondit, moris non eſſe, ut cuiquam Pileus ipſe niſi ex Pontificia manu detur, ſeque de ea re Cardinales percunctatum, ut Regis votis morem gereret, neque illos ad ſuam ſententiam allicere potuiſſe. Miſit tamen Pileum Cardinalitium ipſe Innocentius Petro de Foreſta, idque ex eo colligitur, quod cum idem Petrus Aragoniæ Rex reſcripſiſſet Pontifici, objiciſſetque exemplum memorati Petri de Foreſta novi Cardinalis, ad quem Innocentius rubeum Pileum miſerat, reſpondit Pontifex, diſparem eſſe rationem, quia ille miſſus fuerat Burdegalam, ut de pace ageret inter Reges Francorum, & Anglorum, uti ex iis conſtat, quæ refert Raynaldus ad annum Chriſti MCCCLVI. Num. XLI. & MCCCLVII. Num. II: ex quibus etiam eruitur, Talayrandum, & Nicolaum Capocium Cardinales, qui tum Legatione Sedis Apoſtolicæ fungebantur in Gallia, obtinuiſſe a laudato Innocentio VI. Pontifice, ut Pileum rubeum ad Petrum ipſum de Foreſta mitteret.

III. Errant itaque illi Scriptores, qui putant, Cardinali abſenti creato, propter regiam promoti nobilitatem, puta ſi fuerit filius, aut frater Imperatoris, vel Regis, nedum Biretum, ſed etiam Galerum rubeum a Pontifice per ſuum Apoſtolicum Nuncium mitti. Tradit hæc quidem Cohellius in Notitia Cardinalatus Cap. X. in fine, probatque exemplo Pauli V. qui poſt cooptatum in ſacrum Collegium Ferdinandum Auſtriacum Philippi III. filium Hiſpaniæ Infantem, eidem ſtatim Diaconiam S. Mariæ in Porticu attribuit, Anulumque, & Pileum, ampliſſimæ Cardinalitiæ dignitatis inſignia, mittendum decrevit; itemque exemplo Urbani VIII. qui Joanni Alberto Poloniæ Regis fratri, poſt ſacram delatam Purpuram, Diaconiæ S. Mariæ in Aquiro a Cardinali Antonio Barberino dimiſſæ curam commiſit, & Anulum, Pileumque ſpeciali Nuncio in Poloniam miſit. Addi & his alia exempla poſſunt, quæ longum eſſet enumerare. Ut alia omittam, ex quibus docemur, Romanos Pontifices, ubi filios Regum, ac Magnorum Principum Cardinales creant, ad eoſdem mittere ſolitos eſſe per aliquem Romanæ Aulæ Præſulem nondum Biretum, ſed & Pileum rubeum, ac Anulum una cum Titulo: ea certe paucis ab hinc annis donatus fuit prærogativa Joannes Theodorus e Ducibus Bavariæ, Caroli VII. Imperatoris frater germanus, quem feliciter regnans BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus ſervatum, ut ajunt, in pectore, Cardinalem creavit die IX. Septembris anno Chriſti MDCCXLIII. publicavitque poſtea die XVII. Januarii anno MDCCXLVI. Et deinde poſt publicationem prædicta omnia inſignia miſit una cum Titulo S. Laurentii in pane & perna per Lazarum Opitium Pallavicinum, Abbreviatorem, ut vulgo vocant, de Parco majori.

IV. Vera quidem hæc ſunt, ſed æque verum eſt, non ſoli Regiæ familiæ claritudini eum honorem a Pontificibus datum fuiſſe, ut aliqui putant; exemplum ſiquidem Petri de Foreſta Cardinalis ſuperius allatum, ut notat Pagius in Vita Innocentii VI. Num. XVII. eam obſervationem deſtruit. Ex eo enim conſtat, antequam bireto rubeo uterentur Cardinales, rubeum Galerum ad abſentes aliquando miſſum, etiamſi non eſſent filii, aut fratres Imperatorum, aut Regum. Cujus rei extat aliud inſigne exemplum ejuſdem Innocentii Papæ VI. qui anno Pontificatus IX. Chriſti vero MCCCLXI. rubeum Pileum miſit ad Androynum de Rocha in Gallia Nuncium, *licet non fuerit ſine magna cauſa fieri conſuetum*, ut idem Innocentius in Epiſtola ſua inquit, quæ extat Tom. II. Theſauri novi Anecdotorum Col. 1068. Porro de gratia ſpeciali mitti interdum abſenti recens Cardinali creato Pileum rubeum a Pontifice conſueviſſe, quando ſcilicet antea miſſus ille Legatus, vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges & Principes tractanda, ac etiam conſummanda, ut nempe Cardinalis accepto Pileo, majori in honore a Regibus ipſis, atque Principibus haberetur, docent nos quidem Romanus Ordo XIV. & Codex ms. Pierſanctianus, quorum locum initio hujus Commentarii deſcripſimus. Petrus autem de Foreſta miſſus fuerat pro tractanda pace inter Franciæ & Angliæ Reges; Androynus vero erat in Gallia de mandato Innocentii *pro proſequutione quorumdam arduorum negotiorum, Regem*, Joannem ſcilicet Regem Galliæ, *ac Regni ſui tranquillitatem, & pacem contingentium*, ut ipſemet Pontifex Innocentius VI. in laudatis Litteris aſſerit. Ceterum conſueviſſe etiam mitti Pileum rubeum ad eos, quorum præſentia Reges indigebant, jam ſupra oſtendimus exemplo Clementis VI. qui anno MCCCLI. rubeum Galerum miſit ad Ægidium Rigaudum, quem anno MCCCL. ex Abbate S. Dionyſii in Francia Cardinalem creaverat, Litteris datis apud Villamnovam XVII. Kalendas Aprilis anno IX. in quibus expreſſe ait, ſe illum mittere, quod Rex Franciæ ejus præſentia indigere ſe diceret. Litte-

Digitized by Google

ras haſce refert Raynaldus ad annum MCCCL. Num. XLVIII. De ipſo autem Ægidio Rigaudo videri poſſunt quæ in ejus Vita ſcribit Ciaconius cum Notis diverſorum.

§. XVI.

Quæ ſervantur, cum mittitur Galerus extra Curiam.

Summus Pontifex cum Galerum rubrum alicui extra Curiam deſtinat, committit alicui Prælato in illis partibus primario, (1) & novo Cardinali grato per ſuas Litteras, ut publice Galerum rubrum, Apoſtolicæ Sedis nomine, novo Cardinali imponat, recepto ab eo prius fidelitatis juramento. Nam ab abſentibus exigitur juramentum; de præſentibus autem aliquando fuit factum, aliquando non. Formam vero juramenti, & Litteras Apoſtolicas dabit illi, per quem mittet Galerum. Qui igitur illum nomine Pontificis ad novum Cardinalem deferet, cum ingreditur Urbem, ſive Oppidum, ubi novus Cardinalis inhabitat, deducetur a Nobilibus, & amicis Cardinalis, & ipſum Galerum portabit palam, ut videri poſſit, ſive ſuper unum baculum, ſicut portantur ante Papam, ſive alias, quomodo ſibi placuerit. Die Dominico, vel Feſto, convenient ad domum novi Cardinalis, Epiſcopus cui committitur aſſignatio, (2) & Pontificis Nuncius, qui Galerum portavit, & ſimul omnes cum novo Cardinali ibunt ad Eccleſiam, Nuncio Apoſtolico ante Cardinalem Galerum portante, & tunc Cardinalis habebit Cappam Cardinalarem, & Galerum nigrum ſtatui ſuo priſtino congruentem. In Eccleſia poſtquam fecerint orationem ante Altare, audient Miſſam ſolemnem, ſive ſimplicem, prout Domino Cardinali placebit. Finita Miſſa, Epiſcopus Commiſſarius induet ſuper Rochetum, ſive Superpelliceum Stolam, Pluviale, & Mitram precioſam, & ſedebit ſupra Cathedram ſibi paratam ante Altare vertens faciem ad populum. Nuncius autem, qui Galerum portavit, deponet illum ſuper Altare, & ſi ad hoc erit idoneus, & paratus, ſtans in loco convenienti, ut ab omnibus audiatur, facit brevem ſermonem de dignitate Cardinalari, de meritis, & virtutibus novi Cardinalis, & de meritis Principis, qui pro eo ſupplicavit. Finito ſermone, vel dimiſſo, accedet ad Epiſcopum Commiſſarium, & illi præſentabit Litteras Apoſtolicas, quas Epiſcopus reverenter ſuſcipiet, & per unum ex ſuis publice legi faciet. Deinde convertens ſe ad circumſtantes narrabit, qualiter Summus Pontifex volens Sanctæ Romanæ, & univerſali Eccleſiæ de novis Cardinalibus providere, in quatuor Temporibus proxime præteritis aſſumſit ad Cardinalatus dignitatem octo Reverendiſſimos Patres omnium virtutum genere excellentes; inter quos voluit annumerare Reverendiſſimum in Chriſto Patrem tunc Epiſcopum Tornacenſem cum ſuis præclaris meritis, tum maximis precibus, & interceſſione Sereniſſimi Regis, ſeu Principis &c. & hic præſertim ſi Nuncius Apoſtolicus id non fecerit, laudet perſonam Cardinalis, perſonam intercedentis, & ipſam dignitatem. Demum exponat commiſſionem ſibi factam, & concludat, ſe eſſe paratiſſimum ad exequenda Apoſtolica mandata. Novus Cardinalis, his dictis, accedat ad Altare, & genuflexus ante Epiſcopum juret, ut in forma ad Epiſcopum tranſmiſſa continetur. Quo facto, ſurgit Epiſcopus, & retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ, depoſita Mitra, ex Libro ſuper Altare ſibi parato dicit verſiculos, & orationes infraſcriptas ſuper Cardinalem genuflexum in eodem loco, ubi juravit, permanentem: *Pater noſter*, deinde proſequitur ſecrete, tum alte dicit: *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* Verſus: *Salvum fac ſervum tuum Domine.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* Verſus: *Mitte ei Domine auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* Verſus: *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſus: *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulo tuo N. & dirige eum ſecundum Clementiam tuam in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Oratio.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sedet deinde Epiſcopus Commiſſarius cum Mitra, & accipiens Galerum rubrum de manu Nuncii Apoſtolici, ipſum ſuper caput novi Cardinalis ante ſe genuflexi biretum

(1) Hæc verba, *& novo Cardinali grato*, leguntur in Romana editione; deſunt in Veneta, & Coloniensi.
(2) In editione Romana additur, *Cappelli*.

Digitized by Google

tum & Cappam in capite tenentis imponit, dicens: *Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei accipe rubrum Galerum magnæ Cardinalatus dignitatis insigne, quod per manus nostras, Apostolicæ Sedis nomine capiti tuo imponitur. In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen. Et sicut idem Paraclitus super capita Discipulorum Christi in figura ignis descendit, eorum corda Dei timore inflammans; ita & tu, qui illorum typum cum aliis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in terris gesturus es, charitate ferveas, zelo domus Dei ardeas, & scias, te pro exaltatione, & tuitione Catholicæ Fidei, pro pace & quiete Christiani populi, pro defensione Ecclesiasticæ libertatis, pro honore, statu, commodoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ usque ad effusionem sanguinis, & ipsius corporis mortem perpetuo fore obligatum. Quod ut præstare valeas, ipse concedere dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.*

Et mox dat illi osculum pacis, dicens: *Pax tibi*. Et ille respondet: *Et cum spiritu tuo*. Extrahitur deinde Galerus, & traditur Nuncio Apostolico. Episcopus vero Commissarius surgens, detracta Mitra, genuflectit, & incipit: *Te Deum laudamus*; & Chorus prosequitur. Et Episcopus post primum versum surgit stans sine Mitra usque in finem. Finito Hymno, Episcopus dicit: *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in Nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Et in fine: *Dominus vobiscum*. Et Cantores dicunt: *Benedicamus Domino*. Alii respondent: *Deo Gratias*. His finitis, Episcopus, reassumta Mitra, stans in medio Altaris benedicat solemniter, dicens: *Sit Nomen Domini &c.* Deinde exuit se sacris vestibus, & assumta Chlamyde deducet novum Cardinalem domum suam; qui si locus est idoneus, ascendit equum, & cum Galero rubro revertitur ad proprios lares.

COMMENTARIUS.

I. QUi ritus serventur quum mittitur Galerus Cardinalitius ad aliquem extra Curiam promotum, docet hic noster §. ad quem plane spectant, quæ fuse ac erudite adnotavit doctissimus Amicus noster Josephus Carafa Clericus Regularis in suo egregio Opere, quod inscripsit, *De Capella Regis utriusque Siciliæ, & aliorum Principum*, Cap. XI. ubi inter alia late enarrat ordinem, quo Cardinales recens promoti donantur insignibus suæ dignitatis in Aula Regum Galliæ, Regum Hispaniæ, & Regum Lusitaniæ. Sed legenda præ ceteris sunt, quæ idem præstantissimus Auctor scripsit de ordine, quo Serenissimus Rex utriusque Siciliæ Carolus Borbonius contulit Cardinalatus insignia Dominico Ursino Graviensium Duci, quem in prima sua celeberrima Cardinalium promotione Sanctissimus Dominus Noster regnans Pontifex BENEDICTUS XIV. anno MDCCXLIII. ea dignitate insignivit.

§. XVII.

De creatione Episcopi Cardinalis, & quod Cardinalis, de quo aliquid tractatur, exit Consistorio.

Vacante Titulo Episcopi Cardinalis, consueverunt Romani Pontifices regulariter ad Episcopatum promovere antiquiorem Presbyterum Cardinalem, si tamen ante suam promotionem ad Cardinalatum erat consecratus Episcopus, unde si Prior Presbyterorum non erat ante suam promotionem Episcopus, præmittitur secundus, vel tertius, si prius erant consecrati, quod servatum legimus a Joanne Vigesimo Secundo, & Clemente Sexto, & aliis. Sed nonnumquam præponuntur juniores Presbyteri propter Legationem, ut fecit Joannes Vigesimus Secundus prædictus, qui promovit ad Episcopatum Ostiensem Dominum Bertrandum de Pogeto, qui erat in Legatione, & noviſſimus Cardinalis. Legimus etiam apud antiquos, nonnullos ex Diaconatu ad Episcopatum promotos fuisse, ut Gregorius Undecimus, qui Cardinalem Lemovicensem promovit ad Episcopatum Prænestinum Diaconum existentem, & etiam ipsi nostris temporibus idem vidimus. Pius Secundus Joannem Curavayal Cardinalem Sancti Angeli ex Diacono Episcopum Portuensem creavit propter ejus præclara erga Sedem Apostolicam merita; fuerat enim bis in Legatione contra Turcas cum maximo labore, & vitæ suæ discrimine. Et Sixtus Quartus Rodericum Borgiam S. Nicolai in carcere Diaconum Cardinalem, ac S. R. E. Vicecancellarium ad Episcopatum primum Albanensem, deinde Portuensem promovit. Licet igitur videre, quod Pontifex pro

suo

suo arbitrio cum consilio Fratrum de personis Presbyterorum, sive Diaconorum consuevit Titulis Episcopalibus Cardinalium providere. Igitur vacante Ecclesia Episcopali Cardinalari, Pontifex in secreto Consistorio proponit personas, ut sibi videtur, benemeritas, quamvis ordinarie antiquiores Presbyteros proponere debeat. Si præsens est ille, de quo agitur, debet exire Consistorio, & cum Pontifex habebit vota Fratrum, promovet illum talem ad Episcopatum per verbum, *providemus*, ut fit in aliis Episcopis, non per *assumimus*, ut in Cardinalibus. Deinde revocatus ad Consistorium provisus per Pontificem, intimatur sibi, qualiter de consensu Fratrum providerit Ecclesiæ Episcopali &c. de sua persona: tunc novus Episcopus agit gratias genuflexus Sanctissimo Domino nostro, & osculatur pedem, & manum ejus, & datur sibi Anulus preciosus, ut novis Cardinalibus, & elevatus recipitur ad faciem Pontificis. Inde per ordinem recipitur ad osculum ab omnibus aliis Cardinalibus, & sedet post ultimum Episcopum Cardinalem. Tum finito Consistorio deducitur a toto Collegio domum propriam suæ habitationis medius inter duos antiquiores Diaconos in ultimo loco equitantes. Cum pervenerit ad domum suam, agit gratias Dominis Cardinalibus singulariter singulis, ut de novis Cardinalibus diximus, visitat, & visitatur. Et adverte, quod ex laudabili, & debita observantia, quotiescumque in secreto Consistorio agitur de aliqua re specialiter tangente personam alicujus Cardinalis præsentis, ille talis debet exire Consistorio, & expectare in Camera ad partem, quoad finito suo negotio revocetur.

COMMENTARIUS.

I. Sicuti certum est, fuisse vel priscis seculis in Ecclesia Romana Presbyteros, & Diaconos Cardinales, ita quoque multis seculis ignotos fuisse Romæ Episcopos Cardinales. Cum enim entiquitus Episcopus Cardinalis alius non esset, nisi proprius, & intitulatus Ecclesiæ cujusque Episcopus; nullus in Urbe Roma præter Episcopum Romanum, sive Summum Pontificem dici potuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus Cardinalis. Unde & multis seculis ignoti fuere alii Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cardinales. Notat Vanespen Parte 1. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo XXII. Cap. 1. Num. LXXIV. admodum verisimile esse, nonnisi circa Seculum XI. aut XII. contigisse, quod narrat Onuphrius Panvinius, nimirum quod *Ecclesiæ Lateranensi, quæ est specialis Sedes Romani Pontificis, propter suam & Episcopi Romani excellentiam, septem Episcopi ex circumvicinis Civitatibus assignati sint, qui suis statis, solemnibusque diebus singuli coram Romano Pontifice in eadem Basilica celebrarent divina Mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent, atque ob eam causam postea Episcopi, & Cardinales, idest Principales, quod huic Ecclesiæ, & Romani Pontificis ministerio adscripti essent, appellari cœperunt.*

II. At vero labi hos Auctores puto, constat enim Stephanum III. aliis IV. electum Summum Pontificem anno DCCLXVIII. statuisse, *ut omni die Dominico a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris,* seu Lateranensi, *observant Missarum solemnia, super Altare S. Petri celebraretur, & Gloria* in excelsis Deo *diceretur*. Testatur id quidem in ipsius Stephani Papæ Vita Anastasius, ad eumque locum Baronius observat, hic primam mentionem de septem Episcopis Cardinalibus reperiri, illis scilicet, qui proximos Urbi habentes Episcopatus, assisterent Pontifici, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ annexi cardini. Hos autem recenset Joannes Diaconus in Libro, *De Ecclesia Lateranensi*, Cap. VIII. sic inquiens: *Episcopus Ostiensis, qui debet consecrare, & benedicere Apostolicum præ omnibus aliis, Episcopus S. Rufinæ secundus, Episcopus Portuensis tertius, Episcopus Albanensis quartus, Episcopus Tusculanensis quintus, Episcopus Sabinensis sextus, Episcopus Prænestinensis septimus.* Ex hoc etiam loco habemus, olim in Ecclesia Lateranensi septem illos Episcopos Cardinales hebdomadatim Missarum solemnia persolvisse; quam Ecclesiam ob hanc prærogativam laudat & extollit S. Petrus Damiani, qui Seculo XI. claruit, Lib. II. Epistola 1. ad Sanctos Episcopos Lateranensis Ecclesiæ Cardinales, ut advertit eruditus Martene Lib. 1. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. III. Articulo VIII. Num. III. ubi addit, ita de hac consuetudine scribere laudatum Joannem Diaconum: *Ad hoc igitur tam solemne sacrosanctum Altare..... nullus ad sacrificandum audet accedere præter Dominum Apostolicum, & septem Cardinales Episcopos ejusdem Ecclesiæ hebdomadarios, qui Missam in hac sacrosancta Basilica celebrant per hebdomadas suas.* In aliis vero Patriarchalibus Urbis Basilicis septem Presbyteri item Cardinales hebdomadarii fungebantur officio, quos idem Joannes Diaconus recenset Cap. XVI.

III. Licet autem septem essent olim Cardinales Episcopi, cujus septenarii numeri mysterium explicat S. Petrus Damiani in sua ad Cadolum antipapam Epistola, sciendum tamen S. Rufinæ, seu Sylvæ Candidæ Episcopatum a Callisto II. Pontifice anno MCXX. Episcopatui Portuensi fuisse unitum, redactusque est hodie in Pagum sub proprietate Hospitalis S. Spiritus in Saxia, uti notat Macrus in suo Hierolexico, Verbo, *Cardinalis*, ubi etiam memorat multa privilegia, atque amplas jurisdictiones, quas in Vaticana Basilica, atque per totam Leoninam Civitatem Joannes XIX. & Victor II. Sanctæ Rufinæ Cardinali Episcopo concesserant. Imo Pontifex solitus olim fuit, ut idem Auctor scribit, in secunda Paschæ die post ejus solemnem celebrationem in eadem Basilica, chirothecas cum

Digitized by Google

quibus celebraverat, eidem Episcopo donare, ad eumque spectabat sustinere stapham, quando Pontifex equitabat. Legendi de hoc Episcopatu, sicut & de aliis superius memoratis, Ughellus in sua Italia sacra, & Cohellius in Notitia Cardinalatus. Sed nec omittendus Thomassinus, qui & de his Episcopatibus agit Parte II. *Disciplinæ*, Lib. Cap. v. Num. VII. & XVII.

IV. His præmissis, quod nostrum §. spectat, agit quidem de ipsa cæremonia servari olim solita in creatione Episcoporum Cardinalium Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cap. CXVII. cujus verba egregie ipsum §. nostrum illustrant. Sic enim inquit: *Quando Titulus Cardinalis Episcopi vacat tempore, quo novi Cardinales per Dominum Papam creantur, consuevit interdum Dominus Papa alicui de antiquis Presbyteris Cardinalibus in Curia Romana præsentibus de illo per modum, qui sequitur, providere, & in die Veneris, quando Cardinales de novo creandos nominat, antiquis Cardinalibus per ordinem suum venientibus pro consilio ad Cathedram juxta Cathedram Domini Papæ pro ipsis Cardinalibus antiquis paratam, eos singulariter interrogat, de quo antiquo Presbytero Cardinali eis videretur Ecclesia, ut præmittitur, vacanti fore providendum, neminem tamen de Cardinalibus eis nominando, & responso per ordinem per eos, dum postea omnes Cardinales ad Consistorium ad sedendum secundum ordinem suum redierint, Dominus Papa antiquo Cardinali Presbytero ibidem præsenti, vel absenti, providet de Ecclesia Episcopali, ut præmittitur, vacante, antequam creet alios novos Cardinales.* Eadem legere est in aliis mss. Cæremonialibus libris, quos perhumaniter commodarunt mihi duo primi Apostolicarum Cæremoniarum Magistri Ignatius Reali, & Philippus Piersanctes.

V. Juxta §. nostri testimonium, *vacante Titulo Episcopi Cardinalis, consueverunt Romani Pontifices regulariter ad Episcopatum promovere antiquiorem Presbyterum Cardinalem, si tamen ante suam promotionem erat consecratus Episcopus &c.* idque servatum ait idem noster §. *a Joanne XXII. & Clemente VI. & aliis.* Conciunnt hæc laudato Romano XIV. qui ita de ea re inquit: *Præferuntur etiam novissimi Presbyteri Cardinales in provisione dicti Tituli Episcopalis illi, qui ante promotionem ad Cardinalatum fuerint Archiepiscopi, vel Episcopi consecrati, aliis antiquorum Cardinalium, qui non fuerint Episcopi consecrati, ut tempore præfati Domini Joannis Papæ*, nempe XXII. ejus nominis, *quo tempore Dominus Petrus de Pratis tunc Presbyter Cardinalis, qui fuerat Archiepiscopus consecratus Aquensis, fuit factus Episcopus Prænestinensis, licet prædicti Domini Santelmus*, alias Santelinus, *Joannes, & P. de Roblayo Presbyteri Cardinales præcederent eum, & essent antiquiores in Cardinalatu; & tempore Domini Clementis Papæ VI. quando Dominus Dalbia, qui fuerat Episcopus Ruthenensis, fuit factus Episcopus Portuensis; & Dominus Cardinalis Bononiensis, qui fuerat consecratus Archiepiscopus Lugdunensis, factus fuit Episcopus Portuensis; & Dominus Cardinalis Claromontensis, qui postea fuit Papa Innocentius VI. fuit habitus Episcopus Ostiensis, licet Dominus Cardinalis Montis Olivi præcederet eos, & esset antiquior in Cardinalatu.* Memorat laudatus Ordo & alia exempla, sed hactenus allata satis sunt ad nostri §. eruditionem.

VI. Rursus docet nos illud idem §. noster, nonnumquam in promotione ad Titulum Episcopatus præferri juniores Presbyteros Cardinales *propter Legationem, ut fecit Joannes XXII. prædictus, qui promovit ad Episcopatum Ostiensem Dominum Bertrandum de Pogeto, qui erat in Legatione, & novissimus Cardinalis.* Id ipsum jam antea asseruit memoratus Ordo XIV. *Præferuntur*, inquit, *ratione Legationis novissimi Presbyteri Cardinales in provisione Tituli Episcopalis antiquioribus Presbyteris Cardinalibus, prout factum fuit tempore Domini Joannis Papæ XXII. quo tempore erat Legatus Dominus Bertrandus de Poeto, alias Pogeto, qui stando in sua Legatione fuit factus Episcopus Ostiensis, licet Dominus Santelmus Joannes, qui postea lapsu temporis fuit Episcopus Albanensis, & P. de Roblayo, qui fuerat Cancellarius Franciæ Presbyteri Cardinales præcederent eum.* Plura de hisce Cardinalibus videri possunt apud Ciaconium cum Notis diversorum, apud quos prædictus Bertrandus, qui in nostro §. dicitur *de Pogeto*, & in citato Romano Ordine apud Mabillonium, Tomo II. Musei Italici, appellatur *de Porto*, alias *de Poyet*, seu *de Podietto*, jam non Joannis XXII. Papæ filius, ut a quibusdam malevolis, & maledicis habitum illum fuisse absque veritatis titulo assertum fuit, sed Papæ sororis filius, natione Gallus, Presbyter primo Cardinalis titulo S. Marcelli, mox Episcopus Ostiensis & Veliternus a laudato Joanne Pontifice electus est. Audita quippe ab ipso Joanne Atestinorum, & Ferrariensium rebellione, Legatus summa cum potestate in Italiam anno MCCCXVII. Bertrandus stipatus multis equitibus cisalpinis missus fuit, ut armis, & censura Ecclesiastica illos ad pacem compelleret..

XII. Docet præterea noster §. legi apud antiquos, *nonnullos ex Diaconatu ad Episcopatum promotos fuisse, ut Gregorius XI. qui Cardinalem Lemovicensem promovit ad Episcopatum Prænestinensem, Diaconum existentem &c.* Subdit mox Pii II. & Sixti IV. exempla, quorum primus *Joannem Carvayal, Cardinalem S. Angeli ex Diacono Episcopum Portuensem creavit propter ejus præclara erga Sedem Apostolicam merita &c.* alter vero *Rodericum Borgiam S. Nicolai in carcere Cardinalem, ac S. R. E. Vicecancellarium ad Episcopatum primum Albanensem, deinde Portuensem promovit.* Est is Rodericus Lenzolius Borgia Hispanus Patria, Valentinus Calixti III. ex sorore nepos, gentilitiis insignibus, & cognomine ab ipso Calixto avunculo donatus florenti adhuc ætate renunciatus est Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano die XX. Februarii anno MCDLVI. Fuit is deinde ad Episcopatum Albanensem promotus, & non multo post ad Portuensem, tandemque post Innocentii VIII. obitum in novis Comitiis Romanus Pontifex renunciatus, III. Idus Augusti anno MCDXCII. dictus est Alexander VI. de quo plura vide apud Spondanum, Raynaldum, Panvinium, & apud Ciaconium cum diversorum Notis.

VIII. Ubi ex Cardinalibus aliquis ad unum ex sex memoratis Episcopatibus promoveri debet,

Digitized by Google

bet, ex præscripto nostri §. *si præsens est ille, de quo agitur, debet exire Consistorio, & cum Pontifex habebit vota Fratrum, promovet illum talem ad Episcopatum per verbum,* providemus, *ut sit in aliis Episcopatibus, non per* assumimus, *ut in Cardinalibus*. Fuse enarrat hanc cæremoniam Romanus Ordo XIV. citato Capite CXVII. ubi sic inter alia inquit: *Sciendum etiam, quod quando Dominus noster Papa providet alicui Presbytero Cardinali de aliquo Episcopatu Cardinalari, tunc Dominus noster non dicit*, committimus, *sed* providemus de tali Episcopatu &c. *& hujusmodi provisione facta dictus Dominus noster Papa non in publico, sed ad partem dispensat cum ipso Episcopo Cardinali, ut Beneficia, quæ obtinebat ante dictam provisionem, una cum dicto Episcopatu possit obtinere*. His concinunt quæ & in aliis mss. Cæremonialibus leguntur, ex quibus omnia pene desumsit Augustinus Patricius in hoc adornando Romanæ Ecclesiæ Cæremoniali, quod Innocentio Papæ VIII. dedicavit, uti pluries jam notavimus.

IX. Fuit præterea antiquus mos, ut, quemadmodum ex toties laudato Romano Ordine XIV. addiscimus, ille, cui Titulus Cardinalitii Episcopatus committitur, extra Consistorium maneat, fuitque vetus, laudabilis, & debita observantia, cujus & hic noster §. meminit, *quod quotiescumque in secreto Consistorio agitur de aliqua re specialiter tangente personam alicujus Cardinalis præsentis, ille talis debet exire Consistorio, & expectare in Camera ad partem, quoad finito suo negotio revocetur*. Multa in hanc rem afferri possent exempla, sed his omissis, notandum illud, quod idem §. monet, provisum nempe de Cardinalitio Episcopatu, ubi revocatus in Consistorium, notitiam suæ promotionis a Pontifice accepit, tunc debere genuflexum Sanctissimo Domino nostro gratias agere, & osculari pedem, & manum ejus, & donatum Anulo pretioso, & elevatum recipi ad osculum faciei Pontificis, deinde vero per ordinem recipi ad osculum ab omnibus aliis Cardinalibus, & sedere post ultimum Episcopum Cardinalem; tum insuper finito Consistorio deduci a toto Collegio ad domum propriæ suæ habitationis, medium inter duos antiquiores Diaconos in ultimo loco equitantes; cum autem ad domum suam pervenerit, debere gratias *Cardinalibus singulariter singulis* agere, eosque visitare, ac visitari ab ipsis. Ita noster §. juxta cujus præscriptum multa exempla eandem in rem occurrunt in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis. Cæterum, ut ait memoratus Ordo XIV. Romanus, interdum consuevit Pontifex illa die, qua Titulum Cardinalitii Episcopatus alicui Cardinali conferebat, omnibus Cardinalibus prandium facere, & Cardinalis ille de Episcopali Cardinalitio Titulo provisus debebat *in crastinum omnes Cardinales singulariter in eorum Domibus visitare*. Id quod etiam in aliis ms. Cæremonialibus cautum est.

§. XVIII.

De creatione Legati Apostolici de Latere.

Pontifex in secreto Consistorio primum proponit causas, propter quas sibi videatur necessaria Legatorum creatio, & exquirit vota, an sint creandi Legati, & quot; & postquam convenerit, nominat personas, quæ nominatæ exeunt Consistorio, & cum Patres concordaverint de personis, revocantur intro. Pontifex omnibus consedentibus, exponit, qualiter confisus de prudentia, virtute, &c. illius, de consilio Fratrum designaverit illum Legatum Apostolicum ad tales partes, injungitque ei onus Legationis. Ille ut primum Pontifex ad eum convertit orationem, assurgit, & ut Pontifex finivit, detecto capite agit gratias Sanctissimo Domino nostro, & sacro Senatui de bona eorum opinione erga suam insufficientiam, & verbis modestissimis excusat se, & rogat, ut id onus melioribus, & peritioribus committatur, & tandem instante Pontifice offert se paratum ad obedientiam, agitque iterum gratias, & accedens ad ejus pedes, & genuflexus osculatur pedem, & manum, & recipitur ad osculum oris; & similiter deinde ab omnibus Cardinalibus, & deducitur domum, ut de Episcopo Cardinali supra diximus. Deinde parat se ad iter, & interim omnes Cardinales visitat, antequam discedat. Adveniente die profectionis, fit secretum Consistorium, & in fine exiens a Latere Pontificis, deducitur ab omnibus Cardinalibus ordine prædicto usque extra portam Civitatis, & ibi postquam egit gratias, & osculatus est omnes Cardinales, proficiscitur in pace, alii autem revertuntur domum suam. Cardinalis Legatus postquam exivit territorium Civitatis, ubi Pontifex residet, incipit benedicere, capit Mantum rubrum, & præfertur ante eum Crux, & dum est in Legatione, non participat de emolumentis Cameræ Apostolicæ, sive Annatarum.

COMMENTARIUS.

I. QUinam sint Legati a Latere & Apostolicæ Sedis, & quotuplex eorum genus, explicuimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. X. Fuse & de iis agunt veteres Codices Cæremoniales Romanæ Ecclesiæ, præ ceteris vero Ordo Romanus XIV. Auctore Gajetano, Cap. CXVIII. Sane tria esse Legatorum genera, nimirum Lega-

Digitized by Google

gatos a latere, Legatos missos, & Legatos natos, ex Capite 1. *De officio Legati* in VI. notavit inter alios Vanespen, Parte 1. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo XXI. Cap. 1. Quicquid autem de aliis generibus Legatorum sit, Legati a latere vocantur Legati Cardinales, & hoc ideo, ait Glossa in citato Cap. 1. *quia assumuntur de latere Papæ. Nam sicut Imperator, & Patricii, sive Consiliarii, faciunt unum corpus, cujus Imperator est caput, & Consiliarii, qui sibi assistunt in secretis, dicuntur esse membra, ita similiter Papa, & Cardinales faciunt unum corpus, cujus Papa est caput, & Cardinales sunt membra. Ideo, quando aliquis assumitur ex Cardinalibus, ut mittatur Legatus, dicitur sumtus de latere, & appellatur Legatus de latere.*

II. Hoc prænotato, quod creationem Legatorum spectat, *Pontifex in secreto Consistorio*, ut ait hic noster §. *primum proponit causas, propter quas sibi videatur necessaria Legatorum creatio; & exquirit vota, an sint creandi Legati, & quot.* Est & hic antiquus ritus, quem ita describit memoratus Ordo Romanus XIV. *Sciendum est*, inquit, *quod quando Dominus Papa vult ordinare de Cardinali, vel Cardinalibus, Legato, vel Legatis, Nuncio, vel Nunciis, mittendo, vel mittendis, ad aliquas partes, seu regiones, Dominus Papa primo petit publice in Consistorio a Cardinalibus, utrum sit expediens mittere, vel non, dicendo aliqua, propter quæ mittendum videatur; &, si expediens videatur mittere, ordinat etiam publice in Consistorio, utrum sint mittendi unus, duo, vel plures.* Postquam Cardinales convenerint, Papa, ait §. noster, nominat personas, quæ nominatæ exeunt Consistorio, & cum Cardinales ipsi concordaverint de personis nominatis, revocantur intro. Sed audiamus laudatum Romanum Ordinem, qui cæremoniam ipsam his verbis exponit: *Ordinato de mittendo, fiunt auricularia consilia de personis mittendis, ut in Cardinalibus creandis est fieri consuetum, & Dominus Papa petit tunc auriculariter a quolibet, de quo, vel quibus, videtur bonum ordinare mittendis.*

III. Juxta nostrum §. facta Cardinalium conventione de Legato mittendo, ac de persona, eaque in Consistorium revocata, *Pontifex, omnibus consedentibus, exponit, qualiter confisus de prudentia, virtute, &c. illius, de consilio Fratrum, designaverit illum Legatum Apostolicum ad tales partes, injungitque ei onus Legationis.* Atque hæc etiam desumta sunt ex Cæremonialibus mss. vetustioribus Libris, ac præsertim ex Ordine Romano XIV. cujus hæc eam in rem sunt verba: *Consiliis completis, postmodum per Papam interdum sumta aliqua auctoritate, sed ipsam parum prosequendo, regulariter tamen sine assumtione auctoritatis, ibidem, vel in crastinum, secundum quod Papæ placuerit, dicitur per dictum Papam*: Omnes, *vel* major pars Fratrum nostrorum concordant, *vel* concordat in unam personam, *vel* duas personas, *vel* plures, *si duæ, vel plures sint mittendæ*; & nos de consilio ipsorum Fratrum ordinamus, quod vos talis, *vel* tales, *si sint duo, vel* plures, vadatis ad tales partes, & paretis vos ad eundum &c. *Interdum vero Papa consuevit addere*: Ordinamus, & injungimus.

IV. Creatus Legatus, ex nostro hoc eodem §. *ut primum Pontifex ad eum convertit orationem, assurgit, & ut Pontifex finivit, detecto capite agit gratias Sanctissimo Domino nostro, & sacro Senatui de bona eorum opinione erga suam insufficientiam, & verbis modestissimis excusat se &c.* Olim, ut habet Ordo XIV. Romanus, Cardinalis ipse Legatus mittendus consuevit in ipso Consistorio *sumere aliquam auctoritatem, & aliqualiter se excusare, quod ipse non est sufficiens ad id, quod Dominus Papa eum ordinavit mittendum, sed ejus excusatione non admissa per Papam, Cardinalis ipse venit ad osculum pedis, & oris Papæ, Cardinali antiquiori Diacono primitus pedes Papæ discooperiendo*; quibus factis, Papa surgebat, ibatque ad Cameram suam. Addit autem & alia ipse Romanus Ordo XIV. quæ in nostro §. desiderantur. Vult enim 1. ut si Cardinalis aliquis est absens propter infirmitatem, mittantur duo Cardinales ad eundem pro consilio, seu voto ejus habendo, *juxta modum servatum in creatione novorum Cardinalium*, de quo nos supra diximus. II. ait, quod illa die, qua ordinantur Legati, vel Nuncii Cardinales, non consueverunt omnes Cardinales cum Papa comedere, sed tantum illi, qui ordinantur Legati, vel Nuncii. III. attendendum dicit, quod si forte sint duo Legati, vel Nuncii creati, & unus illorum processu temporis se excuset, vel excuset eum Papa, utrum illi qui remanet, sit alius Legatus, vel Nuncius adjungendus, vel non adjungendus, & de persona adjungenda, super hoc fiat auriculare consilium sicut prius. Ita ait fuisse observatum *tempore Domini Clementis VI. Pontificatus sui anno IV. quando dictus Dominus Papa excusavit Dominum Cardinalem de Bolonia, qui fuerat electus Legatus una cum Domino Cardinali Ebredunensi per eundem ad partes Italiæ, & Regni Siciliæ.* IV. demum ait, quod licet *debet Papa ordinare, & facere, ut supra dictum est, hujusmodi Legatos, vel Nuncios in Consistorio; interdum tamen consuevit ipsos ordinare, & facere in Camera sua, vocatis omnibus Cardinalibus.*

V. Sed redeamus ad nostrum §. in quo edicitur, ut creatus Cardinalis Legatus, post receptum osculum ab omnibus Cardinalibus in Consistorio, deducatur domum, a Cardinalibus scilicet, ut erat antiqui moris, cujus meminit in suo ms. Diario Franciscus Mucantius anno MDLXXII. ubi enarrans gesta primi anni Pontificatus Gregorii XIII. ita ad rem nostram inquit: *Die XXVII. Augusti fuit Consistorium in eodem Palatio S. Marci, fuit creatus Legatus de Latere Reverendissimus Dominus Cardinalis Ursinus ad Regem Galliæ, & finito Consistorio fuit associatus a toto Collegio Reverendissimorum Cardinalium usque ad Aulam majorem dicti Palatii, & ibi apud Portam gratias egit singulis Cardinalibus, factis solitis inclinationibus de hujusmodi associatione, cui remanenti in dicta Aula singuli Cardinales ordine suo abeuntes inclinarunt tanquam ad domum suam illum deduxissent, prout olim fieri solebat juxta ritum desumtum in Libro Cæremoniarum*; juxta ritum scilicet in hoc nostro §. descriptum. Dolet mox & ipse Cæremoniarius Apostolicus Mucantius, jam suo ævo in desuetudinem abiisse eum ritum, ita subdens: *Quod hodie non fit, quia gaudent brevitate moderni; & paulatim cæremoniæ antiquæ*

Digitized by Google

tiquæ deferuntur, vel corrumpuntur magna ex parte: cum nec Pontifex, nec Cardinales, qui id facere possent sua auctoritate, illas in suo splendore conservare curent; quod dolendum est.

VI. Deducto Cardinali Legato ad propriam ejus domum a sacro Collegio, ex præscripto nostri hujus §. mox parat se ad iter, & interim omnes Cardinales visitat, antequam discedat. Idipsum docet, sed quidem luculentius prædictus Romanus Ordo XIV. *Notandum*, inquit, *quod Cardinalis, vel Nuncius, ante recessum suum de Curia, debet omnes, & singulos Cardinales in eorum domibus visitare, & illud idem debet facere in regressu; ipse vero Legatus, vel Nuncius, non consuevit ab eis visitari, nisi per aliquos suos speciales.* Sane, ut ait noster §. adveniente die profectionis, fit secretum Consistorium, & in fine exiens Legatus a latere Pontificis deducitur ab omnibus Cardinalibus usque extra portam Civitatis, & ibi postquam egit gratias, & osculatus est omnes Cardinales, proficiscitur in pace, alii autem revertuntur domum suum. Atque hæc etiam concinunt Romano ipsi Ordini XIV. ita eam cæremoniam referenti: *In die recessus ipsius*, Legati scilicet, *omnes Cardinales debent extra villam in conveniente campo expectare ipsum, ab eo facto primitus osculo, depositis Capellis, & bireto per eosdem.*

VII. Porro instauravit ritum ipsum longo tempore intermissum Gregorius ipse XIII. in Consistorio habito die II. Septembris, quo Legatus prædictus Cardinalis Ursinus Roma discedens, associatus fuit a Cardinalium Collegio usque ad Portam Flaminiam, ut refert memoratus Mucantius his verbis: *Omnes Cardinales mulas ascendentes, Cappis, & Galeris Pontificalibus induti, associarunt Reverendissimum Dominum Cardinalem Ursinum Legatum usque ad Portam Flaminiam, & extra eam, ubi factis mutuis reverentiis, eum ibi reliquerunt juxta ritum antiquum in Cæremoniali Libro descriptum, ita Pontifice jubente in Consistorio hodierno, adeo ut fuerit opus ex improviso mandare Parafrenariis Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, ut statim adducerent mulas Pontificali ritu indutas, & vix adfuit tempus, cum hodie ex abusu moderno nemo fere ex Cardinalibus equitet ad Capellas, & Consistoria Pontificaliter, ut prius solebant, & maxime decebat, & propterea relinquunt mulas domi, accedentes ipsi ad Palatium in curribus, & attendentes potius privatam commoditatem, quam decus publicum, quod fieri non deberet, ut alias latius Deo dante exponam.* His notatis, subdit idem Mucantius consentanee ad nostrum §. laudatum ipsum Cardinalem Ursinum Legatum *equitando fuisse medium in postremo loco, videlicet inter Reverendissimos Dominos Cardinales Estensem, & Medices Diaconos, præcedentibus aliis binis, & binis, non sine multo calore, & pulvere, cum esset hora jam decima octava,*

VIII. Ex præscripto etiam nostri §. *Cardinalis Legatus postquam exivit territorium Civitatis, ubi Pontifex residet, incipit benedicere, capit Mantum rubrum, & præfertur ante eum Crux.* Varia sunt privilegia Legatorum, quæ hic recensentur; longe plura sunt, quæ a Canonistis notantur, viderique inter alios possunt Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. CXVIII. & sequenti, Vanespen loco citato, ac illi præsertim, qui de Legatis ipsis Apostolicis peculiares tractatus edidere. Illud nos hoc loco admonebimus, usum in fine hujus nostri §. descriptum, plenius luculentiusque referri in Ordine Romano XIV. Auctore Gajetano, Cap. CXVIII. quod inscriptum est, *De creatione Cardinalium Legatorum, vel Nunciorum.* Sic enim inquit: *Est etiam notandum, quod Cardinalis Legatus vadens ad legationem suam, cum exit territorium Civitatis, vel loci, in quo Papa cum Cardinalibus residet, statim deponit Cappam communem, & recipit Cappam rubeam de scarleto, & biretum rubeum, quibus in tota Legatione sua utitur, & cum intrat territorium supradictum, statim dimittit signare, & deponit Cappam rubeam, & assumit Cappam communem, & biretum tale, sicut alii Cardinales portant &c.* Addit mox idem laudatus Ordo, cui & alii Cæremoniales Libri concinunt, *ista quoad assumtionem, necnon depositionem Cappæ rubei coloris, & bireti, & Crucis signationem, non habere locum quoad Nuncios, sed tantum quoad Legatos.* Qui quidem etiam si essent Cardinales ex Regularium Ordinibus assumti, qui & in Cardinalatu colorem vestium Ordinum, quos professi sunt, retinent, tamen si Legati de Latere crearentur, mutarent & ipsi colorem habitus Religionis suæ, & purpureo indumento uterentur teste Mamfredo, *De Cardinalatu*, Cap. v. quem, ut alios Auctores omittam, citat & sequitur Cohellius in sua Cardinalatus Notitia, Cap. XI.

IX. Cappam rubeam esse antiquum insigne Legatorum Apostolicæ Sedis, docent complures Canonici Juris Interpretes in Cap. *Antiqua, De privilegiis &c.* & inter alios Scriptores eruditus Pagius in Vita Innocentii III. Num. LXXXII. & Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici*, Tit. XXI. Cap. II. ubi etiam notat ex dicto Capite, *Antiqua*, tantam esse Legatorum dignitatem, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ, possint sibi jubere præferri Dominicæ Crucis vexillum, ubicumque præsens esset Summi Pontificis Legatus, utens insigniis Apostolicæ dignitatis; quia scilicet in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, ut inquit Barbosa Lib. I. *Juris Ecclesiastici*, Cap. v. ubi etiam & illud observat, Episcopum in Civitate, & Diœcesi, cui præest, non posse, præsente Legato de latere, benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzettam significantem jurisdictionem illius ordinariam. Simili ratione, præsente Legato a latere, cessat aliorum Legatorum auctoritas, imo & ipsorum Patriarcharum, uti expresse edicit Gregorius IX. in Epistola ad Patriarcham Hierosolymitanum relata in Cap. VIII. *De Officio Legati*, ubi ita inquit: *Fraternitati tuæ Legationis Officium in Provincia tua duximus committendum, ita tamen, quod si Legatus ad partes illas de latere nostro contigerit destinari, executionem ipsius Officii, quandiu Legatus ipse ibi fuerit, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino dimittas.*

X. Præter Cappam rubeam gaudet Legatus prærogativa præferendæ sibi Crucis, de qua fuse diximus Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIV. *De Pallio*, in Commentario ad §. VIII. atque hinc est quod ex recepto ritu, licet nulla in hoc nostro Cæremoniali fiat ejus mentio cum Cardinales præsentes in Curia creantur a Pontifi-

Digitized by Google

tifice in Conſiſtorio Legati a latere, ſolet is illis dare Crucem, uti nos docent mſs. Cæremoniales Codices Apoſtolicorum Cæremoniariorum his verbis: *Pontifex, finito Conſiſtorio, habens ante ſe Crucem a ſuo Capellano Crucifero delatam, depoſito birreto rubeo, ſtans, ſuper Cardinalem Legatum genuflexum dicit totam antiphonam*: In viam ſalutis, proſperitatis, & pacis dirigat te, & greſſus tuos omnipotens, & miſericors Dominus; & Angelus Raphael comitetur tecum in via, ut cum pace, ſalute, & gaudio revertaris ad propria. *Deinde dicit alternatim cum Cardinalibus Diaconis Aſſiſtentibus, totum Pſalmum*: Benedictus Dominus Deus Iſrael &c. *Tum Pontifex repetit antiphonam ſupradictam*: In viam ſalutis, proſperitatis, & pacis &c. *Deinde dicit, reſpondentibus iiſdem Cardinalibus Diaconis Aſſiſtentibus, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter* &c. ſecreto. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac ſervum tuum Domine.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Benedictus Dominus die quotidie.* ℟. *Proſperum iter faciat ei Deus ſalutarium noſtrorum.* ℣. *Vias tuas Domine demonſtra ei.* ℟. *Et ſemitas tuas edoce eum.* ℣. *Utinam dirigantur viæ ejus.* ℟. *Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* ℣. *Erunt prava in directa.* ℟. *Et aſpera in vias planas.* ℣. *Angelis ſuis Deus mandavit de te.* ℟. *Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Actiones famuli tui, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta ejus operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen. Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus famuli tui in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui, meriatur bonis operibus abundare. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen. Oremus. Adeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famuli tui in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuo ſemper protegatur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.* Adduut iidem Codices: *Mox Pontifex accepta Cruce per manum primi Diaconi, eam tradit Cardinali Legato adhuc genuflexo, & dicit*; Procedatis in pace, In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen: *Poſt hæc ſedet Pontifex, & ſumpto birreto rubeo, Cardinalem Legatum ad oſculum pedis, manus, & oris admittit. Tandem Legatus ad locum ſuum redit, & Pontifex dimiſſa Stola, ad Cameras ſe confert, producto prius ſigno Crucis ſuper Cardinales, qui cappati deſcendent ad atrium, equitaturi cum Legato, ſequentibus Prælatis, juxta miſſas intimationes, extra ſtatutam Portam Urbis.*

XI. Reliquum eſt, ut nos & illud notemus, quod noſter §. de ipſo Legato de latere in fine edicit: *Dum eſt in Legatione, non participat de emolumentis Cameræ Apoſtolicæ, ſive Annatarum.* Quid ſint Annatæ, jam explicuimus Tomo IV. Conciliorum in explicatione Seſſionis XXI. Concilii Baſileenſis. Ceterum concinit noſter §. Romano Ordini XIV. Cap. CXVIII. in fine, ubi expreſſe ait, *quod Cardinalis Legatus, poſtquam receſſerit de Curia, quouſque redierit de Legatione ſua ad Curiam, nihil recipit de cenſibus Eccleſiæ, nec de ſervitiis Prælatorum per Dominum Papam medio tempore factorum, nec de aliis Cameræ Domini Papæ medio tempore debitis, in quibus Cardinales præſentes partem dimidiam habere & percipere conſueverunt, exceptis Anulis Cardinalium medio tempore decedentium, in quibus Anulis Cardinales Legati abſentes a Curia tantum recipiunt, ac ſi eſſent præſentes.* Idem præſcribitur in Cæremoniali Davantriæ, & in aliis, in quibus notatur diſciplina ejus ævi, quæ deinde immutata fuit in multis, quorum explicatio longiorem Commentarium exigeret; ſed nolumus majore impenſa in edendo hoc Opere gravari.

§. XIX.

De habitu Pontificis in pronunciatione Cardinalium, ſive Legatorum, & illorum, quos ad Eccleſias Cathedrales eligit.

Conſueverunt Summi Pontifices ſemper quando pronunciabant novos Cardinales, ſive Epiſcopos Cardinales, ſive Legatos Apoſtolicos, ſive novos electos ad Eccleſias Cathedrales, ſive translatos, habere Pluviale, & Mitram Conſiſtorialem, & tunc Cardinales omnes faciebant reverentiam, ut in Eccleſia. Et nota, quod Papæ nunquam fit reverentia a Cardinalibus, quando non habet Pluviale, & Mitram. Hodie, ut audio, raro Pontifex iſta facit cum Pluviali, & Mitra; & reverentia nunquam fit in Conſiſtorio ſecreto.

COMMENTARIUS.

I. MOris antiqui teſtem habemus Romanum Ordinem XIV. Cap. CXVIII. ubi de creatione Legatorum loquens, inter alia ait, quod ſi forte Pontifex *in dicta ordinatione non portat Pluviale, & Mitram, tamen in pronunciatione ipſorum Legatorum, vel Nunciorum, ipſe debet portare Pluviale aurifrigiatum, & Mitram Conſiſtorialem nuncupatam.* Additque etiam mox: *Si tempus ſit nimis frigidum, Papa in eadem pronunciatione poteſt recipere Pluviale de Samitrio foderatum de pellibus*, ſive ut ait in ms. Cæremoniali Davantriæ,

Digitized by Google

Pluviale de samitrio foderatum de pellibus, & caputium de eodem; quo Pluviali recepto, ante dictam Legatorum, vel Nunciorum pronunciationem, omnes Cardinales debent venire ad reverentiam Papæ, prout est consuetum. Samitum, samittum, samitium, & exametum, Pannus holosericus dicitur apud eruditum Dufresne in suo Glossario. Quicquid autem de his vocibus sit, jam Seculo XV. quo labente nostrum hoc Cæremoniale ab Augustino Patricio ordinatum fuit, mos invaluit, ut Papæ nunquam fieret reverentia a Cardinalibus, *quando non habet Pluviale, & Mitram*; testaturque idem Patricius in hoc nostro §. suo ævo raro Pontificem feciſſe pronunciationem Cardinalium, Legatorumve *cum Pluviali, & Mitra*; reverentiam autem nunquam fieri Pontifici *in Consistorio secreto*.

§. XX.

De ordinatione Cardinalium ad sacros Ordines.

Assumti ad dignitatem Cardinalatus Minores Ordines, & Subdiaconatum accipiunt ab aliquo Episcopo Cardinali de commissione Pontificis; Diaconatum vero, & Presbyteratum de manu Summi Ponrificis in loco, ubi suæ Sanctitati placuerit. Aderunt præsentes duo Diaconi Pontifici assistentes, & unus Diaconus ministrans in Missa, si erit solemnis, & unus Presbyter Cardinalis parati, qui Pontifici ministrabunt, & servabuntur omnia, quæ in Ordinatione aliorum servantur. Senior Diaconorum dicet: *Postulat sancta mater Ecclesia &c.* Ordinati post Ordinationem osculantur pedem Sanctissimi Domini nostri & manum genuflexi, & recipiuntur ad osculum oris. Ad Offertorium offerent cereos, panes, & vinum, ut faciunt Episcopi; & in fine cum Mitra simplici in capite dicent: *Ad multos annos*, ut in Episcopis.

COMMENTARIUS.

I. QUæ & in hoc edicuntur §. descripta clarius jam antea fuere in Ordine XIV. Romano, Cap. CXVII. *Minores Ordines*, inquit, *consueverunt dari Cardinalibus per Episcopum Cardinalem ex commissione Papæ extra quatuor Tempora, Majores vero Ordines per Papam regulariter in quatuor Temporibus, & interdum extra quatuor Tempora, & secreto, præsentibus tantum tribus antiquis Cardinalibus, & paratis suis paramentis, uno Episcopo, vel Presbytero, & duobus Diaconibus.* Addit mox, *consuevisse etiam dari per Papam simul omnes Ordines Majores Cardinalibus supradictis.* Eadem leguntur in ms. Davantriæ Cæremoniali. Fuse de Ordinatione, ejusque variis ritibus diximus nos Tomo I. Commentariorum in Partem I. Romani Pontificalis. Unum hic repetemus, quod & alias notavimus, quod nempe de Clemente VI. scribit in suis Annalibus ad annum MCCCXLII. Henricus Monachus Rebdorffiensis: *Hic Papa sacros Ordines plures etiam extra Tempora, & alia indifferenter contra consuetudinem olim in Ecclesia servatam contulit, & conferri mandavit.* Ex quo lucet, quod notavit Lupus doctissimus Tomo IV. Operum editionis Venetæ in Scholio ad Decretum III. S. Leonis IX. in fine, nempe sententiam illam, quæ Romanum Pontificem affirmat, nullis ad faciendas Ordinationes temporibus alligari, tunc fuisse ignotam. Cunctis enim generalibus, licet ex causis dispensare, & moderari possit, Ecclesiæ Canonibus se adstringi Romani Pontifices fuere semper professi.

II. Ad majorem nostri hujus §. intelligentiam, abs re non erit ritum hoc loco describere, quo Leo Papa X. anno MDXIII. quatuor Cardinales ordinavit, quem describit in suo ms. Diario ad ipsum annum Apostolicus Cæremoniarius Paris de Grassis sic inquiens: *Sanctissimus Dominus noster Leo cum creasset superioribus diebus quatuor Cardinales, petiit, quomodo, aut quid facturus esset de illis, qui nullum Ordinem penitus haberent, præter unum, qui erat Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum in prima Tonsura constitutus, suasi quod secrete iste Cardinalis haberet ab aliquo Prælato reliquos Ordines, ac etiam Presbyteratum etiam una die de mandato suæ Sanctitatis, prout fuit, aliis autem tribus sua Sanctitas daret in Capella secreta, quod fecit in die Conceptionis B. Mariæ, præsentibus multis Palatinis secretis, prout ad longum in Libello Burchardi scriptum est, exceptis nonnullis levitatibus, quas ego prætermisi, ut ibi notavi. Postea consecravit eundem Cardinalem die S. Luciæ, ut jam scripsi. Hos autem tres simul cum Cardinali Gurcensi ordinavit hodie qui est Sabbato quatuor Temporum decima septima mensis Decembris, & quia non videbatur convenienter, ut illum insigniret Minoribus Ordinibus in publico, suasimus, quod similiter in Capella sua, paucis præsentibus, ordinaret, prout fecit, & etiam ibidem postea legit Psalmos cum orationibus paramentorum, & induit calciamenta, & venit ad locum, ubi in die S. Luciæ consecravit illam, & ibi indutus de toto, sicut tunc, dixit Missam de Feria ad longum, & paramenta ejus fuerunt violacea, super quo etiam dubitavi, an potius deberent esse alba. Duo Diaconi Cardinales cum Planeta replicata cum uno Presbytero in Pluviali astiterunt; ipsi autem quatuor ordinandi fuerunt in albis subcinctis, & cum Mitris venerunt ante Altare genuflexi super cusinis, & habentes ante se scabella, sed opportune deponebant Mitras.* Addit, Ordinationem ipsam peractam fuisse juxta præscriptum Pontificalis, sed tamen, uti mox subdit, *nullus eorum legit Epistolam, nec Evangelium. Post offer-*

Digitized by Google

fertorium obtulerunt torcias, panes, & barilia vini ſcilicet, *& fuerunt communicati, ac biberunt de Calice alio vinum, quod Diaconus aſſiſtens ſubminiſtravit. Ultimo poſt Miſſam dixerunt Papæ ſedenti in Sede*, Ad multos annos, *ter cum Mitris ſine Baculo, & demum depoſita Mitra oſculati ſunt pedem, manum, & faciem Papæ.*

III. Hactenus Paris de Graſſis. Ceterum, quod Ordinationem Diaconi Cardinalis ſpectat fieri ſolitam olim a Papa, lubet & hoc loco deſcribere, quod de ipſa Ordinatione tradit Romanus Ordo XIV, Cap. CIII. Die Sabbati in quatuor Temporibus Dominus Papa veniet ad Eccleſiam. Fit reverentia more ſolito, quam faciet Ordinandus cum aliis, ſi velit, & ſtatim ſecedit ad partem, ubi ſuo tempore paramenta recipiet, & dicitur Tertia, Sexta, & Nona, Paratus Dominus Papa quadrageſimalibus, progreditur verſus Altare. Fit reverentia trium Presbyterorum ad oſculum & ad pectus. Dicitur *Introibo &c.* ingreditur ad Altare; fit reverentia Diaconorum ad oſculum, & ad pectus, Miſſa procedit ſuo ordine uſque ad ultimum verſum Tractus, in qua Miſſa ſunt quinque Prophetiæ, & in qualibet dicitur, *Flectamus genua. Levate*. Ante ultimum verſum Tractus, Ordinandus in Diaconum Cardinalem paratus more Subdiaconi, videlicet cum (1) ſcuta Cotta, parvo Amictu ad ſcapulas, Camiſo, ſeu Alba, Cinctorio, ſeu Manipulo, Dalmatica vero, & ſuper eam Stolam (2) ſex manus & brachia portans a Priore Diaconorum, & alter Diaconus Cardinalis ducitur ſine Mitra uſque ad præſentiam Papæ, coram quo genuflectitur. Tunc Prior Diaconorum dicit: *Poſtulat mater Eccleſia Catholica, ut hunc præſentem Patrem Reverendum Dominum N. Subdiaconum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ad onus Diaconi ordinetis*. Papa cum Mitra: *Scitis, illum dignum eſſe?* Reſpondet offerens: *Quantum humana fragilitas eſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor, illum dignum eſſe ad hujus onus officii.* Papa ſedendo cum Mitra dicit: *Diaconum oportet offerre &c.* Ordinando genuflexo. Tunc Papa legendo, & ſedendo cum Mitra, dicit: *Auxiliante Deo &c.* Fiat Letania, Papa recumbente cum Mitra ſuper Faldiſtorio, & Ordinando proſtrato ante Altare, Dalmatica cum Stola interim, ſi velit, aſſignata alicui. Qua completa, Papa revertitur ad Sedem. Ordinandus ſtet ante faciem ejus reverenter. Papa ſtans cum Mitra dicit: *Commune votum &c.* Deinde Papa, Ordinando ſtante inclinato ante ipſum, dicat in modum Præfationis: *Oremus dilectiſſimi &c.* Papa dicit: *Oremus*, Diaconus dicit; *Flectamus genua*. Diaconus a ſiniſtris: *Levate* Papa dicit: *Adeſto quæſumus &c.* per modum Præfationis, licet aliqui dicant legendo. Qua completa, ſolus Papa ponat manum ſuam ſuper caput Ordinandi, dicens cum Mitra: *Emitte &c.*

IV. Ad conſummandum Diaconi Officium Dominus Papa accipiens Stolam, quam Ordinandus ſuper Dalmaticam tenebat, dicat ſine nota: *Accipe Stolam &c.* quam ſuper humerum Ordinandi ponit, & a ſiniſtris ſub latere dextro circumdata ligatur. Deinde Dominus Papa dat Librum Evangeliorum in manibus Ordinandi, dicens ſine nota; *Accipe poteſtatem &c.* Deinde dat benedictionem, ſeu Orationem, dicens cum nota: *Exaudi Domine &c.* Conſequenter facta præfata oratione, Cardinalis tunc Ordinatus induitur a Miniſtris Tunicella alba, & ſtatim idem Ordinandus Dalmatica alba induatur, Papa tangente ipſam Dalmaticam ſuper humerum, & dicente ſibi ſine nota: *Induat te Dominus veſtimento &c.* Ultimo Ordinatus oſculetur pedem Domini Papæ, & Papa recipit eum ad oſculum, Ordinatus vero ſtatim recipitur ad oſculum ab omnibus Diaconibus Cardinalibus, & etiam ab omnibus Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus. Quibus factis, accipit Manipulum in armilla ſiniſtra ſuper Tunicellam, & Mitram in capite; vadit depoſita Mitra ad reverentiam Domini Papæ more conſueto; genuflectit etiam coram Altari, dicens baſſe: *Munda cor meum &c.* recipit Librum Evangeliorum de Altari, petit inclinato capite benedictionem a Domino Papa, dicens baſſe, *Jube Domne benedicere*; & recepta benedictione, vadit cum Libro ad pulpitum, & incipiens, dicit: *Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo, Sequentia Sancti Evangelii &c.* ſignando Librum, & ſe. *Gloria tibi Domine. In illo tempore &c.* Dicto Evangelio, oſculetur principium dicti Evangelii, in cetero vero miniſtret ut Diaconus, & faciat quæ incumbunt. Dum dicitur Offertorium, offerat more conſueto duos torticios magnos accenſos, duos panes, & duas amphoras vini, & offerendo ſingula, manum Papæ oſculetur. Papa vero oblata leviter tangit. In Oratione ſuper populum Papa dicit: *Oremus*. Diaconus ordinatus dicit; *Humiliate capita veſtra Deo*. In fine, completa oratione Miſſæ, Diaconus ordinatus dicit; *Benedicamus Domino*, verſa facie ad Altare. Papa dicit: *Sit Nomen Domini benedictum &c.* Diaconus ordinatus ſtans in dextro cornu Altaris ſine Mitra, dicit ter: *Multos annos*, qualibet vice altius, & qualibet vice genuflectendo coram Papa ſtante cum Mitra. In fine ordinatus oſculetur pedem Papæ, & recipitur ad oſculum a Papa.

V. Atquæ hæc ſunt, quæ de Ordinatione Diaconi Cardinalis edicit memoratus Romanus Ordo XIV, Cap. CIII. apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, in eoque plures peculiares ritus in ipſa Ordinatione fieri olim ſolita a Papa curioſus Lector notabit. Ceterum ut Papa dederit quatuor minores Ordines tribus Cardinalibus die VI, Decembris anno MDXIII. exponit in ſuo ms. Diario Graſſus, ſic inquiens; *Die S. Nicolai Confeſſoris Papa, finita parva Miſſa in ſua Capella, per ordinarium Capellanum dicta, accepit Stolam, ſedenſque in Sede apud Altare contulit quatuor Minores Ordines ſuis novitiis tribus Cardinalibus, videlicet, de Medicis, de Bibiena, de Cibo; qui ſuper Rochettis induerunt Superpellicea, & habuerunt ſinguli candelam albam auro laboratam in manu; & Papa, prætermiſſis monitionibus omnibus, quæ ſolent in aliorum Ordinationibus dici, venit ad factum, videlicet dicens*: Hoc agite &c. *Similiter fecit in collatione Lectoris, & Exorciſtæ, & Acolythatus, & dedit inſignia omnia præter campanellam, & clauſuram oſtii, quæ mihi viſa ſunt actu levia, & Papa etiam*

ſic

(1) Veſtis Eccleſiaſticæ ſpecies, de qua loquitur idem Romanus Ordo Cap. XCII. (2) Forte legendum, ut notat Mabillonius. *ter manus, & brachia portatus a Priore Diaconorum, & altero Diacono Cardinali.*

Digitized by Google

sic censuit, in persona Cardinalium omitti debere &c. Addit & alia idem Apostolicus Cæremoriarius Grassus, quæ non opus est hoc loco referre.

§. XXI.

Quod apud Altare S. Petri solus Papa consecratur, & de Cardinalium indumentis Papa celebrante, antequam illi essent ordinati.

Et nota, quod secundum institutionem Gregorii Primi, hujusmodi Consecrationes non debent fieri apud Altare S. Petri, quia ibi solus Romanus Pontifex consecratur. Qando Papa aliquos vult ordinare publice in S. Petro, consuevit actus Ordinationis, & Consecrationis facere in Capella S. Andreæ, vel alia, & reliquum Missæ finire ad Altare S. Petri. Et adverte, quod Cardinales, si Papa celebraret publice, antequam illi essent ordinati, in suo Ordine non essent cum paramentis, sed cum suis Cappis laneis, & sederent ultimi post paratos in suo Ordine.

COMMENTARIUS.

I. Esse antiquum ritum, & quidem a Sancto Gregorio I. institutum, ut solus Romanus Pontifex apud Altare S. Petri consecretur, alii vero in Capella S. Andreæ, ubi scilicet ab ipso Papa Ordinationem acciperent, edicit quidem hic noster §. qui quidem concinit præscripto veterum Ordinum Romanorum, inter quos Ordo XI. scriptus ante annum MCXLIII. ut notat ibidem Mabillonius, ubi agit de Sabbato quatuor Temporum mensis Decembris, hæc habet: *Sabbato Statio ad S. Petrum, ubi debet Ordinatio fieri a Pontifice, & celebrare Missam. Dum vero cantatur Officium celeberrime a Schola, & Hymnus trium puerorum*: Benedicite omnia opera Domini Domino, *descendit Pontifex ab Altari, & vadit ad S. Andream. Ibi facit Consecrationem. Facta Consecratione, revertitur ad Altare; quia ad hoc Altare*, nempe S. Petri, *nulla Consecratio debet fieri, nisi de Romano Pontifice. Et sic in omnibus quatuor Temporibus debet fieri*. Porro agit de prærogativa Altaris S. Petri Romanus Canonicus in descriptione Basilicæ Vaticanæ, sicque ad rem nostram ait Num. XXXVII. *Et quoniam B. Petrus fuit Princeps, & Caput omnium Apostolorum, dicente Domino*, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tu vocaberis Cephas, *idest Caput, quadam prærogativa, nullus Patriarcha, nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, sive Sacerdos ad Sacrosanctum Altare ejusdem Apostoli consecretur, nisi tantum Successor ejus Romanus Pontifex*.

II. Quantum ad Cardinalium habitum, ubi sciliçet Papa celebraret publice, ait quidem & hic noster §. quod *antequam illi essent ordinati, in suo ordine non essent cum paramentis, sed cum suis Cappis laneis, & sederent ultimi post paratos in suo ordine*. Atque hic est antiquus ritus, quem plenius describunt Romanus Ordo XIV. Cap. CXVI. & Cæremonialis ms. Davantriæ Codex, qui ita ad rem inquiunt: *Notandum, quod quando Cardinalis, qui creatur per Papam in Presbyterum, vel Diaconum Cardinalem, non est Presbyter, vel Diaconus, si sit in Presbyterum electus, non portat in Vesperis, vel in Missa, quas Papa solemniter facit, & dicit, paramenta, quæ alii Cardinales antiqui portant tunc temporis, quousque de manibus Papæ receperit Ordinem Presbyteri; & si sit in Diaconum electus, ita non portat paramenta Diaconi, quousque de manibus Papæ receperit Ordinem Diaconatus, sed stat ultimus inter Cardinales gradus sui indutus Cappa de scarleto*.

§. XXII.

De novo Cardinali veniente ad Curiam sine Galero.

Novus Cardinalis die, quo perveniet ad Urbem, in qua est Pontifex, quiescit in aliquo loco circa portam Urbis, intra, vel extra, secundum commoditatem locorum, ut Romæ apud S. Mariam de populo venientes per Tusciam, sive per viam Flaminiam, vel apud Lateranum venientes per Appiam, sive Latinam; & illo die non vadunt ei obviam aliqui Cardinales, neque eorum familiæ; & cum est per unum miliare prope Civitatem, dimisso pallio itinerario, induit Cappam Cardinalarem, & Galerum nigrum secundum suam pristinam dignitatem; & illa nocte, ubi quiescit, summo mane ornetur ibi aliquis locus honestus, & capax, in quo Cardinales congregentur, expectantes adventum aliorum; & novus ponat aliquos ex suis, qui speculentur, quando Cardinales adveniunt, & sibi renuncient, ut in tempore possit eis occurrere. Cum vero Cardinales venerint, unus, vel plures, novus cum sua Cappa obviet eis in introitu loci, & reverenter, atque benigne eos excipiat, & ponat omnes ad dexteram suam, & eos honoret, tamquam si esset in domo sua; ducatque illos in locum præparatum, ubi debent alios expectare, & ipse sedeat semper

Digitized by Google

per ultimus; & ſic unicuique venienti obviam ibit, & deducat ad alios. Cum vero omnes convenerint, diſcedant ad equitandum, & ipſe cum ſuo Galero nigro equitabit medius inter duos antiquiores Diaconos in ultimis. Qui antequam perveniant ad Palatium, illi duo antiquiores Diaconi, dimiſſo novo Cardinali in medio aliorum duorum poſt eos Seniores, perveniunt ad Pontificem, & illum induunt Amictu, Alba, Cingulo, Pluviali rubeo, & Mitra pretioſis. Cum vero alii Cardinales perveniunt ad Palatium, deſcendunt ex equis, & omnes per ordinem aſcendunt Palatium, & novum Cardinalem dimittunt in aliqua Capella, ſive Camera ad hoc parata cum duobus junioribus Diaconis Cardinalibus, & ipſi vadunt ad Summum Pontificem, qui paratus, ut diximus, præcedente Cruce, exit ad publicum Conſiſtorium. Sedent omnes in locis ſuis, & fit reverentia a Cardinalibus præſentibus. Deinde Advocatus Conſiſtorialis proponit aliquam cauſam. Interim tempore congruo duo antiquiores Diaconi vadunt ad locum, ubi expectat novus Cardinalis, & illi duo, qui erant, veniunt ad Conſiſtorium, & facta ex more reverentia Pontifici, ſedent in locis ſuis. Poſt paululum venit novus Cardinalis medius inter duos Diaconos, & cum venerit in conſpectu Pontificis, profunde caput inclinet ante Pontificem ſimul cum ſuis ductoribus, quorum geſtus animadvertit, & imitatur. Deinde præcedentem priorem Diaconum ſequatur, & iterum ante gradum primum Sedis Pontificalis ſimul cum deductoribus Pontificem veneretur; & aſcendens gradus genuflectat ad pedes Pontificis, oſculetur pedem, & manum, & a Pontifice ſublevetur, & ad oſculum oris recipiatur. Tum a ſupradictis Diaconis ducitur ad oſculum omnium Cardinalium præſentium per ordinem, & in fine ipſos Diaconos ſtantes in ſuis locis oſculetur; & mox a Miniſtro Cæremoniarum ducitur ad locum, qui ei competit ſecundum ordinem pronunciationis ſuæ, cum fuit aſſumtus in Cardinalem, & reliquis ſedentibus, ſedet & ipſe. Advocatus autem proſequitur ſuam cauſam. Finita cauſa, ſurgunt omnes Cardinales, & ordinate vadunt ad parvam Capellam, ſeu ad Altare ad hoc paratum, præcedentibus Cantoribus cantantibus *Te Deum laudamus*. Duo vero antiquiores Diaconi vadunt ad aſſiſtentiam Summi Pontificis, & ducitur novus Cardinalis ad Altare, ubi proſtratus orat. Dicuntur verſiculi, & orationes per primum Cardinalem, reducitur ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, accipit Galerum de manu Pontificis, & deducitur ab aliis Cardinalibus domum ſuam; & omnia fiunt, ſicut diximus, quando datur Galerus præſentibus; viſitat, & viſitatur. Demum in primo Conſiſtorio imponitur ei ſilentium, & in ſecundo, aut tertio, aperitur ſibi os, & fit mentio, ut de aliis ſupradictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. JAm alibi docuimus, & quidem ex veterum Cæremonialium Pontificiorum præſcripto, Galerum Cardinalitium non ſolere mitti ad Cardinales recens creatos, niſi hi eſſent ex Summorum Principum genere orti; aut ob aliam rationabilem cauſam, quam recenſet Romanus Ordo XIV. Cap. CXVI. cujus hæc ſunt verba: *Regulariter autem Cardinali novo abſenti Capellus rubeus per Dominum Papam non mittitur. Interdum tamen de gratia ſpeciali mitti ei per Dominum Papam conſuevit, quando antea miſſus Legatus, vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges, vel Regem, & Principes tractanda, ac etiam conſummanda, ad finem quod ipſe Cardinalis per ipſos in majori reverentia habeatur, & ex hoc ad pacem melius, & facilius inducatur.* Hoc notato, qui ritus ſervandus ſit, ubi novus Cardinalis venit ad Urbem, nondum Galero accepto, & ut excipiendus ſit extra Urbem a Collegio Cardinalium, docet hic noſter §. juxta cujus præſcriptum complures Cardinales fuerunt excepti, quos recenſent Graſſus, Mucantius, & alii Cæremoniarii in ſuis mſs. Diariis. Sed his omiſſis, abs re non erit ritum antiquiorem referre, quem eam in rem recenſet laudatus Ordo XIV. Romanus, eſtque hujuſmodi.

II. Sciendum, quod quando creatur Cardinalis novus aliquis, qui eſt extra Curiam, & fuit creatus cum aliis in Curia Romana præſentibus, die, qua intrare debet Curiam, omnes Cardinales, & Camerarius Papæ cum Clericis Cameræ, & ſervientibus armorum ejuſdem Domini Papæ, exeunt ſibi obviam extra Villam, & in obviatione Cardinalis, alii amotis Capellis, & biretis, recipiunt ipſum ad oſculum; quo facto, retrocedentes vadunt ad Conſiſtorium, duobus tantum Diaconibus Cardinalibus junioribus cum ipſo Cardinali novo remanentibus, & eum aſſociantibus uſque ad Aulam, ubi Papa tenet Conſiſtorium. Et cum illuc pervenerit, & poſtea Dominus Papa de Camera ſua ad Conſiſtorium venerit, antiqui Cardinales præter duos Diaconos Cardinales juniores cum novo Cardinali extra Conſiſtorium in fine Aulæ, ubi tenetur Conſiſtorium, remanentes, faciunt reverentiam more ſolito Domino Papæ; qua facta, duo antiquiores Diaconi occurrentes, novum Cardinalem in introitu Conſiſtorii recipiunt; & prædicti duo Diaconi Cardinales juniores, qui eum aſſociaverunt, eum dimittunt, & accedunt ad reverentiam ſolitam faciendam; & ea facta redeunt ad ſedendum in Conſiſtorio in locis conſuetis. Poſtea eum dicti duo antiquiores Diaconi

Digitized by Google

ni Cardinales deducunt ad Dominum Papam, qui eum ad oſculum pedis, & poſtmodum oris recipit. Deinde iidem duo Diaconi Cardinales antiquiores eum ducunt ad ſedem debitam, per Dominum Papam ſibi ſecundum ſuæ creationis gradum & ordinem aſſignatam.

III. Poſtquam omnibus Cardinalibus ſedentibus, ceteris repulſis aliis, Dominus Papa, allocutione, & collatione aliqualibet, ut eſt moris, factis ad inſtructionem ipſius, ut ſupra de Cardinalibus præſentibus in Curia Romana noviter creatis recitatum eſt, ſilentium novo Cardinali imponit, quouſque de conſilio aliorum Cardinalium os ei duxerit aperiri. Subſequenter Dominus Papa cum omnibus Cardinalibus, cum fuerit tempus recedendi, dat in Camera ſedendo novo Cardinali Capellum rubeum, vel ante prandium, ſi non eſſet in ſtatu illa die ſolemne prandium faciendi. Reliqua vero debent per Dominum Papam in apertione oris, & datione Tituli, & Anuli, dici, fieri, & ſervari iſti novo Cardinali, & per eumdem Cardinalem in viſitatione, & aliis præmiſſis per eum faciendis, prout in Cardinalibus novis creatis in Curia præſentibus, eis per Dominum Papam, & per eos dici, fieri, & ſervari, eſt ſuperius recitatum.

IV. Dari conſueviſſe a Pontifice novis Cardinalibus ad Urbem venientibus Pileum rubeum in Conſiſtorio, docent nos paſſim & Cæremoniales Codices, & mſs. Cæremoniariorum Apoſtolicorum Diaria. Thomam Bononienſem Antiſtitem ex Germania reducem *Presbyterum Cardinalem Tituli S. Suſſannæ xvij. Kal. Januarii* anno MCDXLVI. creatum ab Eugenio IV. eique ad Portam Flaminiam *rubeum Galerum* obviam miſſum, ſcribit quidem Sigonius, *De Epiſcopis Bononienſibus*, pag. 187. quod quidem ex Platina hauſit, & ex eo alii apud Raynaldum ad ipſum annum MCDXLVI. Num. IV. & ſeq. Sed falſum profecto eſt, quod rubeus Galerus ipſi Thomæ miſſus obviam ſit. De die creationis Cardinalium, ac de ritu, quo Thomas, & Joannes Carvajalius, qui una cum ipſo Legatus de latere in Germania fuerat, audiendus eſt Jacobus Rodulphi Sacri Collegii Clericus in Diario Conſiſtoriali Eugenii IV. apud eruditum Georgium in Vita Nicolai V. ad annum MCDXLVII. Num. XXVIII. *Anno*, inquit, *a Nativitate Domini* MCDXLVI. *Pontificatus Domini Eugenii Papæ IV. anno* XVI. *die vero* XVI. *menſis Decembris Quatuor Temporum fuerunt creati in S. R. E. Cardinales per eundem Reverendiſſimi in Chriſto Patres, Domini Henricus Archiepiſcopus Mediolanenſis, Thomas Epiſcopus Bononienſis abſens, Joannes Epiſcopus Placentinus etiam abſens, & Joannes Abbas Monaſterii S. Pauli extra muros Urbis.* Tum vero mox ita ad rem noſtram ſubjicit; *Anno prædicto die Veneris* XXIII. *Menſis Decembris Reverendiſſimi in Chriſto Patres, Domini Thomas Epiſcopus Bononienſis, & Joannes Placentinus Epiſcopus intraverunt Urbem ſine Capello, aſſociati a quatuordecim Cardinalibus uſque ad Palatium Domini noſtri Papæ, & ibidem in Conſiſtorio generali recepti fuerunt in S. R. E. Cardinales, & dati ſunt eis Capelli Cardinalatus, necnon Tituli aſſignati, videlicet, Bononienſi Titulus S. Suſſannæ, & Placentino S. Angeli Diaconia, & iterum reducti ad habitationes eorum per prædictos Dominos Cardinales.* Habentur etiam ipſius Eugenii IV. Litteræ die XVI. Decembris anni MCDXLVI. datæ, quibus eidem Thomæ in Cardinalium Senatum adſcito, retinendi Bononienſem Eccleſiam poteſtas fit, & Titulus S. Suſannæ adſignatur. Ex his autem manifeſte apparet, rubeum Galerum obviam eis extra Portam Flaminiam non fuiſſe miſſum, imo in Urbem ſine eodem ingreſſos, ac in Conſiſtorio publice eundem Galerum ab Eugenio eis impoſitum.

V. Ut in Urbem anno Chriſti MCDL. a Nicolao Papa V. & a Sacro Collegio recepti duo novi Cardinales fuerint, Nicolaus de Cuſa, & Petrus Epiſcopus Auguſtanus, docet ex antiquis monumentis eruditus Georgius in Vita ejuſdem Nicolai V. Papæ ad ipſum annum MCDL. Num. III. *Initio hujus anni*, inquit, *& quidem die Dominica, menſis Januarii* XI. *die, Nicolaus de Cuſa Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis e Germania redux in Urbem venit cum Capello nigro, & a Cardinalibus, ut moris eſt, exceptus, & ab eis ad Pontificis Ædes deductus, rubeo Galero ornatus fuit; die vero Lunæ* XIX. *Januarii fuit eidem Cardinali os apertum.* Tum vero habet: *Anno eodem die* XVIII. *Aprilis in Urbem venit Petrus Epiſcopus Auguſtanus Tituli S. Vitalis Presbyter Cardinalis, ab Eugenio IV. die* XVIII. *Decembris creatus, cui ex more Cardinalibus occurrentibus, eumque ad Pontificem deducentibus, datus eſt Pileus rubeus in Conſiſtorio ab ipſo Pontifice, deinde demum a Purpuratis Patribus deductus; die poſtmodum* XXIV. *Aprilis fuit eidem Cardinali os apertum.* Duo hæc exempla egregie comprobant varios ritus, quæ in receptione Cardinalium ad Urbem primum venientium ante editionem noſtri Cæremonialis ſervari conſueverunt. Variant nonnihil ab antiquis uſus recentiores in excipiendis ipſis novis Cardinalibus, uti diu Romæ degens egomet non ſemel vidi, viderique de ea re poſſunt recentiores Libri cæremoniales, & Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus paſſim fit mentio prædictæ novorum Cardinalium receptionis.

§. XXIII.

De reditu novi Cardinalis cum Galero, ſive Legati.

Si autem novus Cardinalis habuit Galerum, ſive eſt Legatus Apoſtolicus aliquis ille, qui venit, recipitur apud portam, deducitur ad Palatium, & deinde ad Conſiſtoriúm ad pedes Papæ, ut de novo Cardinale ſine Galero diximus; recipitur ad oſculum pedis, manus, & oris a Pontifice, & ab omnibus Cardinalibus ad oſculum pacis, & tandem ponitur ad ſedendum in ordine ſuo, ſecundum pronunciationem de ipſo factam, ſi eſt novus; ſive in loco antiquo, ſi eſt Legatus; & non ducitur ad Altare.

Digitized by Google

tare, neque aliquid cantatur, sed finito Consistorio deducitur domum suam ab omnibus; visitat, & visitatur, ut de aliis dictum est superius.

COMMENTARIUS.

I. NIhil afferri ad explicandum hunc §. luculentius potest, quam quod ante editionem nostri hujus Cæremonialis præscripsit Ordo Romanus XIV. Cap. CXVIII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 440. & sequenti, ubi ita inquit: *Cum autem hujusmodi Legati, vel Nuncii redeunt de Legatione sua, & volunt intrare Curiam, omnes Cardinales de Curia debent exire eis obviam extra Villam, & eosdem Legatos, vel Nuncios expectare in convenienti campo, ut superius in recessu est dictum; & deinde omnes Cardinales cum dictis Legatis, vel Nunciis, debent ascendere Palatium, ubi recipiuntur prædicti Legati, vel Nuncii in Consistorio per dictum Papam ad osculum pedis, & oris; & si non sit, nisi unus Legatus, vel Nuncius, ille associatur a loco, ubi fuit per Cardinales receptus extra Villam usque ad Palatium Papæ per duos juniores Diaconos Cardinales.* Pergit idem Romanus Ordo, cui & alii mss. Codices Cæremoniales concinunt, ac præsertim ille Davantriæ, & ait: *Si vero sint duo Legati, ipsorum Legatorum, vel Nunciorum prior in ordine Cardinalatus associatur a loco prædicto per alios duos penultimos juniores Diaconos Cardinales, secundum suæ prioritatis ordinem incedendo. Quibus Legatis, vel Nunciis receptis per Papam ad osculum pedis, & oris, vadunt ipsi Legati, vel Nuncii ad sedendum in sede sua secundum ordinem suum; ipsi vero Diaconi Cardinales, qui eosdem Legatos, vel Nuncios associaverint, post eos veniunt ad reverentiam Papæ, prout est fieri consuetum, & demum vadunt ad sedendum in loco suo.*

II. Iis residentibus, ex præscripto ejusdem memorati Ordinis XIV. Romani, *Papa recipit aliquod thema, & facit quandam collationem ad commendationem & laudem ipsorum Legatorum, vel Nunciorum, prout videtur Papæ; in qua collatione ipsi Legati, vel Nuncii sedent in locis finis, capitibus omnino discoopertis, etiam absque biretis; & sic est, quandiu laus & commendatio illius collationis ipsis diriguntur per Papam, & ipsa collatione finita, remanent illa die omnes Cardinales ad comedendum cum Papa.* Addit, ipsam collationem fieri per Pontificem solitam in adventu Nunciorum, vel Legatorum, fuisse introductam *per Benedictum Papam XII. & observatam per Dominum Clementem VI.* temporibus tamen Clementis V. & Joannis XXII. observatam minime fuisse. Ceterum ne quid omittamus de antiquo ritu, quem enarramus, teste eodem Romano Ordine, Nuncii ipsi, vel Legati in primo Consistorio relationem faciebant de gestis per eos in Legationibus suis. Quod quidem intelligitur, si ipsi parati essent in primo Consistorio referre post adventum suum; nam alias si non essent tunc parati, *consuevit eis designari per Papam certa dies ad referendum*, de gestis scilicet suæ Legationis.

§. XXIV.

De novo Cardinali, vel Legato redeunte, vacante Sede.

Si vero novus Cardinalis, vel Legatus, redierit ad Curiam, Sede vacante, nullus Cardinalis vadit sibi obviam, quia tunc Collegium tenet quodammodo locum Pontificis, sed cum suis privatis amicis se recipit domum habitationis suæ sine aliis cæremoniis.

COMMENTARIUS.

I. QUanta sit Cardinalium potestas Sede Apostolica vacante, docent nos inter alios Fagnanus in Capite, *Cum olim* XIV. *De majoritate & obedientia*, Cohellius in Notitia Cardinalatus Cap. XIII. & Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Curiæ Romanæ, Discursu III. ubi etiam Num. XI. affirmat, in novendiali spatio Papæ defuncti magis quam quovis alio tempore elucere Cardinalitiam dignitatem, & quidem non solum ob formam habitus, quia scilicet per Urbem incedunt cum Rochetto discoperto, & Mozzetta, eo modo, quo in signum jurisdictionis incedit Papa per universum Orbem, & Episcopus in propria Diœcesi, vel Cardinalis in propria Ecclesia Titulari; verum etiam ob magna obsequia, quæ ab Oratoribus Regum & Principum propriæ domi singulariter recipiunt, atque ubi collegialiter in Sacrario Vaticanæ Basilicæ sunt congregati, Oratores prædictos, aliosque Magnates genuflexos audiunt, ita summæ Pontificiæ dignitatis imaginem tunc temporis repræsentantes.

II. Hinc recte in hoc nostro §. præscriptum est, ut si novus Cardinalis, vel Legatus, redierit ad Curiam, Sede vacante, nullus Cardinalis procedat ei obviam, ob eam scilicet rationem, quam mox subjicit: *Quia tunc Collegium tenet quodammodo locum Pontificis*. Scitissime inquit, *quodammodo*, quia nimirum, ut memorati Auctores notarunt, multa sunt, quæ Collegium Cardinalium agere nequit, ipsa Apostolica Sede vacante, adeo ut prædictum Cardinalium Collegium deterioris etiam conditionis sit quam sint inferiora Collegia, in quæ transit jurisdictio, Sede vacante, ut varios Auctores citans tradit idem Fagnanus in citato Capite, *Cum olim, De majoritate &c.* Quicquid sit, quod ait hic noster §. desumtum est quidem ex Ordine Romano XIV. Cap. CXVI. ubi ita legitur: *Item sciendum, quod si vacaret Sedes Apostolica tempore, quo rediret ad Curiam Cardinalis antiquus, sive noviter creatus, qui fuisset Legatus, aut Nuncius,*

Digitized by Google

tunc Cardinales alii, etiamsi non essent in Conclavi pro electione futuri Pontificis, non vadunt Cardinali obviam venienti; quia Sede vacante personam Papæ quodammodo repræsentant.

DE CONSISTORIO PUBLICO AC LOCO ET ORDINE CONSISTORII.

TITULUS IX.

I. CONsistorium generaliter sumtum est quivis locus, ubi consistitur. Ita jam pridem pervetustus Auctor Tertullianus in Libro, *De resurrectione carnis*, terram, in qua homines consistimus, Consistorium dixit. Interdum Consistorium locus etiam fuit Cubiculariis potissimum addictus, in quo excubabant potius quam cubabant, quo paratiores essent ad Domini sui præcepta. Ita Monachus Sangallensis Lib. II. *De gestis Caroli Magni*, ait, quosdam Legatos, priusquam ad Imperatoris admitterentur conspectum, *reperisse in Consistorio Cubicularios Imperatoris circa Magistrum suum*. Cum igitur in hisce locis consisterent qui Principis audientiam præstolabantur, ipseque Princeps ex interiori cubiculo in illud exterius progrederetur, & veniret, quo supplices audiret, & causas, ac negotia dirimeret subditorum, in eo pro Tribunali sedebat, quin etiam inquirentibus in negotium, & dispicientibus Consistorianis, ut Ammianus Lib. XV. ait. Atque inde Consistorium appellavere generatim locum, in quo Princeps de rebus publicis consultat, ac deliberat cum suis Consistorianis, ut pluribus docet eruditissimus Gothofredus in Notis ad Legem 111. Libri 1. Titulo X. Codicis, *De officio omnium Judicum*. Atque hinc postmodum invaluit, ut Cardinalium consessus coram Papa in ejus Palatio per modum Senatus dictus sit Consistorium, atque in ea appellatione hodie sumitur dum de Consistorio Papæ, atque de Beneficiis, & negotiis Consistorialibus sermo incidit.

II. Porro duplex est hodie Consistorium, aliud scilicet extraordinarium, magisque solemne, cui præter Cardinales intersunt alii quoque Prælati, Ministri, ac Principum Oratores, & Magistratus, ac privati viri, sive Clerici, sive laici, qui Papæ præsidenti assistant; quod & publicum dicitur, uti adcisere licet ex Clementina I. *De jure jurando*, ubi ita Papa Clemens V. inquit: *Præfatis itaque Nunciis in nostra, & Fratrum nostrorum præsentia constitutis, ac secundum dicti tenorem mandati Avenione, ubi tunc eramus cum nostra Curia residentes, in publico Consistorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum tam Clericorum, quam laicorum non modica multitudo &c.* Alia species Consistorii est, quod ordinarium vocatur, fitque in forma minus solemni cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis, soletque secretum diei, de quo inferius dicemus.

§. I.

Consistorii publici locus, & ordo, & quæ negotia in eo tractantur.

Quia publicum Consistorium frequenter nominavimus, & inposterum nominaturi sumus, operæ pretium videtur, ordinem, & modum ipsius Consistorii explicare. In Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum tres Aulæ sunt Pontificales, quas in Conclavi contineri superius diximus. Prima omnium maxima pro Consistorio publico ornari solet, quando Reges, aut Regii Legati sunt excipiendi. Canonizationum etiam causæ in ea perorantur. In tertia Aula excipiuntur Legationes aliorum Principum, & Rerumpublicarum, cum ad venerandum Summum Pontificem veniunt: publicantur novi Cardinales: excipiuntur Legati Apostolici, quando revertuntur ex suis Legationibus: excipiuntur Cardinales novi venientes ad Romanam Curiam; & agitantur Causæ, quæ publicum Consistorium requirunt. In capite Aulæ erigitur Solium Pontificale, ad quod tribus amplis gradibus ascenditur. Forma Solii erit ferme quadrata, latitudinis in summo plano palmorum duodecim, vel circa; in medio Sedes erit parieti hærens cum magno, & parvo scabello: planum totum cum magno scabello coopertum erit panno coccineo. Sedes vero aureo erit ornata panno, & a pariete, & supra caput pendebit aureus pannus. A dextra infra Solium per viginti palmos, vel circa, sedilia Episcoporum Cardinalium, & Presbyterorum erunt remota a pariete per duos palmos; habebunt reclinatorium, sive postergale altum usque ad spatulas, & gradum altitudinis sex, aut octo digitorum, super quem pedes teneant. Primum sedile erit longitudinis trium cannarum, vel circa, secundum mensuram Romanæ Curiæ. Huic conjunctum erit secundum sedile duarum cannarum longitudinis in transversum Aulæ ita ut ibi sedentes in faciem Pontificis respiciant. A sinistra Pontificis erit sedile Diaconorum Cardinalium e regione Episcoporum Cardinalium, inter quod, & sedile, quod in transversum porrigitur, erit spatium decem palmorum, aut duodecim, ut sit quodammodo ostium ad ingressum Consistorii. Longitudo sedilis Dia-

co-

Digitized by Google

conorum erit duarum cannarum cum dimidia, vel circa. Hæc ſedilia erunt pariformiter ornata aulæis, & tapetis, & ejuſdem altitudinis, & latitudinis, ita ut in nullo differant gradus Solii Pontificalis; & totum ſpatium, quod ſedilibus circumplectitur, pannis viridibus ſternitur.

COMMENTARIUS.

I. COnſiſtorium publicum, ſive extraordinarium, magiſque ſolemne, uti in præfatione ad hunc Titulum diximus, eſt illud, quod præter Cardinales, alios admittit Prælatos, & Miniſtros, ac etiam Principum Oratores, alioſque Magnates, qui in Papæ Solio aſſiſtant, uti etiam docet Cardinalis de Luca in Relatione Curiæ Romanæ Parte II. Diſcurſu v. Solemne Conſiſtorium ter in hebdomada, tempore Innocentii III. haberi ſolitum fuiſſe, docent nos ejuſdem Pontificis Acta ex editione Boſqueti pag. 28. ubi ita legimus: *Ter in hebdomada ſolemne Conſiſtorium, quod in conſuetudinem jam devenerat, publice celebrabat, in quo auditis querimoniis ſingulorum, minores cauſas examinabat per ſe tam ſubtiliter & prudenter, ut omnes ſuper ipſius ſubtilitate, & prudentia mirarentur.* Hodie vero illud rarius habetur, ad Papæ beneplacitum, prout negotiorum urgentia exigit, inquit laudatus Cardinalis de Luca, qui etiam mox ſubdit, pro frequentiore praxi bis in menſe illud celebrari, diemque ordinariam eſſe Feriam ſecundam de mane, quamvis aliquando alia etiam die habeatur, quia hoc a Pontificis dependet arbitrio.

II. Reſoluta ergo a Pontifice Conſiſtorii in certum diem, horam, & locum, indictione, & Cardinalibus in Curia præſentibus die præcedente inſinuata, *ſinguli Cardinales cum ſolemni comitatu, & obſequio ad illud accedunt more Regio, adeo ut in hac functione*, uti notat de Luca, *magis quam in aliis Romanæ Curiæ majeſtas videatur elucere, atque ita verificari id, quod antiqui Scriptores de profanæ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dicere ſolent, ut ſcilicet tot Reges reputari mereantur.* Congregatis Cardinalibus, Papa in Solio Pontificali, ad quod tribus amplis gradibus aſcenditur, ut ait hic noſter §. in Sede aliquantulum elevata ſedente, atque adhuc januis apertis, patenteque omnibus Nobilibus qualificatis Viris, ac Prælatis, aditu, ſingulis Cardinalibus petentibus præſtatur ab ipſo Pontifice auricularis audientia ſuper propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus, aliiſque negotiis. Hac autem privata audientia pro Papæ beneplacito abſoluta, omnes a loco Conſiſtorii ejiciuntur, ſolis Cardinalibus cum Papa remanentibus, atque tunc negotia Conſiſtorialia tractari incipiunt. Porro tempore Innocentii III. cauſas minores in Conſiſtorio, auditis utriſque partibus, per Pontificem deciſas fuiſſe, Acta hujus Pontificis ſuperius relata evincunt, notatque idem laudatus Cardinalis de Luca loco jam citato, non ita pridem *Conſiſtorium haberi ſolitum fuiſſe pro brevioribus cauſis in forma contentioſa etiam cum interventu Procuratorum, & Advocatorum utriuſque partis decidendis per Pontificem cum voto Cardinalium; atque ex hujuſmodi deciſionibus aliqua pars Canonum regiſtratorum in quinque Libris Decretalium, eſt deſumta.* Negotia vero, quæ hodie in Conſiſtorio explicantur, teſte eodem Auctore Cardinale de Luca, forenſem, & contentioſam formam amplius non habent, ſed ſolum gratioſam, vel politicam, ut Principis ſupremum Senatum decet.

II. Supervacaneum eſt explicare & hoc loco alias Conſiſtoriales functiones in noſtro hoc §. notatas, cum jam de eiſdem abunde ſuis locis dixerimus. Ut autem aliquid de loco dicamus, ubi Conſiſtorium haberi conſuevit, ex præſcripto noſtri §. prima trium Aularum, & omnium maxima, quæ ſunt in Palatio Vaticano, *pro Conſiſtorio publico ornari ſolet &c.* Habent hæc quidem locum, ubi Papa Romæ degit, ſi enim alibi maneret, Conſiſtorium ſemper in Domo illius fieret. Imo teſte Auctore Commentariorum Pii II. Lib. IX. commorans aliquando Pius in Agro Senenſi, Conſiſtorium non ſemel in Silva fecit: *Fiebat*, ait, *& aliquando cum Cardinalibus ſub Caſtaneis Conſiſtorium, & Legationes in pratis audiebantur. Vectabatur quotidie per ſilvas Pontifex, & ſequentibus Curialibus inter eundum privata ſimul, & publica abſolvebat negotia.* De loco Conſiſtorii, ejuſque ornatu jam multa adnotarunt Cæremoniarii Apoſtolici in ſuis ms. Diariis, in quibus etiam negotia narrant, quæ in eodem tractari ſolebant.

IV. Sed his omiſſis, unum eſt, quod hic omitti nullatenus exiſtimamus, quod nempe tradit in ſuo ms. Diario Paris de Graſſis anno Chriſti MDXXI. Leonis Papæ X. anno VIII. Cum enim tunc temporis *quæreretur a quibuſdam, an conveniret majeſtati Sedis Apoſtolicæ, quod in publicis Conſiſtoriis, & Congregationibus, & ſimilibus actibus Papa reſpondere debeat per ſe ipſum perſonaliter loquendo Oratoribus Principum proponentibus, an vero quod Papa faciat, ſicut alii Principes reſpondere ſoliti per Interpretes.* Ait Graſſus, ſe de hac quæſtione interrogatum, reſpondiſſe, *quod judicio ſuo laudabiliter fieret, ſi Principi per ſe ipſum perſonaliter proponenti Papa ſimiliter per ſe ipſum perſonaliter reſpondeat: Oratori vero Principis proponenti ſimiliter non per ſe ipſum Papa, ſed per Interpretem ſuum, ſive Secretarium, ſive quemvis alium quaſi Oratorem reſpondeat: qui mos ſervatur ab omnibus aliis Principibus adverſus quoſcumque etiam Oratores Apoſtolicos, & Legatos Papales.* Addit mox, hoc ſuum judicium ipſi Pontifici Leoni X. minime diſplicuiſſe, *quia in veritate majeſtati Sedis Apoſtolicæ ſic convenire videtur, præſertim quia in maximo periculo conſtituitur quiſque Papa reſponſurus perſonaliter; nam ſi Papa bene dicit, facit procul dubio debitum ſuum; ſi autem in uno verbo ſolum inter orandum deficiat, vituperium ingens ſequitur, & Papa quodammodo deridetur, & Majeſtas ſua diminuitur, ſicut aliquando contigit;*

Digitized by Google

tigit; *& sic contigit Paulo Secundo, qui in creatione Ducis Ferrariæ dixit*: Aggregamus eum aliorum Ducum; *& sicut etiam vidimus Innocentium VIII. nam ipse numquam publice dixit aliquid, quin in parte, vel in toto defecerit, cum risu totius Senatus, & Curiæ*. Fortasse lapsus linguæ fuit, ubi Paulus II. Pontifex dixit: *Aggregamus eum aliorum Ducum*; nuperus siquidem Auctor vindiciarum, quas præfixit Vitæ ipsius Pauli ex Codice Angelicæ Bibliothecæ desumtæ, editæ Romæ anno MDCCXL. pluribus conatur ostendere, fuisse ipsum Pontificem eximium litterarum cultorem. Est laudatus Auctor vindiciarum, doctrina, ac dignitate eminentissimus Angelus S. R. E. Cardinalis Quirinus.

V. Quicquid autem de his sit, affert mox Grassus in suæ confirmationem sententiæ duo alia exempla, alterum nempe Alexandri VI. alterum Julii II. *Vidimus*, inquit, *Alexandrum VI. qui in Consistorio publico ut vidit, quod Succinus tam magnus Orator defecit inter orandum, Papa Alexander volens quodammodo supplere defectum illius, animose incæpit orare, & respondit ad aliqua, quæ fuerunt per illum oblata, & non proposita. Quæ Papa cum ipse audisset, voluit seipsum corrigere, & non ita potuit, aut scivit, ut non cespitaverit, aut balbutierit.* De Julio II. deinde subjicit, quod *ipse ita timide dicebat, sicut puer sub disciplina Pedagogi tremebundus facere solet, & aliquando verba imperfecta, aut bis, & tertio eadem repetita corrigebat, quod erat valde inconveniens*. Concludit Grassus, quod, *ut tanta indecentia de cetero evitaretur, non disconvenire videretur, si modus supradictus introduceretur, maxime quia, quod dicunt multi, quod iste modus respondendi per se ipsum, non antiquus est, sed tantum a Pio Secundo introductus, qui erat Vir eloquentissimus, post quem alii Pontifices in reliquis Pio æquales idem facere voluerunt, prout faciunt, & vere nullus post Pium prædictum ita facunde dicit, sicut nunc Sanctissimus Dominus noster Leo*, nempe Decimus ejus nominis, cujus gesta laudatus Grassus in suo memorato ms. Diario describebat.

VI. Fatetur tamen Grassus, sua sententia Leoni ipsi Pontifici, & Cardinalibus proposita in Consistorio, dixisse tandem illi Pontificem, *Patribus non placere, quod usus renovetur, sed quod a Pio II. usque modo servatum fuit, servetur deinceps, & sic Pontifex*, ut idem Grassus tunc Apostolicus Cæremoniarius scribit, *in Consistorio publico per se ipsum respondit Oratori, sive Secretario proponenti.* Laudat rursus Leonem X. facundumque oratorem appellat, ideoque innovatus non fuit tunc usus antiquus. Addit, intellexisse se *ab aliquibus Patribus, quod res ista diu multumque inter ipsos discussa fuit, & quasi placuit majori parti, ut illud servaretur, quod ipse proposuerat, propter illud periculum, quod evenire faciliter solet, & potest, ut sæpe in facto evenit*. Verum, si unquam abfuit periculum istud, omnino profecto nunc abest, regnante BENEDICTO XIV. cujus tanta est sapientia, facundia, & doctrina, ut ipsi eloquentissimi Principum Oratores, Virique eruditissimi laudato Pontifici loquenti sæpe succumbant. Sed nec puto, omnino credendum Grasso, cum laudati Pontifices, quos ille carpit, ab aliis Auctoribus qui illorum Vitas scripsere, summopere laudentur ob suam etiam ipsorum facundiam.

§. II.

De habitu, & locis in publico Consistorio.

Pontifex ad publicum Consistorium, ut ad Capellam, procedit, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali rubro, & Mitra preciosis, Cruce cum Cardinalibus præcedente. Sedet in sua Sede Pontifex. Cardinales facta ex more reverentia omnes in suis sedibus sedent. Diaconi non assistunt postquam fecerint reverentiam. Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, & omnes Prælati sedent supra tres gradus Solii Pontificalis, & cum eis in ultimo Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acolythi, omnes cum suis Cappis laneis. Curiales togati sedent super terram inter sedilia Cardinalium. Cubicularii, & Secretarii cum capuciis ad collum, in terra inter Prælatos, & Curiales togatos. Si nepotes Pontificis, aut aliqui Magni Principes adsunt, unus, vel duo, non tamen tales, quos sedere deceat in sedili Cardinalium, hi stant juxta Pontificem hinc inde. Oratores Regum, & Principum, & magni Nobiles stant ad dexteram Pontificis inter gradus Solii, & parietes. Familiares Papæ, & Nobiles stant a sinistra inter gradus, & parietes. Advocati Consistoriales stant retro, vel post sedilia Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium. Procuratores Regum, Principum, & Religionum simul cum Procuratore Fiscali stant post sedile Episcoporum Cardinalium inter murum, & sedile; Fiscalis tamen tenet primum locum. Spatium autem inter sedilia Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium servientes armorum observant, tanquam ostium, & aditum Consistorii, & illac, qui ingressuri sunt ad Pontificem, ingrediuntur. Magister sacri Hospitii, quæ dignitas hoc tempore est in nobili Comitum Domo, illic stat ante servientes armorum in fine sedilis Presbyterorum, & in capite sedilis Diaconorum stare debent Clerici Cæremoniarum, ut præsto sint ad exequendum, quæ Pontifex mandaverit, & ordinandum, quæ sunt agenda, Cum autem Consistorium tenebitur pro causis judicialibus tantum, quod fieri con-

Digitized by Google

consuevit a Pontificibus interdum, cum ob alias causas non tenetur, Advocatus proponens stat post sedile Presbyterorum Cardinalium contra Pontificis faciem, & causam suam exponit, & in fine cedulam suæ supplicationis inter sedentes in terram Curiales projicit, qui illam ad manus Vicecancellarii transmittunt. Siquis est ex aliis Advocatis, qui contradicere velit, & pro adversario respondere, licet. Finita altercatione, Pontifex respondet per verbum *placet*, simpliciter, vel cum limitatione, ut sibi videtur; & Vicecancellarius manu propria signat supplicationem secundum Pontificis responsum, & idem in Libro, quem penes se habet, scribit, nam quidam ex suis apud pedes suos sedens, Librum, & pugillare servat. Expeditis autem causis, surgunt omnes, & duo seniores Diaconi accedunt ad assistentiam Pontificis, qui revertitur ad Cameram eo ordine, quo venerat.

COMMENTARIUS.

I. Consueviſſe olim causas in Consistorio forma contentiosa, etiam cum interventu Procuratorum & Advocatorum utriusque partis decidi per Papam cum voto Cardinalium, notat Cardinalis de Luca in Relatione Curiæ Romanæ, Parte II. Discursu v. de eaque re diximus nos supra in Commentario ad §. 1. ubi etiam notavimus, negotia, quæ hodie in Consistorio explicantur, forensem, & contentiosam formam amplius non habere, sed solum gratiosam, vel politicam, ut Principis supremum Senatum decet. Porro spectat & hunc nostrum §. eumque egregie illustrat, quod citato loco tradit idem Cardinalis de Luca. Postquam scilicet Cardinales in convenienti numero statuta hora in Aula Consistorii congregati sunt, Cappa magna, Rochetto, & bireto induti, Papa ad suam consuetam sedem aliquantum elatam sub Throno, seu baldachino in habitu privato cum Rochetto scilicet, & Mozzetta, ac bireto Pontificio accedit, ibique, donec omnium Cardinalium accessus sequatur, vel etiam eo sequuto, ad sui placitum, januis adhuc apertis, adeo ut omnibus nobilibus, & qualificatis Viris, ac Prælatis, aditus pateat, singulis Cardinalibus petentibus privatam auricularem audientiam præstat super propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus, ac instantiis, aliisque negotiis. Atque in hac functione præsertim Papæ majestas dignoscitur, quoniam licet Cardinales in præsentia Papæ sedeant in scamno ligneo, cooperto capite cum bireto Cardinalitio; tamen ubi singuli Papam ibi publice alloquuntur, coram eo stant capite discooperto, cum magno obsequio, ac reverentia, quamvis magnorum Principum filii sint, vel Cardinales magnæ existimationis, qui eundem Pontificem in minoribus in suo famulatu, vel obsequio habuerint, ejusque promotores fuerint; ipsaque audientia pro Papæ placito expleta, omnes ab Aula ejiciuntur, solis Cardinalibus cum Papa remanentibus, in proxima Aula solum assistentibus Collegii Secretario, & Clerico, aliisque Ministris, ut vocati promte accurrant, ita tamen ut Consistorii secreta audire non valeant.

II. Hactenus Cardinalis de Luca; ceterum quod Consistorium publicum spectat, de quo loquitur noster §. videre est apud Macrum in suo Hierolexico verbo *Cardinalis*, figuram rotundam ære incisam, ubi conspicitur Pontifex Paulus II. sedere in eminenti Cathedra Pluviali, & Pontificali Tiara, quam Regnum vocant, indutus, hinc vero & inde Cardinalium Senatus, tecta capita habentium non quidem bireto, sed Galero, eodemque prorsus modo, quo nunc in equitatu solemni utuntur. Sed de his & aliis in hoc §. contentis jam alias diximus.

§. III.

De Consistorio secreto.

Secretum Consistorium celebratur in Aula aliqua Palatii Apostolici remotiori, hodie Aulam papagalli appellant. Sedes Pontificalis parieti hæret in medio, surgit a solo sine thalamo, & gradibus; scabellum habet magnum, super quod Pontifex tenet pedes, & aliud parvum, per quod ad majus ascenditur. Scabella pro sedibus Cadinalium ante Pontificem locantur in forma quadrata. A dextra, & a fronte sedent Episcopi, & Presbyteri suo ordine, unus post alium. Prior Episcoporum primus prope Pontificem, deinde alii. A sinistra vero Prior Diaconorum primum juxta Papam obtinet locum; alii deinde sequuntur; ultimus Presbyterorum proximus est ultimo Diaconorum, inter quos nemo Cardinalium sedet. Pontificis Sedes aureo panno est ornata. Scabella Cardinalium nuda sunt, sed picta rubeo colore cum armis Papæ. Locus inter Sedem Papæ, & scabella Cardinalium, tapetis sterni consuevit. Ultimus Diaconorum tintinnabulum, seu campanellam retinet, ut signum faciat custodibus Consistorii, si Pontifex, aut Patres ab eis aliquid velint. In angulis ante faciem Pontificis scabella duo hinc & inde removentur, quoad omnes convenerint; ut inde tanquam per ostia intrent Cardinales ad sedendum; & cum omnes congregati

Digitized by Google

gati sunt, illa duo scabella restituuntur in locum suum. Pontifex si est pronunciaturus Cardinales, sive Prælatos, consuevit exire paludatus, & Mitratus; in aliis negotiis cum suo Rochetto, & parvo Capucio, quamvis hodie raro nisi in principio Pontificatus exeat cum Pluviali, & Mitra. Alii omnes præter Cardinales excludantur, cum tractare incipiunt Consistorialia. Duo secreti Cubicularii pro foribus excubant cum suis Capuciis super collum inversis, ut præsto sint, si signum fiat. Pontifex negotia incumbentia in Senatu proponat; deinde per ordinem sententias rogat (votum enim suum sententias appellant). Quisque surgens sententiam suam dicit. Deinde Pontifex secundum majoris partis sententiam decernit.

COMMENTARIUS.

I. QUo ordine Cardinales in secreto Consistorio sedeant, docet hic noster §. Constituitur enim Consistorium secretum ex Pontificis præsentia, adstantibus tantummodo S. R. E. Cardinalibus, uti ex nostro Cæremoniali notat Cohellius in sua Cardinalatus Notitia, Cap. xv. Est vero & in hoc Commentario illud notandum, quod quamvis Papa in Cubiculo, vel alibi cum Cardinalibus conveniat, & cum illis loquatur, votumque eorum exquirat, non tamen hic discussa, & pertractata determinationem habere dicuntur; cum proprius Consultationis locus ex antiquo instituto Sacrum Consistorium esse censeatur, tanquam Congregatio Congregationum, ut est doctissimi Cardinalis Paleotti sententia in suo celebri Opere, *De sacri Consistorii Consultationibus*, Parte III. Quæstione III.

II. Antequam vero summatim referam quæ in privatis Consistoriis pertractentur, notandum censeo, in ipso Consistorio unamquamque Provinciam, seu Regna, Regesque, & Regularium Ordines fere omnes, habere suos Patres S. R. E. Cardinales, quos Protectores vocant, quorum munus est ad Episcopales, Archiepiscopales, Patriarchales Ecclesias, itemque Monasteria, & Abbatias, quas Consistoriales nuncupant, electos Summo Pontifici, & Purpuratis Patribus proponere, Ecclesiarumque statum, ac prærogativas, & an electio ad Capitulum, Civitatem, Provinciam, Regem, vel alios pertineat, brevi compendio referre; nec omittuntur alia quæcumque ad cultum, Fidem, Religionem, Christiani gregis pacem, atque ad conservandum nedum spiritualis, sed temporalis quoque Romanæ, & universalis Ecclesiæ ditionem pertinent, ut Tholosanus in Syntagmate Juris universi, Parte II. Lib. xv. Cap. IV. aliique ab ipso relati testantur.

III. Inter negotia ipsa Consistorii privati, præcipua est novorum Cardinalium creatio, de qua suse diximus supra in Commentariis ad Titulum VIII. Juxta receptum morem Papa, vel initio Consistorii, aut frequentius in fine dicit Cardinalibus, quod habent Fratres, atque illos nominando, quos in sacrum Collegium vult cooptare, eos interrogat, quid ipsis videatur, eisque approbantibus, vel laudantibus, fit Decretum promotionis, quæ illico publicatur extra Consistorium; quandoque tamen non exprimendo numerum eorum, qui promoveantur, aliquorum nomina publicare non solet, sed ea, ut dicitur, reservat in pectore. Porro autem tametsi negotia Consistorialia, ut est promotio Cardinalium, proponantur Cardinalibus *Consistorialiter* congregatis, eorumque suffragia per Papam ibidem præsentem exquirantur, & quidem secundum morem, qui ab aliquot seculis invaluit, ut diximus supra in citatis Commentariis ad Titulum VIII. nihilominus illorum omnium decisio dependet a solo Pontifice, votaque Cardinalium reputantur consultiva, quia scilicet certi id juris est, uti alias ostendimus, omnem auctoritatem, & jurisdictionem in solo Romano Pontifice residere, ejusque regimen esse plane Monarchicum. Atque hæc est communis Theologorum, & Canonistarum sententia.

IV. Imperatoris quoque, Regum, aliorumve Principum depositiones, si necessitas postularet, & Imperii, Regnorum, ac Principatuum collationes eminentissimus hic Senatus decernit; quæ quidem res, cum gravissimæ sint, & magnam consultationem exigant, iccirco Summi Pontifices, tam magnam agitare molem, & aleam jacere, nisi prius expositis in Consistorio rationibus, & consentientibus Cardinalibus, non assolent, Bellarmino teste, *De potestate Papæ in temporalibus*, Cap. XII. Quod etiam observatum fuisse a Gregorio IX. in depositione Friderici II. Imperatoris, a Paulo III. in Henrici VIII. Angliæ Regis, a Pio V. in Elisabethæ ejusdem Regni occupatricis, ex eorumdem Pontificum Costitutionibus de ea re editis addiscimus, aliaque multa curiosus Lector cognoscet ex Mamfredo, *De Cardinalatu*, Cap. XII. dum agit de vocatione Dominorum S. R. E. Cardinalium per Papam facienda in promotionibus Imperatoris, Regum, aliorumque Principum, atque in illorum privatione, & depositione. Verum si eruditissimum Cardinalem Paleottum in docto Opere, *De sacri Consistorii consultationibus*, quispiam legat, nil ultra de ipso Consistorio, deque rebus ibi tractandis, ac de officio Cardinalium tunc præsertim præstando, inquirendum existimo.

V. Ceterum cum negotiorum gravitas, & multitudo in dies magis magisque ad Apostolicam Sedem devolvantur, solusque Pontifex satis omnibus facere nequeat, & Consistorium semper, omnesque Cardinales simul convocare sit difficile, summa quidem prudentia factum videmus, rerum peragendarum molem in varios, ac inter se distinctos Cardinalium conventus, Congregationes appellant, æqua lance divisam, & juxta cujusque rei indigentiam, assignatam, ita ut Cardinales ipsi non omnes omnibus Congregationibus intersint, sed ut partiti oneris portionem levius ferant, diligentius examinent, Pontificem denique pro suprema manus appositione commodius consulant, certi certis fuerint adlecti, ut notat Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. xv.

DE

Digitized by Google

DE PROVISIONE ECCLESIARUM

TITULUS X.

I. EST Conſiſtorialis functio, ut inter alios notat Cardinalis de Luca, Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu v. Proviſio Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, itemque Monaſteriorum quorundam Regularium, quæ propterea Conſiſtorialia nuncupantur. Quod primam ſpectat proviſionem, eſt plane ipſa de duplici ſpecie. Una ſcilicet Eccleſiarum titularium tantum abſque reſidentia, & adminiſtratione, eo quia Diœceſis de facto occupata ſit ab infidelibus, ſchiſmaticiſve. Altera vero, ut dicemus infra in Commentario ad §. 1. de Eccleſiis habentibus actualem juriſdictionem, atque adminiſtrationem in Diœceſi Catholica. Prima ſpecies explicatarum proviſionum fit ſolo nutu, & placito Papæ, cum quandam honorificam præeminentiam ſolum importare videatur, conſtituendo perſonam in ordine Pontificali abſque alio Pontificalium exercitio, jure proprio, ſed ſolum jure alieno. Unde propterea de conſuetudine Curiæ receptum eſt, ut per hujuſmodi proviſiones non reſultet vacatio aliarum Eccleſiarum, vel Beneficiorum incompatibilium, ut in promotis ad Epiſcopatus actuales abſque diſpenſatione ſuper retentione reſultat, ut in beneficiaria materia Scriptores advertunt.

II. Porro proviſionem Epiſcopatuum, aliarumque dignitatum pertinuiſſe jam olim dumtaxat ad Summum Pontificem, ex variis ſacris Canonibus probat inter alios Fagnanus in Capite, *Nullus in Eccleſia, De electione &c.* ubi etiam teſtimonium affert Eugenii Papæ IV. qui in Decretali Epiſtola, quam ſcripſit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, dum Florentiæ præſideret Generali Concilio Florentino, quod nos fuſe explicuimus Tomo IV. Commentariorum in Concilia Œcumenica. Sic autem inter alia in ipſa Epiſtola inquit Eugenius: *Ut Sancti atteſtantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Cathedrales, aliaſque dignitates Romana fundavit Eccleſia; ſicutque licuit, uni Eccleſiæ amplam, & alii ampliorem, & alii ampliſſimam, prout expedire judicavit, tradidit poteſtatem; omnes enim tanquam unius arboris rami ab una eademque radice, & ut diverſi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licet unus alio copioſior, atque uberior*: Atque hæc fuit vetuſtiorum Romanorum Pontificum ſententia, uti liquet ex Epiſtola Nicolai Papæ relata a Gratiano in Canone 1. Diſtinctione XXII. *Omnes*, inquit, *ſive Patriarchæ cujuslibet apicem, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum, ſive cujuſcumque Ordinis dignitatem inſtituit Romana Eccleſia; illam vero ſolus ipſe fundavit, & ſupra petram Fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperii jura commiſit*. Legendus eſt S. Cyprianus, ſive Auctor Canonis, qui incipit, *Loquitur Dominus*, apud eundem Gratianum Cauſa XXIV. Quæſtione 1.

III. Docet præterea Fagnanus, Romanos ipſos Pontifices poſtea conceſſiſſe, ut in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis jus eligendi Prælatum eſſet penes Capitulum, citatque Canonem, *Congregatio*, Cauſa XVI. Quæſtione ultima, & Decretalem, *Nullus*, *De electione &c.* Sed addit mox tamen, ſuperveniſſe deinde Regulas Cancellariæ, quas Summi Pontifices in craſtinum aſſumtionis ſuæ facere ſolent fuo tempore duraturas, quibus fere ſublata eſt ipſius Decretalis diſpoſitio præſertim in Italia, & in Hiſpania, adeo ut multi affirmaverint, titulum electionis hodie receſſiſſe ab aula; nam præter reſervationes Cathedralium, & Monaſteriorum clauſas in Corpore Juris, de quibus agitur in Extravagante, *Ad regimen*, *De præbendis*; in ſecunda Cancellariæ Regula Papa ſibi reſervat generaliter omnes Eccleſias Patriarchales, Primitiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, necnon omnia Monaſteria Virorum valorem annuum ducentorum florenorum communi æſtimatione excedentia, & de his Papa Conſiſtorialiter providet. Atque hæc quidem Conſiſtorialis proviſio habet vim electionis, & confirmationis, ut notat Gloſſa in Cap. 1. *De electione &c.* in VI. verbo, *proviſionem*.

IV. Crevit ſenſim magis magiſque ſuprema in Eccleſiam Romani Summi Pontificis poteſtas, & in Epiſcopos, quos plurimis ab hinc ſeculis fere univerſim confirmare conſuevit. Ut enim obſervat Thomaſſinus Parte II. Lib. II. Cap. XLIII. alios ab eo contigit confirmari, quod dubium quid eſſet in eorum cauſa; alios quod illos nollent ſui Metropolitani confirmare; alios quod aliqua opus haberent diſpenſatione; alios quod aliqua ſuperanda eſſet gravis difficultas. Quicquid ſit, hodierno illi uſui, quo jam a ſolo Pontifice Romano omnes pene Orbis Chriſtiani Epiſcopatus diſpenſantur, & unus ferme ipſe priſca omnia obtinet Metropolitanorum jura, poteſt haud dubie patrocinium ex antiquitate accerſiri, ut egregie oſtendit laudatus Thomaſſinus Parte II. Lib. 1. Cap. VIII. Num. VII. qui etiam aliis locis fuſe demonſtrat, hunc uſum non ſibi ultro ſumſiſſe Pontifices Romanos, ſed eo ſenſim perveniſſe, ipſa rerum adductos neceſſitate. Videſis quæ diximus Tomo 1. Cæremonialis Epiſcoporum in Commentario ad Caput 1. & quæ dicemus mox infra in Commentariis noſtris ad ſequentes Paragraphos præſentis hujus Tituli.

§. I.

De modo promotionis Epiſcoporum actualium.

Cum autem proviſiones Eccleſiarum Pontificalium, ſive Monaſteriorum occurrunt, Pontifex

Digitized by Google

tifex committit vivæ vocis oraculo alicui ex Cardinalibus, ut de opportunis legitime se informet, & deinde in secreto Consistorio referat. Cardinalis Commissarius primo diligenter inquirit de essentia, qualitate, & regione Ecclesiæ vacantis; tum de veritate, & modo vacationis; demum de qualitate, & sufficientia providendi, seu confirmandi. Nam quædam Provinciæ habent privilegium a Sede Apostolica eligendi sibi Prælatos, cum illorum Ecclesiæ, sive Monasteria vacant, & tunc ultra prædicta, diligenter inquiretur, an electio fuerit Canonica, & concorditer facta. Providendus autem ab ipso Pontifice nominatur, sive motu proprio, sive ad petitionem Principum, aut aliorum, & aliquando plures nominantur, & de pluribus exquiritur. Examinantur super præmissis testes medio juramento. Recognoscuntur publica documenta, & aliæ Scripturæ, & conficitur processus ordinarius. Cum placuerit Summo Pontifici, Cardinalis Commissarius in secreto Consistorio refert publice omnia, quæ in processu continentur summarie, & simpliciter, ac dilucide. Processum ipsum in scriptis per Scribam suum redactum secum habens Pontifex, relatione audita, exquirit primo votum Commissarii proponentis, deinde Patrum sententias. Deinde si Sanctitati suæ videtur expedire, pronunciat in hanc formam, remoto e capite bireto, dicens, videlicet: *Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, providemus Ecclesiæ Pientinensi de persona dilecti Filii Augustini Patricii Clerici Senensis, præficientes eum illi Ecclesiæ in Episcopum, & Pastorem, curam, & administrationem illius Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus eidem plenarie committendo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et sic dicens facit signum Sanctæ Crucis. Si vero electio erit confirmanda, non dicit, *providemus*, sed, *electionem de persona dilecti Filii Alberti electi Argentinen ad Ecclesiam Argentinam canonice factam confirmamus, & approbamus, præficientes eum illi Ecclesiæ in Episcopum &c.*

COMMENTARIUS.

I. UBi agitur de ea provisionis specie, quæ est actualium Episcoporum, tunc prævia respectu Ecclesiarum Italiæ, Insularumque adjacentium, solemnitate examinis, quod primum introduxit Clemens Papa VIII. uti notavimus in Commentariis ad Tomum 1. Romani Pontificalis, itemque ad 1. Tomum Cæremonialis Episcoporum, sive promovendus electus sit per Papam, sive per Capitulum, aut nominatus per Principem, respective, pro Regionum diversis usibus, coram Cardinali ad id per Papam deputato per Notarium particularem his actibus generaliter designatum, efformatur processus super vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, aliisque necessariis requisitis pro Episcopatu, ac etiam super statu Ecclesiæ: *Cardinalis Commissarius*, inquit noster §. *primo diligenter inquirit de essentia, qualitate, & regione Ecclesiæ vacantis; tum de veritate, & modo vacationis; demum de qualitate, & sufficientia providendi, seu confirmandi; nam quædam Provinciæ habent privilegium a Sede Apostolica eligendi sibi Prælatos, cum illorum Ecclesiæ, sive Monasteria vacant.* Varia id genus privilegia, seu Concordata Romanos inter Pontifices, ac Principes, quibus Episcopatuum, atque Abbatiarum nominationes sic illis conceduntur, ut electionum confirmatio ad Summum Romanum Pontificem pertineat, recenset inter alios Thomassinus in sua veteri & nova Ecclesiæ disciplina.

II. Quantum ad normam procedendi ad creationem, confirmationemve Episcoporum, ea plane, quæ in hoc §. statuuntur, sacris Canonibus concinunt, novoque robore a Generali Tridentino Concilio munita fuere, ubi Sessione XXIV. *De reformatione*, Cap. 1. sic inter alia provide statuit: *Omnes inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes, quæcumque de promovendi qualitatibus, & Ecclesiæ statu a quibuscumque, etiam in Romana Curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipsi Cardinalis relatoris, & trium Cardinalium subscriptione roboretur, in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia inveniisse promovendos qualitatibus a Jure, & ab hac Sancta Synodo requisitis præditos; ac certo existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesiis præficiantur, ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur, nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire.* Porro post Concilium Tridentinum statuit Clemens Papa VIII. eos qui ordinandi sunt Episcopi in Italia, Insulisque adjacentibus, a delectis ad hoc Cardinalibus, addibitis simul, qui in Urbe sunt, doctissimis Theologiis, & Canonici Juris Consultissimis, diligenti, atque improviso examine in præsentia Summi Pontificis probari. Atque ita nunc nonnisi bene disertis aditum patere ad Episcopatum scribit Baronius ad annum Christi CCCXCVIII. Quod institutum magno Christianæ Reipublicæ bono alii quoque Pontifices illius Successores postea retinuere. Sed de hoc examine videri inter alios possent memoratus Fagnanus in Capite, *Nisi cum pridem*, *De renunciatione*, & Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ Discursu XXI.

III. Completo processu, *cum placuerit Summo Pontifici*, ait noster §. *Cardinalis Commissarius in secreto Consistorio refert publice omnia, quæ*

Digitized by Google

quæ in processu continentur, summarie & simpliciter ac dilucide. Tum paulo post idem §. subjicit: *Pontifex relatione audita, exquirit primo votum Commissarii proponentis, deinde Patrum sententias; deinde si suæ sanctitati videtur expedire, pronunciat in hanc formam, remoto e capite bireto, dicens &c.* Huc facit quod docet laudatus Cardinalis de Luca citata Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, in Discursu v. nempe, quod isto processu completo idem Cardinalis in primo Consistorio facit Ecclesiæ, ac personæ providendæ præconizationem, tam oretenus in ipso Consistorio, omnibus Cardinalibus audientibus, quam cum memorialibus, seu brevibus informationibus antecedenti die transmissis per manus singulorum Cardinalium super omnibus, quæ in processu continentur, ac justificata sunt, ad effectum, ut eo intermedio spatio usque ad alterum Consistorium, extrajudiciales informationes per Cardinales haberi valeant super iis, quæ in contrarium eis obstare possint, atque de tempore propositionis opponi. In sequenti vero Consistorio idem Cardinalis proponit Papæ illam personam electam tanquam idoneam, ut eam Ecclesiæ viduatæ præficiat, atque nemine aliquid habente in contrarium, Papa desuper in ipso Consistorio interponit Decretum; ideoque ex tunc provisus dicitur Episcopus, atque obtinet ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt Ordinis Pontificalis, pro quibus necessaria est Consecratio, de qua nos abunde diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XIII. Ceterum non est hoc loco omittendum quod idem Cardinalis de Luca subdit: *Optimum quidem nimiumque commendabile est institutum, sed desideranda videretur aliqua melior ejus praxis, quoniam, ut quandoque fert fama, sive vera, sive falsa, citra Papæ rectam intentionem, sequuntur hujusmodi electiones in personis parum dignis, quarum mali mores, vel alii defectus innotescant; & tamen ex quodam usu, vel ex alia causa nemo loquitur, adeo ut istud optimum, nimiumque proficuum institutum quando practicaretur, ad formalitatem redactum videatur.*

IV. Quod instructionem spectat de qualitatibus promovendi hominis, qui extra Romanam Curiam degit, ea ex Tridentini Concilii præscripto, & Constitutione Gregorii XIV. edita Idibus Maji anno MDXCI. sumenda est quidem a Sedis Apostolicæ Legatis, seu Nunciis Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, sumenda a vicinioribus Ordinariis, ut in ipsius Concilii Tridentini Sessione XXII. *De reformatione*, Cap. II. videre est, ubi etiam statuitur, ut assumendus ad Ecclesiam Cathedralem, *non solum, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ a sacris Canonibus requiruntur, plene sit præditus, verum etiam in sacro Ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus*. Additque tum paulo post eadem Synodus: *Scientia præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel jure Canonico merito sit promotus. aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes, unde instructio, seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient; ac Deum, & Superiores suos habebunt ultores*. Hucusque Tridentinum Concilium, viderique de eadem re potest celeberrima S. Pii V. Constitutio, quæ incipit, *Quamvis*, edita anno Domini MDLXVIII.

V. Aliæ etiam complures diligentiæ, quo Instructio hujusmodi sincere, & fideliter habeatur, præscriptæ sunt ex Decretis Sacræ Congregationis rerum Consistorialium, & præsertim in Instructione particulari super hoc publicata & impressa anno MDCXXVII. in qua quod pertinet ad litteraturam, præscriptum est, ut testes interrogentur, an sciant, assumendum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in sacra Teologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu ipsi Theologiæ, vel Juri Canonico operam dederit, & an vere ea doctrina polleat, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ. Quod si promovendus nullum habeat gradum, ex parte illius exhibeatur publicum alicujus Academiæ testimonium ad præscriptum Concilii. Ac si ortus sit in Provinciis, in quibus non sunt Universitates studiorum, neque consuetum est suscipi gradum aliquem, ejusmodi testimonium sumatur ex Viris gravibus, & sacræ Theologiæ, vel Juris Canonici peritis. Quod si Regularis sit, a suis Superioribus Regularibus, quorum appellatione quoad hoc intelliguntur dumtaxat, qui nullum sui Ordinis Superiorem agnoscunt, sive ii nuncupentur cujusvis Ordinis Abbates, Magistri, Ministri, ac Præpositi Generales, vel quarumlibet Congregationum Præsidentes, sive Definitores, aut Visitatores, Capitulum Generale repræsentantes, sive alio quocunque nomine; & in eorum absentia, ipsorum Vicarii, seu Commissarii Generales, vel in Romana Curia Procuratores Generales Ordinum, aut Congregationum, ut legitur in eadem Instructione. Quæ cum ita sint, mirum plane videri debet, quod aliquando præter Romanorum Pontificum intentionem ad Episcopatus promoveantur, qui parum idonei sunt, nec mediocri scientia præditi.

VI. Juxta hodiernum stylum, ut paucis multa concludam, quæ fuse enarrat eruditus Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo XIV. Cap. I. & sequentibus, Cardinalis proponens, si de Ecclesia spectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis protector illius Regni; tres alii vero Cardinales sunt primus Cardinalis Episcopus, primus Cardinalis Presbyter, & primus Cardinalis Diaconus. In primo Consistorio fit nuda propositio nominati ad Ecclesiam vacantem per Cardinalem proponentem, diciturque *Præconizatio*, resolutione tamen dilata in alterum Consistorium, ut interea Pontifex, & Cardinales de persona promovenda melius se informare queant. In secundo Consistorio idem Cardinalis rursus præsentat promovendum, ac de omnibus, quæ statum Ecclesiæ, & qualitates promovendi spectant, Pontificem, & Cardinales informat, vocaturque hæc præsentatio *Propositio*. Omnibus absolutis, Pontifex colligit suffragia Cardinalium, & si dicant, nominatum esse confirmandum, Pontifex pronunciat in hanc formam, *remoto e capite bireto*, inquit noster §. *Auctoritate Dei omnipotenti &c.* Scite vero subdit Vanespen citato loco, Cap. IV.

Digitized by Google

in fine: *Si hæc tam serio, atque exacte observarentur in facienda informatione super moribus, atque confirmatione Nominati, aut Electi ad Cathedrales Ecclesias, quæ a Conciliis, & Romanis Pontificibus ordinata sunt, indubie spes esset, quod sat exacta etiam haberetur de Promovendis notitia*. Tandem ut nihil antiquitatis ignoretur de antiquo ritu servato a Papa in pronunciatione Prælatorum, lubet hoc loco describere, quod legitur in antiquo Romano Ordine XIV. Auctore Jacobo Gajetano Cap. CII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici pag. 390. his verbis.

VII. Item regulariter quandocumque pronunciat Prælatos aliquarum Ecclesiarum, maxime si plures pronunciat, & etiam si unum tantum alicujus solemnis Ecclesiæ, consuevit exire extra in Consistorio publico, & pronunciare Prælatos, vel Prælatum promovendos in absentia ipsorum; & facta aliqua commendatione per Papam de Prælatis in Promovendorum absentia, postmodum ipsis Promovendis venientibus ad præsentiam Domini, brevibus, & paucis dictis ipsis Promovendis per Papam, vadunt Promovendi ad pedem Domini, & non ad osculum; & incepto, *Te Deum laudamus*, per aliquem ex Capellanis, Summo Pontifice nihilominus in Sede sua residente, Promoti ducuntur ad Altare, quod ibi paratum est, ante quod debent orare genuflexi, & prostrati, & ducuntur secundum ordinem pronunciationis suæ singuli a duobus Cardinalibus Diaconibus secundum ordinem suæ prioritatis. Et dicto *Te Deum laudamus*, & postmodum dictis duabus Orationibus cum nota per Priorem ipsorum Cardinalium, qui est ibi, & fusa magis submissa voce benedictione per eum super ipsos, & ipsis electis surgentibus, & deosculantibus Altare, & consequenter ipsis receptis ab omnibus, & singulis Cardinalibus ad osculum, Episcopis primo, Presbyteris secundo, Diaconibus tertio, reducuntur a Diaconibus Cardinalibus ordine, ut supra, ad pedes Domini. Qui singuli primo ad pedem, deinde ad osculum Domini Papæ recipiuntur. Post hæc Dominus reingreditur Cameram, si placet.

§. II.

Pronunciandi Abbatis forma.

Auctoritate &c. providemus Monasterio S. Galgani Ordinis Cistercienſis Senensis Diœcesis de persona dilecti Filii A. ejusdem Monasterii Monachi professi in Sacerdotio & legitima ætate constituti: præficientes eum illi Monasterio in Abbatem, curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterii in spiritualibus, & temporalibus eidem plenarie committendo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antiquum ritum pertinuit jam olim ad Monachorum conventum electio suorum Abbatum, uti constat ex Regula Sancti Benedicti Cap. LXIV. idque veluti in Jus commune ipsi utique rerum naturæ consentaneum transiit, ut notat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Lib. II. Cap. XCIII. ubi tamen & illud observat, fuisse adhuc tempore S. Benedicti, & etiam longe post ejus ævum in aliquibus locis Abbates, quos eligerent Episcopi. Seculo X. ut idem Auctor admonet, Parte III. Lib. II. Cap. XX. Proceres quidem Galliæ usque ad Regis Roberti tempora portiones Abbatum invaserunt, & se Abbates etiam dici voluere. Porro invaluit mos, ut per II. Cancellariæ Regulam Papa sibi reservet *omnia Monasteria Virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia nunc quomodocumque vacantia, & in posterum vacatura*. Provisio autem Abbatiarum istarum expeditur Consistorialiter, sive in Consistorio Cardinalium, quæ propterea Consistoriales vocantur, prævia tamen informatione, ac propositione, quæ in Cathedralium Ecclesiarum provisione servari consuevit, uti expresse declaravit Gregorius XIV. in Constitutione, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, edita I. Maji anno MDXCI. Sciendum tamen quod docet Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici universi*, Titulo XXXI. Cap. IX. Num. X. in quibusdam Provinciis, Abbates in vim Provisionis Apostolicæ possessionem non accipere sine Placito Regio.

§. III.

In qua Ecclesiarum provisione confectio Processus omittatur?

Interdum autem, cum Ecclesia vacat in Curia Romana, & Persona providenda est familiaris, sive valde nota Pontifici, Pontifex sine aliquo processu, sive commissione, proponit Personam, & de consensu Fratrum pronunciat, & providet, ut superius est dictum.

COMMENTARIUS.

I. MAnus cito nemini imponendas, mandat Apostolus in Epistola I. ad Timotheum, quem Ephesiorum Episcopum ordinaverat. *Quid est*, ait S. Leo in Epistola I. *cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum*

Digitized by Google

tum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Hinc quam solicite inquisierit circa personam electam ante provisionem, seu collationem, S. Gregorius, patet ex variis ejusdem Papæ epistolis, ac præsertim ex Epistola XVIII. Libri VIII. Plura de hac re videri possunt apud Hallierium, *De Sacris Ordinationibus*, Thomassinum in sua veteri ac nova Ecclesiæ Disciplina, & Vanneſpennium Parte I. *Juris Ecclesiastici*, Titulo XIV. Cap. II. & III. quod inscriptum est: *Per quos, & qua forma hodie informatio de Nominatis ad Episcopatus sumatur*. Cæterum necessaria hæc prorsus sunt, cum persona electa extra Curiam degeret, nam alias, ut ait hic §. noster, *interdum cum Ecclesia vacat in Curia, & persona providenda est familiaris, sive valde nota Pontifici, Pontifex sine aliquo processu, sive commissione, proponit personam, & de consensu Fratrum pronunciat, & providet*. Notandum illud *interdum*, utplurimum enim summæ adhibentur diligentiæ & canonice processus fiunt etiam circa personas, quæ diu in Curia commoratæ sunt, ac notæ sunt Sacro Collegio, & Summo ipsi Pontifici.

§. IV.

De habitu, & prima visitatione Prælatorum, & juramento.

Pronunciatus in Episcopum mox accipit Rochettum, & tondet caput, faciens sibi magnam coronam, & ut primum poterit, indutus magna Cappa, & sociatus ab amicis equitat cum Galero nigro Episcopali, primum ad Palatium Apostolicum, & agit gratias Summo Pontifici de sua promotione; deinde ad omnes Cardinales, quibus etiam agit gratias, quod promotionem suam benigne juverint, & in ea gratiose consenserint. Et quando Promotus intrat ad Pontificem, seu Cardinales, solent etiam admitti Prælati, & nobiles Curiales, qui eum deducunt, ut possint audire proponentem, & respondentem. Solent Promoti agere gratias pro dignitate sibi commissa, merita sua extenuando, & dignitatis auctoritatem amplificando, Ecclesiam sibi commissam commendando, & se offerendo. Pontifex pro qualitate personæ respondet, allegando merita Promoti, vel intercessorum ejus, & monet, ut Ecclesiæ, ad quam promotus est, honori, & utilitati totis viribus incumbat. Cardinales plerumque solent respondere, quod ipsis non sunt agendæ gratiæ, sed Summo Pontifici, qui personam suam ad illam dignitatem promovere voluit; ad alia vero respondent secundum merita, & secundum proposita, laudando, monendo, & hortando, ut expedire judicaverint. Promoti Clerici seculares statim, ut diximus, utuntur Rochetto, & Capello ab extra panno nigro, ab intus serico viridi cooperto cum cordulis, & mappulis viridibus. Promoti vero ex Religione utuntur priori habitu sine Rochetto, nisi sint Canonici Regulares, qui illo utuntur in sua Religione, & utuntur Galero ab extra, & ab intus nigri coloris, sicut Protonotarii, & Abbates. Præsentes ante expeditionem Litterarum Apostolicarum præstant juramentum fidelitatis Summo Pontifici in manibus Prioris Diaconorum Cardinalium genuflexi in forma, quam Clericus Cæremoniarum exhibet, qui de juramento est rogatus, & facit inde instrumentum, & refert in Cancellaria, qualiter talis Prælatus juravit; neque in Cancellaria expediuntur Litteræ sine tali relatione; (1) & licet per Cameram aliquando expediantur sine hujusmodi relatione, & male, & cum gravi præjudicio Apostolicæ Sedis, & ideo providendum. Ad absentes mittitur forma juramenti cum aliis Litteris.

COMMENTARIUS.

I. PLura quæ in hoc §. continentur, jam fuse enarravimus Tomo I. Romani Pontificalis, in Commentariis ad Titulum XIII. & I. Tomo Cæremonialis Episcoporum in in Commentariis ad Caput I. Libri I. Sed nequid omittamus quod & in hoc Opere desiderari possit, nonnulla notabimus, quæ ad hunc §. spectant. *Pronunciatus in Episcopum*, inquit, *mox accipit Rochettum, & tondet caput, faciens sibi magnam coronam*. Corona hic ampla dicitur, cum superiore tota capitis parte rasa, vel tonsa, longioris capilli circulus in modum coronæ relinquebatur juxta veterem Ecclesiæ morem, de quo Synodus IV. Toletana anni DCXXXIII. Can. XLI. sic ait: *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & una sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, Fidei catholicæ reus erit*. Plura quidem jam nos docet hic Canon. I. eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum tonsuram, quæ partem superiorem capitis totam aperiret: *Detonso superius toto capite*; idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar, aut coronæ: *inferius solam circuli coronam relinquant*; & hæc qui-

(1) Hæc verba, *& licet per Cameram aliquando expediantur sine hujusmodi relatione*, leguntur quidem in Romana hujus Cæremonialis editione anni 1560. desunt tamen in Veneta I. anni 1516.

Digitized by Google

quidem tonsuræ forma fuit, ac coronæ Clericalis. II. Clericos omnes a Lectoribus ad Episcopum usque, tonsuram eandem, atque coronam gestare debuisse. III. usos semper esse Episcopos, & Presbyteros, ac Diaconos ejusmodi tonsura, & corona, qualis hic præscribitur, ipsos etiam Provinciarum omnium Hispaniæ Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores *prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tonderent*. IV. denique ea re damnata, jussisque inferioribus Clericis eandem gestare tonsuram, & coronam, quam gestarent Episcopi, & Presbyteri, decretum esse ab ipsa celeberrima Toletana IV. Synodo, ut pro hæreticis haberentur Clerici, qui in retinendo hæreticorum usu fuerint pertinaces.

II. Constat itaque ex enarrato Canone Toletano, æqualem fuisse olim Clericorum, & Episcoporum tonsuram, qualis est nunc Monachorum, Fratrumque complurium. Verum cum Seculo XIII. corona in Clericis imminui cœperit, jussi sunt ipsi quidem deferre amplas coronas, sed Monachi amplissimas, Episcopi tamen haud Monachali dissimilem: *Clericus Cathedralis, vel Conventualis Ecclesiæ, vel alius, qui de Beneficio vivit, talem tonsuram ferat, quæ gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli, qui propter inferiorem, & superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem possint dici corona*. Verba sunt Synodi Montis-Pessulani anni MCCXIV. Can. IV. jubetque Can. XXIII. ut ampliores Canonici gestent coronas nempe duorum, vel trium digitorum: *Canonici Regulares amplas coronas portent, & Monachi amplissimas. Itaque duorum digitorum, vel trium amplius sit Monachis circulus capillorum*. Sane, quod Episcopos spectat, ut alias omittam Synodos, Budensis anni MCCLXXIX. Can. I. illis præcipit, ut tonsuram circularem, & Monachalis similem coronam gestent, tum ut exemplo suo reliquos Clericos, non sola auctoritate urgeant ad Legum Ecclesiasticarum obsequium, tum etiam propterea quod Episcopatus supra Monachorum omnium Religiones longe præstantissima Religione excellat: *Prælati coronam, & tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta Regularium, seu Religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla Religio Pontificali Religione sit major, de cetero deferant*. Porro seculo ipso XIII. jam ea disciplina invaluit, ut major, vel minor esset, pro majoribus, vel minoribus Ordinum gradibus corona. Id enim constat ex Vorcestrensi Syodo anni MCCXL. Can. XXI. quo latiorem monet esse debere coronam Clericorum majoribus in Ordinum gradibus eminentium: *Ne comam nutriant, sed circulariter, & decenter, tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit Ordo, quo fuerint insigniti*. Cum aliorum omnium ampliissimus sit Ordo Episcoporum, merito mandat hic noster §. ut pronunciatus in Episcopum mox accipiat Rochettum, & caput tondeat, *faciens sibi magnam coronam*, sive ut ait Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. I. §. I. *statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari*.

III. Præter magnam seu amplam coronam, pronunciatus in Episcopum *mox accipit Rochettum*, ait noster §. & quidem si præsens fuerit, ex Summi Pontificis manibus, ut ait Cæremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. I. §. II. Nondum ergo labente Seculo XV. quo florebat ordinator nostri hujus Cæremonialis Augustinus Patricius, ea disciplina invaluisse videtur, ut novus Episcopus de manu Papæ Rochettum acciperet. Induebat quippe ipsam lineam vestem domi suæ Episcopus, ibatque ad Pontificem, ac deinde ad Cardinales, ut de Episcopatu sibi collato gratias ageret. Sunt & qui autumant, eum, qui in Episcopum electus, & confirmatus sit, ante Consecrationem, Rochetto uti non posse, probantque ex Capite, *Clerici Officia*, verbo, *Pontifices*, *De vita & honestate Clericorum*, quia scilicet appellatione Pontificis non venit electus, & confirmatus in Episcopum, sed qui est jam consecratus, ex Glossa in Clementina II. *De celebratione Missarum*; notatque Panormitanus in Cap. *Eam te*, *De rescriptis*. Affert hanc sententiam Riccius Tomo III. Praxis Fori Ecclesiastici, ut nimirum nequeat electus, & confirmatus in Episcopum, ante Consecrationem uti Rochetto. Sed hæc opinio facile eliditur ex contrario usu, cujus hic noster §. meminit, & citatus §. II. Cæremonialis Episcoporum, ubi expresse edicitur, electum in Episcopum si præsens fuerit in Curia, *ex Sanctitatis suæ manibus Rochettum accipere*, absentem vero ea veste seipsum induere.

IV. Ubi quis in Curia præsens pronunciatus in Episcopum sit, *indutus magna Cappa*, inquit noster §. *& sociatus ab amicis equitat cum Galero nigro Episcopali primum ad Palatium Apostolicum, & agit gratias Summo Pontifici de sua promotione; deinde ad omnes Cardinales &c.* De communibus Episcoporum vestibus, sicut & de eorum visitatione ad Summum Pontificem, & Cardinales, dictum jam [illegible]is fuit in citatis toties Commentariis ad Cere[illegible]ale Episcoporum Lib. I. Cap. I. §. I. & sequenti, ubi etiam fuit notatum, morem antiquum, ut nimirum Episcopi post suam ipsorum promotionem teneantur non modo Summum Pontificem, sed & S. R. E. Cardinales præsentes in Curia visitare, innovatum fuisse a Leone X. Sessione IX. Concilii V. Lateranensis, Constitutione quæ incipit, *Supernæ dispositionis arbitrio*, edita anno MDXIV. ubi inter alia sic inquit: *Promotus vero eosdem Cardinales, qui præsentes in Curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quamprimum visitare teneantur; quem quidem morem laudabilemque consuetudinem innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus*. Teneri quoque absentes gratiarum actiones, & Ecclesiarum suarum commendationis officium, tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos Dominos Cardinales peragere, docet etiam laudatum Cæremoniale Episcoporum citato loco §. III. Ceterum quod ait hic præsens §. ut nempe promoti ex Religione utantur priori habitu sine Rochetto, nisi sint Canonici Regulares, qui illo utuntur in sua Religione, plenius clariusque explicatum habemus ex memorato Episcoporum Cæremoniali Lib. I. Cap. I. §. IV. cujus hæc sunt verba: *Promoti vero ex Regulari Ordine non Clericali, non utuntur Rochetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ Religionis, & deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris; & biretum nigrum, Galero tamen viridi, prout supradicti Clerici, utuntur, sed Canonici Regulares utuntur etiam Rochetto, prout ante promotionem ad Episcopatum utebantur in sua Congregatione, & colore violaceo, sed non Mozzetta,*

ut

Digitized by Google

ut Presbyteri Sancti Spiritus, & Militiarum S. Joannis, S. Jacobi, & aliarum; qui tamen sui Ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem Ordinis Crucem ad collum intus pendentem. Cum autem Episcopi nulli Regulari Ordini adscripti, seu ex Ordinibus Militaribus assumti, extra Diœcesim fuerint, Mozzetta supra Mantellettum utantur, ubi talis viget consuetudo. Videsis quæ & nos scripsimus in hunc §. citato Tomo I. Cæremonialis Episcoporum.

V. Mandat tandem præsens §. ut promoti in Episcopos, si præsentes in Curia sint, *ante expeditionem Litterarum Apostolicarum præstent juramentum fidelitatis Summo Pontifici in manibus Prioris Diaconorum Cardinalium &c.* Plura de hoc juramento jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis, Titulo XIV. ne actum itaque iterum agamus, ad eum locum Lectorem curiosum remittimus, ubi & de origine ejus juramenti diximus, & singula ejusdem capita explicuimus.

§. V.

Qui appellantur Electi.

Promoti ad Ecclesias, sive Monasteria, ante suam Consecrationem, sive Benedictionem, quam infra tres menses sumere debent, non appellantur Episcopi, sive Abbates, sed electi; & quamvis utantur Episcopali, sive Abbatiali habitu, non tamen possunt uti paramentis, & Mitris sine speciali indulto Pontificis. Consueverunt tamen Pontifices in Curia committere Ministris Cæremoniarum, ut Prælatis hujusmodi concedant, quod possint in Capella Sanctissimi Domini nostri cum aliis, Pluviali, & Mitra uti in publicis actibus.

COMMENTARIUS.

I. EA fuit vetus Ecclesiæ disciplina, quam fuse probavimus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIII. ut nempe electus in Episcopum nullum jus haberet in administratione Ecclesiæ, neque Ecclesiæ Pastor, aut Prælatus censeretur ante Consecrationem, quia scilicet per ipsam Consecrationem, sive Ordinationem Episcopus constituebatur. Hinc Patribus idem erat ordinare & consecrare Episcopum, ac constituere Episcopum, aut Ecclesiæ de Episcopo providere, neque inter illa decem primis Ecclesiæ seculis in sacris Canonibus ullum discrimen reperitur, uti notat inter alios Vanespen Parte I. *Juris Ecclesiastici universi* Titulo XV. Cap. IV. ubi etiam observat, juxta priscam illorum temporum disciplinam, per Consecrationem demum accipisse Episcopos auctoritatem, & potestatem, tam quoad ea, quæ jurisdictionis, quam quæ Ordinis dicuntur. Eodem teste Auctore habuere quidem hæc locum, eum nempe multis seculis Consecratio Episcoporum haud fuit sejuncta a Confirmatione. Posterior enim ætas, quæ Confirmationem a Consecratione distinguere cœpit, licet etiam ea quæ jurisdictionis sunt ab iis quæ Ordinis sunt, separavit, per ipsam tamen Confirmationem ante Consecrationem, quæ jurisdictionis sunt, in Episcopum transire voluit, imo per Confirmationem Pastorem & Prælatum Ecclesiæ sine Consecratione constitui, omneque regimen Ecclesiæ cómmitti, solis iis exceptis, quæ Ordinis sunt, quæ tamen ut in Ecclesia sua, aut Subditis suis per alios Episcopos conferantur, & impendantur, permittere, aut delegare potest, ut idem Vanespen late ostendit citato loco Titulo XIV. Cap. IV.

II. Nota hæc omnibus sunt vel ipsis Ecclesiastici Juris tyronibus, eademque non uno in loco nostrorum Operum explicuimus, in Commentariis scilicet ad citatum Pontificale Romanum, atque ad Concilia Oecumenica, in quibus etiam illustrata & alia reperies in hoc §. contenta. Ceterum tametsi electi in Episcopos, aut in Abbates, ante Consecrationem, aut Benedictionem, *non possint uti Paramentis, & Mitris sine speciali indulto Pontificis, consueverunt tamen Pontifices*, ut ait hic noster §. constatque ex variis exemplis, quæ in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Riariis occurrunt, *in Curia committere Ministris Cæremoniarum, ut Prælatis hujusmodi concedant, quod possint in Capella Sanctissimi Domini nostri cum aliis, Pluviali, & Mitra uti in publicis actibus.*

§. VI.

De Pallio, & quomodo traditur.

Promoti ad Metropoliticas, seu (1) Patriarchales Ecclesias, etiamsi sint consecrati Episcopi, appellantur Archiepiscopi. Neque Patriarchæ nisi primum acceperint Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, sed electi ad illas Ecclesias, & translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, non possunt uti Pallio, quod acceperant in prima sua Ecclesia, & minus Pallio Prædecessoris defuncti, seu translati, sed oportet, quod de novo petatur Pallium, & obtineatur, & interim non possunt ordinare, neque consecrare, Synodum celebrare, nec alia pleraque Pontificalia exercere. Debent autem petere Pallium per se, vel Procuratorem intra tempus sex mensium. Sunt & qui-

(1) In editis legitur, *parochiales*.

Digitized by Google

quidam Episcopi, qui ex indulto Apostolico, Pallio utuntur, ut Lucensis in Thuscia, Papiensis in Lombardia, Bambergensis in Germania, & siqui alii, quo uti debent intra suas Ecclesias diebus & modo in privilegio a Sede Apostolica illis concessis. Cura conficiendorum, & conservandorum Palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda & alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales Monasterii S. Agnetis, vel Religiosi, qui sunt in illa Ecclesia offerunt quotannis agnos duos albos super Altare illius Ecclesiæ in die festivitatis Sanctæ Agnetis, dum in Missa solemni cantatur *Agnus Dei*. Qui agni recipiuntur a duobus Canonicis Ecclesiæ Lateranensis, & ab eis postea consignantur Subdiaconis Apostolicis, qui agnos ipsos in pascua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana alba, & pariter munda reducitur in filium, ex quo Pallia hujusmodi contexuntur latitudine digitorum trium, redacta in orbem ita ut humeros Præsulum ambiant; a pectore & renibus particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi, & semis, & in ejus extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem in fine orbiculatas nigro serico textas. In ipso orbe Cruces quatuor insutas supra pendentes particulas ante & post, & super humeros utrosque. Sic confecta Pallia ex eodem (1) nigro sericeo per Subdiaconos portantur ad Basilicam Principis Apostolorum, & per Canonicos Basilicæ ponuntur super Corpora Petri & Pauli Apostolorum, sub Altari majore, ubi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant. Usus autem Pallii hujusmodi, in quantum potuimus explorare, antiquissimus est, & a Lino Pontifice Petri Apostoli immediato Successore habuit originem; ita enim scriptum legimus a Maximo Episcopo in Homilia de Veste Sacerdotali: *In Lege gratiæ antiquum est illud nostrum Ephoth (idest Pallium) quod nostri Patriarchæ arbitrantur a Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum, & in singulare potestatis privilegium nostris Deo plenis Præsulibus datum*. Et Eusebius Cæsarienſis in Sermone de Epiphania scribit: *Nihil antiquius Veste illa Sacerdotali Archipræsulis nostri, quæ illi vesti de Veteri Testamento successit Ephoth byssо auroque contextæ, qua in signum pleniſſimæ potestatis primus Linus amictus est, cui & typum dedit, & nomen, ut a veteribus accepimus Scriptoribus, quam appellavit & Pallium*. Cum autem aliquis Prælatus indiget Pallio, illud primo per quempiam ex Advocatis Consistorialibus Procuratorem ab eo ad hoc specialiter constitutum a Summo Pontifice in Consistorio instanter, instantius, & instantissime petitur. Pontifex, excluso Advocato, exquirit Patrum sententias, an dandum sit Pallium, deinde committit Priori Diaconorum, ut Pallium Prælato, vel ejus Procuratori assignet; expediuntur super ea re Litteræ Apostolicæ in forma consueta, & Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum, & diem, ubi, & in quo Pallium consignare debeat. Id plerumque fieri solet in domo ipsius Cardinalis in sua Capella, interdum autem in Ecclesia Sancti Petri, & super majus Altare, & valde condecenter, maxime pro maximis Ecclesiis, & ultramontanis, & ita vidi servari a Reverendissimo Domino Cardinali Senensi Priore Diaconorum. Statuta die Prælatus, si est præsens, vel ejus Procurator in absentia cum speciali mandato, venit ad locum ordinatum. Adsunt Dominus Prior Diaconorum Cardinalium, & Subdiaconus Apostolicus cum ipso Pallio, qui Pallium explicat super medium Altaris. Prælatus, si est præsens, indutus super Rochettum, sive Superpelliceum Planeta, genuflexus in gradu Altaris ante Priorem Diaconorum stantem in cornu dextro Altaris, ubi legitur Evangelium, petit sibi dari, & consignari Pallium his verbis: *Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto, mihi tradi, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii*. Tunc Dominus Prior Diaconorum accipiens Pallium de Altari, imponit illud super humeros Prælati genuflexi, dicens: *Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, atque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut & utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*; & illud cum Subdiacono aptat, non tamen infigit spinulas, & recipit illum ad osculum pacis. Demum Clericus Cæremoniarum extrahit illi Pallium, & advocatis testibus rogat se de illo actu, plicat Pallium, & illud portat ad dictum Prælatum, vel illud reservat in loco sacro, quoad

(1) Verba, *ex eodem nigro sericeo*, leguntur quidem in Romana editione, sed desiderantur in Veneta I.

Digitized by Google

quoad Prælatus recedat, & tunc dat illi Pallium cum publico inſtrumento. Vidi etiam, cum eſſem Miniſter Cæremoniarum, Sixtum Papam Quartum manibus propriis dediſſe Pallium Patriarchæ Conſtantinopolitano Hieronymo Lando Veneto tunc Archiepiſcopo Cretenſi, quod tamen, ut arbitror, non puto, condecens eſſe, cum traditio Pallii proprie ad Diaconum ſpectet; & ipſi Romano Pontifici in ſua Coronatione, & Conſecratione nemo imponat Pallium, niſi Prior Diaconorum. Si autem Pallium tradendum ſit Procuratori in abſentia Prælati, Procurator indutus Superpelliceo, genuflectit, ut de Prælato diximus, & petit Pallium, & jurat in hanc formam: *Ego N. Procurator, & procuratorio nomine, & pro parte Reverendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini N. Electi Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime, peto, mihi tradi, & aſſignari Pallium de Corpore B. Petri ſumtum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii, & promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri Domino N. nec pernoctabo in aliquo loco, niſi una nocte tantum, niſi prepeditus fuero legitime, & tunc in Cathedrali ipſius; & ſi non fuerit Cathedralis, in Collegiata; & ſi non fuerit Collegiata, in Parochiali Eccleſia remittam, & honorifice reponam. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Diaconus autem Cardinalis accipiens Pallium de Altari, imponit illud ſuper humeros Procuratoris, dicens: *Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini noſtri Papæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, aſſigno tibi Pallium de Corpore B. Petri ſumtum, in quo eſt plenitudo officii cum Archiepiſcopalis nominis appellatione, nomine & pro parte Reverendi in Chriſto Patris Domini N. & Eccleſiæ N. ad quam electus eſt, ut eo utatur intra Eccleſiam ſuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis.* Et in fine Procurator oſculatur illi manum, & rogat Clericum Cæremoniarum, & petit inſtrumentum. Clericus extrahit illi Pallium, plicat, & reportat, & conſervat in loco ſacro, quouſque Procurator ſit diſceſſurus, & tunc dat illi Pallium, & inſtrumentum in publica forma. Qui Pallium ſunt accepturi, poſtquam fuit petitum in Conſiſtorio, & conceſſum, componunt primum cum Subdiaconis, nam illi, ut diximus, tenent Pallia. Qui accipiunt ſecundum valorem, & taxam Eccleſiæ, aliquando plus aliquando minus pro centenario. Et quia vidi varios uſus, & nihil firmi ſtatutum legi, de quota nihil dicam. Clerici Cæremoniarum & ipſi ratione officii ſui & inſtrumenti mercedem ſuam exigunt etiam ad proportionem taxæ, & valoris Eccleſiarum, non tamen tantum, quantum Subdiaconi. Solent etiam qui Pallium accipiunt, Diacono Cardinali duo bireta, & totidem ſuis Camerariis dono dare; antiquitus dabant, ut legi, vinum album, & ſpecies; portabunt etiam duas faculas cereas, quæ ardeant ſuper Altare, dum Pallium traditur, & ſericum ad induendum Pallium, cum quo illud ad Eccleſiam ſuam deferunt.

COMMENTARIUS.

I. SAtis profecto erit, ſi pauca quædam de Pallio, & ejus traditione hoc loco dixerimus, quia ipſam rem lato, ut dici aſſolet, calamo jam pertractavimus Tomo I. noſtri Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XIV. Nihil vero de ea re putamus luculentius afferri poſſe celeberrima Conſtitutione Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ BENEDICTI XIV. feliciter regnantis, quæ eſt de benedictione, & traditione Pallii, quamque dignam cenſuimus, ut in hoc Commentario integram deſcriberemus, ob recentiorem ritum, quem ipſe laudatiſſimus Pontifex induxit. Sic autem inquit:

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam

Rerum Eccleſiaſticarum origines quo altius ex ſacræ antiquitatis memoria repetimus, eo magis illas & ſolidis fundamentis innixas, & ſublimi non minus quam vetuſta inſtitutione venerabiles, ipſaque diſciplina & ritu graves ac religioſas, agnoſcere & comprobare gaudemus. Ita porro de ſacris Palliis, quæ a Romano Pontifice Patriarchis, & Archiepiſcopis concedi, ipſiſque in Curia præſentibus tradi, abſentibus autem tranſmitti conſueverunt, a primis uſque Eccleſiæ ſæculis complura extant certiſſima monumenta; nec dubium eſt, quin eorum traditioni, ſive tranſmiſſioni, ſolemnis ſemper præmiſſa fuerit Benedictio. Quia tamen hujuſmodi Benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum ſubiiſſe dignoſcitur, officii Noſtri eſſe judicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus obſervandam conſtituere, ac præſentium Literarum auctoritate firmare.

Inter ſpeciales prærogativas Baſilicæ Sancti Petri in Vaticano, quarum meminit Petrus Mallius ejuſdem Baſilicæ Canonicus tempore Alexandri III., hæc recenſetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia*, quæ a Romano Pontifice Patriarchis, & Archiepiſcopis mittuntur. Maphæus autem Vegius alter Sancti Petri Canonicus ſub Prædeceſſore noſtro Martino V. Lib. II. Rerum memorabilium Baſilicæ S. Petri, piam ſupplicationem deſcribit, quæ ab ipſius Baſilicæ Clero, cum cantu Pſalmorum Pœnitentialium, Litaniarum, aliarumque precum, fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur; atque addit,

Digitized by Google

dit, nocturnas vigilias ea occasione ita celebrari consueviſſe, quemadmodum in pervigilio Festi Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. De hujusmodi Vigiliis similiter mentio est in Libris Sacrarum Cœremoniarum Ecclesiæ Romanæ, qui tribuuntur Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi, a quo videlicet Prædecessori quondam Nostro Leoni Papæ X. oblati fuerunt; ubi etiam Lib. 1. Sectione x. Cap. v. dicitur, quod ipsa Pallia demittebantur in sacram Beati Petri Confessionem, ut supra illius Corpus consisterent: *Per Canonicos Basilicæ ponuntur super Corpora Petri & Pauli Apostolorum sub Altari Majore, ubi factis de more Vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant.* Erat quippe in anteriori fronte Altaris dictæ Confessionis parva quædam veluti fenestra, & in hujus solo intra ipsius Altaris molem, foramen erat, æneæ arcæ ad perpendiculum respondens, in qua Sacrum Apostolorum Principis Corpus requiescit; ut latius legere est in descriptione veteris situs, & formæ ejusdem Confessionis, quam Michael Lunigus Prædecessori Nostro Urbano Papæ VIII. dicavit, quæque tam seorsim, quam cum aliis Operibus Typis edita pluries fuit.

Verum quum mutata deinceps fuerit Aræ Majoris forma, nocturnarum autem Vigiliarum disciplina magna ex parte in desuetudinem abierit; annuentibus Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, inductum fuit, ut prædictæ Basilicæ Archipresbyteri Vicarius in Episcopali Ordine constitutus, vel alius Episcopus ejusdem Basilicæ Canonicus, qui Matutinis Officiis in Festo Sanctorum Petri & Pauli in Pontificalibus assisteret, idem Benedictionem Palliorum faceret, cujus ritus talis erat.

Pallia, quæ benedicenda erant, auratæ Pelvi imposita, ab ipsius Vaticanæ Basilicæ Canonico Altaristа nuncupato, comitantibus duodecim ejusdem Basilicæ Beneficiatis, ad Confessionem Beati Petri deferebantur, ibique locabantur super Mensam stragula pretiosa coopertam, inter duo Candelabra accensis cereis subjecta. Episcopus vero, qui Matutinis Officiis, ut præfertur, adstiterat, post decantatas Laudes, Pontificialibus adhuc indutus, una cum assistentibus Ministris paratis, & Clero Basilicæ, ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat, ac demum solemnes Benedictionis preces super illa recitabat; Pallia vero sic benedicta, per totam Festivitatis Octavam, supra Corpus Apostoli requiescebant; expleta autem Octava, a Sacrarii Curatoribus removebantur, & inclusa capsulæ holoserico coccineo coopertæ, recondebantur in Oratorio Secretarii, in quo Sanctorum Reliquiæ asservantur; clavis autem capsulæ tradebatur primario Pontificis Cæremoniarum Magistro.

Ritum hunc, qui ad proximos usque annos viguit, nos ipsi semper observari vidimus, quo tempore in minoribus constituti, prædictæ Vaticanæ Basilicæ Canonicatum tenuimus; nisi quod anno Jubilei millesimo septingentesimo vigesimo quinto, die XXII. Februarii, in Festo Cathedræ Sancti Petri Antiochiæ, fel. record. Prædecessor Noster, ac Dignitatis Nostræ amplificator, Benedictus Papa XIII. hujusmodi Pallia per se ipsum benedicere maluit. Cujus Nos exemplo excitati, ejusque præclara vestigia libenter sectantes, duobus proxime elapsis annis, in pervigilio Natalis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Vespertinis Officiis in ipsa Basilica Vaticana de more persolutis, hujusmodi Pallia benediximus, certo ordine, ac ritu, quem in posterum quoque servare decrevimus, atque etiam a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, seu respective ab eo S. R. E. Cardinali, qui forsan, absente Pontifice, Vesperarum solemnitati in Pontificalibus adstiterit, observari, & adhiberi, præsentium Litterarum mansuro tenore statuimus.

Primum itaque volumus, & mandamus, ut singulis annis Palliorum numerus sufficiens pro Ecclesiarum opportunitate, in Vigilia Apostolorum de mane, a prædictæ Basilicæ Canonico Altaristа, cum consueto comitatu, ad Confessionem Beati Petri deferatur, ibique decenter, ut supra diximus, collocetur; ipsaque Pallia post Vesperas ejusdem diei in ipsa Basilica ritu maximo celebratas, a Summo Pontifice, si præsens fuerit, sin minus ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicantur. Sicut enim ipsius Romani Pontificis, vel saltem illius personam, & vices gerentis, maxime propriam, ita huic potissimum diei merito adscribendam censemus hujusmodi Benedictionem; tum quia Sacrum Pallium, *in quo* (ut Innocentii Papæ III. Prædecessoris Nostri verbis utamur) *Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis adpellatione confertur*, speciale munus est, quod a solo Romano Pontifice Beati Petri Successore conceditur; tum quia eo die conspicuus universi Collegii S. R. E. Cardinalium, aliorumque ipsius Ecclesiæ Romanæ Procerum consessus, ac frequentissimi Populi concursus, hujusmodi functionis splendorem, & majestatem magnopere augebit.

Expletis itaque Vesperis, descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, Sacris Subdiaconalibus vestibus indutus, præcedentibus duobus sevientibus armorum, Mazzeriis Papæ nuncupatis, comitantibus hinc & inde duobus aliis Auditoribus Collegis, cum supparo, & Superpelliceo; & subsequentibus Pontificiæ Consistorialis Aulæ Advocatis; atque is præparata Pallia coram Pontifice, aut Cardinale Pontificalia exercente, afferat, & sistat. Decet enim hujusmodi munus injungi præfatis Auditoribus, in Subdiaconorum Ordine Pontifici ministrantibus, quorum videlicet Collegii Decano singulis annis traduntur Agni, ex quorum velleribus contexenda sunt Sacra Pallia; nec minus convenit, Consistoriales Aulæ Advocatos adesse, ad quos singulari privilegio pertinet pro Pallii concessione apud Pontificem in Consistorio residentem perorare.

Ipse autem Pontifex, seu illius vice, ut præfertur, Cardinalis ille, qui Officio in Pontificalibus adstiterit, Pallia prædicta more solito adsperget aqua benedicta, tum incenso adolebit, deindeque pronunciabit super ea preces, & Benedictiones, juxta formulam inferius statuendam.

Peracta demum Benedictione, eadem sacrata Pallia includantur arculæ argenteæ auro obductæ, quam semper in ipsa Confessione Beati Petri Apostoli, & prope sacrum illius Corpus, in loco ad id designato asservari mandamus; quam-

Digitized by Google

quamque ad hunc effectum, exquisito cælaturæ opere, nostro sumptu conflatam, nuper eidem Beatissimo Apostolorum Principi reverenter obtulimus, ipsum enixe orantes, ut de negligentiis, & offensionibus nostris, quascumque in ipsius Basilicæ servitio admisimus, dum inter illius Canonicos accensebamur, indulgentiam, & veniam Nobis ab Omnipotenti Deo dignanter imploret. Volumus autem, ut hujusmodi arculæ cura, & custodia spectet ad ipsius Basilicæ Canonicum Altaristam pro tempore existentem; illius vero Clavis a primario Pontificiarum Cæremoniarum Magistro retineatur.

Denique attendentes, quo ritu hujusmodi Pallia a Cardinali S. R. E. Diaconorum Priore absentium Patriarcharum seu Archiepiscoporum Procuratoribus traduntur, animadvertimus, ipsos Procuratores juramentum præstantes juxta antiquam formulam, quæ ipsis exhibetur, plura promittere, quæ nec omnino his temporibus integre adimpleri, nec sine perjurii crimine negligi posse videntur. Quapropter volumus, & statuimus, ut hujusmodi juramentum deinceps a Procuratoribus prædictis alia forma præstetur, inferius pariter inserenda præsentibus Litteris; quas quidem, cum omnibus in iisdem statutis, atque præscriptis, semper & perpetuo validas,& efficaces existere, & fore, & ab omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, pleniſſime observari, decernimus: Non obstantibus, si quæ sunt in contrarium, Apostolicis Ordinationibus, & Constitutionibus, nec non Capellæ Pontificiæ, & ipsius Vaticanæ Basilicæ, etiam Apostolica auctoritate approbatis, & confirmatis, ritibus, formulis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; quibus omnibus, & singulis, quatenus opus sit, Motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pro præmissorum perpetua executione, derogamus, ac derogatum censeri volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Formula igitur Precum ad benedicenda Pallia in Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, talis est. Post Vesperas, Pontifex, seu Cardinalis, qui illius vice in Pontificalibus Officio adstiterit, ipsa Pallia ter aspergit aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges me &c.* ac ter incenso adolet, deinde dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini,*
℟. *Qui fecit cælum, & terram,*
℣. *Dominus vobiscum,*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

O R E M U S.

Deus, Pastor æterne animarum, qui eas Ovium nomine designatas, per Jesum Christum Filium tuum, Beato Petro Apostolo, ejusque Successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis sacrarum Vestium symbolis Pastoralis curæ documenta significari voluisti; effunde per ministerium nostrum super hæc Pallia de Beatorum Apostolorum Principum Altari sumpta, copiosam Benedictionis ✠, & Sanctificationis ✠ tuæ gratiam, ut quam mystice representant Pastoralis officii plenitudinem, atque excellentiam, pleno quoque operentur effectu. Humilitatis nostræ preces benignus excipe, atque eorundem Apostolorum meritis, & suffragiis concede, ut quicumque ea, te largiente, gestaverit, intelligat se Ovium tuarum Pastorem, atque in opere exhibeat, quod signatur in

nomine. Sit boni magnique illius imitator Pastoris, qui errantem Ovem humeris suis impositam cæteris adunavit, pro quibus Animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia Gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, nequa Ovis in morsus incidat, fraudesque luporum. Sit disciplinæ zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue, & forte, custodiens. Videat humeris suis impositam Crucem, quam Filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus Mundus, & ipse Mundo. Tollat injectum collo suo Evangelicum jugum, sitque ei ita leve, ac suave, ut in via mandatorum tuorum cæteris exemplo, & observatione præcurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis, & cum Apostolica Sede communionis perfectæ tessera, sit charitatis vinculum, sit Divinæ hæreditatis funiculus, sit æternæ securitatis pignus; ut in die adventus, & revelationis Magni Dei, Pastorumque Principis Jesu Christi, cum Ovibus sibi creditis stola potiatur immortalitatis, & gloriæ. Per eundem &c.

Formula autem juramenti, quod Procuratores absentium Archiepiscoporum, aliorumque, quibus Palliu n a Romano Pontifice concessum fuerit, præstare debent in manibus Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsis ferendum, seu transmittendum suscipiunt, talis est.

Ego N. Procurator, & procuratorio nomine, & pro parte Reverendissimi in Christo Patris, & Domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto, mihi tradi, & assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, & promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Reverendissimo Patri Domino N. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostræ ordinationis, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVIII. pridie Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno VIII.

II. Hactenus Constitutio feliciter regnantis Papæ BENEDICTI XIV. de benedictione, & traditione Pallii, in qua, sicut & in ceteris ejusdem Pontificis aureis Litteris, atque Operibus elucet non modo profunda eruditio, & rerum omnium presertim Ecclesiasticarum peritia, verum etiam summa pietas, religio, humilitas, ac reliquæ virtutes, quibus tum in minoribus tum in Summi Pontificatus apice, nituit semper nitetque Vita ipsius Pontificis Maximi, qui unice regimini Ecclesiæ, & divino cultui augendo intentus, noctes pene insomnes ducit, ut egregia ipsius Opera testantur, in quibus vel Viri doctissimi, & in studio Ecclesiasticarum antiquitatum diu versati multa scitu digna inveniunt, quæ ipsi ignorabant; idque ipsi Viri eruditissimi testati non semel sunt in Libris, quos ediderunt, ubi passim memoratum Pontificem, ejusque singularem doctrinam cum pietate conjunctam summopere laudant.

Digitized by Google

DE PUBLICATIONIBUS SOLEMNIBUS.

TITULUS XI.

§. I.

De pacis publicatione.

In publicatione pacis, lectis Capitulis, Pontifex surgit sine Mitra, incipit, *Te Deum*, & Cantores prosequuntur, & in fine Chorus cantat Antiphonam: *Da pacem Domine Domine in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster*; & Pontifex dicit hos versiculos, Choro respondente: *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Non nobis Domine non nobis.* ℟. *Sed Nomini tuo da gloriam.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℣. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. PRo sua in universam Ecclesiam, ac in ipsos Reges, & Principes suprema auctoritate, ac potestate, soliti semper fuere Summi Romani Pontifices, ubi Christianos Principes inter se dissidentes, belligerantesque agnoscebant, eos ad pacem hortari, Litteris, Legatisve Apostolicis ad eosdem missis, uti nos passim docent Ecclesiasticæ Historiæ, ex quibus etiam constat, solitos fuisse Romanos ipsos Pontifices longa aggredi itinera, ut dissidentes Principes conciliarent. Sane, ut aliquod de hac re exemplum proferam, Germania ex duorum Imperii competitorum Othonis Saxonis, & Philippi Suevi factionibus, continuis afflicta cladibus, Innocentius Pappa III. anno MCCVII. a Principibus Imperii certior ejus dissidii factus, confestim misit in Germaniam Hugolinum Ostiensem Episcopum, & Leonem Sanctæ Crucis Presbyterum, Cardinales, qui accepto a Philippo Othonis æmulo juramento, de stando judicio Papæ super omnibus, pro quibus fuerat excommunicatus, eum solemniter absolverunt, remque inter duos competitores ita composuerunt, ut Philippus filiam suam uxorem daret Othoni, facta a Pontifice dispensatione super quarto gradu consanguinitatis, quo erant conjuncti, eique Otho, si superviveret, in Imperio succederet; & interim dum hæc ad Pontificem ab Apostolicis, & utriusque Principis Legatis referrentur, essent induciæ unius anni. Has pacis conditiones Pontifex ratas habuit, & promulgari fecit. Hæc constant ex Epistolis ipsius Innocentii super negotio Imperii, CXIII. usque ad CL. & confirmantur ab Auctoribus ejusdem temporis, Conrado Urspergensi Abbate, Godefrido Coloniensi, & Areoldo Lubecensi in ipsorum Chronicis. Ceterum, ut alia exempla omittam, Paulum III. anno MDXXXVIII. Mense Majo Roma profectum, longo, & laborioso itinere, exactæ jam ætatis senem Niceam, sive Niciam Urbem maritimam ditionis Ducis Sabaudiæ, ut ibidem cum Imperatore Carolo V. & Francisco I. Galliæ Rege congrederetur ad pacem inter eos conciliandam, tradunt post alios ad ipsum annum Spondanus, & Scriptores Vitæ laudati Pauli III. Papæ.

§. II.

In publicatione Fœderis initi contra hostes Ecclesiæ, aut infideles.

Lectis Capitulis, Pontifex surgat, & incipiat sine Mitra, *Te Deum laudamus*. Chorus prosequitur Hymnum usque ad finem. Pontifex pronunciat: *Pater noster*, & deinde: *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo. Amen.* ℣. *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* ℟. *In æternum, & in seculum seculi.* ℣. *Respice Domine in faciem Christi tui.* ℟. *Exaudi preces Ecclesiæ Sanctæ tuæ.* ℣. *Miserere nostri Domine, miserere nostri.* ℟. *Respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum.* ℣. *Adjuva nos Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.* ℣. *Propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.* ℟. *Ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum.* ℣. *Salvos fac nos Domine Deus noster.* ℟. *Ut liberati de tribulatione confiteamur Nomini Sancto tuo.* ℣. *Concede Domine populo tuo, ut sit ei cor unum, & anima una.* ℣. *In*

obser-

Digitized by Google

obſervatione mandatorum tuorum. ℣. *Alleva manus tuas ſuper gentes alienas.* ℟. *Ut videant potentiam tuam, & agnoſcant te.* ℣. *Innova ſigna, & immuta miracula.* ℟. *Glorifica manum, & brachium ſanctum tuum.* ℣. *Hoſtium noſtrorum elide ſuperbiam.* ℟. *Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.* ℣. *Ultio ſanguinis ſervorum tuorum qui effuſus eſt.* ℟. *Intrent in conſpectu tuo & gemitus compeditorium.* ℣. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* ℟. *Et in Regna, quæ Nomen tuum non invocaverunt.* ℣. *Ecce inimici tui Domine ſonuerunt.* ℟. *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* ℣. *Averte a nobis Domine indignationem tuam.* ℟. *Et procul ſit a nobis furor tuus.* ℣. *Da mercedem Domine ſuſtinentibus te.* ℟. *Ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* ℣. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* ℟. *Miſerere noſtri.* ℣. *Mitte nobis auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui pretioſiſſimo Sanguine dilectiſſimi Filii tui humanum genus redimere, ac per Beatos Apoſtolos tuos jacentem in tenebris mundum ad Evangelii lucem erigere dignatus es: quæſumus, ut adverſus impias Turcorum gentes, cunctaſque barbaras nationes vivificæ Crucis inimicas, Fideles Chriſtianorum Principes, ac populi ita potenter arma ſuſcipiant, ut pro tui Nominis gloria militantes, virtutis tuæ brachio ſublevati, ad Eccleſiam tuam victricia virtutis ſigna reportent.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnes poteſtates, & omnium jura Regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum Catholicorum, ut gentes paganorum, & hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Si vero hoſtes ſint Chriſtiani, dicantur iſtæ Orationes.

Oremus.

Protector noſter aſpice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis, ut omni perturbatione ſemota, liberis tibi mentibus ſerviamus.

Deus refugium noſtrum, & virtus, adeſto præſens Eccleſiæ tuæ precibus Auctor ipſe pietatis, & præſta, ut ab omni exuamur bellorum nequitia, & in tuæ protectionis ſecuritate lætemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. INter alios Lutheri errores in celeberrima Leonis Papæ X. Bulla damnatos trigeſimus quartus eſt ille, non licere Chriſtianis bellum gerere contra Turcas, quia ſcilicet voluntas Dei eſſe videtur, ut a Turca tanquam flagello quodam puniamur, & non licet nobis Dei voluntati reſiſtere; quod autem iſta ſit voluntas Dei, probat Lutherus ipſe in aſſertione prædicti articuli XXXIV. ab experientia, quæ docuit hactenus, nihil Chriſtianis profuiſſe bellum contra Turcas. Sed inepta eſt, ac futilis hæc Lutheri ratio; nam, ut ſcite docet Bellarminus Lib. III. *De laicis*. Cap. XVI. etſi voluntas Dei ſit, ut peccata noſtra per Turcam puniantur, tamen non eſt voluntas Dei, ut Turcæ non reſiſtamus, imo voluntas ejus eſt, ut illi reſiſtamus. Non enim Deus permittit, Turcam in nos ſævire, ut pereamus, ſed ut convertamur; tunc autem ad converſionem perducimur, cum Turcæ nos oppugnanti reſiſtere conamur, reſiſtendo laboramus, laborando noſtram infirmitatem agnoſcimus, atque inde ad Deum toto corde revertimur, & ejus auxilium imploramus. Itaque ex fine, quo Deus permittit, Turcam in nos ſævire, ſequitur manifeſte, ipſum velle, ut Turcæ reſiſtamus. Præterea ita flagellum Dei eſt bellum Turcæ, ſicut peſtis, fames, hæreſis, fomes peccati, & ſimilia, nemo autem tam ſtultus eſt, qui ideo putet, non eſſe quærenda medicamenta contra peſtem, neque terram colendam, ne moriamur fame, neque hæreſi, & fomiti reſiſtendum.

II. Sed neque verum eſt, quod dicit Lutherus, experientiam docere, nihil nobis prodeſſe bellum contra Turcas; nam, ut omittamus plurimas victorias de Turcis relatas, certe cum primum arma illata ſunt in Terram promiſſionis, feliciſſimo eventu Jeruſalem a noſtris recuperata fuit, & regnaverunt Chriſtiani annis LXXXVIII. donec oriri cœperunt inter ipſos Chriſtianos Principes contentiones, quæ quidem cauſa potiſſima fuere, ut Turcæ ipſi ſuum dilatarint imperium. Dediſſe etiam dilatationi ipſi cauſam Lutherum, ex Joanne Cochlæo patet, qui in actis Lutheri anni MDXXVI. ait, periiſſe tunc Hungariam, quia Germani a Rege Hungariæ vocati in auxilium, maluerunt Luthero parere tunc concionanti contra bellum in Turcas, quam cogitare, quid bonum commune poſtularet. Porro tanto odio Romanum Pontificem perſequutus eſt Lutherus, ut plane optaret, videre Turcam occupantem omnia Regna Chriſtianorum, ut ſaltem eo modo nomen Pontificis extingueretur. Neque hoc fuiſſe votum, ac deſiderium ejus, divinare ſe ait Bellarminus, ſed ex verbis illius colligit, quippequi in Libro ad nobilitatem Germaniæ, Cap. XXV. aſſerere non erubeſcit, nullum eſſe pulchrius regimen uſquam, quam apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur; nullum autem turpius,

Digitized by Google

quam apud Christianos, qui Jure Canonico, & Civili reguntur; & in assertione citati articuli XXXIV. non veretur affirmare, Pontificem, & Pontificios esse multo pejores, & truculentiores Turcis, & stultum esse pugnare pro pejoribus Turcis, contra meliores; & in Epistola quadam contra duo mandata Imperialia, *Oro*, inquit, *cunctos pios Christianos, ne ullo modo sequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies prudentior, probiorque est, quam sunt Principes nostri*.

III. Tædet in hisce Lutheri deliriis amplius immorari; quis enim nescit, justam habere causam Christianos inferendi bellum Turcis, qui nullo jure tot Christianorum Regna occuparunt, qui extinguere penitus cupiunt Christianam Religionem, omnemque navant operam, ut homines Christiani fiant Mahumetani. Merito itaque & antiqui Summi Romani Pontifices, & recentiores, Urbanus II. Paschalis II. Eugenius III. & alii multi, necnon Generalia Concilia Lateranensia, itemque Lugdunense, Viennense, & alia, generale bellum indixere Turcis; Sanctique Viri suis concionibus publicis populos ad hujusmodi bellum excitarunt, & sermonem miraculis confirmarunt, ut ipsemet S. Bernardus modeste indicat initio Libri II. *De consideratione ad Eugenium III.* Porro tanta est absurditas, & impietas ejus sententiæ, quam Lutherus aliquando docuit, ut idem ipse Lutherus postea contrarium scripserit in Libro, *De Visitatione Saxonica*, ubi sic inter alia inquit: *Clamant aliqui Prædicatores temerarie, non resistendum esse Turcæ. Hic sermo seditiosus est, qui neque ferri, neque permitti debet. Tenentur igitur Potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt Provincias devastare; uxores, ac liberos violare, & interficere, verum etiam jura Provinciæ, cultum Dei, omnemque ordinationem bonam abrogare, ac tollere. Idcirco debent Principes ob id præcipue belligerare &c.* Tum etiam ibidem subdit: *Multo tolerabilius foret viro bono videre filiorum suorum interitum, quam Turcicis eos moribus imbui. Turcæ enim nullam prorsus honestatem vel sciunt, vel curant*. Ita Lutherus.

IV. Longum esset recensere hoc loco veterum exempla Pontificum, qui sacro contra infideles, ac presertim Turcas fœdere Christianos Principes jungi procurarunt. Laudandus præ ceteris S. Pius V. cujus zelum, ac studium litteris consignavit in ejus Vita Clarissimus Gabutius Lib. III. Cap. I. & seq. Is Pontifex, ut inter alia Capite II. inquit memoratus Auctor, Præfecturæ munus Marco Antonio Columnæ Paliani, Taleacotiique Duci, Neapolitani Regni Equitum Magistro, III. Idus Junii anno Domini MDLXX. detulit; eumque utpote Virum prudentissimum, ac bellicæ virtutis laudibus insignem duodecim Pontificiis triremibus cum potestate præfecit. Quæ res magno apparatu, ac pompa perfecta est. Nam ad cælestem opem pro felicissimo rerum successu suppliciter implorandam per Marcum Antonium Cardinalem Columnam coram Pontifice in publico amplissimorum Patrum cœtu, in Sacello Pontificio, peracto Sacrosancto Missæ Sacrificio, Pius sacris de more precibus adhibitis, suis ipse manibus Columnæ dedit Præfecturæ Vexillum ex damasceno serico rubro confectum, in quo erat Christi Domini de Cruce pendentis Imago depicta, atque hinc inde effigies Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, his verbis inscriptis: *IN HOC SIGNO VINCES*. Ut qui Constantini illius Magni pietatem, & animi magnitudinem egregie referret, is eodem, quo ille, fausto, ac salutari signo tanquam hostilis cujusque, & infestæ violentiæ propugnaculo contra Christiani Nominis hostes felicissime uteretur.

§. III.

In publicatione fœderis initi pro defensione Ecclesiæ, & conservatione pacis.

Lectis de more Capitulis, surgit Pontifex sine Mitra, & dicit: *Te Deum laudamus*. Chorus prosequitur. Quo finito, pronunciat Pontifex: *Pater noster &c. Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvos fac servos tuos Domine.* ℟. *Deus meus sperantes in te.* ℣. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* ℟. *Ut liberentur dilecti tui, & confiteantur Nomini tuo.* ℣. *Concede Domine populo tuo, ut sit ei cor unum, & anima una.* ℟. *In observatione mandatorum tuorum.* ℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus, & erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deus auctor pacis, & amator charitatis, quem nosse, vivere; cui servire, regnare est; protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. COnsueviſſe jam olim Summos Pontifices pro defensione Ecclesiæ jus gladii assumere, & conscribere exercitum, docent nos passim Scriptores. Primum qui id fecerit, fuisse S. Gregorium VII. affirmant Leodienses in famosa adversus Paschalem II. Epistola

ſtola pro Henrico Imperatore: *Quis Pontificem Romanum*, inquiunt, *unquam ſuis Decretis autorizavit, ut debeat gladio, ac bello in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint, & quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit ſcribens Sabiniano Diacono*. Laudatam S. Gregorii Epiſtolam in eodem nobiſcum ſenſu exponunt, & pergunt: *Hoc exemplo omnes a primo Gregorio contenti, utebantur ſolo gladio ſpirituali uſque ad ultimum Gregorium, qui primus ſe, & ſuo exemplo alios Pontifices contra Imperatores accinxit gladio belli*. Tum vero inferius hæc ſubdunt: *Solus Hildebrandus Papa ultimam manum ſacris Canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem*. Eccleſiæ hoſtes, & proprio, & alieno gladio invadere, iſtiſque militibus plenam peccatorum indulgentiam impartiri non ergo primus cœpit in Claromontana Synodo anni MXCV. Urbanus II. ut quidam opinati ſunt, ſed antea id fecerat laudatus Pontifex S. Gregorius VII. illiuſque factum in Henrici Imperatoris gratiam damnavit Clerus Leodienſis, uti notavit eruditus Lupus Tomo IV. Operum editionis Venetæ in Scholio ad Canonem VI. Remenſis Concilii S. Leonis IX.

II. At vero certum illud eſt, jam ante Gregorium VII. S. Leonem IX. moviſſe exercitum contra Normannos, & propria manu pugnaſſe: *Leo Papa*, inquit Marianus Scotus ad annum MLIII. *exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, infinita utrobique cæde peracta, ſine victoria rediit*. Eundum annum ſignant Lambertus Schafnaburgenſis, & Chronographus Hildensheimenſis. De ea pugna ita ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Leo Papa, dum Nortmannos a Romanorum terminis deturbare nititur, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipſe capitur; ſed tamen ipſe relaxari noluit, niſi etiam ſuis relaxatis*. Quod ipſum referunt in generali Hiſtoria Otho Friſingenſis Lib. VI. Cap. XXXIII. & in Chronico ad memoratum annum MLIII. Hermannus Contractus, ajens bellum iſtud merito fuiſſe infelix: *Quia tantum Sacerdotem ſpiritualis potius, quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat*. Reprehendit quoque hanc in Leone Papa IX. expeditionem S. Petrus Damiani Lib. IV. Epiſtola IX. ad Oldericum Firmanum Epiſcopum, afferens, laudatum Pontificem per geſtum contra Normannos bellum, a S. Gregorii Magni, S. Ambroſii, & ſimilium Epiſcoporum moribus, & regulis deviaſſe. Verum multis argumentis hanc S. Petri Damiani opinionem egregie refellit Baronius ad annum MLIII. Num. XIII. & ſeqq. Sane erat Leo IX. nobilis Francus Tullenſium antea Epiſcopus, ideoque Francorum Epiſcoporum, qui exercitum in hoſtes ducere, & propriis etiam manibus pugnare conſueverant, ſolemnem morem factus Papa non ſtatim dereliquit, uti obſervat laudatus Lupus loco citato.

III. Quicquid ſit, exercitum quidem duxit memoratus Pontifex, ſed non fuit tamen ipſe primus Papalis militiæ inſtitutor; jam enim & ante ipſum Gregorius VI. creatus Pontifex anno Domini MXLIV. pro defenſione Eccleſiæ militem conſcripſit, atque pugnavit. Ejus tempore ob inuaſas a Laicis omnes ferme S. Petri poſſeſſiones, pauperrima erat Romana Eccleſia, Italia plena latronibus, ipſorum in poteſtate erat cum Fidelium oblationibus Baſilica etiam Lateranenſis, Excommunicatio Papalis ſpernebatur, Henricus III. Imperator Germanicis occupatus bellis auxilium negabat. Hinc ergo militem conſcripſit Pontifex, Lateranenſem Baſilicam a latronibus, inſignemque Apoſtolici patrimonii portionem a violentis raptorum manibus recuperavit, atque Italicas ad Urbem vias piis peregrinantibus ſecuras reddidit. Ejus rei cauſa a multis etiam ſuis Cardinalibus fuiſſe appellatum ſanguinarium, & multa paſſum, ſcribit in ſuo Chronico Guilielmus Monachus Malmesberienſis. Quicquid ſit non ſolum Leo IX. aut Gregorius VII. ſed & omnes alii hucuſque Pontifices armatam militiam pro defenſione Eccleſiæ habuere. Etenim poſt Gregorii VII. tempora, ipſique motam ab Henrico Imperatore IV. ſchiſmaticam, & barbaram rebellionem, de qua diximus Tomo III. Conciliorum, non in ſolis ſuis patrimoniis raptores Reges, aut Principes, ſed & in ipſa Romana Urbe populares ſeditionos, ideoque & exilia paſſi ſunt Pontifices, adeo ut a Gregorio IX. & annuum tributum exegerit Romanus Senatus, prætenderitque, nec Urbem poſſe interdici a Pontifice, nec ullum civem excommunicari. Atque hinc militiam ſuam auxit laudatus Gregorius, eique præfecit Petrum Vintonienſem Epiſcopum, de quo Matthæus Pariſius ita ſcribit ad annum MCCXXXIV. *Idem Epiſcopus fuerat in obſequio Richardi Regis Anglorum bellatoris magnifici diebus adoleſcentiæ ſuæ, ubi plus didicit in bello dimicare, quam Evangelii ſemina prædicando ſeminare*.

IV. Quamquam autem hæc graviter reprehenderint magnus laudati Gregorii Papæ IX. æmulus Imperator Fridericus II. eique adhærentes, fatendum nihilominus eſt, optime ſe geſſiſſe Pontificem; abſque armata enim illius militia patrimonium Apoſtolicæ Sedis tunc proculdubio invaſiſſent laici Principes, & juxta deteſtabilem Arnoldi Monachi Brixienſis prædicationem Romanus Epiſcopus, & Clerus omnis ex ſolis Fidelium oblationibus jamdudum victitare debuiſſet. Porro afferri & alia poſſent exempla Pontificum, qui ad compeſcendam laicorum Principum, civiumque Romanorum inſolentiam Milites conſcripſerunt, ut Eccleſiam defenderent; ſed his omiſſis, lubet & hoc loco adnotare, quod tradit Theodoricus Niemus Lib. VII. *De Schiſmate*, nempe Bonifacium IX. Pontificem ſtipari cœpiſſe armata militia in omni publico per Urbem proceſſu. Quam ob cauſam ita procederet, exponit citato loco idem Niemus. Itaque, uti ex hactenus dictis conſtat, neceſſitate exigente, poſt annum Chriſti milleſſimum, cœpere Pontifices armata uti militia, primuſque ejus inſtitutor fuiſſe videtur Gregorius VI. creatus Pontifex anno MXLIV. Teſte Luitprando Lib. III. Cap. XII. Joannes XI. *Marozia filius, quem ex Sergio III. Papa meretrix ipſa genuerat*, conſtitutus Pontifex anno CMXXXI. potentia Vidonis Tuſciæ Provinciæ Marchionis, cui Marozia nupſerat, clypeum quidem, & loricam quandoque induit, & ita ſpectandum populis ſe exhibuit, *verum ſine militia, quam Romana tunc Eccleſia adhuc ignorabat*, uti notat doctiſsimus Lupus loco citato, ubi etiam & alia obſervat, quæ legi a curioſo lectore poſſunt.

OR-

Digitized by Google

ORDO QUOMODO PAPA EQUITAT IN PONTIFICALIBUS.

TITULUS XII.

I. SOlemnes equitationes Romanorum Pontificum frequenter occurrunt in priscis Romanis Ordinibus, Cæremonialibus, atque in mss. Cæremoniariorum Apostolicorum Diariis. Data Ecclesiæ pace, quanta olim cum pompa Romanus Præsul incederet, testis est antiquus Scriptor Ammianus Marcellinus, qui in Historia sua Lib. XXVII. apud Baronium anno CCCLXVII. loquens de Schismate Damasum inter & Ursicinum, inter alia inquit, haud se mirari, si tanta contentione Romanus Episcopatus appeteretur, cum, ut ait, illum adepti, *futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas*. Certe quidem ita Romæ his temporibus effulgebat splendor Pontificum, ut ipsis etiam amplissimis Magistratibus invidiam commoveret. Unde Prætextatus ille Romanorum nobilissimus, qui in Valentiniani, atque Valentis Imperatorum exordio in Græcia Proconsulatum gessit, aliisque Magistratibus deinde etiam Romæ auctus fuit, teste S. Hieronymo in Epistola LXI. ad Pammachium, solebat ludens ipsi Damaso Papæ dicere: *Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus* Ut plane appareat, quod notat idem Baronius ad ipsum annum CCCLVII. summo, atque regali Christi Ecclesiæ Sacerdotio, regiam pariter magnificentiam tunc temporis fuisse conjunctam.

II. Sequioribus seculis solemni equitatione Romanos Pontifices diebus præsertim solemnibus ad Ecclesiam procedere consuevisse, docent passim citati Romani Ordines, præ ceteris ita Romanus primus Ordo inquit apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, pag. 4. *Diebus solemnibus sicuti est Pascha, primo omnes Acolythi regionis tertiæ, & Defensores omnium Regionum convenientes diluculo in Patriarchio Lateranensi præcedunt Pontificem pedestres ad Stationem, stratores autem laici a dextris, & a sinistris equi ambulent. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi sunt, Diacones, Primicerius, & duo Notarii Regionarii, Defensores regionarii, Subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisis turmis, spatium inter se, & Apostolicum facientes. Post equum vero hi sunt, qui equitant, Vicedominus Vestiarius, Nomenculator, atque Sacellarius. Unus autem ex Acolythis Stationarius præcedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum Chrisma manu in mappula involuta cum ampulla &c.* Similia leguntur in aliis Ordinibus. Nomenculatoris autem officium erat convivas invitare, eorumque nomina describere, ut videre est apud eruditum Dufresne in suo Glossario, nbi etiam docet, Sacellarium idem fuisse, ac Thesaurarium a sacco seu sacello, probatque ex S. Augustino in Psalmum CXLVI. & ex S. Isidoro Lib. XX. Cap. IX. *Fiscus*, inquiunt, *saccus est publicus*.

§. I.

Pontificalis equitationis Ordo.

Si Romanus Pontifex Romæ, vel alibi moram trahens, velit de loco ad locum in solemni pompa, ideſt Pontificalibus, equitare, hic ordo servetur. Primo equitabunt valisarii Dominorum Cardinalium cum familiis ipsorum Dominorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum mixtim incedentibus, ut eis placuerit, qui tamen longis vestibus utuntur. Clerici Pontificem non præcedunt cum istis, sed sequuntur. Tum per ordinem isti sequuntur. Tonsor, & Sartor Papæ cum valisiis rubris, in quibus sunt vestes Pontificis. Familiares, & Scutiferi Papæ; Nobiles, & Barones minores cum attinentibus Cardinalium. Scala Papæ panno rubro cooperta, quam equus albus phaleratus portat. Equum aliquis ex Parafrenariis Papæ freno ducit. Scala ipsa lignea, quæ tres gradus continet, equo Pontificis apponitur, per quam equum suum ascendit, si equitat; deinde reponitur super equum, & ad locum suum reducitur. Post scalam equitant duodecim cursores Papæ cum duodecim vexillis rubris. Inde Vexilliferi Viri nobiles cum vexillis Civitatis, Papæ, Ecclesiæ, & Sanctæ Crucis, ornati, ut in Coronatione Pontificis diximus, & ordine ibi declarato. Si plura erunt Vexilla, pro dignitate illorum disponentur; digniora erunt ultima. Deinde equi duodecim albi phalerati freno ducentur sine sessoribus. Tum quatuor Nobiles portantes quatuor Pileos ex cremesino supra baculos quosdam ad mensuram trium, vel quatuor palmorum: hi Scutiferi honoris vocantur. Incedunt post hos Procuratores Regum, & Principum, Procurator Fiscalis, Advocati, & Secretarii mixti, ut alias dictum est; & post Cubicularii cum capuciis supra collum, & circa pectus inversis Secretarii, & Advocati, Cubicularii autem circa pectus tantum. Hos sequuntur Acolythi, Clerici Cameræ, & Auditores Rotæ cum Rochettis, & Cappis. Inde Proceres, & Barones majores, & Oratores Regum, & Principum simul cum Senatore, & Conservatoribus Ur-

Digitized by Google

Urbis. Inter omnes Senator præcipuum locum habebit, cedetque tantum Oratori Cæſaris. Deinde ſiquis aderit Magnus Princeps, aut Præfectus Urbis, ſive aliquis inſignis, qui tamen non ſedeat in ſcamno Cardinalium. Subdiaconi Apoſtolici poſtea equitabunt cum Rochettis, & Cappis, & ille qui fert Crucem Papalem, Pileum capite geſtabit ab extra nigro panno, ab intus ſerico cum cordulis & mappulis cærulei coloris. Ante Crucem duo Magiſtri Oſtiarii cum ſuis virgis ſericeis. Immediate incedent poſt Crucem duodecim pedites Clerici, vel Laici accenſa funalia deferentes, & juxta eos equitabunt duo Clerici Capellæ laternas duas argenteas præferentes, in quibus candelæ perpetuo lucent. Ducitur poſt equus albus phaleratus, manſuetus, & pulcher cum tintinnabulo ad collum beneſonante, qui capſulam vehit cum Sacratiſſimo Chriſti Corpore, ſupra quod cives nobiles portabunt baldachinum. Funalia condecenter deferentur per Clericos cum Superpelliceis. Sic tempore Pauli Secundi aliquando fieri vidimus; nam tunc Beneficiati S. Petri ea portarunt. Poſt Sacramentum Sacriſta Apoſtolici Palatii cum ſuo habitu, & baculo in manu equitabit; & poſt eum ſiquis aderit Princeps, qui in ſcamno Cardinalium ſedeat. Nam inter Sacramentum, & Papam, & quando Sacramentum non adeſt, inter Crucem, & Papam nemo omnino incedere debet, niſi Cardinales, & qui cum eis ſedent. Procedunt deinde Domini Cardinales, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi. Duo tantum aſſiſtentes antiquiores Diaconi Pontifici ſemper aſſiſtunt, & ante eum immediate incedunt. Senior ferulam manu geſtat ex officio, ut Prior Diaconorum, & ad quem ſpectat ordinare Proceſſiones; & ita omnes Libri antiqui Cæremoniarum continent, & ſervatum vidi tempore Pii Secundi, cum Proſper Columnenſis erat Prior Diaconorum; & tempore Pauli, cum Rodericus Boria, qui nunc eſt Epiſcopus Portuenſis erat Prior. Camerarius autem, ſi eſt Cardinalis, non debet portare ferulam, ſed ejus Vicecamerarius, quia non ut Cardinalis, ſed ut Camerarius portat ille, qui poteſt eſſe non Cardinalis ſecundum obſervationes ſuperiorum temporum. Noſtro tamen tempore & Latinus Urſinus, & qui nunc Camerariatum tenet Raphael S. Georgii Cardinales ferulam portare & Proceſſionem ordinare conſueverunt, Cardinale Senenſi Priore Diaconorum id non modo æquo animo ferente, ſed libentiſſime permittente. Procedet deinde Pontifex cum Pluviali, & Mitra pretioſa, ſive cum Regno, ideſt, Tiara, tripici Corona ornata, vectus equo albo, ſive ſella ſub baldachino; equum freno ducent primum majores Principes, deinde alii inferiores. Sellam humeris etiam a principio Principes, & alii, ut in Proceſſione Coronationis diximus, portabunt. Poſt Pontificem Cubicularii duo ſecreti, & inter eos Decanus Rotæ, qui ſervit de Mitra, cum habitibus ſuis ſequuntur; inde duo Medici cum Secretario Papæ, ſi non eſt Prælatus. Conſuevit inter hos equitare Eleemoſynarius Papæ, & aliquando cum videt preſſuram circa Pontificem, ſpargere pecunias. Deinde ſerviens armorum armatus omnibus armis præter galeam equitat portans umbellam crocei rubeique coloris. Aliorum autem ſervientium armorum cum ſuis argenteis baculis pars equitat ante Crucem; alii vero diſcurrunt per pompam ſurſum, & deorſum: inſtantes, & curantes, ut pompa ſuo ordine procedat. Parafrenarii cum ſuis mantellis, Curſores cum virgis, & baculis argenteis, & etiam coraceis vento, ſive ſtupa plenis, turbam ſemoventes; & Cuſtodes Corporis cum baculis ligneis Pontificem pedites circumſtant. Poſt umbellam ſequuntur Prælati cum ſuis Cappis amplis, & Pileis, primum Patriarchæ ſiqui adſunt, tunc Aſſiſtentes Papæ Oratores Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates. Poſtremo Curiales Togati mixtim, ut placet, pompam claudunt.

COMMENTARIUS.

I. SOlemni equitatione ſolemnibus ſtatis diebus ſolitos fuiſſe antiquitus Summos Pontifices, ad Eccleſias Urbis a domo ſua procedere, ut in eiſdem Miſſarum ſolemnia Pontificaliter, ut ajunt, celebrarent, diximus ſupra in Commentario ad Tituli hujus rubricam. Sæpe etiam ſolitos ipſos fuiſſe, pro neceſſitate Eccleſiæ univerſalis, ſive alicujus particularis, longinqua ſubire itinera, docent nos paſſim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Sane pompa, quam noſtrum Cæremoniale in hoc §. deſcribit, nullatenus in antiquioribus Pontificum equitationibus invenitur. Invaluit potiſſimum ſeculo XV. quo Auguſtinus Patricius Cæremoniale ipſum ordinavit; tametſi eodem ſeculo, quo Joannes Davantrias Cæremoniale ſuum ſcripſit, ordo minus ſolemnis in itineratione Papæ ſervaretur. Ergo teſte hoc Auctore equitaturus Pontifex in aliquem locum, primo in ſuo cubiculo Itinerarium recitabat: *Sciendum*, inquit, *quod, quando Papa equitat, antequam exiat de Camera, dicit iſta quæ ſequuntur. Antiphona.* In viam pacis, ſalutis, & proſperitatis dirigat Dominus greſſus noſtros, & Angelus ſuus bonus comitetur nobiſ-

Digitized by Google

biſcum ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, ut cum ſalute & gaudio eamus, & revertumur ad propria. *Poſtea dicitur totus Pſalmus*, Benedictus Dominus Deus Iſrael, *cum* Gloria Patri, & Sicut erat. *Poſt reincipitur tota Antiphona*: In viam pacis. *Deinde ſequitur*: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Sed libera &c. ℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponet nocere nobis. ℣. Utinam dirigatur viæ noſtræ. ℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas in viam pacis. Domine exaudi orationem meam &c. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

II. Sequuntur mox tres orationes, nempe, *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando &c.* & aliæ duæ, quæ leguntur in Itinerario Clericorum, quod legitur in fine Breviarii Romani; prima incipit: *Omnipotens ſempiterne Deus dirige actus noſtros*; altera, *Deus, qui filios Iſrael.* Sequitur deinde ordo ipſe equitationis in hunc modum deſcriptus: *Debet præcedere Salmerius Papæ, qui portat Capellam, & debet eſſe albus equus, vel mulus; & ire ante Crucem, & debet portare in collo campanellam, & cophini debent eſſe cooperti de ſcarlato rubeo; deinde Crux, quam debet Capellanus portare, imo Subdiaconus, deinde Camerarius Papæ cum Capellanis commenſalibus, & ejus familia ſequuntur Crucem. Hodie non ſervatur hoc, ſed ſoli Cardinales præcedunt immediate Papam ſequentem ordinem. Nam ante Papam ſtatim incedunt duo antiquiores Cardinales Diaconi, & ante illos alii duo ſecundum ordinem antiquitatis; & ſi ultimus Diaconorum non habet Diaconum ſocium, Prior Epiſcoporum, & ipſe incedunt ſimul; & deinde combinatim incedunt ceteri Cardinales, Epiſcopi, & Presbyteri, ita quod antiquiores ſint ultimi propinquiores Papæ; duo ultimi Presbyteri præcedunt omnes alios Cardinales. Subſequentur tres Cardinales cum eorum familiis, unus Epiſcopus, vel Presbyter, & duo Diaconi; poſtea veniunt equi albi Papæ, qui a parte poſteriori cum tota ſella debent eſſe cooperti de ſcarlato rubeo, a parte tamen anteriori debent eſſe diſcooperti totaliter; & famuli debent eos ducere peditando per frenum. Iſte modus nunc ſervatur, licet antiquitus macerii conſueverint eos ducere. Subſequenter debent venire duo Domicelli Papæ portantes ſuper ſingulos baculos longitudinis brachii duos Capellos Papæ, qui debent eſſe cooperti de ſerico. Subſequenter venit Papa ſignando populum; poſt, vel circa quem debent Milites, & alii Domicelli eſſe, & macerii Papæ; & duo ejus Domicelli, ſeu macerii debent eum ducere per frenum equi, quem equitat, unus a dextris, & alius a ſiniſtris. Hodie duo, vel plures de Magnatibus majoribus, qui ibi fuerunt; Forrerii vero, vel dicti Curſores Papæ etiam peditando debent eſſe ante eum; portans vero papilionem debet ire poſt Papam; hodie vadit ante, vel juxta. Servientes vero armorum, vel vocati macerii habent præcedere Papam cum Camerario. Eleemoſinarius Papæ debet ire retro ipſum, & pecuniam pauperibus ſpargere.* Atque hic erat ordo ſolemnis equitationis Papæ, quem deſcribit in ſuo ms. Cæremoniali Davantrias, eratque in uſu initio ſeculi XV. quo ipſe claruit.

III. Placuit autem ordinem ipſum referre, ut inde addiſcamus, ſolemnioris Pontificiæ equitationis pompam in hoc noſtro §. deſcriptam cœpiſſe primum circa medium ſeculum XV. Quicquid ſit, tametſi eo ſeculo, & ſequenti equitationes ipſe frequentes eſſent, paulatim fere in deſuetudinem abierunt.

§. II.

Ordo cum Papa equitat ad aliquam Eccleſiam religionis gratia, ſive ad alium locum, & non in Pontificalibus.

Valiſarii, & Familiares Cardinalium, & Prælatorum in brevibus præcedunt; valiſarii Papæ, Scutiferi Papæ cum minoribus nobilibus, & attinentibus Cardinalium; aliqui equi albi phalerati ſine ſeſſoribus cum Magiſtro Stabuli; poſt eos Procuratores Regum, & Principum, & Fiſcalis; duo Forerii cum pulvinaribus aureis, & tapeto, ut ſuper his genuflectat Pontifex in oratione, & hoc ſi vadit ad aliquam Eccleſiam ad orandum, aliter Forerii non vadunt in ordine. Secretarii, & Advocati mixti; Cubicularii, & omnes cum ſuis capuciis ſuper humerum ſiniſtrum. Acolythi, Clerici Cameræ, Auditores Rotæ cum habitu quotidiano. Nobiles majores cum Oratoribus non Prælatis, & Senatore. Subdiaconi cum Cruce, & Magiſtris Oſtiariis. Poſt Crucem ſecundum antiquum, & debitum morem ipſe Pontifex debet procedere equo, vel ſella vectus, ſi non habet (1) Pluviale, & Mitram, & tunc habebit Stolam ſupra Rochettum (2) longum ſuccinctum, & deſuper capucium parvum rubei coloris ſecundum debitum ordinem, quia ſupra Rochettum ſemper Papa utitur colore rubeo, præterquam a Sabbato Sancto ad Octavam Paſchæ; hodie tamen, quia ſic factitavit Sixtus Quartus, utitur plerumque albo capucio contra majorum normam; & deinde ſi eſt frigus, vel tempus pluvioſum, Mantum rubeum apertum a parte anteriori, & Pileum in capite purpureum cum aureo limbo in extremitatibus. Deinde ſequi debent Cardinales Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi; ſed tempore Sixti & poſt Crucem, quamvis incongrue Cardinales præcedebant, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi; & duo antiquiores Dia-

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. & Colonienſi legitur, *Stolam &c.*
(2) In eadem Veneta, & Colonienſi editione legitur, *longam ſuccinctam.*

Digitized by Google

Diaconi assistunt. Custodes Corporis armati ante Crucem instructa acie incedunt. Post Pontificem mox sequuntur duo secreti Cubicularii cum Secretario, si non est Prælatus, & duo Medici. Decanus Rotæ non adest, quia Pontifex non habet Mitram. Cardinales cum sequuntur, primo erunt Episcopi, tum Presbyteri, demum Diaconi omnes, quia non assistunt Pontifici, cum non habet Mitram; sequuntur deinde assistentes Prælati, Oratores Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, & alii Curiales togati mixti.

COMMENTARIUS.

I. GRatia religionis solitos fuisse aliquando Summos Pontifices ad aliquem locum equitare, docent & Historiæ Vitarum ipsorum Pontificum, & mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus etiam ritus narratur ejus equitationis. Tradit Victorellus in Notis ad Ciaconium, ubi Vitam Pii II. Papæ illustrat, Pium ipsum Anconam iturum, ut Crucesignatorum classem contra Turcas paraset, Lauretanam ad ædem in eodem itinere divertisse, Calicemque aureum, & Patenam ponderis insignis, & operis, nuncupati voti munus, Angelorum Reginæ, adjecta hac inscriptione, dedisse.

PIA DEI GENITRIX.

Quamvis tua potestas nullis coarctetur finibus, ac totum impleat Orbem miraculis: quia tamen pro voluntate sæpius uno loco magis, quam alio delectaris, & Laureti tibi placitam sedem per singulos dies innumeris signis, & miraculis exornas: Ego infelix peccator, mente, & animo ad te recurro, supplex orans, ut mihi ardentem febrim, molestissimamque tussim auferas, lassisque membris sanitatem restituas, Reipublicæ, ut oredimus, salutarem. Interim hoc munus accipito meæ servitutis signum.

Pius Papa II, anno hum. Sal. MCDLXIV.

II. Notat præterea Victorellus, ubi Pius, XIV. Kal. Julii Roma discessit, lectica vectum usque ad Pontem Milvium processisse, quatriduoque adverso tyberi lembo navigasse, & deinde terrestri itinere usum fuisse, Cardinales Carvaialium, & Papiensem in ipso itinere mensæ suæ honore prosequutum. Vide Campanum in Vita Pii II. Auctorem Commentariorum ipsius Pii, & Cardinalem Papiensem in Epistola sua LXI. Varia exempla quæ ad hunc §. spectant, legi possunt in aliorum Pontificum Vitis.

§. III.

Quando Cardinales debent præcedere Pontificem, & quando sequi.

Sed considerandum est, utrum in hac profectione condecentius Domini Cardinales præcedant, an sequantur Pontificem. Bonæ memoriæ Dominus Franciscus Cardinalis Mantuanus meo judicio hujus novæ consuetudinis auctor dicere solebat, Cardinales semper debere præcedere Pontificem, quando Pontifex habet Stolam. Sed cum venia dictum sit, hæc non est bona ratio, quia Pontifex nunquam debet exire in publicum sine Stola, & ita semper vidi servari a Pio II. cui per quatuor annos ad minus in suo Pontificatu deservivi; quem etiam per agros, & nemora peragrantem, cum Stola semper conspeximus. Et Paulus cum per Urbem vehebatur etiam lectica clausus, nunquam erat sine Stola, & in Matutinis certe majoris Hebdomadæ Pontifex exit ad Capellam cum Stola, & Manto; & quia sine Mitra Cardinales sequuntur, non autem præcedunt. Ego autem arbitror, Cardinalem Mantuanum, quia ut secundus Diaconus assistebat Pontifici, faviisse huic opinioni, ne unquam abesset a latere Pontificis. Ceterum, ut in Processionibus quando Prælatus est indutus sacris vestibus, Canonici sui præcedunt, quando autem profanis, & quotidianis, subsequuntur, ita & Cardinales Pontificem Mitratum præcedunt, sine Mitra, sequuntur. Neque unquam Pontifici sine Mitra existenti fit a Cardinalibus reverentia publica, & assistentia a Diaconis. De his tamen statuet Summus Pontifex, prout sibi placebit. Nos, ne antiquæ, & congruæ cæremoniæ omnino pereant, hæc pauca diximus.

COMMENTARIUS.

I. CErta est plane ea regula, quam docet hic noster §. ut nempe, sicut *in Processionibus, quando Prælatus est indutus sacris vestibus, Canonici sui præcedunt, quando autem profanis, & quotidianis, subsequuntur, ita & Cardinales Pontificem Mitratum præcedunt, sine Mitra, sequuntur.* Tradit & eam regulam non uno in loco Cæremoniale Episcoporum, quod nos non ita pridem perpetuis Commentariis illustravimus, & ut alia ejus loca omittamus, sic quidem inquit Lib. 1. Cap. XV. Num. IX. *Ideo Canonici parati antecedunt Episcopum, quia itur sacra Processione; secus quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum Pluviali, & Mitra, vel cum Planeta, sed tantum in Cappa; tunc enim ipse debet antei-*

Digitized by Google

re, Canonici vero subsequi, ut dictum fuit; quia non est Processio sacra. Sane Collegium Cardinalium accuratam esse effigiem antiquissimorum Ecclesiæ Capitulorum, notavit non uno in loco Thomassinus, præsertim vero, Parte I. *Disciplinæ*, Lib. III. Cap. VIII. Num. XII. & Cap. X. Num. V. id quod etiam alii Scriptores docent, & post ipsos etiam nos sæpe in nostris ad laudatum Cæremoniale Episcoporum Commentariis advertimus.

II. Fuit quidem, ut ait hic noster §. ejus opinionis Franciscus S. R. E. Cardinalis Mantuanus, Ludovici scilicet Gonzagæ Mantuani Marchionis filius, a Pio Papa II. anno MCDLXI. creatus, Cardinales scilicet *semper debere præcedere Pontificem, quando Pontifex habet Stolam*. Sed hanc opinionem, quam propugnabat memoratus Cardinalis Mantuanus, *ne unquam abesset a latere Pontificis*, quia scilicet ut secundus Diaconus Pontifici ipsi assistebat, merito Augustinus Patricius nostri hujus Cæremonialis ordinator in præsenti §. refellit, quia nimirum Romanus Pontifex Maximus *numquam debet exire in publicum sine Stola*; adducitque exempla laudati Pii Papæ II. & Pauli itidem II. quorum primus, cui adminus in suo Pontificatu per quatuor annos deservivit, per agros etiam, & nemora peragrans, Stolam semper gestavit, alter vero licet per Urbem lectica clausus veheretur, numquam sine Stola erat. Consueviſſe jam olim non modo Summos Romanos Pontifices, sed & Episcopos quoque, & Presbyteros atque Diaconos jugiter Stolam deferre, ostendimus nos in nostris Commentariis ad Pontificale Romanum. Certe de S. Thoma Cantuarieni Episcopo scribit in ejus Vita Joannes Saresberiensis apud Mabillonium in Præfatione ad Seculum I. Benedictinum, Num. CVIII. quod *Stolam jugum Christi suave circa collum, diebus, ac noctibus habebat*. Quod Presbyteros spectat, statuit quidem Concilium Moguntinum anni Domini DCCCXIII. Can. XXVIII. *ut Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. Huc respiciunt Caput CLXIX. Libri VI. Capitularium, & Canon XXVI. Concilii Triburiensis apud Burchardum Wormaciensem Lib. VI. Cap. X. *Ut Presbyteri non vadant nisi Stola, vel Orario induti*.

III. Gestare denique solitos fuisse & Diaconos Stolam primo suæ Ordinationis anno, docet nos Auctor Vitæ S. Mauri Abbatis, qui claudum, & mutum curaturus, *Stolam, cum qua eodem anno, jubente Beato Magistro suo, ordinatus ad ministerium fuerat Leviticum, & quam juxta morem, sanctitatis gratia, primo indefinenter ferebat anno, de collo suo protulit, & super caput infirmi, Crucis signum faciens, posuit*. Qui ritus si ab aliis Diaconis usurpabatur, certe non alio consilio, aliove fine, inquit eruditissimus Thyers, de Stola Diaconali agens, quam ut Ordinis sui dignitatem in oculis haberent semper, atque a Subdiaconis discriminarentur, quemadmodum liquet ex Canone IX. Concilii I. Bracarensis, quod celebratum fuit anno Christi DLXIII. *Placuit*, inquit, *ut quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diacones absconsis infra Tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre a Subdiacono videantur, de cetero superposito scapulæ, sicut decet, utantur Orario*. Orarium idem est, ac Stola, viderique possunt, quæ de hac re, & de Bracarensis Canonis interpretatione scripsimus in Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Cap. X. ubi etiam Joannem Cardinalem Bonam confutavimus, qui memoratorum Conciliorum Canones, ubi loquuntur de Orario, seu Stola a Presbyteris *sine intermissione* gestanda, intelligendos esse autumat de Orario, seu Stola improprie accepta, seu de veste talari, quam re vera sine intermissione deferre hodieque Sacerdotes tenentur.

IV. Invaluit vero pluribus ab hinc seculis usus, ut solus Romanus Pontifex propter ejus singularem præstantiam sacra Stola decoratus incedat. Quamobrem in Urbe Roma ob Papæ reverentiam sacri Oratores, Sacerdotes scilicet, quos seculares vocant, itemque Regulares, qui Superpelliceis utuntur, sine Stola concionantur, quam alias in sacris Concionibus pendentem a collo habere deberent, Etiam Parochi Romæ præterquam in exequiis, deferre Stolam in sacris Processionibus diu abstinuerunt, sed tandem nostro hoc tempore Sapientissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. Ecclesiasticæ disciplinæ peritissimus gestationem Stolæ eisdem permisit, nullam inde agnoscens irrogari injuriam Pontificiæ majestati. Hinc non video, cur & ipsi sacri Oratores cum verbum Dei Romæ prædicant, sacram Stolam e collo pendentem adhibere nequeant.

§. IV.

De itineratione Papæ, quando ad alias Urbes, seu alia loca vult se transferre.

Pontifex cum ad alia loca vult transmigrare, primum re cum sacro Collegio communicata, deleget aliquos ex Dominis Cardinalibus, qui itineris sui sint comites, & ad minus tres, ex quibus duo sint Diaconi, alius Episcopus, sive Presbyter; et si non adessent tot Diaconi, poterit unus esse Presbyter pro illo Diacono. Alii Cardinales præire, vel sequi poterunt, vel remanere, si brevi Papa est rediturus, prout eis videtur. Sed honestum est, quod aliqui præcedant. Si Papa est ingressurus aliquam Civitatem insignem, ne videatur ita solus, & ut honorent ingressum, præmittentur Commissarii, qui (1) provideant in dies de hospitiis pro Pontifice, & sua familia, pro Cardinalibus, & aliis Pontificem deducentibus, & isti habebunt nomina omnium in volumine, sive in rotulo, ut sciant pro quibus debeant providere.

(1) Ita in editione Romana, in Veneta I. legitur: *qui curent hospitia &c.*

Digitized by Google

dere. Pontifex cum ſuo Capucio, & Stola ad collum, Mantello rubro, & Galero ex cremuſino equitabit, ſive portabitur in ſella; & antequam diſcedat camera ſua, dicet has orationes: *In viam pacis, ſalutis, & proſperitatis dirigat Dominus greſſus noſtros, & Angelus ſuus bonus comitetur nobiſcum ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, ut cum ſalute, & gaudio eamus, & revertamur ad propria.* Poſtea dicitur totus Pſalmus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, cum *Gloria Patri*, &, *Sicut erat*. Poſtea repetitur tota Antiphona: *In viam pacis &c.* Deinde ſequitur: *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.* ℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Utinam dirigantur viæ noſtræ.* ℟. *Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas in viam pacis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣ *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in Nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus, qui filios Iſrael per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti; quique tribus Magis iter ad te ſtella duce pandiſti, tribue nobis, quæſumus, iter proſperum, tempuſque tranquillum, ut Angelo ſancto tuo comite, ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ felicitatis portum feliciter pervenire valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde capit iter ſuum. Ante Pontificem ſemper præfertur Crux per Subdiaconum Apoſtolicum, & poſt Crucem portabitur Corpus Chriſti ſuper equum album cum campanella: ante equum præibit Clericus Capellæ cum laterna cum lumine, & poſt Sacriſta cum ferula, & iſti ſemper erunt inter Papam, & Crucem.

COMMENTARIUS.

I. DIximus ſupra in Commentario ad rubricam hujus Tituli de ritu itinerationis Papæ ex ms. antiquo Cæremoniali Joannis Davantriæ, & de precibus, quas ex eodem Cæremoniali deſcripſimus. Illud autem primum hoc loco explicabimus, quod eſt de habitu Papæ iter agentis: *Pontifex cum ſuo Capucio*, ait noſter §. *& Stola ad collum, Mantello rubro, & Galero ex cremuſino equitabit, ſive portabitur in ſella &c.* Uſum fuiſſe Pontificem jam ante editionem hujus Cæremonialis Chlamyde *cum Capuceo de ſcarletto albo*, docet nos in ſuo Romano XV. Ordine Petrus Amelius, Cap. XLVIII. Forte Capucium eſt illa veſtis, quam Mozzettam dicimus, de cujus loquitur antiquum ms. Diarium relatum ab erudito Philippo Bonannio in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica his verbis: *Caputium autem Pontificis Maximi recens indumentum antiquis Pontificibus omnino incognitum. In Galliis extitit mutatum, cum Apoſtolicæ Sedi in illis partibus contigit commorari. Ibi enim propter aeris intemperiem, ac hiemis aſperitatem, veteri illo Manto depoſito, Mantellum, & Caputium purpureum Pontifices prima vice induere incœperunt &c.* Sane poſt reſtitutam in Urbem Apoſtolicam Sedem a Gregorio Papa XI. in Cæremonialibus eorum temporum occurrit paſſim mentio Capucii Papalis, & Mozzettæ, de qua videri poſſunt quæ ſcripſimus nos Tomo I. Cæremonialis Epiſcoporum, Libro I. in Commentario ad Caput II. Alia vero quæ in hoc §. ſtatuuntur, ac præſertim de Euchariſtiæ prælatione, iter agente Summo Pontifice, jam ſupra explicata a nobis abunde fuerunt, ubi etiam nonnihil diximus de origine ejus ritus, de quo peculiare Opuſculum ſcripſit Angelus Rocca.

II. Reſtat ut alterum explicemus, quod in ſecunda Oratione hujus §. dicitur, de tribus nempe Magis, quibus Deus iter ſtella Duce ad Chriſtum recens natum moſtravit, ex ipſa enim Oratione addiſcimus, tres fuſſe Evangelicos Magos; quem etiam numerum ſolide inter alios probat eruditus Melchior Inchofer in Libro cui Titulus, *Tres Magi Evangelici*, Cap. XXVI. Tres itidem Magos fuiſſe docet marmorea lamina ſepulcralis reperta hoc anno MDCCL. in Cœmeterio Priſcillæ, & collocata in porticu S. Mariæ trans Tyberim. Ea namque præter vultum cum reliqua ſuperiori parte corporis feminæ, cui conjuncta eſt perbrevis epigraphe, *Severa in Deo vivas*, ſpectandam offert graphito, ut ajunt, opere expreſſam Deiparam in Cathedra compoſitam, tenentemque manibus puerulum Jeſum ſuper genua ſedentem, ad quam properare videntur ſucceſſivo gradientes ordine, geſtanteſque ambabus ulnis complexam non vacuam quampiam patenam Viri tres decoram chlamydem tunicamque viatorum more ſuccinctam induti. Per hos autem nequis dubitaret ſignificari Magos Chriſti adoratores, proſpexit ſatis operis artifex, excelſius ibi ſtella expreſſa, & quidem Deiparam inter, & properantes illos, quam Evangelium ſtetiſſe narrat loco, ubi puer erat, addita inſuper figura hominis pone Cathedram indicatam ſtantis, & eandem ſtellam digito monſtrantis, hoc eſt, ut arbitror, Joſephi Sanctiſſimi Viri Mariæ.

§. V.

Ordo intrandi aliquam Urbem in Pontificalibus.

Cum autem Pontifex voluerit intrare aliquam insignem Urbem, firmabit se in aliqua Ecclesia, vel domo extra portam civitatis, & ibi capiet Pluviale, & Mitram, & interim omnia parabuntur, quæ portantur in pompa, quando Pontifex equitat in Pontificalibus, scilicet Vexilla parva, & magna, & cum illis Vexilla Civitatis, in quam intrat; equi phalerati, Pilei quatuor, equus cum scala, umbella, & reliqua, baldachinum pro Sacramento, & pro Papa cives invenient. Erit etiam paratus Clerus Urbis illius cum Crucibus, & Reliquiis Sanctorum extra portam Civitatis. Pueri etiam obviabunt pedites, cum ramis olivarum, vel aliarum arborum, clamantes, *Vivat Papa*. Pontifex cum sua Curia equitabit eo ordine, quo superius diximus, in Pontificalibus, hoc addito, quod sarcinæ Pontificis præcedent omnes equos, & Clerus paratus cum sua Processione ibit immediate ante Crucem Papæ. Si autem aliqui Cardinales exeuntes de Civitate obviabunt Pontifici, postquam habuerit Mitram, & Pluviale, advertat ille, qui ducit equum cum scala Papæ, ut statim præcedat, & deponat scalam ad dextram partem Papæ. Cardinales autem descendant ex equis suis remote, & accedent reverenter ad Papam; & primo osculentur ei pedem, & manum, deinde per scalam ascendant, & osculentur faciem; postea ascendant suos equos, & vadant in suo ordine. Hoc servatum legimus apud Majores nostros; & quia videtur in se habere gravitatem, & majestatem, quamquam in usu non viderimus, placuit his addere. Cum Pontifex erit prope portam Civitatis, Prælatus illius cum Cruce accedat ad Pontificem debitis reverentiis, & offert illi Crucem osculandam, quam Pontifex reverenter, cum Mitra tamen, osculabitur; non enim commode poterit ei abstrahi, & imponi Mitra equestri ab equestribus. Si tamen placuerit & Mitram deponere, non erit inconveniens. Deinde Prælatus incipiet Antiphonam: *Ecce Sacerdos Magnus &c.* & aliam: *Dum esset Summus Pontifex &c.* & ibit cum Clero ad locum suum ante Crucem in Porta. Princeps Civitatis, etiamsi sit Rex, ducet equum Pontificis fræno, vel si Pontifex vehitur sella, subit sellam cum suis Proceribus dignioribus per aliquot passus; deinde jubente Pontifice, alii succedunt ei, & ille ascendit equum, & equitat in suo ordine. Si vero Civitas non sit sub Principe, sed libera; tunc Summi Magistratus ducunt equum fræno, vel subeunt sellam a principio, & mox mutantur, & alii nobiles cives succedunt; sed post Magistratus vadunt circa Pontificem pedites, alii autem portant baldachinum supra Pontificem, alii supra Sacramentum. Cum Pontifex pervenerit ad portam Ecclesiæ principalis, Prælatus offert ei Aspersorium cum aqua benedicta, & Pontifex aspergit se ipsum, & circumstantes. Deinde imponit incensum in thuribulo, & per Prælatum incensatur. Si autem Pontifex descenderit ex equo, antequam intret Ecclesiam, & si Diaconi Cardinales erunt prope ipsum, antiquior de manu Prælati accipiet Aspersorium, & porrigit Pontifici, & ministrabit navicellam, cum Pontifex ponet incensum, & Clerus cantabit, *Te Deum laudamus*. Cum perventum fuerit ad Altare, genuflectet Pontifex ad orandum ante Altare super Faldistorium, quousque fuerit finitum, *Te Deum laudamus*. Et Prælatus Ecclesiæ dicet super eum Versiculos, & Orationes, prout diximus in nostro Pontificali, in receptione Pontificis. Quibus dictis, Pontifex surgit, ascendit ad Altare, & solemniter benedicit populo, dicens: *Sit Nomen Domini benedictum &c.* & mox unus de Diaconis pronunciat Indulgentias, prout Pontifici placebit. Inde eodem ordine Pontifex deducitur ad suum hospitium, & alii divertunt ad sua. In exitu autem Civitatis, si Papa voluerit proficisci in habitu Pontificali cum Pluviali, & Mitra, servabitur idem ordo, ut in introitu, præterquam de Processione Cleri, de vexillis, de umbella, de baldachinis, quæ non aderunt. Et Pontifex extra portam intrabit aliquam Ecclesiam, & deponet Mitram, & Pluviale, & induet Mantum rubrum, & Capellum ex cremusino, & procedet, ut superius dictum est, itinerando cum suis tribus Cardinalibus. Quod si Pontifex in eundo noluerit uti Pontificalibus, tunc poterit equitare per Civitatem ordine quo diximus superius, cum equitat non in Pontificalibus ad aliquam Ecclesiam religionis gratia, nisi quod Sacramentum Corporis Christi semper aderit, & Forerii cum pulvinaribus non aderunt; extra Civitatem, cum sibi videbitur, dimittet Cardinales, & alios,

Digitized by Google

& alios, qui honoris causa suam Sanctitatem deduxerint, & retinebit eos, qui secum sunt profecturi.

COMMENTARIUS.

I. OBservatum hunc olim morem, data Ecclesiæ pace, ut Episcopis, sive Apostolicæ Sedis Legatis ad aliquem locum venientibus Clerus, & Populus, honoris, & officii causa, prælato Crucis vexillo obviam procederet, pervetusta nos docent vel Seculi Christi IV. exempla a nobis allata in Commentariis ad Romanum Pontificale, Parte III. Titulo XX. qui inscriptus est: *Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum*. Hinc non mirum, si Romanis Pontificibus Maximis, qui Episcoporum omnium Principes sunt, & Jesu Christi in Terris Vicarii, exhibiti semper fuerint vel a Summis Principibus, summi honores, ubi ad eorum loca accessissent. Certe S. Joannem I. Papam summo cum honore excepit Justinus Imperator Constantinopolim venientem, ab eoque coronari voluit: *Occurrerunt Beato Joanni Papæ*, inquit in ejus Vita Anastasius, *a milliario* XII. *omnis Civitas cum cereis, & Crucibus in honorem Beatorum Petri & Pauli*. Et paulo post: *Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, & adoravit Beatissimum Joannem Papam*. Et postea: *Justinus autem Imperator gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis Vicarium Beati Petri Apostoli videre in Regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est Justinus Augustus*; qui etiam, ut idem Auctor subdit, Joanni ipsi Papæ obtulit Patenam auream cum gemmis pensantem libras viginti, Calicem aureum cum gemmis pensantem libras quinque, scyphos argenteos quinque, pallia auro texta quindecim, quæ ipse Joannes detulit postea Romam ad Beatos Apostolos Petrum & Paulum, & ad S. Mariam, atque ad Sanctum Laurentium.

II. Longum esset omnia velle id genus exempla referre, quibus Vitæ Romanorum Pontificum, & Principum Christianorum abundant. Dicam quid de Stephano Papa IV. aliis V. narrat Auctor Vitæ Ludovici Pii: *Stephanus*, ait, *post sui consecrationem ad Dominum Imperatorem venire non distulit. Vix enim duobus exactis mensibus summa cum festinatione ei occurrere festinavit. Præmisit tamen Legationem, quæ super ordinatione ejus Imperatori satisfaceret. Imperator autem ejus adventu prægnito, Bernardo quidem nepoti*, Italiæ Regi, *eum comitari jussit. Sed & appropinquanti alios Missos, qui eum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem adventum ejus Remis sustinere statuit. Cui etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum Sacri Palatii, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Joannem Arelatensem*, non Atrebatensem, ut habet Baronius ad annum DCCCXVI. *aliorumque Ministrorum Ecclesiæ copiam præcedere jussit Infulis indutos Sacerdotalibus*. Quo honore, & qua reverentia Ludovicus ipse Imperator Summum Pontificem Stephanum exceperit, narrat Theganus his verbis: *Perrexit post Missum Dominus Ludovicus obviam supradicto Pontifici, obvians ei in campo magno Remensium. Descendit uterque de equo suo, & Princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutavit Pontificem istis verbis, dicens*: Benedictus, qui venit in Nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. *Et respondens Pontifex*: Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum David Regem videre.

III. Occurrendum Summis Principibus, ac præsertim Romanis Pontificibus Maximis non modo solemni Cleri & populi Processione, sed cum Vexillis, Crucibus, Reliquiis Sanctorum, olivarum, aliarumque arborum ramis, merito ait hic noster §. sequutus est enim veterem ritum, quo tum longe ante, tum post annum Christi millesimum excipi a Principibus, & a Populis Summi Romani Pontifices consueverunt, uti non uno in loco superius diximus, & in nostris ad Pontificale Romanum Commentariis. Videri præterea potest quod & de ipsa re scripsit doctissimus Morettus in celeberrimo Opere, quod, *De Presbyterio*, inscripsit.

§. VI.

Quid agendum, si cum Papa adesset unus Diaconus tantum cum Episcopo, vel Presbytero Cardinali.

Et quia in hujusmodi itinerationibus sæpe accidit, quod apud Pontificem sint pauci Cardinales, si hoc, vel aliquo tempore accideret, quod in aliqua solemnitate dum Pontifex exit ad Ecclesiam in Pontificalibus, non esset præsens, nisi unus Diaconus, & unus Episcopus tantum, Cardinalis Episcopus iret a dextris, & Diaconus a sinistris Papæ, & sic sederent in assistentia Papæ, Diaconus tamen semper imponeret, & extraheret Mitram adjuvante Episcopo. Si vero adesset aliquis Presbyter Cardinalis cum uno Diacono, tunc Diaconus iret, & sederet a dextris semper, & similiter imponeret, & extraheret Mitram Pontifici. In incensatione autem, & pace, Presbyter Cardinalis, si adest, id faciet, quamvis sit assistens, si non sit alius Presbyter, si non aderit, faciet unus Episcopus Cardinalis; & si non aderit Episcopus, faciet Diaconus, tam in Missis, quam in Vesperis, tam parato Pontifice in Pontifica-

Digitized by Google

ficalibus, quam non parato; & ſi nullus aderit Cardinalis, dignior Prælatus incenſabit, & dabit Pacem Pontifici.

COMMENTARIUS.

I. EXtat in Cæremoniali Epiſcoporum, quod nos non ita pridem Commentariis illuſtravimus, Caput inſcriptum, *De ſupplendis vicibus Canonicorum, aliorumque Miniſtrorum deficientium*; Eſt Cap. XXVI. Lib. I. in eoque multa invenies, quæ & ad hujus §. explicationem facient. Ratum enim illud fixumque eſt, quod iterum, atque iterum notatum a nobis jam fuit, non aliter ſpectandum eſſe Romanorum Cardinalium Sacrum Collegium, quam ut abſolutiſſimam imaginem Capitulorum primævæ Eccleſiæ, & ſanctioris diſciplinæ. Id profecto pluribus probat eruditiſſimus Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. VIII. Num. XII. & Cap. X. Num. V. quem Auctorem jam nos ſuperius laudavimus.

DE RECEPTIONE PRINCIPUM

TITULUS XIII.

I. PErvetuſtus eſt quidem ritus ille vel apud Gentiles uſitatiſſimus, ut Civitatem quamcumque intranti Imperatori, aut Summo Principi, cum ſolemni Proceſſione obviam iretur. Celebre eſt quod ea in re de Germanico Caji Caligulæ Imperatoris patre ſcribit in ipſius Caligulæ Vita Svetonius Tranquillus, Cap. IV. ſic inquiens: *Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium, proſequentiumve, nonnumquam eum diſcrimen vitæ adiiſſe; e Germania vero poſt compreſſam ſeditionem revertenti Prætorianas cohortes univerſas prodiiſſe obviam, quamvis pronunciatum eſſet, ut duæ tantummodo exirent: Populi autem Romani ſexum, ætatem, ordinem omnem uſque ad viceſimum lapidem effudiſſe ſe.* Ita a Capuanis Hannibalem, ab Athenienſibus Attalum Aſiæ Regem, a Gallis Viennenſibus Julianum Cæſarem fuiſſe ſuſceptum, teſtantur Titus Livius, Ammianus Marcellinus, & alii antiqui Scriptores, inter quos memoratus Suetonius, & Julius Capitolinus, Cæſaris Auguſti, quod ſolitus ſemper eſſet, ne populum inquietaret, nocte ingredi, vel egredi Civitates, atque Antonini Philoſophi, quod filiæ ſuæ nuptum proficiſcenti occurri prohibuiſſet, ſummopere modeſtiam prædicant.

II. Apud Chriſtianos conſueviſſe jam olim Imperatores, ac Reges ſolemni cum Proceſſione a Populo, & Clero, atque a Pontificibus ipſis excipi, teſtes ſunt Eccleſiaſticarum Hiſtoriarum Scriptores. S. Gregorius Turonenſis, qui, ut ajunt Baronius, & Bellarminus, Seculo Chriſti VI. floruit, Lib. VIII. *Hiſtoriæ Francorum*, Cap. I. memoriæ prodit, Guntheranno Regi, cum ipſa S. Martini Feſtivitate Aureliam veniſſet, obviam proceſſiſſe immenſam hominum multitudinem *cum ſignis, atque vexillis*. Signa hic idem ſunt, ac Cruces, eaque vox frequenter occurrit apud Scriptores Eccleſiaſticos, atque in Lege I. Codicis, *Nemini licere &c.* ubi ſancitum eſt, *Signum illud*, ideſt Crucem, *Salvatoris Chriſti, nemini licere, vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere &c.* Quo ritu demum exceptus ſit a Romano Pontifice Carolus Magnus, aliique Imperatores, ac Principes, ubi Romam venere, dicemus mox infra in Commentariis ad Paragraphos ſequentes, tametſi de eadem re aliis locis dixerimus.

§. I.

De receptione Imperatoris venientis ad Urbem Peregrinationis gratia.

Fridericus Tertius anno ſalutis ſexageſimo octavo ſupra milleſimum quadringenteſimum Romam venit religioſæ peregrinationis gratia. Eum Paulus Secundus Pontifex Maximus ſummis honoribus excepit. Quæ igitur in ſuo adventu mature, & prudenter ordinata ſunt, atque ſervata, quoniam omnibus interfui, ex officio hic annotabo, & ut poſteri his uti, ſi voluerint, facile poſſint, adnectam. Ut primum igitur nunciatum eſt, Cæſarem in Italiam adventaſſe, Romam via Flaminia petiturum, juſſit Provinciarum Eccleſiæ Romanæ Præfectis, per quas iter facturus erat Cæſar, ut venienti honoris cauſa obviam irent Pontificis nomine ad fines Provinciæ, illumque cum omni ſuo comitatu publicis ſumtibus magnifice exciperent, & honores ei omnes impenderent, juberentque per Civitates omnes, qua eſſet tranſiturus, Clerum in porta obviam exire cum Crucibus, & deducere ad Eccleſiam cum Antiphonis, Verſiculis, & Orationibus, ut in Pontificali habetur. Deinde ut Eccleſiæ Agrum Cæſarem intraſſe cognovit, Nobiles quoſdam ex ordine equeſtri præmiſit, qui Cæſari obviam irent congratulantes Pontificis nomine proſperum ejus adventum, eique omnia Pontificis officia pollicentes. Poſt hos ſunt miſſi duo Sacri Palatii Cauſarum Au-

Digitized by Google

Auditores, qui Spoleti, & duo deinde Archiepiſcopi cum duobus Epiſcopis ex aſſiſtentibus Papæ, qui Narniæ Cæſari ſe exhibuerunt. Deſignavit præterea Pontifex duos Apoſtolicæ Sedis Legatos Guillelmum Epiſcopum Oſtienſem Rothomagenſem, & Franciſcum S. Euſtachii Diaconum Senenſem, S. R. E. Cardinales; datis mandatis, ut duorum dierum itinere Cæſari obviam irent. Sed Legati cum primum obviam fiunt Imperatori, deſcendunt ex equis, cum ex propinquo eum manifeſte videant, & ſuæ Majeſtati reverentiam faciunt, ſive deſcenderit, ſive in equo remanſerit; conſuevit tamen & ipſe, deſcendentibus Legatis, deſcendere. Die autem, quo Urbem intravit, hoc ordine exceptus eſt. Primum obviam ivere ad tertium lapidem Vicecamerarius, Præfectus, Senator, Conſervatores, & Cancellarii Urbis, omnes cum habitu ſuæ dignitatis, & cum his capita Regionum, & alii Magiſtratus Urbani cum Civibus nobilioribus, quos non multo intervallo Ordines Curiæ, & Cancellariæ Officiales, duce Epiſcopo Urbinate, Correctore, & Abbreviatore Litterarum Apoſtolicarum, ſequuti ſunt. Tertio loco Prælati Domeſtici Pontificis cum aulicis Proceribus, & Nobilibus multis ad ſecundum lapidem proceſſere. Sacer deinde Cardinalium Senatus extra portam ad quingentos paſſus Cæſarem expectabat, cui advenienti, ſuo, & Pontificis nomine felicem adventum gratulatus eſt, verba faciente Priore Epiſcoporum Cardinalium. Clerus Urbis in ipſa porta cum Crucibus, & Reliquiis, ut Cæſarem exciperet, juſſus erat. Hoc igitur ordine, quamvis propter ſerum introitum omnino ſervari non potuerit, Urbem ingreſſus eſt. Primo procedebant mixtæ Cardinalium familiæ cum militibus Cæſaris, tum Familiares Pontificis laici cum Familiaribus Imperatoris. Inde Nobiles, & Barones; tum Conſervatores cum Officialibus Urbis; deinde Oratores Principum, & Regum non Prælati; poſtremo Senator, & Præfectus Urbis cum ſuis ornamentis; Armiger Cæſaris cum enſe nudo inter illos, & Cæſarem ſolus equitabat. Sequebatur Cæſar cum baldachino medius inter duos Epiſcopos Cardinales; cui in porta Vicarius Papæ, qui, Clero Urbis præeſt, paratus in Pontificalibus, Crucem exoſculandam porrigere debet. Et Clerus cantat: *Ecce mitto Angelum meum*. Et Clerus cum Proceſſione præcedit immediate ante Præfectum, & Senatorem. Imperatorem ſequuntur Cardinales per ordinem, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi. Officiales, & nobiliores Cives ducunt equum Cæſaris fræno, & baldachinum portant. Poſt Cardinales ſequebantur Prælati Cæſaris cum Prælatis Oratoribus, & demum alii, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, & alii Curiales togati. Ex itinere duo Presbyteri, & duo Diaconi Cardinales divertentes, ad Pontificem pervenerunt, qui cum illis, & nonnullis aliis Prælatis, atque aulicis ſuis, cum Pluviali, & Mitra deſcendit ad Eccleſiam S. Petri, ubi in Capella majori, in Sede eminenti ſedens Cæſarem expectabat. Cæſar ordine, quo diximus, ad gradus Baſilicæ pervenit, ubi equo deſcendens, a Cardinalibus, & aliis ad Confeſſionem Beati Petri deductus eſt, ubi paratum erat faldiſtorum, ſuper quod procumbens aliquantulum oravit. Interim Cardinales omnes ad Pontificem aſcendentes, in locis ſuis ſederunt, & illi duo Presbyteri, & Diaconi, qui prævenerant Cæſarem, apud faldiſtorium orantem expectantes, illum finita oratione ad Pontificem deduxerunt, qui, ut Pontificem vidit, genu terram trangens, illum veneratus eſt, & accedens propius idem fecit; aſcendens deinde ad Solium, in terram pronus Pontificis pedes oſculatus eſt, deinde manum. Pontifex benigne illum ſuſcipiens, atque a terra elevans, ad oſculum oris recepit, & aſſurgens, eum modeſte amplexatus eſt; moxque juſſit, eum ſedere in Sede pro eo honorifice præparata inter Solium Pontificis, & ſedilia Epiſcoporum Cardinalium. Tum excepit Prælatos, & Proceres Cæſaris ad pedis oſculum. Deinde a duobus Diaconis Cardinalibus deductus Cæſar ad Altare majus, ibi ſuper paratum ſibi faldiſtorium diutius genuflexus oravit. Interim Chorus cantavit Antiphonam: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ.* ℣. *Glorificavit illum in conſpectu Regum.* ℟. *Et non confundetur.* Surgens deinde Pontifex ſine Mitra, dixit: *Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Deus judicium tuum Regi da.* ℟. *Et juſtitiam tuam filio Regis.* ℣. *Salvum fac Domine ſervum tuum N. Imperatorem noſtrum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui B. Petro Apostolo tuo, collatis clavibus Regni cælestis, animas ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti: concede, ut intercessionis ejus auxilio famulus hic tuus N. Imperator noster a nexibus peccatorum suorum liberetur.

Prætende Domine quæsumus famulo tuo N. Imperatori nostro dextram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne, & humiliter postulat, assequi mereatur.

Omnipotens sempiterne Deus Christiani Imperii protector, & conservator, da servo tuo N. Imperatori nostro virtutis invictæ triumphum, ut ad nostram, & Ecclesiæ tuæ sanctæ, atque Fidelium omnium unitatem, & pacem, subditas illi facias universas barbaras nationes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post hæc Pontifex de Solio descendit, & Cæsarem iterum amplexatus, manu sinistra illum tenens, pariter Palatium Apostolicum ascenderunt, & in Sacellum S. Nicolai (1) ingressi aliquantulum consederunt, & familiariter confabulati sunt. Deinde Pontifex Cæsarem ad cubiculum illi paratum dimisit, jussitque, Cardinales complures illum deducere; ipse vero cum suis per aliam Sacelli portam, ad Cameram suam profectus est. Dum Cæsar Romæ fuit, sæpe noctu, uno, vel altero famulo sociatus, clam & indicto tempore ad Pontificis cubiculum accessit, cui Pontifex obviam exivit, cum primum id potuit, & descendentem ipse deduxit usque ad secundam, & tertiam Aulam; & aliquando ipse Pontifex inexpectatus ad Cæsaris Cubiculum cum paucis venit, illumque semper, quantum potuit, honoravit, cum summa tamen gravitate, & majestate, & in Ecclesia, & in via. In Ecclesia orante Pontifice super Faldistorio sibi parato ante Altare, ut fit, Imperator super aliud Faldistorium orabat a sinistris positum coopertum purpureo ornamento cum pulvinari etiam purpureo, & parvo scabello viridi etiam (2) & parvo pulvinari purpureo. Sedes Cæsaris cum suo reclinatorio, sive postergali sita erat inter Sedem Pontificis, & sedilia Cardinalium in formam Sedis Pontificalis, sed non tantæ altitudinis, neque latitudinis; cooperta erat panno serico viridis coloris, & scabellum parvum habebat viride, super quod pedes tenebat Imperator; altitudo ipsius sedis ita erat instituta in Capella Apostolica, ut non altior esset locus, ubi sederet Imperator, quam ubi Pontifex teneret pedes; & item scabellum Cæsaris æquale erat sedibus Cardinalium. Cum incensabatur Pontifex per Cardinalem assistentem, mox incensabatur Imperator per primum ex Prælatis assistentibus Pontificis. Cum Pontifex pacem accipiebat ab assistente Cardinale, primo dabat pacem Imperatori, postea Diaconis assistentibus. Inter eundum semper manu sinistra illius dextram tenebat, (3) aliquando, & ad dextram eum ponebat; volebatque, ut æquali semper gradu incederet, quamvis modeste semper Cæsar reluctaretur. In discessu mandavit Pontifex, quod itidem, ut in introitu, honoraretur; sed Ille summo mane cum paucis e suis conscenso equo ante recessit, quam Cardinales convenissent; pauci admodum ejus festinationem sunt assequuti. Donavit Pontifex Cæsarem pluribus muneribus, primum veste aurea, & equo albo phalerato cum aliquibus jocalibus cum Reliquiis Sanctorum admodum pretiosis, quorum pretium supra duorum millium aureorum ferebatur.

COMMENTARIUS.

I. TAnta fuit olim veterum Christianorum Imperatorum religio, ut invisendi gratia Apostolorum Limina, ipsumque Jesu Christi in terris Vicarium, Romanum Pontificem Maximum, a longinquis Regionibus se ad Urbem conferrent, solitusque fuit eos semper Pontifex ipse summo cum honore, & eximia liberalitate excipere. Teste Anastasio in Vita Hadriani I. Papæ, cujus locum descripsit Baronius ad annum DCCLXXIV, cum jam per sex menses stetisset Carolus Magnus in obsidione Ticini Civitatis, adveniente tempore Paschali, relicto ibi exercitu, *magnum desiderium habens ad Limina Apostolorum properandi, Romam per Tusciæ partes properavit, ita festinanter adveniens, ut in ipso Sabbato Sancto se Liminibus præsentaret Apostolicis*. Ita plane Anastasius, qui mox ita subdit: *Cujus adventum audiens Beatissimus Hadrianus Papa, quod sic repente ipse Francorum adveniisset Rex, in magno stupore, & extasi deductus, direxit in ejus occursum universos Judices ad fere triginta millia ab hac Romana Urbe in locum, qui vocatur* Novas, *ubi eum cum Bandora susceperunt*. Bandora hoc loco idem est, quod bandum, seu vexillum, eaque vox occurrit passim apud Scriptores, ut pluribus docet Dufresne in suo Glossario. Judices autem vocantur Magistratus, & Primores Urbis.

II. Pergit Anastasius, aliosque honores recenset Carolo ipsi Romam adventanti a laudato Pontifice exhibitos: *Et dum appropinquasset, fere unius milliario a Romana Urbe, direxit universas Scholas militiæ una cum Patronis, simul-*

(1) Ita in Veneta 1. editione anni 1516. in Romana vero anni 1560. additum est: *quod nunc dicitur Capella Paulina*.
(2) Ita in Romana editione; in Veneta 1. desunt hæc verba: *& parvo pulvinari*. (3) Hæc verba; *aliquando & ad dextram eum ponebat*, leguntur in editione Romana, sed desunt in 1. Veneta.

Digitized by Google

mulque & pueris, qui ad discendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum, atque olivarum, laudesque omnes canentes, cum acclamationum earundem Laudum vocibus, ipsum Francorum susceperunt Regem. Extremum ejus occursus, seu Processionis agmen venerandæ Cruces clauserunt: *Obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces, ideſt signa, sicut mos est ad Exarchum, aut Patricium suscipiendum, cum ingenti honore suscipi fecit.* Itaque pervetustus est ritus cum solemni Processione, cum olivarum ramis, cum Laudum acclamationibus, & venerandis Crucibus Principi Romam venienti occurrere, nihilque fere in hoc Cæremoniali Romanæ Ecclesiæ Augustinus Patricius ejus ordinator scripsit, quod in ipsa Romana Ecclesia antiquo usu non esset receptum, a priscis Summis Pontificibus iterum atque iterum comprobato, & ab ipsis Principibus religiose pieque servato.

III. Ergo ut post Anastasium narrat ad ipsum annum DCCLXXIV. Baronius, statim ubi Christianissimus Rex Cruces illas conspexit, equo descendens pedestris ad Ecclesiam S. Petri processit, & perveniens ad atrium, ubi eum Pontifex cum reliquo Clero opperiebatur, omnes gradus singillatim deosculatus est; ac demum a Pontifice benigne exceptus, post mutuos amplexus tenuit in incessu, & ingressu Ecclesiæ dextram manum Pontificis, cunctis acclamantibus, *Benedictus qui venit in Nomine Domini &c.* Quod quidem accidit in die Sabbati Sancti. Erant sane Laudes istæ, victoriæ, vel vitæ diuturnioris adprecationes, cum iisque susceptus tunc fuit Carolus tanquam Patricius, ac Defensor Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum & sub Leonis III. Pontificatu, quando quartum Romam profectus est, ut in ejusdem Pontificis Vita notavit Anastasius, & ex eo Baronius, Ciaconius, Pagius, aliique Scriptores Vitarum Romanorum Pontificum. Earundem Laudum usum Traguri, quæ parvula insula est Dalmatiæ proxima, adhuc continuari, observat Joannes Lucius in Historia Dalmatiæ & Croaciæ, Lib. II. Cap. VI, ubi Laudes hæ inter Missarum solemnia a duobus ex Canonicis Ambonem ascendentibus acclamantur, Choro loco populi respondente, sed loco Imperatoris, profertur nomen Summi Pontificis. Legendum mediæ & infimæ Latinitatis Glossarium eruditi Dufresne, in voce, *Laudes*.

IV. Quamquam vero sit mos antiquus, ut cum ingenti honore, pietate, ac munificentia Summi Pontifices Romæ Imperatores excíperent, ut plurima exempla nos docent, non tamen idem ordo in ipsis excipiendis in hoc §. descriptus in omnibus cæremoniis servatus antiquitus fuit; hic enim ordo servatus primum videtur in adventu Friderici III. Imperatoris Romam, & quidem anno MCDLXVIII. *religiosæ peregrinationis gratia*, quem *Paulus II. Pontifex Maximus summis honoribus excepit*, ut ait hic noster §. Legendus porro Augustinus Patricius, qui nostrum hoc Cæremoniale ordinavit, ejusque receptionis cæremoniam direxit, erat enim tunc temporis Apostolicarum Cæremoniarum Præfectus, in Epistola ad Joannem Manellum Cremanum, quæ minutissimam descriptionem continet rituum servatorum in ipso adventu Friderici III. Imperatoris ad Paulum Papam II. legiturque apud Mabillonium Tomo I. Musei Italici, Parte II. pag. 156. & seqq.

V. Ut alia omittam, observandum hic nobis est, primam Orationem, quæ antiqua est, & ut est in hoc §. descripta, totidem verbis legitur in priscis Sacramentariis, & Missalibus Libris, seculo elapso fuisse in uno verbo mutatam. Ubi enim olim legebatur, *Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus Regni cælestis, animas ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti &c.* in recentioribus Breviariis, & Missalibus centum circiter ab hinc annis impressis, sublatum fuisse verbum illud, *animas*.

§. II.

De receptione Regis venientis ad Urbem.

Cum Pontifici nunciatum erit, Regem quempiam Romam venturum, mandet Rectori Provinciæ, qua ille erit primum transiturus, ut venienti Regi ad fines Agri Ecclesiæ obviam vadat, illum Pontificis nomine benigne suscipiat, honoret, & per totam suam Provinciam deducat, alatque cum omni sua familia publicis sumtibus. Cum Civitates, & insignia Oppida intrabit, occurret ei Clerus cum Processione, & baldachino, cantantes Hymnos, Antiphonas, Versiculos, & Orationes, ut in Libro Pontificali habetur; & mittat quamprimum numerum equitum, qui sunt cum Rege, & qualitatem Comitum ejus ad Pontificem; mittantur deinde ad tres dietas, duo Prælati, qui occurrant Regi Pontificis nomine; & deinde quatuor alii ad duas; demum per quindecim, aut viginti quinque milliaria mittantur duo ex Presbyteris, sive Diaconis Cardinalibus Legati obviam, qui Regem ad Urbem deducant. Ordinentur qui in toto itinere, dum erit in terris Ecclesiæ, faciant expensas Regi. In die Introitus Vicecamerarius, sive Gubernator Urbis cum Præfecto, Senatore, Conservatoribus, Cancellariis, Capitibus Regionum, & aliis Officialibus, & Nobilibus Civibus primi exibunt obviam ad secundum, aut tertium lapidem. Ad primum lapidem occurret Regi Familia Pontificis cum omnibus Ordinibus, & Officialibus Curiæ. Sacer Senatus Cardinalium in porta obviabit Regi; & per Priorem Episcoporum Cardinalium fient verba congratulatoria nomine Pontificis, & Collegii, & omnes Cardinales tangent manum Regi, & osculabuntur genam. Deinde hoc ordine

Digitized by Google

intrabunt Urbem. Primo præcedunt Familiæ Dominorum Cardinalium, & Curialium mixtim. Familia deinde Pontificis cum Officialibus Curiæ Secularis, videlicet Scriptoribus Apoſtolicis, Abbreviatoribus, & hujuſmodi. Et cum Familia Regis Barones, Nobiles, Conſervatores, Oratores Principum, & Regum non Prælati, Præfectus Urbis, & Senator. Siquis Princeps, aut magnus Nobilis erit, cum Rege locetur inter Oratores Laicos, vel cum Senatore, aut Præfecto, pro dignitate ſua. Nota tamen, quod Orator Imperatoris ſemper præcedit Senatorem. Sequentur deinde ſervientes armorum cum ſuis baculis argenteis, quorum aliqui ſemper diſcurrent, curantes, ut alii præcedant ſecundum datum ordinem. Deinde Sacrum Collegium Cardinalium, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Rex vero erit medius inter duos Seniores Diaconos in ultimo loco. Poſt Regem erunt immediate duo, aut tres Cubicularii, ſive Secretarii ſui. Deinde Oratores, Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates; & ſiquis Prælatus erit cum Rege, ponetur inter Prælatos Oratores. Prælati ex Familia Papæ in hujuſmodi actibus, quando Collegium eſt præſens, non præponuntur aliis, quia Collegium eſt ibi tunc nomine ſuo, & Pontificis, ſed ſtabunt in loco ſuæ promotionis. Clerus Urbis cum Vicario occurret Regi ad gradus Baſilicæ S. Petri, & ibi Regi ex equo deſcendenti Vicarius offeret Crucem oſculandam; & tunc præcedent cantantes Antiphonam: *Ecce ego mitto Angelum meum &c.* & alios Hymnos; & ſic deducetur ad Altare majus ordine, quo venerat: ubi ſuper faldiſtorium ſibi paratum orabit genuflexus, interim Chorus cantabit Reſponſorium: *Poſui adjutorem ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea.* ℣. *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* ℟. *Et exaltavi &c.* Item aliud: *Tua eſt potentia, tuum Regnum Domine, tu es ſuper omnes gentes, da pacem Domine in diebus noſtris.* ℣. *Creator omnium Deus, terribilis, & fortis, juſtus, & miſericors.* ℟. *Da pacem Domine &c.* Finito Reſponſorio, Rege adhuc proſtrato permanente, Prior Cardinalium dicit Verſus, & Orationes infraſcriptas ſupra Regem, ſtans in cornu dextro Altaris, ubi dicitur Evangelium: *Pater noſter.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Deus judicium tuum Regi da.* ℟. *Et juſtitiam tuam filio Regis.* ℣. *Salvum fac Domine N. Regem.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus.

Deus, cui omnis poteſtas famulatur, da huic famulo tuo N. Regi proſperum ſuæ dignitatis effectum, in quo te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat.

Deus, qui B. Petro Apoſtolico tuo, collatis clavibus Regni Cæleſtis, animas ligandi, atque ſolvendi, Pontificium tradidiſti: concede, ut interceſſionis ejus auxilio famulus hic tuus N. Rex a nexibus peccatorum liberetur.

Prætende Domine N. Regi famulo tuo dexteram Cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne, & humiliter poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Surgat Rex ab oratione, & deducatur a Cardinalibus ad aliquem locum ſibi præparatum ad hoc, & ibi eum dimittant cum duobus ultimis Presbyteris, & totidem ultimis Diaconis Cardinalibus; alii omnes aſcendant ad Pontificem; qui paratus cum Pluviali & Mitra pretioſis exit ad publicum Conſiſtorium in prima Aula Regali ornatum. Cum omnes ſederint, facta a Cardinalibus conſueta reverentia Sanctiſſimo Domino noſtro, ſedebunt in loco ſuo, & mox deducetur Rex ad Pontificem a quatuor Cardinalibus in hunc modum. Primo præcedent Familiares Regis, tum quatuor ſervientes armorum, & poſt eos Miniſter Cæremoniarum; inde duo Presbyteri Cardinales, deinde Rex medius inter duos antiquiores Diaconos, & poſt eum ſex, aut octo Prælati prædicti. Rex tertio genuflectet in conſpectu Pontificis; duo Presbyteri Cardinales præcedentes facient reverentiam Pontifici, & expectabunt ibi ſtantes ante Pontificem. Deinde aſcendet primus Diaconus, & poſt eum Rex, qui genuflexus oſculatur pedem Sanctiſſimi Domini noſtri. Pontifex porrigit ei manum, quam poſtquam fuerit oſculatus, levet eum, & recipiat ad oſculum oris. Interim aſcendet & alius Diaconus. His peractis, & aliquibus verbis gratulatoriis, & grates agentibus per Pontificem, & Regem dictis, deducitur Rex a Diaconis ad ſedendum poſt primum Epiſcopum Cardinalem, & ipſi revertuntur ad ſedendum ad locum ſuum; & tunc ſi Pontifici placet, proponuntur ab Advocatis aliquæ cauſæ; quibus finitis, ſurgunt omnes, & Rex accedet ad Pontificem cum Cardinalibus, & ejus familia oſculatur

Digitized by Google

latur pedes Pontificis. Deinde Pontifex cum omnibus revertitur ad cameram, & mittit aliquos Cardinales, qui deducunt Regem ad cameram ſuam. Et nota, quod ſecundum quod legi in pluribus Libris Cæremoniarum, Rex in primi die adventus ſui non debet ſervire Pontifici in aliquo actu, neque in ferenda cauda, neque in menſa, ſi ſecum pranderet, neque in aliqua re. In aliis autem diebus portabit caudam Pluvialis, dabit aquam manibus ſive in Miſſa, ſive in menſa, & in convivio portabit primum ferculum, & in collatione primum potum, & hujuſmodi. Sedebit autem ubicumque erit in publico, aut in ſecreto cum Cardinalibus poſt primum Cardinalem ſuper cuſſinum aureum, ſive purpureum, & in loco ſuo incenſabitur, & capiet pacem per eundem, ut alii Cardinales. Pontifex donabit Regem aliquibus muneribus devotis, & pretioſis, veſte aurea, & equo phalerato, ſicut fecit Sixtus Quartus Chriſtigervo Regi Daciæ, & Ferdinando Regi Siciliæ, qui Romam venerunt tempore Jubilei anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto. In diſceſſu ſociabitur Rex a Cardinalibus uſque ad portam Civitatis. Si Rex veniet ad Urbem ob aliam cauſam quam peregrinationis, poſſunt omitti omnia, quæ fiunt in Eccleſia S. Petri, & ſine Proceſſione Cleri deduceretur a Cardinalibus ad locum deſtinatum, & inde ad Conſiſtorium publicum, ut dictum eſt. Si vero Pontifex non eſſet Romæ, neque in terris ſuis, quando Rex aliquis ad eum veniet, tunc neque per tot dietas mitteret ante eum, neque faceret ei expenſas; in ingreſſu autem honoraretur, & reciperetur in Conſiſtorio publico, uti ſuperius dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. VArios variis temporibus veniſſe Reges Romam religionis cauſa ad viſitanda Apoſtolorum Limina, & Summum Romanum Pontificem, docent frequenter Pontificum Vitæ, & mſs. Apoſtolicorum Cæremoniariorum Diaria, in quibus ritus narrantur in ipſorum Regum receptione ſervati. Extat in ms. Cæremoniali Joannis Davantriæ Titulus, qui inſcriptus eſt: *Modus tentus in adventu Domini Ferdinandi Regis Aragonum ad Dertuſiam, ubi Dominus Benedictus Papa cum ſua Curia reſidebat &c.* Eſt is pſeudo-pontifex Benedictus XIII. ſeu Petrus de Luna, qui etiam extra Urbem degens in receptione ipſius Regis cæremonias pene omnes ſervavit tunc quidem uſu receptas, ac deinde in hoc noſtro §. deſcriptas: *Una die*, inquit Davantrias, *ante ingreſſum ſuum, ſcilicet die Lunæ poſt prandium, Domini Cardinales, ſcilicet S. Georgii, & S. Euſebii, aſſociantibus eos Dominis Camerario Papæ, & Meneſcallo, cum Prælatis, & aliis familiaribus, & Officiariis Papæ, iverunt ad locum de Cherta, ubi Rex manebat, & primogenitus cum fratre ſuo Domino Petro, exivit obviam eis. Demum facta Regi viſitatione per eos ex parte Papæ, recepto congerio, Dertuſiam redierunt; ſequenti vero die omnes Cardinales exierunt ei obviam quaſi per tractus tres baliſtæ; & facta reverentia more ſolito, Domini Cardinales redierunt ad Conſiſtorium, demtis Dominis Sancti Georgii, & Sancti Euſtachii* (in margine legitur S. Euſebii) *qui aſſociaverunt eum unus a dextris, & alius a ſiniſtris, quouſque in principio pontis Procuratores Civitatis exiverunt cum pallio*, ideſt baldachino, *ſub quo, præcedentibus dictis Cardinalibus, ivit per Villam, quouſque vidit Crucem; tunc deſcendit*, de equo ſcilicet, cui inſidebat, *& ivit pedes ſub pallio inter dictos Cardinales, & genuflectens adoravit Crucem, & oſculatus eſt eam; ivitque ſic ad Eccleſiam, & oravit, & auditis orationibus, & benedictione recepta, aſcendit eques caſtrum, & ibi per Dominum Papam fuit receptus in Conſiſtorio, ut moris eſt, & Domini Cardinales aſſociaverunt eum uſque ad Cameram ſuam in Caſtrum &c.* Hic Ferdinandus Rex Aragoniæ ſequutus primum partes Petri de Luna, conſilio deinde Sancti Vincentii Ferrerii ſe ab eo ſubtraxit, uti diximus Tomo IV. Conciliorum

II. Extat & in eodem Davantriæ ms. Cæremoniali alius Titulus, qui inſcriptus eſt: *Modus tentus tempore Domini Benedicti in Regis Navariæ ingreſſu, quando venit Perpinianum*; ubi cæremonia ejus receptionis fuſius refertur his verbis: *Primo ante ingreſſum ejuſdem Regis, per unum diem ibit ad dictum Regem ad locum de Bagis Camerarius, & Præceptor Caſtelloti Theſaurarius, Magiſter Hoſpitii Dominus Garſias Lupi de Seſſe ad ſalutandum &c. ex parte Domini noſtri. Poſt die ſequenti idem Camerarius Domini noſtri exibit cum Prælatis Domeſticis, Militibus, Clericis Cameræ, & aliis Familiaribus Domini noſtri obviam dicto Domino Regi uſque ad medium itineris de Bagis. Demum exibunt Domini Cardinales omnes uſque ad certum locum, de quo eis videbitur, diſtantem a Villa. Item cum dicti Domini Cardinales fuerunt cum dicto Rege, duo juniores recipiunt Dominum Regem in medio; & Dominus Auxitanus, & Dominus Camerarius cum eo, cum aliquibus, qui aſſocient eum, dimiſſo Rege, ibunt ſtatim ad Dominum noſtrum, qui præadviſatus per Dominum Camerarium, qui aliquantulum præcedet dictum Dominum Auxitanum ſedebit in Conſiſtorio, & dictus Dominus Auxitanus exhibebit reverentiam Domino noſtro. Poſt hæc Dominus Rex, qui interim continuaverit iter ſuum veniendi ad Dominum noſtrum in medio duorum Cardinalium, qui eum aſſociabunt, cum intrabit portam Aulæ Conſiſtorii, ſtatim genuflectet, & levabit ſe, & ſtabit ſic ibi quouſque Dominus Auxitanus iverit ad aſſociandum eum. Et cum dictus Dominus Auxitanus fuerit cum dicto Rege, antiquior Diaconorum, qui aſſociabant eum, ſcilicet Regem, ibit ad Dominum noſtrum ad exhibendam reverentiam, & redibit ſtatim ad Do-*

Digitized by Google

minum Regem associandum, & quando redierit junior Diaconus, ibit ad exhibendam reverentiam Domino nostro: & Rex stabit semper in medio duorum, quousque ultimus Diaconorum exhibuerit reverentiam; & dictus Cardinalis ultimus Diaconorum, exhibita reverentia Domino nostro, debet statim redire. Et tunc Rex in medio duorum Cardinalium Auxitani, & de Fliſco, procedant ultra, & semper in locis strictis præcedat Dominus Auxitanus, & sequetur eum Rex, & Regem Dominus de Fliſco. Et cum intrabunt parcum Consistorii, dictus Rex genuflectet, & post procedet in medio dictorum Dominorum Cardinalium, usque ad pedes Domini nostri & Dominus noster faciet aliquantulum gestum assurgendi; & tanget sibi modicum de manu in capite, sedens in Cathedra sua. Ipse autem Rex osculabitur pedem, & manum Domino Papæ, & ipse recipiet eum ad osculum. Post Dominus Rex associatus per duos dictos Cardinales sedebit ad manum dexteram Papæ in quadam Cathedra, quæ ibi erit parata cum coxino de panno auri, & ad pedes nihil debet tenere; tamen dictus Rex debet facere posse de tollendo coxinum de Cathedra, & Papa non permittet &c. Prolixior adhuc hic Ordo est, sed placuit aliqua describere, ut vel inde intelligas variatos semper fuisse nonnihil ritus in Principibus excipiendis pro temporum scilicet varietate, & Principum ipsorum conditione.

III. Omissis aliis quæ ad majorem nostri hujus §. enarrationem dici hic possent, cum in eodem mentio fiat adventus Romam Christigervi, sive Christierni Regis Daciæ tempore Sixti IV, lubet hoc loco referre Jacobi Cardinalis Papiensis Epistolam DLVI. Bernardo Elcinensi scriptam de ritu in ejus Regis receptione Romæ servato, & de obsequiis ab eodem exhibitis laudato Pontifici Sixto IV, & Cardinalibus: *Nos hic Dacarum Regem honoribus summis accepimus. Turba omnis Curialis egressa est obviam. Patres ad portam congressi, medium illum per Urbem ad Basilicam Petri, inde ad Pontificem perduxere, juridicundo tunc publice præsidentem. Procubuit in genua ante illius pedes, nec ante se elevari est passus, quam sermonibus suis esset responsum. Redeunti in Cubiculum Xixto, exeuntique ad Divina horum dierum, gremia ejus semper portavit. Lavanti manus pelvim sustinuit. Inter duos primos Cardinales sessum receptus, non prius sedere, non prius tegi voluit, quam utrumque ab utroque factum esset. Me hodie alterum ex duobus illis assidentem rogari per Interpretem fecit, ut pateremur, post omnes Cardinales ad osculum Crucis eum ascendere. Est enim hæc dies Paraſceve. Cum rogarem cur ita deposceret? Ut habeatur, inquit, justus honos summo Senatui. Plura hujusmodi hoc solo triduo sunt ab eo præstita Apostolicæ Sedi, in quibus trium Regnorum Rex a Septentrionibus veniens, nobis Italis, quo animo esse in summum Sacerdotem debeamus, exemplo suo edocuit.* Porro plura alia quæ in hunc §. dici possent, legere est nostro Tomo III. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XXIII. Necesse est enim, ut multa omittamus, quæ a nobis copiose parata jam fuerant pro interpretatione Romanæ Ecclesiæ Cæremonialis, sed rei familiaris angustia non sinit, ut majori impensa onerer, quam vires meæ ferre valeant.

IV. Unum adhuc lubet hoc loco referre, quod de adventu Ladislai Neapolitani Regis ad Urbem scriptum reliquit Petrus Amelius in suo Romano Ordine XV, Cap. CLXVII. *Nota*, inquit, *quod anno Domini MCCCXCIII. die Sabbati XVIIII. Aprilis in Vigilia Paschæ Dominus Ladislaus Rex Neapolitanus Romam intravit; & in S. Paulo omnes Cardinales sibi obviam iverunt. Romani vero cum pallio in porta prope metam eum cum pallio receperunt, sub quo solus per totam Urbem usque ad gradus S. Petri equitavit. Duo vero Diaconi Cardinales, qui eum associabant ante Banderenses equitabant, & illi Vexilliferi Romanorum immediate ante Regem equitabant. Post Regem immediate Patriarcha Gradensis, & post eum Comes Laurentii, & alii Milites, & Prælati.* Addit mox alia, quæ & hunc nostrum §. illustrant: *Die vero S. Paschæ in Missa Rex semper servivit Papæ de aqua, & semper sedebat inter duos primos Episcopos Cardinales; deinde Patriarcha Constantinopolitanus post Priorem Presbyterum Cardinalem, qui erat tertius in illa Sede; deinde Patriarcha Gradensis, & sic omnes alii. In prandio vero dictus Rex in mensa etiam sedebat inter duos primos Episcopos Cardinales.* Paucis ab hinc annis, post fugatos apud Velitras Germanos, venit Romam Carolus Borbonius Rex utriusque Siciliæ, sed minime servatæ fuerunt cæremoniæ in §. nostro præscriptæ, quod noluit eo nomine Urbem ingredi, sed veluti privatus Princeps.

§. III.

De receptione Reginæ.

Si aliqua Regina veniret Romam honoraretur, & in ejus adventu omnia servarentur, quæ dicta sunt de Rege in omnibus & per omnia, & in Ecclesia dicuntur, quæ inferius ponemus, sed non recipietur a Pontifice ad osculum oris, sed ad pedis, & manus, neque poneretur ad sedendum inter Cardinales, verum salutato Pontifice, post osculum pedis, & manus, surgeret, & rediret ad Cameram suam, & illa dimitteretur cum aliquibus Cardinalibus ad locum sibi paratum. Quod tamen servatum non fuit in Regina Daciæ tempore Sixti Quarti, & Innocentii Octavi; non enim recepta fuit in Consistorio, sed a Collegio deducta (1) ad domum suæ habitationis. In Ecclesia fieret ei suggestus ornatus extra & prope Capellam, ubi cum suis ancillis posset stare, & audire Missam; & cum Diaconus incensat Cardinales, Reginam Acolythus unus eodem modo incensat. Similiter cum datur pax Cardinalibus, Subdiaconus, qui servit in Missa, portet pacem argenteam, sive auream osculandam Reginæ. Neque

(1) Ita legendum censeo, tametsi in Cæremoniali legatur *seducta*.

Digitized by Google

que illa servit in aliquo Pontifici, nec debet esse aliquo modo in convivio cum Pontifice. In porta igitur Ecclesiæ S. Petri super gradus occurrit ei Clerus cum Processione indicta, & Prælatus offert ei Crucem osculandam; & Chorus cantat Responsorium: *Ista est speciosa inter filias Jerusalem. Sicut vidistis eam plenam charitate, & dilectione in cubilibus, & in hortis aromatum.* ℣. *Ista est speciosa, quæ ascendit de deserto deliciis affluens. Sicut vidistis &c. Gloria Patri &c. Sicut vidistis &c.* Deinde cantando *Te Deum laudamus*, perveniunt ad Altare majus, ubi Regina super faldistorium orat. Interim Prælatus stans apud Altare, dicit super eam Versiculos, & Orationem, videlicet, ℣. *Salvam fac ancillam tuam Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eam.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo;* Oremus.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, ineffabilem clementiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester Reginam Israeliticæ plebis causa salutis ad Regis Assueri thalamum, Regnique sui consortium transire fecisti: ita hanc famulam tuam, Christianæ plebis salutis gratia, ad gratiam tuam transire facias, ut tibi super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat, & dextera tuæ potentiæ illam semper hic, & ubique circumdet. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Sicut Reges, ita & Reginæ Romam venientes, summo honore exceptæ fuere a Romano Pontifice, uti & antiqui Codices Cæremoniales, & Historiæ Ecclesiasticæ nos docent. Certe cum Joanna Siciliæ Regina, mense Martii anni MCCCLXVIII. ad Urbanum V. Papam, qui tunc temporis Romæ morabatur, veniret, non modo Petrus Rex Cypri, qui Romæ aderat, ei obviam exivit, sed & Urbanus Cardinales omnes, & Proceres Romanos in occursum introeuntis submisit; ac ipse ad gradus Basilicæ S. Petri expectans illam, ad majorem Aram deduxit. Die vero decima nona ejusdem mensis, quæ concurrebat cum Dominica quarta Quadragesimæ, qua in Introitu Missæ cantatur, *Lætare Jerusalem*, & in qua consuevit dari per Papam Rosa aurea Viro notabiliori in Curia existenti, Pontifex Rosam Reginæ Joannæ tanquam notabiliori, majori, & excellentiori, licet Vir non existeret dedit, Regi Cypri eam in hoc præferendo, quæ more solito cum Cardinalibus, & aliis Nobilioribus per Urbem equitavit, ut ait Auctor ejus primæ Vitæ apud Baluzium in Historia Vitarum Paparum Avionensium, ubi etiam in Notis ad eum locum col. 1015. observat ex Garosco de Ulmoisca Veteri, factum illud displicuisse quibusdam Cardinalibus; nihilo tamen minus Urbanus, si fides sit adhibenda Libro diversarum Chronicarum Regni Siciliæ ms. in Archivo Vaticano Num. CDLIV. juxta Bzovium anno MCCCLXVIII. Num. IV. in Festo Paschatis, seu die nona Aprilis benedictum inter sacrificandum *Ensem auratum* eidem Reginæ Joanni adsidenti donavit; ipsa vero Petro Regi Cypri, qui eo accinctus Nicolaum Spinellium Juvenatium Reginæ Cancellarium baltheo militari ornavit, Sed de his vide quæ diximus supra Titulo VII. in Commentario ad Caput VI.

II. Quamquam vero ex nostro §. *si aliqua Regina veniret Romam, honoraretur, & in ejus adventu omnia servarentur, quæ dicta sunt de Rege in omnibus & per omnia*; subdit tamen, & quidem recte idem noster §. quod *non recipietur a Pontifice ad osculum oris, sed ad pedis, & manus*. Patres siquidem aperte, nec raro, insectantur mulierum oscula, & quamvis aliqui agunt universe de Christianis omnibus, multo magis idem statuerent de sacris hominibus. Ceterum nolo iccirco derogatum usui antiquo deosculandi Antistitum & Sanctorum Virorum manus, quem quidem morem variis exemplis probat eruditus Raynaudus in Dissertatione, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros & religiosos homines*, Cap. XV. Quicquid sit, pergit noster §. & ait, Reginam Romæ honorifice receptam, & in Consistorium admissam non debere poni *ad sedendum inter Cardinales, verum salutato Pontifice, post osculum pedis, & manus*, dimitti debere *cum aliquibus Cardinalibus ad locum sibi paratum*. Addit, servatum id fuisse *in Regina Daciæ tempore Sixti IV. & Innocentii VIII. non enim recepta fuit in Consistorio, sed a Collegio deducta ad domum suæ habitationis*. Vox *seducta* legitur in omnibus editionibus hujus Cæremonialis, rectiusque poterat dici *deducta*. Verbum enim *seduco* sæpe in malam partem accipitur, ideoque eam vocem corrigendam in textu censui.

§. IV.

De receptione Primogeniti Regis.

Primogenitus Regis, qui est hæres Regni, & futurus Rex, si superstes erit, honoratur iisdem fere cæremoniis in suo adventu, sicut de Rege diximus: pauca mutabun-

Digitized by Google

buntur. Non mittentur obviam per tot dies Prælati, neque mittentur Legati Cardinales, sed per unum, aut duos dies mittentur etiam aliqui Prælati, & Collegium obviabit in porta Urbis. Descendet ad Palatium Apostolicum, & ducetur suo tempore a duobus Diaconis ad Pontificem ad publicum Consistorium, & post receptionem ad osculum, sedebit post primum Presbyterum Cardinalem, & non post primum Episcopum, ut sit aliqua differentia inter patrem & filium. Si veniret Romam causa devotionis, posset recipi in Ecclesia S. Petri, sicut de Rege diximus; sed in Orationibus non diceretur S. Rex, sed simpliciter famulus tuus N. Omnia alia serventur, ut superius dictum est de Rege. In Capella sedebit, ut diximus. Thure excipietur, & accipiet pacem ut Rex. In recessu deducetur a Collegio Cardinalium usque ad portam Civitatis, & semper erit medius inter duos Seniores Diaconos Cardinales in ultimo loco tam in veniendo, quam in redeundo.

COMMENTARIUS.

I. QUod utplurimum Maximi Principes, eorumque filii licet Primogeniti sub alio nomine, ac titulo soliti sint ad Urbem venire, hinc est, quod cæremoniæ ad ipsos recipiendos in nostro Cæremoniali præscriptæ, pene abolitæ videantur, uti non semel notatum fuit. Possem hoc loco varias Principum, qui Romam venere, receptiones describere, quas in suis mss. Diariis Cæremoniarii Apostolici recensent, sed cum non idem cæremoniarum ordo in ipsis receptionibus servatus fuerit, uti ex memoratis Diariis constat, idcirco easdem referre omittimus; tum præsertim, quod inde semper controversiæ subortæ sint circa honores, quibus Principes non solum primogeniti Regum, sed & secundogeniti recipi volebant. Legendus Burchardus in ms. Diario gestorum Alexandri Papæ VI. ubi agit de adventu Principis filii secundogeniti Ferdinandi Regis Neapolis.

§. V.

De receptione alicujus Principis Electoris Imperii, sive alterius Maximi Principis.

Principes Electores Imperii digniores habentur aliis Principibus præter Reges, sicut Cardinales aliis Prælatis ratione electionis. Hi septem numero sunt, tres Archiepiscopi, Colonienſis, Moguntinus, & Trevirensis. Tres Principes, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis. Septimus additus fuit Rex Bohemiæ. Colonienſis Cancellariæ Imperiali præest, per Italiam, Moguntinus, qui & Decanus est Electorum, per Germaniam. Trevirensis per Gallias; & quilibet illorum in sua Provincia, & Diœcesi procedit secundum Caroli Quarti Sanctionem. Palatinus, qui inter laicos primum locum obtinet, Archidapifer est Imperii, & ad eum pertinet deferre aureum pomum ante Cæsarem. Dux Saxoniæ Archimareschallus est, & Ensem nudum ante Cæsarem præfert. Brandeburgensis Camerarius Imperii censetur, & ante Cæsarem Sceptrum Imperiale portat. Et quamvis ille Comes, hic Marchio dicatur, sunt tamen & Ducatus Titulo omnes insigniti. Nam Palatinus ex Ducibus Bavariæ primus habetur. Et Brandeburgensis Pomeraniæ, & Stetinensem Ducatum obtinet; sed Comitatui, & Marchionatui fuit attributa eligendi potestas. Hæc voluimus delibasse, quæ non facile alibi legas, ut omnes sciant, quid importet Nomen Electoris Imperii. Quos tam Prælatos, quam Principes pari modo hortandos esse in eorum adventu ad Curiam censeo, nisi in sedendo, ut postea dicemus. Princeps igitur Maximus excipietur, ut Agrum Ecclesiæ Romanæ intraverit, omni humanitate, & honore, ut diximus de Rege, sed non tanto apparatu; neque Clerus ibit obviam cum Processione. Mittentur aliqui a Pontifice obviam per unum, aut duos dies. In introitu eorum, familiæ Cardinalium sigillatim unaquæque per se extra portam per quingentos passus, vel circa, exibunt obviam Principi; congratulabuntur felicem ejus adventum nomine heri sui, & offerent domum, & ejus bona. Oratores Principum, & Senatus ulterius progredientur. Familia Papæ post alias familias ibit obviam Principi; & demum duo Cardinales nomine Pontificis, & Collegii paulo extra portam Principi occurrent, & post congratulationem capient eum medium, & ducent ad Pontificem in publicum Consistorium hoc modo. Procedent familiæ Cardinalium, & Curialium, & primum, qui in brevibus sunt; deinde familia Principis cum suis sarcinis; demum familiares Papæ laici cum Nobilibus; postre-

Digitized by Google

ſtremo Oratores non Prælati. Princeps deinde medius inter dictos duos Cardinales, & ante eos ſervientes armorum. Poſt vero Prælati Oratores cum Prælatis Papæ. Deinde ſiquis Prælatus erit cum Principe, honorabitur pro ſua dignitate. Poſtea ſequentur alii Prælati ordine ſuo conſueto. Deducetur Princeps ad Palatium, & expectabit in parva Capella cum ſua familia. Illi duo Cardinales ibunt ad Pontificem, qui paratus ex more exibit ad publicum Conſiſtorium paratum in Aula ultima, non in prima Regia; & facta reverentia a Cardinalibus, proponetur aliqua cauſa ab Advocatis, & cum prima erit finita, vel ante, ſi placebit Sanctiſſimo Domino noſtro, quatuor, aut ſex Prælati, ex primis Aſſiſtentibus diſcedent a pedibus Pontificis, & ibunt ad deducendum Principem ad Conſiſtorium, qui veniet medius inter duos primos digniores, & facta trina reverentia, recipietur a Pontifice ad oſculum pedis, manus, & oris. Deinde poſt aliqua verba, quibus & gratias aget, & gratulabitur, ſurget; perque Clericum Cæremoniarum deducetur ad ſedendum inter duos ultimos Diaconos Cardinales, & proponetur aliqua cauſa, vel finietur propoſita. Finito Conſiſtorio, ſurgent omnes, & Princeps cum aliquibus Cardinalibus ibit ad Pontificem, & illo ſtante, & cum Pontifice confabulante, poterunt ejus familiares oſculari pedes Papæ. Poſtea Papa revertetur ad Cameram ſuam, & Princeps ibit immediate poſt Crucem inter duos juniores Cardinales, & ſic ſedebit in Eccleſia, & ibi, quandocumque erit cum Reverendiſſimis Cardinalibus; & cum hac die diſcedet a Papa, & ibit ad locum ſibi aſſignatum, debet deduci ab illis duobus Cardinalibus, qui eum deduxerunt ad Palatium.

COMMENTARIUS.

I. QUandoprimum conſtituti fuerint Septemviri Electores Imperii, diximus ſupra in Commentariis ad Titulum v. ubi eorum opinionem refutavimus, qui eam inſtitutionem ad Pontificatum Gregorii Papæ V. referunt. Certa profecto eſt Panvinii opinio in Libro, *De Comitiis Imperatoris*, ubi ex pluribus Auctoribus aperte demonſtrat, *ante Friderici II. Imperatoris tempora Imperii Electores fuiſſe omnes Germaniæ Principes, tum ſacros, tum profanos, qui in ejus rei memoriam hodie dicuntur Principes Imperii, quorum numerum ad* LIII. *vel* LIV. *fuiſſe, liquet ex Abbate Vrſpergenſe, ubi de Henrici IV. Imperatoris Comitiis verba facit.* Recenſet mox Auctor Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque Principum nomina tam ſacrorum, quam laicorum, & ita inquit: *Hi igitur Principes, vel omnes, vel quotquot adeſſe poterant, ante Friderici II. Imperatoris obitum Comitiis Imperii adeſſe ſolebant; interregni enim tempore vocati, ad præſcriptum ſibi locum veniebant; perinde ac noſtra ætate fieri ſolet in eis Germanorum Principum conventibus, quos Diætas vocant. Qui autem ex competitoribus, quos plures fuiſſe aliquando legimus, plura ſuffragia ab his, qui aderant, ferebat, is Rex Romanorum demum appellabatur. Hanc autem conſuetudinem ſervatam fuiſſe uſque ad Friderici II. Imperatoris obitum, ſatis ex tot Auctorum ſuperius citatis teſtimoniis liquere arbitror.*

II. Docet hæc Panvinius, qui etiam & alia mox addit, quibus hic noſter §. magis magiſque illuſtratur. Ergo, ut ait laudatus Auctor, ex his omnibus Principibus Imperii antiquitus inſtitutum fuit, ut tres priores Archiepiſcopi, videlicet Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis Imperii Cancellarii eſſent: Moguntinus ſiquidem in Germania, Colonienſis in Italia, Trevirenſis per Burgundiam, Lotharingiam, Regnum Arelatenſe, & ceteras Galliarum Provincias, quæ Imperio ſuberant. Per has enim potiſſimum Provincias Imperii Romani ditio tum extendebatur, Regno Arelatenſi, & ceteris per Gallias Imperialibus Provinciis nondum a Francis Occidentalibus occupatis. Hos autem tres Archiepiſcopos ideo præcipue electos fuiſſe præ cæteris, qui Cancellarii Imperii eſſent, exiſtimat Panvinius, quod vetuſtiſſimi, & nobiliſſimi omnium Germanicorum Epiſcoporum eſſent. Moguntinus enim Metropolitanus eſt totius Germaniæ a Sancto Bonifacio I. Archiepiſcopo inſtitutus: Colonienſis vero Archiepiſcopus ideo Cancellarii dignitatem obtinuit, tum propter antiquitatem, tum etiam quod in ejus Diœceſi Aquiſgrani Regis inauguratio celebretur. Porro omnium vetuſtiſſimus eſt Trevirenſis Epiſcopatus, a S. Petro inſtitutus in Galliis. Ex Abbatibus vero, Fuldenſis Archicapellanus erat Imperii. Atque hinc poſtea manaſſe ſubdit idem Panvinius, ut cum Septem Electores inſtituti fuerunt, potiſſimum hi tres Archiepiſcopi ceteris Prælati ſint, ſolique electionis dignitate inſigniti, tanquam Imperii Romani digniores Principes, & ejuſdem Cancellarii, vel, ut poſtea uſurparunt, Archicancellarii, ob quod munus aliis Archiepiſcopis eminentiores erant.

III. Quicquid de his ſit, eſt & ejus opinionis Michael Beutherus in ſua, *De Septemviratu Prinpipum Electorum*, narratione, ſub Carolo IV. qui claruit Seculo XIV. Romanorum Imperatorum, ſeu Regum Electores ad ſeptenarium hunc numerum primum redactos fuiſſe, idque ex certis documentis oſtendi. Facta eſt porro poſtremis temporibus & alia additio, de qua alibi jam diſſeruimus. Ceterum quod ritum ſpectat receptionis Principis alicujus Electoris Imperii, ſive alterius Maximi Principis, ad Urbem venientis, diſerte expreſſus eſt ritus ipſe in hoc noſtro §. Sed ſciendum tamen, invaluiſſe jam pridem uſum, ut ipſi Principes Maximi utplurimum veluti incogniti ad Urbem accedant, eamque ob cauſam præſcriptæ ad ipſos recipiendos cæræmoniæ prætermittuntur.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

De receptione Principis non ita clari.

Princeps autem non Elector Imperii, sive Dux non ita clarus, Magnus tamen, iisdem fere cæremoniis honorabitur, sed non ibunt obviam ei Cardinales aliqui, neque sedebit inter Cardinales, verum post omnes Cardinales, & erit medius intrans inter duos primos Prælatos Pontificis. Cætera, ut supra. Et si esset Dux, aut Princeps minoris qualitatis, qui non deberet sedere in sedibus Cardinalium, non recipietur in Consistorio publico, sed modo supra dicto deducetur ad suum Hospitium.

COMMENTARIUS.

I. QUinam sint Principes non ita clari, non est facile definire. Non semel accidit, ut qui minoris potentiæ essent, ac præsertim consanguinei, affinesve Pontificis, ex peculiari ejus gratia, Romam venientes summo honore exciperentur. Varia de hac re exempla afferunt in suis mss. Diariis Apostolicarum Cæremoniarum Magistri, longumque esset hujusmodi receptiones hoc loco narrare. Temporibus nostris jam ipsæ receptiones in desuetudinem abiere, solent enim Principes incogniti venire ad Urbem mutato titulo Principatus vitandi causa cæremonias, quæ in eorum ingressu sunt ex antiquo instituto peragi solitæ. Sic Magni Duces Hetruriæ Cosmus III. anno Jubilei MDCC. & Violantes Beatrix a Bavaria sequenti Jubileo anni MDCCXXV. Petiliani Comites se appellarunt.

§. VII.

De Principe Electore Prælato.

Princeps Elector Archiepiscopus, videlicet Moguntinus, Colonienſis, sive Trevirensis, quamvis præcedant Laicos Electores, cum ultra Sacram Dignitatem, etiam Ducatus Titulo decorentur, tamen familiarius consueverunt a Pontifice tractari in sedendo, ut audivi; nam ex eis nemo meis temporibus ad Curiam venit. Credo tamen, quod debeant recipi, ut alii Principes Electores; & in sedendo erit ille Archiepiscopus Elector post omnes Cardinales in sede Diaconorum Cardinalium. Si tamen erit præsens alius similis Princeps, quia tunc ipse non cederet illi, poterunt, si erunt plures, sedere in eodem sedili, secundum ordinem ipsorum.

COMMENTARIUS.

I. JAm superius dictum fuit, Magnos Principes, ubi Romam veniunt, solitos esse mutare titulos sui Principatus, quia scilicet non semper recipi possunt, aut debent eo honore, quo ipsi vellent. Hinc forte Clementem Augustum e Bavaria Electum Archiepiscopum Colonienſem, eundemque Monasterienſem, & Paderbonenſem Episcopum sacri Romani Imperii Principem electorem, qui una cum Violante Beatrice a Bavaria Magna Hetruriæ Principe ejus amita, de qua diximus in Commentario superiori, Romam petebat, ut a Benedicto XIII. Consecrationis munus acciperet, Viterbii Pontifex jussit consistere, quo profectus in Ecclesia S. Mariæ de Quercu Fratrum Ordinis Prædicatorum die x. Novembris, ipsum Colonienſem Archiepiscopum ritu solemni consecravit.

§. VIII.

De receptione Oratorum, sive Legatorum Regum, & Principum, sive Rerumpublicarum.

Pridie quam Oratores sunt ingressuri Urbem, debent id significare honesto modo. Et si ipsi Oratores veniunt ad præstandam obedientiam Summo Pontifici, sive ob aliquam rem magni momenti, & spectantem ad bonum publicum, tunc Pontificis nomine debet intimari per Cursores Cardinalibus, & Prælatis Curiæ dies & hora introitus illorum Oratorum, & per quam portam, ut mittant familiam ad honorandum. Et nota, quod intimatio hujusmodi non consuevit fieri nisi in casibus prædictis. Cum autem Oratores ob res privatas suorum Dominorum veniunt, non mittuntur

Digitized by Google

tur familiæ, ſed privati amici mittunt. Tempore Sixti cæremoniæ hujuſmodi fuerunt multum (1) relaxatæ, adulationis & complacentiæ gratia; bonum eſſet, quod res ad debitam gravitatem reducerentur. Die igitur & hora prædicta familiares Dominorum Cardinalium ſeparatim exibunt obviam Oratoribus per medium miliare, vel circa extra Urbem. Si veniunt per portam S. Petri, familiæ non tranſeunt Domum Leproſorum, neque ullo modo aſcendunt Montem; & ſimiliter, ſi per portam S. Mariæ de Populo, non tranſeunt pontem Æmilium. Advenientibus Oratoribus, ille, cui commiſſum eſt a Cardinali, accedit, & nomine Domini ſui gratulatur felicem adventum Oratorum, & dicit, Dominum ſuum miſiſſe familiam ſuam ad honorandum illorum introitum propter reverentiam, devotionem, affectionem, ſive benevolentiam ex Domini illius conditione, cujus titulos diligenter ſervare debet, quem habet erga Dominum illorum; & pollicetur, atque offert omnem operam Domini ſui, domum, familiam, & omnia, quæ poteſt ad beneplacita illorum; & habito ab illis reſponſo, recedunt ad partem, dant locum aliis, & vadunt ad loca ſua, & ſemper honorabiliores remanent cum Oratoribus. Familia Papæ debet eis occurrere paulo extra portam, & facta ſalutatione, aptantur per Clericum Cæremoniarum in hunc modum. Primo procedunt familiæ Curialium, tam Cardinalium, quam aliorum, qui in brevibus ſunt; deinde ſarcinæ, & familia novorum Oratorum, bini, & bini; poſt familiares Papæ, Laici, & Nobiles, ac Barones ſiqui ſunt; tum ſervientes armorum cum ſuis baculis argenteis; inde Oratores, quorum primus erit medius inter duos primos Prælatos Pontificis. Deinde, ſi erunt plures Oratores, ponentur unus poſt alium, medius inter unum Prælatum Pontificis, & unum ex Oratoribus Principum, qui ſunt in Curia, ſive ſint Prælati, ſive laici; & Prælatus Pontificis erit a dextris novi Oratoris, & Orator antiquus a ſiniſtris. Quando non erunt plures Oratores, novi ſequentur, unus Prælatus Palatii, & unus Orator; & qui ſuperabundabunt, ſive Prælati Palatii, ſive Oratores, ibunt bini & bini. Quod ſi novi Oratores eſſent tot numero, ut Prælati Papæ, & Oratores antiqui non ſufficerent ad retinendos eos medios, ibunt poſt primum, qui erit inter duos, ut diximus, ex Palatio, alii bini & bini; unus Orator novus, & unus Prælatus Palatii, ſive unus Orator antiquus; & hoc alternatim, videlicet, poſt primum erit unus Orator antiquus, deinde unus Prælatus Palatii, & ſic deinceps uſque ad ultimum. Sequentur deinde alii Prælati ſuo ordine, & poſt eos Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, Acolythi, Cubicularii, alii Familiares Papæ Togati, ac demum alii Curiales. Cum pervenerint ad portam hoſpitii novorum Oratorum, ipſi novi Oratores firmabunt ſe in equis, & agent gratias Prælatis, & Oratoribus, qui eos deduxerunt, & ſic remanebunt in porta reſpondentes facientibus reverentiam cum capite detecto, quouſque Prælati omnes tranſeant, & diſcedant; tunc intrabunt domum, & deſcendent ad quieſcendum; neque prius ibunt in publicum, quam viſitaverint Summum Pontificem. Die deinde ſtatuta parabitur Conſiſtorium publicum in Aula convenienti Oratoribus, ut alias diximus, & in ſero præcedenti intimetur Cardinalibus, Prælatis, & Officialibus Curiæ. Hora conſueta Domini Cardinales veniunt ad Palatium, & Summus Pontifex paratus Pluviali, & Mitra pretioſis exit in publicum Conſiſtorium. Interim Oratores ipſi veniunt ad Palatium comitati ab amicis, & aliqui Cardinales amici ſolent mittere familias ſuas ad deducendum eos ad Palatium; nam tales Cardinales præveniunt aliquantulum alios, & ſtatim mittunt familias. Et eſt advertendum, quod Papa non prius exeat ad Conſiſtorium, quam Oratores intraverint Palatium, ne indecenter oporteat eum expectare. Illi autem ut deſcenderint, expectabunt in Capella minori, vel ſi Conſiſtorium erit in Aula Regali, expectabunt in aliquo loco inferius ad hoc eis parato. Cum Pontifex, & alii ſederint, fit reverentia a Cardinalibus more ſolito. Deinde proponitur aliqua cauſa ab Advocatis. Tunc Clericus Cæremoniarum perquirat a Referendario, qui habet curam Signaturæ, quot cauſæ ſint proponendæ; & cum tempus videbitur, aſſumat Prælatos e numero aſſiſtentium Papæ tot, quot ſufficiant pro numero Oratorum; videlicet, ſi erit unus, vel duo Oratores, non aſſumantur minus quam quatuor, & deducantur medii. Et ſi fuerit inter Oratores aliquis Prælatus, debet deferre Cappam. Oratores ſi eſſent ſex, octo, vel plures Oratores; tot aſſumantur Prælati, & unus ultra, ut primus Orator ſit medius, alii unus Orator, & unus Prælatus; qui Prælati ibunt ſimul ad locum, ubi Oratores expectant, & eos deducent ad Conſiſtorium. Cum apparuerint in conſpectum Pontificis, tertio cum diſtantia genuflectunt, prout Clericus Cæremo-

(1) Ita in editione Romana anni 1560. in Veneta 1. ſic legitur: *laxiores, idque ambitioni, & gratiæ datum; non improbandum, ſi res ad priſtinam gravitatem reducerentur.*

Digitized by Google

niarum, qui eos præcedet, ostendet; & tunc Advocatus tacebit, etiamsi sua propositio non esset finita. Oratores, præeunte primo Prælato, ad Pontificem ascendent, & recipientur ad osculum pedis, manus, & oris; genuflexi dicent secrete aliqua verba, & præsentabunt Papæ Litteras credentiales, vel publica documenta commissionis eorum, quas prius osculabuntur, quam in manibus Pontificis tradant. Pontifex Litteras, & instrumenta dat Secretario, & Oratores per Clericum Cæremoniarum ducuntur retro scamnum Presbyterorum Cardinalium, quod est in conspectu Pontificis, & ibi stant, quousque sit tempus exponendi. Advocatus autem si non finierat, prosequitur causam suam, & ea finita, Secretarius Pontificis surgit, & legit Litteras, & instrumenta, stans ante Pontificem, clare, & distincte pronunciando, ita ut bene ab omnibus intelligatur. Quibus finitis, Orator, cui incumbit, stans detecto capite, accepto signo, incipit orationem suam, & alii ejus Collegæ simul stantes capite detecto permanent; & illo se inclinante, vel genua flectente, pariter se inclinant, & genuflectunt. Finita oratione, Pontifex respondet, ut sibi videbitur. Procurator autem Fiscalis rogat omnes Pretonotarios, Clericos Cameræ, & alios Notarios publicos de obedientia præstita, vel actu facto, & responso Pontificis, & petit instrumentum, & instrumenta. Post responsum surgunt omnes, & Oratores interim veniunt ad Dominum nostrum ad circulum cum aliquibus Cardinalibus, & eorum familiares osculantur pedes Pontificis, qui mox revertitur ad Cameram suam, ut venerat. Oratores deducuntur ad hospitium suum a suis amicis particularibus, & non a familiis Cardinalium, quia illæ debent comitari Dominos suos.

COMMENTARIUS.

I. EST hodieque Romæ in usu receptio Oratorum, seu Legatorum Regum, & Principum, de eaque passim tractant Apostolicarum Cæremoniarum Magistri in suis mss. Diariis, quorum loca supervacaneum est referre, tum maxime, quod perspecta fere ea cæremonia omnibus est, qui in Urbe aliquo temporis spatio commorati sint. Unum vero hic ego adnotabo, licet Legatis Regum, & Principi, atque Rerumpublicarum Jure Gentium honor, ac veneratio debeatur, & in eorum ingressu, & cum commorantur in Principum ditione, ad quos missi fuerunt, Legatos illos dici, qui non unius tantum Principis mittentis, sed etiam ejus, ad quem mittuntur, assensu, & voluntate constituuntur: *Duo*, inquit Grotius Lib. II. *De jure belli & pacis*, Cap. XVIII. Num. v. *requiruntur, ut quis Legatus constituatur, auctoritas videlicet mittentis, & Principis, ad quem mittitur*. Legatorum quippe Officium ex tacita partium conventione proficiscitur, ut idem Grotius notat; hæc vero est reciproca, & utriusque consensum requirit; nec immerito, cum utriusque Principis interfit, quis Legatus eat. Idque multo magis locum habet in iis Legatis, qui postremis hisce temporibus diu, aut etiam perpetuo in Aulis morantur; in his enim cessat ratio Juris Gentium, hoc est necessitas: *Optimo jure rejici possunt, quæ hodie sunt Lagationes assiduæ, quibus quam non sit opus, docet mos antiquorum, quibus illæ ignoratæ*. Idipsum Wicquefortius Libro I. *De Legato*, testatur: *Certum est*, ait, *Legationes ordinarias nec Juris Gentium, nec ducentis retro annis notas fuisse; suntque quamplures Nationes, apud quas nullus earum usus; sola Europa eos admittit, sique aliquis Principum eas respuerit, qui quidem poterit aliquid contra morem feciſſe, nihil contra Jus Gentium*.

II. Hæc ita vera sunt, ut sive antiquam, sive recentem historiam evolvas, infinita reperies Legatorum exempla, qui aut non recepti, aut remissi sunt; nec tamen creditum est, Jura Gentium violari. Sic Romani Ætolis denuntiarunt, teste Livio, *ne Legatos mitterent, alioquin pro hostibus fore*. Porro, ut alia exempla omittam, anno MDLVIII. Paulus IV. Figueroam Philippi II. Legatum, & Mediolanensi Præfectura defunctum, cum fere Romam intraret, Urbe excluſit, negavitque pro Legato agnitum iri, quod Pontificis cursorem litteris, quas ferebat, spoliasset, incurrissetque Censuras; nec Philippus succensuit, substituitque Vargam Venetiis prius Legatum. Sive ergo Legationis naturam, sive exempla Principum inspicias, etiam quibus maxima est Juris Gentium reverentia, concedi omnino debet, Legatum dici non posse, qui a Principe admissus non est, posse vero non admitti ex plurimis causis, quas Grotius recenset. Sed vide Auctorem Opusculi editi anno MDCLXXXVIII. cui Titulus: *Legatio Romam Marchionis Lavardini, & ob eandem Regis Christianissimi cum Romano Pontifice dissidium &c.*

III. Ubi admissi a Principe fuerint Legati, qui ad eum ab alio Principe directi sunt, jam non est dubium, quin ritus pervetustus sit, ut eisdem Legatis summi honores exhibendi sint. Est autem primus honor, qui Legatis Regum, & magnorum Principum exhiberi solet, ut obviam illis eatur, uti fuse ostendit eruditissimus Conradus Brunus in præclarissimo Opere, *De Legationibus*, Lib. V. Cap. VI. ubi varia ejus ritus exempla refert, quibus antiquæ historiæ refertæ sunt. Itur hodieque obviam Legatis, seu Oratoribus Principum Urbem ingressuris, sed paulo tamen diverso ritu, quem præscribit hic noster §. uti docent mss. recentiorum Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria quorum, loca supervacaneum est in hoc Commentario referre, tum præsertim quod non ita rari sunt hujusmodi Oratorum ingressus. Differunt autem Oratores ipsi a Ministris, non enim hi, ut illi excipiuntur, neque honoribus donari solent, qui ipsis Oratoribus exhibentur.

DE

Digitized by Google

DE CONCILIO GENERALI

TITULUS XIV.

SCripturi cæremonias in ſacro Generali Concilio ſervandas, primum de loco Concilii, & ſedium diſpoſitione diſſerendum putamus, deinde de perſonis, & earum habitu, tertio de ordine rerum gerendarum, & ultimo de ſacris precibus, & orationibus.

§. I.

Quandonam Generale Concilium reputetur legitimum.

Generale Concilium tunc Canonicum, & legitimum reputatur, cum a Romano Canonico Pontifice indicitur, vel quod ſchiſmatis ſævientis procella, Catholica Eccleſia ſibi ipſi indicit. Neque Concilium aliquod ſuſceptum legimus, quod Apoſtolica Beati Petri Sedes non probaverit, illique vel per ſuum Antiſtitem Romanum Pontificem, vel per ejus Legatos non præfuerit.

COMMENTARIUS.

I. DIſſeruimus jam, & quidem fuſe de Conciliis, & variis ad ipſa ſpectantibus, Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, in quibus per plura Capita Concilii nomen, etymon, definitionem, diviſionem, originem, rituſque antiquos in eo celebrando obſervatos ex veteribus monumentis tironum rei Synodalis eruditioni explicuimus. Ea itaque tantum hoc loco enarrabimus, quæ in hoc Titulo præſcripta ſunt, ubi de Generali Concilio agitur, quod, ut ait hic præſens §. *tunc Canonicum, & legitimum reputatur, cum a Romano Canonico Pontifice indicitur, vel quod ſchiſmatis ſævientis procella Catholica Eccleſia ſibi ipſi indicit.* Et quidem Jus eſſe ſolius Romani Præſulis non modo Generale Concilium indicere, verum etiam ei vel per ſeipſum, vel per Legatos Apoſtolicæ Sedis præſidere, fuſe probavimus in citatis Prolegomenis, Cap. VII. & IX. Certa enim eſt illa noſtri hujus §. ſententia: *Neque Concilium aliquod ſuſceptum legimus, quod Apoſtolica Beati Petri Sedes non probaverit, illique vel per ſuum Antiſtitem Romanum, vel per ejus Legatos non præfuerit.* Quod adeo verum eſt, ut etiamſi ab initio Concilium fuerit auctoritate Apoſtolica congregatum, tamen ſi poſtea per Romanum Pontificem diſſolutum, aut alio tranſlatum fuerit, ex eo tempore remaneat acephalum, & ſchiſmaticum, nec ſit amplius Concilium, ſed Conciliabulum, uti addiſcimus ex Canone, *Clericus*, Diſtinctione XXI. & fuit definitum in Generali Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. Seſſione XI. Unde Julianus Cardinalis S. Angelii, qui ab initio fuerat Apoſtolicæ Sedis Legatus in Concilio Baſileenſi, poſt illius diſſolutionem, ſeu translationem ab Eugenio Papa IV. factam diſſerens cum Ænea Sylvio, qui fuit poſtea Pius II. dicebat, illud non Synodum Eccleſiæ, ſed Satanæ, & Miniſtrorum ejus Synagogam, ut refertur in ejuſdem Pii Conſtitutione, quæ incipit, *In minoribus agentes*, edita VI. Kal. Maji anno MCDLXIII. legiturque in Romano Bullario.

II. At vero quamvis ſolius ſit Summi Romani Pontificis Concilium Generale indicere, ſic tamen, ut poſſit etiam alius, ipſo Pontifice Maximo conſentiente, indicere Concilium, quin etiam ſatis ſit, ſi indictionem factam ipſe poſtea ratam habeat, & confirmet, ut inter alios docet Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De Conciliis & Eccleſia*, Cap. XII. poteſt nihilominus tempore ſchiſmatis, ubi ſcilicet Papa eſſet ſchiſmaticus, multoque magis, ſi eſſet hæreticus, Catholica Eccleſia ſibi ipſi Generale Concilium indicere, quod quidem idem hic noſter §. Canonicum, & legitimum vocat. Sane docet Bellarminus ibidem Cap. XIV. poſſe in eo caſu congregari Concilium imperfectum, quod ſufficiet ad providendum Eccleſiæ de Capite. Eccleſia enim ſine dubio habet auctoritatem providendi ſibi de Capite, quamvis non poſſit ſine Capite ſtatuere de multis, de quibus poteſt cum Capite, ut recte docet Cardinalis Cajetanus in Opuſculo, *De poteſtate Papæ*, Cap. XV. & XVI. & longe ante Cajetanum Clerus Romanæ Eccleſiæ in Epiſtola XXXI. ad S. Cyprianum. Porro addit Bellarminus, Concilium iſtud imperfectum fieri poſſe, ſi vel indicatur a Collegio Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum unum conveniant. Sed multa ſcitu digna de hac quæſtione, & de aliis ſimilibus, videri poſſunt apud doctiſſimum Jacobatium, *De Concilio*.

§. II.

De loco, & ſedibus Concilii.

Indicto igitur Concilio Generali, ornetur locus Concilii, hoc eſt, ubi publicæ Seſſiones habendæ ſunt, in Eccleſia Cathedrali, ſive alio capaci loco, in hunc ferme modum.

dum. Primum caveatur, ut nullus omnino aditus relinquatur ad ipsum locum præter unum tantum, qui valvis, & firmis clausuris obserari possit. Si erit Ecclesia Cathedralis, relinquenda erit quæ sit capax pars superior apud Altare majus pro Missis solemnibus celebrandis, & asseribus, aut alia materia separanda a parte inferiori, in qua sedes aptabuntur pro Concilio. Igitur in capite loci, ubi Sessiones celebrandæ erunt, construetur thalamus pro sede Papæ cum tribus gradibus debitæ proportionis; latitudo ultimi plani erit decem palmorum, longitudo vero duodecim; in medio erit sedes ampla cum suo postergali, & cum scabellis magno & parvo, & omnia erunt ornata, ut fit in publico Consistorio. Erunt etiam duo scabella hinc inde pro Diaconis assistentibus Papæ. In ista linea (1) mille erunt aliæ sedes, nisi forte Imperatoris, aut Regum, siquis istorum esset interfuturus Concilio. Sedes Imperatoris parabitur juxta sedem Papæ, quæ habebit duos gradus conjunctos gradibus Papæ, sed non tantæ latitudinis, aut longitudinis, erit ornata cum panno aureo post tergum, sed non supra caput; habebit scabellum parvum ad pedes viridi colore pictum; & advertendum, quod locus, ubi sedet Imperator, non sit altior loco ubi tenet pedes Pontifex. Si vero Reges adessent unus vel duo, parentur sedes pro eis cum postergali usque ad spatulas, & ornentur, ut scamna Cardinalium; habebunt tamen pulvinaria ex cremusino, & scabellum viride sine gradibus, & situabuntur hinc inde, non ad lineam omnino sedis Papæ, sed aliquantulum transversæ, ut possint respicere ad faciem Pontificis a dextris, deinde & a sinistris intra gradus sedis Papalis. Per longitudinem loci erunt scamna pro Cardinalibus, & Prælatis cum postergali, & unico gradu, longitudinis octo cannarum, vel circa; sed media pars a dextris pro Episcopis, & Presbyteris, & (2) alia pars a sinistris pro Diaconis Cardinalibus erit aliquantulum eminentior, videlicet quatuor, aut quinque digitorum altitudinis pulchrioribus pannis ornata. Post scamna prædicta in transversum ante faciem Pontificis ad lineam erigantur quatuor sedes Patriarchales distinctæ, & separatæ suis postergalibus & gradibus ad similitudinem scamnorum prædictorum, & (3) situentur paribus intervallis, ita ut quadraturam facientes, lineam transversalem impleant; & inter duas medias erit quasi janua & aditus ad sedes primæ quadraturæ. Intra hanc primam quadraturam fient sedilia humiliora sine gradibus, & sine postergali per longitudinem cum transversa usque ad aditum, qui debet relinqui latitudine unius cannæ, vel circa. Post primam quadraturam fient & alia scamna post priora ejusdem fere altitudinis, sine postergali tamen, quæ complectantur post etiam Patriarcharum sedes, relicto spatio pro aditu, & item si locus erit capax, fiat alius ordo sedilium post secundum, & tot, quot loci amplitudo, & Prælatorum numerus exigit. Erigatur etiam in dicto Conventu Altare aliquod cum Cruce, & Sacra Eucharistia, sive Reliquiis Sanctorum in loco congruo, ut possit Pontifex orare cum venit ad Concilium, & cum dicit preces pro Synodo, illuc faciem convertere. Si autem Papa non erit futurus (4) præsens in Concilio, poterunt scamna prædicta fieri apud Altare majus sine sede Papali; & Præsidens Concilii, finita Missa, paratus sacris vestibus ac si esset celebraturus, sedebit in Faldistorio posito ante Altare, vertens renes ipsi Altari.

COMMENTARIUS.

I. JUxta antiquum ritum statuit primum hic noster §. ut *indicto Concilio Generali, ornetur locus Concilii, ideſt, ubi publicæ sessiones habendæ sunt in Ecclesia Cathedrali, sive alio capaci loco.* Legendum plane quod de hac re scripsimus nos Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XVII. quod inscriptum est, *De loco, ubi Concilia celebrarentur.* Ibi enim jam luculenter ostendimus, utplurimum Sacros Conventus, atque Concilia, non alibi, quam in Ecclesiis celebrari consuevisse. Audiendus hic tamen Scriptor Vitæ S. Stephani junioris Tomo I. Analectorum Græcorum, de sex primis œcumenicis Conciliis ita inquiens: *An non in sacris Templis sex Sanctæ Synodi congregatæ sunt, Prima Niceæ in Templo S. Sophiæ, secunda Constantinopoli in Templo S. Irenes, Tertia Ephesi in Templo Theologi, Quarta in nostra Calchedonensi Metropoli in Templo celeberrimæ Euphemiæ, Quinta autem, & Sexta Constantinopoli, illa in Templo S. Sophiæ, hæc in sacro Palatio in loco, qui dicitur Trullus.* Sed ut verum fatear, licet tum priscæ, tum recentiores etiam Synodi utplurimum in Ecclesiis, & in Secretariis, sive Sacristiis celebrarentur, ecquis tamen est in Ecclesiastica Historia adeo peregrinus, qui nesciat, Concilium omnium vetustissimum Nicænum I. in Aula Palatii Constantini Magni Imperatoris celebratum? Fidem facit ejus rei Eusebius Lib. III. *De Vita Constantini*, Cap. XII. Sexta pariter Synodus, & Quinisexta, ut alias omittam, ubinam habitæ fuerunt,

(1) Ita in omnibus editionibus, forte legendum, *multæ*. (2) Ita in editione Veneta, in Romana vero, *quarta*. (3) Ita in Romana, in ipsa Veneta, *collocentur*. (4) Ita in editione Romana, in aliis deest vox *præsens*.

Digitized by Google

runt, quam in ea Regiæ Domus parte, quæ Trullus dicebatur, & illa quidem Conſtantino Pogonato Imperatore, hæc Juſtiniano II.

II. Moris autem etiam antiqui fuiſſe, ut in Baſilicarum Secretariis Concilia Epiſcoporum agerentur, demonſtrat luculentiſſime Cardinalis Baronius ad annum CDLI. exemplis compluribus tum Eccleſiæ Africanæ, ubi Concilia Carthaginenſia in Secretariis habita reperiuntur; tum Romanæ Eccleſiæ ſub Martino I. Pontifice Maximo, & aliarum pariter Eccleſiarum. Eundem locum Euſebius Lib. x. *Hiſtoriæ*, Cap. IV. & Evagrius Lib. II. Cap. III. *Sanctuarium*, ſive *Sacrarium* appellarunt. Harum namque, & *Secretarii* vocum, eandem eſſe ſignificationem, ſed & alia appellatione a Græcis *Diaconium* dici, docet Canon XXI. Concilii Laodiceni anni CCCXIV. Eo loci diſponi conſueviſſe ſacra Vaſa ad miniſterium, ac ſacros Codices ad lectionem, tradit S. Paulinus, qui claruit Seculo IV. in Epiſtola II. ad Severum his verſibus,

Hic locus eſt, venerãda penus quo conditur, & quo
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Eccleſiæ itaque, & noſtræ Religionis negotia, atque Concilia, uno, vel altero exceptis, non alio in loco, quam in Eccleſiis, vel earum Secretariis a primis uſque ſeculis celebrari conſueverunt. Secretaria autem olim Templi vicem retuliſſe, utpote in quibus erecta erant Altaria, ut in Lateranenſi S. Thomæ, in Vaticano S. Gregorii, notavit Mabillonius in Commentario prævio ad Romanum Ordinem, Cap. III. in fine. Conſentaneum vero omnino erat, ipſa Eccleſiæ Religioniſque Chriſtianæ negotia in Templis tractari, ut loci dignitate, & reverentia, eorum qui convenerant animi ad majorem religionem excitarentur; unde aliquando non modo in Eccleſia, ſed ipſius ſacratiori loco Altari viciniori Præſulum habebatur corona, idque præſertim eluxit in Chalcedonenſi Concilio, cujus Seſſiones omnes, ut ex illius Actis conſtat, *ante Altaris Sanctiſſimi cancellos* celebratæ fuerunt.

III. Sed ut ordinem in hoc noſtro §. præſcriptum perſequamur, *Si erit Eccleſia Cathedralis*, inquit, in qua ſcilicet Concilium eſt celebrandum, *relinquenda erit quæ ſit capax pars ſuperior apud Altare majus pro Miſſis ſolemnibus celebrandis, & aſſeribus, aut alia materia ſeparanda a parte inferiori, in qua ſedes aptabuntur pro Concilio*. Solemnium Miſſarum in Conciliis celebratarum, & quidem in quibuslibet eorum Seſſionibus, expreſſa quidem fit mentio in Actis Conciliorum Conſtantienſis, Baſileenſis, Florentini, & aliorum ſequentium. Certe aperto ipſo Concilio Conſtantienſi die I. Novembris anni MCDXIV. quod indixerat Joannes XXIII. ab eodem celebrata eſt Miſſa ſolemnis, tum vero deinde in unaquaque Seſſione ſervatus fuit idem ritus ab aliis Epiſcopis, ſicut & ille habendi ſermonem poſt ipſa Miſſarum ſolemnia. Ceterum ex eodem noſtro §. cautum & illud eſt, ut præter hoc majus Altare Eccleſiæ, in qua habetur Concilium, *erigatur in dicto Conventu Altare aliquod cum Cruce, & ſacra Euchariſtia, ſive Reliquiis Sanctorum in congruo loco &c.* Suntque hæc conformia priſtinæ Conciliorum diſciplinæ, in quibus, ut in citatis noſtris Prolegomenis ad Concilia demonſtravimus Cap. XX. conſuevit Sacer Evangelii Codex honorificentiſſimo collocari Throno una cum Sanctorum Reliquiis, ac Imaginibus. Sane in Generali VIII. Synodo mentio habetur expreſſa ſacrarum vivificæ Crucis Reliquiarum, quæ ex vetuſta conſuetudine cum Imagine Chriſti Domini, teſtimonio Theodori Studitæ in refutatione & ſubverſione impiorum Poematum Iconomachorum apud Jacobum Sirmondum Tomo V. editionis Venetæ, in Conciliis ante omnium oculos collocabatur. Ajunt autem laudatæ VIII. Synodi Acta: *Propoſitis venerabilibus lignis, & Sanctis Evangeliis*.

IV. Celeberrimum pervetuſtumque ejus ritus exemplum ponendi ſcilicet in Conciliis ſuper Throno Sacrum Evangelii Codicem, ut nimirum Chriſtus quem Evangelium repræſentet, veluti Pontifex præſidens inviſibiliter videretur, docet nos S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus in Apologetico inſerto Actis Œcumenicæ Synodi Epheſinæ, Libro III. Cap. XIII. ſic inquiens: *Sacra Synodus Chriſtum confeſſorem, & velut caput conſtituit, venerandum enim Evangelium in ſancto Throno collocatum erat, Sacerdotum auribus inſonans; Juſtum judicium judicate &c.* Quo ritu non id tantum Patres exprimere voluerunt, ſed illud etiam, quod dixit Servator, Matthæi Cap. XVIII. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; ut obſervat Fileſacus, *De ſacra Epiſcoporum auctoritate*, Cap. XVIII. §. II. Ceterum cum ejuſdem Epheſinæ Synodi relatio ad Principem doceat nos, *Sanctum Evangelium, quod ipſum Chriſtum præſentem monſtrabat, in Throno, qui medium locum obtinebat, fuiſſe propoſitum*, hinc Legati Romani, qui Nomine Papæ eidem Concilio præſidebant, erant ad lævam intrantium, ut Chriſto Pontifici ſedenti, eoſque intuenti, eſſent ad dexteram, ut notat Lupus in Diſſertatione, *De Synodo I. Nicena*, Cap. IX. quia ſcilicet dextram, & Latinis, & Græcis fuiſſe ſemper honorabiliorem, ut ait, facile poſſet extendi.

V. Addit & alia laudatus Lupus, quæ veterem diſciplinam ſpectant, quæque etiam jam pridem mutavit Eccleſia. Certum tamen profecto eſt illud, ſemper Romanos Pontifices, ubi Conciliis ſive per ſe ipſos, ſeu per Legatos ſuos præfuerunt, honorabiliorem, eminentioremque locum obtinuiſſe, ut pluribus exemplis oſtendi poſſet. Ut autem alia omittam, teſte Rogerio Hovedeno in parte poſteriori Annalium, ubi agit de Concilio Generali III. Lateranenſi celebrato ab Alexandro III. anno Chriſti MCLXXIX, *ipſe Papa in Lateranenſi Eccleſia in eminentiori loco cum Cardinalibus ſuis, & Præfectis, & Senatoribus, & Conſulibus Vrbis conſtitutus, Feria ſecunda tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ tertio Nonas Martii evenit, primum Concilii ſui diem celebravit*, ideſt primam Concilii Seſſionem. Quod ſedem Imperatoris ſpectat, ſi is forte eſſet interfuturus Concilio, ex præſcripto quidem noſtri hujus §. *Sedes Imperatoris parabitur juxta ſedem Papæ, quæ habebit duos gradus conjunctos gradibus Papæ, ſed non tantæ latitudinis, aut longitudinis; erit ornata cum panno aureo poſt tergum, ſed non ſupra caput; habebit ſcabellum parvum ad pedes viridi colore pictum; & advertendum, quod locus, ubi ſedet Imperator, non ſit altior loco ubi tenet pedes Pontifex*. Hinc ſumma fuit Con-

Digitized by Google

Constantini Magni Imperatoris pietas, qui, ut scribit in ejus Vita Eusebius Lib. III. Cap. X. *simul ac ad summum locum venit*, Niceni scilicet Generalis I. Concilii, cui interfuit, *primum in medio conventu erectus constitit, ac, cum parva quædam sella ex auro fabricata illi esset loco posito, non prius consedit, quam Episcopi ad id innuissent, idemque omnes post Imperatorem facilitarunt.*

VI. Quo ornatu adfuerit Constantinus ipse laudato Concilio I. Niceno, exponit idem Eusebius citato loco, ubi post descriptam Concilii Aulam, ita de adventu illius, & comitatu, atque ornatu inquit: *Imperatorem antecedunt alii, non ex armatis, & satellitibus, qui ei adesse consuevissent, sed ex amicis solum, qui Christi Fidem amplexarentur.* Tum paulo post: *Imperator deinde tanquam quidam cælestis Dei Angelus, purpureo vestitu, & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, coruscantibusque illius radiis illustratus, & conspicuo auri, lapidumque pretiosorum nitore pulchre adornatus, per medium consessum intrat.* Quo habitu, & quibus ornatus insignibus Constantiensi Concilio interfuerit Sigismundus Augustus, docent nos Acta ejusdem Concilii apud Pagium in Vita Joannis XXIII. Num. XXXIV. ubi enarrat Acta Sessionis III. Interfuisse eum ait coronatum & Augustali habitu indutum. Acta Bibliothecæ Regiæ ab eodem Auctore citata, sedisse ajunt ipsum Dalmatica, & Pluviali vestitum, Diademate coronatum, Sceptro, Pomo aureo, ac Ense per tres Proceres tentis, ac Corona per alium quartum, quando ipsemet non eam capite gestabat, assistentibus ei a latere duobus Cardinalibus. Re vera in Sessione XIV. ut videre est in Actis editis, Ludovicus Comes Palatinus tenebat Pomum, seu Mundum, Henricus Dux Bavariæ Ensem, Fridericus Burgravius Sceptrum, & Andreas Baro de Hungaria Coronam.

VII. Præter Imperatorem interfuerunt etiam Conciliis Reges, de quibus ita & hic noster §. inquit: *Si vero Reges adessent unus vel duo, parentur sedes pro eis cum postergali usque ad spatulas, & ornentur, ut scamna Cardinalium; habebunt tamen pulvinaria ex cremusino, & scabellum viride sine gradibus &c.* Sciendum autem hic illud, quod jam explicuimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XV. quodque inferius iterum repetemus, Imperatores, Regesque, aliosque laicos, licet Conciliis interfuerint, nullo tamen modo suffragium dedisse, aut legem præscripsisse. Interfuerunt quidem tanquam Concilii defensores sine ullâ judiciali potestate, caventes tantum, ut pacata fierent omnia, decretaque executioni mandarentur. Sane adfuit, uti dictum est, Niceno I. Generali Concilio Constantinus, sed tanta cum reverentia, ut non prius in parva sella aurea ipsi in loco superiori parata assidere voluerit, quam Episcopi innuissent. Quod post Eusebium testantur Socrates, Lib. I. *Historiæ*, Cap. X. Theodoretus, Lib. I. Cap. VII. Sozomenus, Lib. I. Cap. XVIII. & alii nihil ab invicem discrepantes. Quænam vero fuerint ejusdem Imperatoris partes in Synodo assidentis, satis idem Eusebius expressit Lib. III. *De Vita Constantini*, Cap. XIII. nempe attente audire, studere paci, favere veritati, & fovere concordiam, tumultus comprimere, discrepantes a veritate revocare, non autem ferre suffragium, vel causam sententia definire, vel quampiam ad eam rem pertinentem inconsultis Patribus legem ferre. Nam & commendatur in eo potissimum a S. Ambrosio in Epistola XXXII. ad Valentinianum Imperatorem de rebus gestis in ipsa Nicena I. Synodo, modestia Constantini, quod liberum in omnibus reliquerit de Fide judicium Episcopis.

VIII. Nunc ut de aliorum sedibus dicamus in Aula Concilii locandis, ex præscripto quidem nostri hujus §. *per longitudinem loci erunt scamna pro Cardinalibus, & Prælatis cum postergali, & unico gradu longitudinis octo cannarum, vel circa; sed media pars a dextris pro Episcopis, & Presbyteris, & alia pars a sinistris pro Diaconis Cardinalibus*, Si vetustiorem disciplinam inspiciamus, non est dubium, quin diu suum quique gradum Cardinales servarint, adeo ut ne ipsi quidem Cardinales subscriberent sederentve ante alios Episcopos ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante ullos prorsus Episcopos. Certe viguit hæc disciplina vel ineunte Seculo XI. uti liquet ex Romana Synodo anni MXV. sub Benedicto Papa VIII. ubi plures subscripsere Episcopi alii non solum ante Cardinales Presbyteros, sed etiam ante Episcopos ejusdem sacri Collegii, prout vel Archiepiscopi erant, vel Ordinationis ævo seniores. Porro cœpere primum Episcopi Cardinales adolescente memorato Seculo XI, aliis omnibus anteire Episcopis, eoque postea Cardinales alii sensim pervenere; quia scilicet in Romana Synodo Nicolai II, Papæ anno MLIX. celebrata ad infringendam Imperatorum audaciam, qui Romani Pontificis electionem sibi vendicarant, constitutum fuit, ut penes ipsos Episcopos Cardinales præcipua esset eligendi Papam potestas. Audiendus de hac re S. Petrus Damiani, qui Libro I. Epistola XX. ad Cadaloum Parmensem Episcopum, quem Imperatoria potestas, vel grassatio Romanæ Sedi intruserat, ita scribit: *Taceamus interim de Senatu, de inferioris Ordinis Clero, de populo. Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet, & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt.* Et populo post: *Nimirum cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale judicium, secundo loco jure præbeat Clerus assensum, tertio popularis favor attollat applausum &c.*

IX. Recte observat in hunc locum doctissimus Thomassinus Parte I. *Disciplinæ* Lib. II. Cap. CXIII. laudati Petri Damiani verba tanto videri mirabiliora, quod iis primaria potestas eligendi Romani Præsulis, ad solos revocatur Cardinales Episcopos, reliquique Cardinales promiscue fere permiscentur cum Clero reliquo; unum iis, velut & populo integrum, ut sit assentiri electioni a Cardinalibus Episcopis factæ. Cum ita ergo assurrexissent Episcopi Cardinales supra Episcopos alios quosvis, supra Primates etiam, & Patriarchas, sedere etiam, ante Episcopos omnes cœperunt. Cœpisse inquit Thomassinus, quod ea novatio sensim, & lentissimis facta sit incrementis. Tarditatis autem tantæ non immerito conjicitur causa fuisse, Cardinalium ceterorum cum Episcopis Cardinali-

Digitized by Google

nalibus individua ſocietas. Non enim tantæ molis fuerat Epiſcopos aliquos ſupra Epiſcopos alios ſedere jubere, quantæ eodem conſeſſus honore ſupra Epiſcopos quoſvis donare etiam Presbyteros, Diaconoſque. Id enim vero non potuit, niſi ſenſim ſine ſenſu, & multo temporis intervallo perfici. Sed cum tandem ad illam ſedendi prærogativam emerſiſſent Cardinales Epiſcopi, paulatim ad ſe & alios pertraxere ſecum Cardinales, quibuſcum in unum Senatum, unum Collegium, & unum quodammodo corpus coaluere. Ceterum etſi eodem Seculo XI. labente, & Seculo etiam XII. legantur quandoque Cardinales omnes Archiepiſcopis quoque antepoſiti in Conciliis Romano, & Beneventano, & in Galliis, non hæc tamen fuit iis ſemper deinceps prærogativa, ſed ſuum identidem gradum Epiſcopi recuperavere, ut idem Thomaſſinus citato loco oſtendit.

X. Certe Seculo Chriſti XIII. in Generali Concilio I. Lugdunenſi, quod celebratum fuit anno MCCXLV. ſub Innocentio Papa IV. ad dextram, & ad lævam laudati Pontificis, qui eidem Concilio præfuit, ſedit ſacrum omne Cardinalium Collegium ſupra Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes: *Ad dextram*, ajunt Acta Concilii, *& in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales; Archiepiſcopi, & Epiſcopi poſt eos.* Imo & in Concilio Lugdunenſi II. itidem Generali, cui præfuit Gregorius Papa X. anno MCCLXXIV. ſederunt Cardinales non ſolum ſupra Epiſcopos, Metropolitanos, & Primates omnes, ſed & ſupra Patriarchas Latinos Conſtantinopolitanum & Antiochenum, ut docent ejuſdem Concilii Acta, notatque ad ipſum annum Raynaldus. At vero demum quamvis ita ſe res haberet, diu tamen concertationes in Anglia, & in Polonia duraverunt contra hanc ſedendi prærogativam, qua poſt ipſa Concilia Lugdunenſim gaudebant S. R. E. Cardinales ſupra ceteros Epiſcopos omnes; legique de ea controverſia poteſt celebris Eugenii IV. Epiſtola, quam ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit de S. R. E. Cardinalium dignitate ceteris Eccleſiaſticis dignitatibus præſtantiori, afferens inter alia, multiſque argumentis confirmans, prærogativa ipſa ſedendi merito omnes Cardinales potiri ſupra omnes Epiſcopos quoſvis.

§. III

Qui habent vocem deliberativam in Conciliis?

In Conciliis autem illis venerandis, ac ſacroſanctis, quibus Fides noſtra, & rectè vivendi norma purgata, atque firmata eſt, non legimus interveniſſe ſtatuendi cauſa, niſi Epiſcopos, & Abbates, & ii tantum Decretis ſe ſubſcribebant. Epiſcopos appellamus etiam Epiſcoporum Principes, quoniam hæc eſt ſuprema in Eccleſia Dei poteſtas. Inferioris autem gradus Eccleſiaſticos Viros, & Principes ſeculares conſulendi, ac inſtruendi gratia, non autem decernendi intererant, qui, ut periti ajunt, conſultivam vocem habent in Conciliis, non definitivam, ſeu deliberativam. Adeſunt igitur in Conciliis ad ſtatuendum Romanus Pontifex tanquam Rector & moderator totius Eccleſiæ, Paſtor gregis Dominici, & omnium Epiſcoporum Epiſcopus: Sacer Cardinalium Senatus, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, quibus non immerito Ordinum Religioſorum Generales Magiſtri additi ſunt. Denique omnes Prælati, qui ſecundum formam juramenti, quod præſtant, cum ad dignitates promoventur, ad Synodum venire tenentur. Alii autem, ut diximus, diſſerendi, inſtruendi, conſulendive gratia poterunt intereſſe, non tamen in Seſſionibus publicis induti ſacris veſtibus ſedebunt, neque ſententiam dicent.

COMMENTARIUS.

I. CAtholicorum una ſententia eſt, quam merito inter alios Theologos propugnat præſtantiſſimus Cardinalis Bellarminus, Lib. I. *De Conciliis*, Cap. XV. *ſolos Prælatos majores*, eoſque omnes, ideſt Epiſcopos in Conciliis Generalibus, & Provincialibus habere jus ſuffragii deciſivi ordinarie; ex privilegio autem, & conſuetudine, etiam Cardinales, Abbates, atque Generales Ordinum, licet Epiſcopi non ſint; ex Presbyteris autem, & aliis Clericis minoribus tantum vocari aliquos Viros doctos, qui juvent in diſputando, vel aliis miniſteriis: Principes vero vocari, tum ut Concilium defendant, tum ut teſtes, & conſcii Decretorum Concilii poſtea tranſgreſſores & contumaces pœnis corporalibus puniant: denique ex privatis laicis tantum vocari aliquos, qui videntur utiles, vel neceſſarii ad aliquod miniſterium Concilii. Hanc ſententiam eſſe Catholicorum doctrinam, patet tum ex perſonis, quæ interfuerunt Conciliis, tum ex Joanne Cardinali Turrecremata Lib. III. Cap. XII. & XV. atque ex aliis Catholicis Auctoribus paſſim. Legi autem inter alia poſſunt, quæ ſcripſimus nos Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XV. quod inſcriptum eſt: *Qui laici, & quam ob cauſam Synodis adfuiſſent? Quæ eſſent in ipſis Judicum glorioſorum, & Patriciorum munera? Quæ Regum partes?* In ipſo enim Capite non modo Catholica doctrina propugnatur, ſed & vetera multa Eccleſiæ monumenta, quæ ad rem faciunt quammaxime, explicantur.

II. Catholicæ doctrinæ patrocinantur paſſim vetera Patrum teſtimonia a Bellarmino allata

Digitized by Google

lata loco citato, qui omnes passim asserunt, Concilia Episcoporum esse, testaturque Eusebius Lib. v. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. XXIII. super quæstione Paschatis tempore Victoris I. qui creatus Pontifex fuit anno Christi CXXXV. *Conventus Episcoporum, & Concilia per singulas quasque Provincias* convocata fuisse; constatque ex Actis Concilii Œcumenici Chalcedonensis, quod cum pro Dioscoro Monachi, & laici ingressi essent, sæpius Patres clamarunt: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est*. Merito itaque Pulcheria Imperatrix in Epistola ad Strategum Bithyniæ, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense, jussit, ut Clerici, Monachi, ac laici etiam vi repellerentur a Concilio, exceptis paucis illis, quos Episcopi secum duxerant, ut ipsi nempe Concilio aliquid opis afferrent; nam alias, uti liquet ex Actione I. ejusdem Concilii, cum ad Martinum Archimandritam mitteretur, ut subscriberet, ingenue respondit, non esse suum, sed Episcoporum tantum subscribere; testatusque jam antea fuerat Theodosius junior in Epistola ad Ephesinam Synodum, quæ legitur in Actis ejus Concilii, *illicitum esse, eum, qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immiscerí tractatibus*. Idipsum testati sunt & alii Principes, uti in Historia Ecclesiastica legimus.

III. Ut alia argumenta omittam, probatur Catholica ipsa sententia ex ipsis Conciliis hactenus celebratis; omnium enim Conciliorum Decreta ab Episcopis solis facta esse, patet ex subscriptionibus; nam ubique inveniuntur soli Episcopi subscripsisse, exceptis paucis Generalibus, quibus Imperator etiam subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi; Episcopi enim *definiendo* ut Judices, Imperatores vero *consentiendo* subscripserunt; & quibusdam etiam postremis Conciliis exceptis, ut Florentino, Lateranensi v. & Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, & Generales Ordinum. Cæteri autem licet optimi, & doctissimi Viri essent, nunquam sunt admissi, nisi ad consultandum, excepto Concilio Basileensi, ubi Presbyteri perperam admissi fuerunt ad suffragium decisivum contra morem omnis antiquitatis. Sed jam nos Tomo IV. Conciliorum, ubi enarravimus Concilium Basileense, solide ostendimus, Concilium ipsum non fuisse legitimum. Porro in omnium ultimo Generali Concilio Tridentino immediate post Episcopos sederunt Abbates, & post Abbates, Ordinum Generales, inter quos primus fuit Generalis Ordinis Prædicatorum, ut notat Fagnanus in Cap. *Vt Abbates, De ætate & qualitate*, Num. XIX. citatque Catalogum Patrum, qui habetur expressus in calce ipsius Concilii

§. IV.

De diversis Officialibus Concilii.

Aderunt etiam diversi Magistratus, & Ministri Concilii, quos tamen Pontifex Summus, si præsens erit, constituet: alios, qui negotia proponenda suggerant; alios, qui venientes ad Concilium in volumine describant, Missorum, ac Legatorum facultates examinent, & publica documenta rimentur; alios, qui locum Concilii custodiant, Gesta autem Concilii excipere, & in publicam formam redigere spectat proprie ad Protonotarios Apostolicos, Clericos Cameræ, & Secretarios Papæ; qui tamen, antequam scripta sua publicent, corrigenda illa exhibeant his, qui a Pontifice, sive a Concilio, erunt deputati. Sedes autem omnes consignabunt Clerici Cæremoniarum. Si Papa erit in Concilliis, & cum difficultas aliqua orietur, consulant super ea re Summum Pontificem. Sin vero Summus Pontifex abesset, constituerentur a Concilio, qui sedibus consignandis præsint.

COMMENTARIUS.

I. ILlud plane vel ex veteribus Concilliis constat, in ipsis Conciliis scilicet, multis de causis aliquos posse interesse. Alii enim intersunt, ut Judices, qui dicuntur habere decisivum suffragium, quales sunt ordinarie Episcopi, & ex privilegio, atque ex consuetudine, Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet Episcopi non sint, de quibus dictum jam fuit in Commentario præcedenti. Alii, ut disputando examinent difficultates, habentque, ut ajunt votum consultivum; fuitque hæc vetus Ecclesiæ disciplina, ut ipsi etiam Presbyteri, Diaconi, aliique inferiores Clerici in Ecclesiasticis illis Conventibus admitterentur, ut Episcopos scilicet congregatos adjuvarent, sive in disputationibus adversus hæreticos, sive in examinandis, solvendisque rebus dubiis. Quid in Generali I. Nicæno Concilio adversus Arium præstiterit S. Athanasius tunc Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, quantumque profuerit, omnibus notum est, testesque sunt Eusebius Lib. III. *De Vita Constantini*, Cap. VIII. & Socrates Lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Cap. VIII. eo in Concilio præter Episcopos CCCXVIII. adfuisse Presbyterorum, qui eos comitati fuerant, Diaconorum, Acolythorum, aliorumque plurium tantam multitudinem, eorum ut numerus iniri vix potuisset.

II. Siqua circa Fidem, aut disciplinam agitanda erant, ea diligenti examine discutiebantur, ac disputantium verba Notarii, qui & Conciliis aderant, scriptis excipiebant. Ita teste Socrate Lib. II. *Historiæ Ecclesiasticæ*, Capite XXX. in Sirmiensi Synodo *Basilius Ancyranæ tum Ecclesiæ Præsul in certamen descendit cum Photino, Notariis verba eorum excipientibus*. In Seleuciensi quoque Synodo, ut idem Auctor scribit Cap. XXXIX. *aderant etiam Notarii, qui sin-*

Digitized by Google

singulorum dicta notis exciperent. Erat antiquus ritus, cujus mentionem facit S. Auguſtinus, qui in Epiſtola XXXIII. Proculeanum Epiſcopum Donatiſtam ad diſputationem provocans, *Dummodo*, inquit, *verba noſtra non inaniter ventilentur, ſed ſtylo excipiantur, ut & tranquillius, & ordinatius diſſeramus, & ſiquid a nobis dictum de memoria lapſum fuerit, recitatione revocetur*; itemque Epiſtola XLIV. referens quæ acta fuerant de concordia cum Fortunio Tuburſico Donatiſtarum Epiſcopo, *poſtulavimus*, ait, *ut a Notariis verba noſtra exciperentur*. Afferri & alia poſſent veterum loca, ſed recitata huc uſque veterem ejus rei diſciplinam ſatis declarant.

III. Præter hos, ex pervetuſto etiam ritu Conciliis alii interſunt, ut miniſtrent, quales ſunt Notarii, Cuſtodes, aliique Officiales, ut defendant Concilium, & dent operam, ut intus, & extra, omnia ſint pacata, & rite fiant. Sed quicumque tandem Conciliis intereſſe permitterentur, nullis ſane ſacrum ingredi Conventum dabatur, niſi a Diacono introductis; unde Concilium Alexandrinum de Tyri Synodo Ariana loquens, *Qua fronte*, inquit, *talem Conventum Syodum appellare audent, cui Commentarienſis, ſive Carcerarius pro Diaconis adventantes introducebant*. Ex Concilio Toletano IV. Canone IV. cui varii vetuſti diverſarum Eccleſiarum Codices Rituales concinunt, cautum plane fuit, ut *ad unam januam, per quam Sacerdotes*, ideſt Epiſcopi, *ingredi oportet, Oſtiarii ſtent*. Similia & in aliis Conciliis leguntur, de quibus jam alibi diximus

§. V.

Ordo ſedendi in Conciliis.

Ordo autem ſedendi in publicis Seſſionibus hic erit. Summus Pontifex in Solio Pontificali ſedebit, cui a lateribus ſuper ſcabellis ſedebunt Diaconi duo aſſiſtentes, & Prior Presbyterorum in ſcabello, & in loco magis (1) convenienti, ſive a dextris, ſive a ſiniſtris, prout in Capella cum (2) Papa celebrat, ſed (3) nunc, & quoties in divinis miniſtrat, ut Capellanus aſſiſtens, erit indutus Pluviali, non Planeta. Imperator, ſi aderit, ſedebit in ſede ſua ad dexteram Pontificis, & tunc Diaconi non ſedebunt apud Sedem Papæ, ſed ante ipſam Sedem hinc inde ſuper parvis ſcabellis, ut erat mos antiquus, & hoc ne Diaconus a dextris videatur ſedere medius inter Papam & Imperatorem. Reges ſedebunt in nominatis ſedibus ſuis. Epiſcopi, & Presbyteri Cardinales in prima parte eminentiori ſcamnorum a dextris. Diaconi Cardinales præter illos duos, in prima parte a ſiniſtris. Patriarchæ quatuor Eccleſiarum, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus ſedebunt in quatuor illis ſedibus ſingularibus contra faciem Pontificis; & nota, quod prædicti Patriarchæ in Miſſis, & aliis actibus, ſive ſint parati, ſive non, ſedent ante aſſiſtentes Papæ. Alii Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, parati ſedebunt in ſcamnis poſt Cardinales hinc inde; primum tamen locum habebit Vicecamerarius, ſi erit Prælatus paratus; & ita ſervatum leginus in Concilio Piſano, præſidente Alexandro V. & in Conſtantienſi, præſidente Joanne XXIII. Deinde Oratores Regum, & Principum, ſi erunt parati, inde reliqui Prælati parati. Et impleta prima quadratura ſcamnorum, implebuntur reliquæ poſt illam; poſtremi erunt Generales Ordinum. Et adverte, quod Prælati omnes cujuſcumque ſint gradus, ſecundum Gregorii Papæ Decretum, ſedebunt inter Collegas ſuos ſecundum Ordinem, ſive promotionem ſuam. Aſſiſtentes Papæ parati ſedebunt ſuper gradus thalami Pontificalis ad ſiniſtram partem. Protonotarii Apoſtolici, & Clerici Cameræ ad dextram. Subdiaconi vero, Auditores Rotæ, & Acolythi in parte anteriori ad pedes Papæ. Super planum ſedebunt duo Cubicularii ſecreti Papæ, Decanus Auditorum, qui ſervit de Mitra, & Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus. Oratores autem laici, ſive non Prælati, ſedent intra primam quadraturam in ſedibus illis humilioribus pro Dominorum ſuorum dignitate, ita ut digniores ſint propinquiores primis ſcamnis Papæ; & ſi aderit aliquis Magnus Princeps, ſedebit in ſcamno Diaconorum poſt omnes Diaconos, ſi alias conſuevit ſedere in ſuo ſcamno; alii inferiores Domini laici, inter, vel poſt Oratores non Prælatos ſecundum eorum qualitatem; ceteri vero Sacerdotes, & Clerici, qui aderunt, ſtabunt poſt ſcamna Prælatorum, ut poterunt.

COMMENTARIUS.

I. REcte admonet præſtantiſſimus Cardinalis Baronius ad annum CCCXXV. nullam cognoſcendæ antiquæ diſciplinæ conſeſſus in Synodis veriorem rationem ſuffragari poſſe, quam illam, quæ petitur exemplo rerum geſtarum in Synodis Œcumenicis antiquioribus.

(1) Ita in editione Romana, in Veneta vero 1. legitur, *in loco eminenti*. (2) In ipſa Veneta perperam legitur, *cum Cappa*. (3) Ibidem, *tunc*.

Digitized by Google

ribus. Cum autem ex quatuor primis solius Chalcedonensis Acta supersint integra, & incorrupta, non immerito ex ipsis Actis priscam sedendi in Synodis rationem censuimus initio hujus Commentarii eruendam, non omittentes deinde recentiorem sedendi morem explicare. Ergo, uti jam pridem notavimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XXIII. in prima Actione Concilii Chalcedonensis, confessus Episcoporum ita dispositus invenitur, ut a læva parte Apostolicæ Sedis Legati, & post ipsos Patriarchæ Anatolius Constantinopolitanus & Maximus Antiochenus; a dextris vero Dioscorus Alexandrinus, atque Juvenalis Hierosolymitanus sederent. Dubitare autem hic non oportet, quin locus sinister a Patribus illis sanctior & dignior fuerit existimatus, cum præsertim idem Dioscorus hæresis infamatus ad Synodum judicandus veniisset. Id duplici ratione contingere potuisse docet laudatus Baronius, sive quod in Ecclesia Christi ad imitationem Patriarchalis benedictionis Jacob, ut habetur Genesis Cap. XLVIII. mutato rerum ordine, dextera in sinistram dignitatis ergo mutaretur, sive quod apud Romanos, teste Varrone, *De lingua Latina*, Lib. VI. Cicerone, Plinio, Plutarcho, aliisque compluribus, pars sinistra melioris esset auspicii, ac proinde dignior haberetur, ut ex Virgilio etiam addiscimus, qui Lib. II. Æneidos scripsit: *Intonuit lævum*. Atque hæ rationes, aliæque ab eodem Baronio adductæ, si compertæ fuissent S. Petro Damiani, dum in Tractatu de picturis Apostolorum Petri & Pauli disceptaret, quorsum pingi soleret Petrus ad sinistram, & Paulus ad dexteram, non se fatigasset in conquirendis Pauli supra Petrum prærogativis, ut recte animadvertit Cabassutius in Notitia Conciliorum Cap. XII. nec hæretici si easdem rationes attenderent, tam misere desiperent, ad deprimendum Principis Apostolorum Primatum, ejusmodi picturas nobis opponere.

II. Neque est prætereunda alia ratio præclarissima, qua prædictus Annalium Parens ostendit, sinistram partem in Sacris potiorem esse, quam dextram. Cum enim in medio Consessus Episcoporum, ut habent Acta dictæ Synodi Chalcedonensis, & aliorum Conciliorum, super egregium Thronum poni consuevisset sacrosanctum Jesu Christi Evangelium, quod ut declarat S. Cyrillus Alexandrinus, dum agit de Synodo Ephesina, & jam diximus nos supra in Commentario ad §. II. typum ipsius Christi gereret, ex eo intelligere possumus, sic a parte sinistra Legatos Sedis Apostolicæ esse locatos, ut positus in medio Christus Dominus in universum consessum respiciens, a dextris haberet, qui sederent a sinistra, & a sinistra, qui in dextra considerent. Secundum quod etiam in antiquo Romano Ordine legitur his verbis: *Sedebant ea locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam, Episcopi sint ad sinistram, Presbyteri vero ad dexteram, ut quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram*. Qua ratione fiet, ut multæ conciliari possint de sinistra & dextera parte oboriri solitæ controversiæ, cum alia in progressu, in consessu ratio alia attendatur.

III. Quod spectat recentiorem sedendi morem in Œcumenicis Synodis, lubet eum hoc loco describere ex Actis Vaticanis, ubi narrant sedendi ordinem, qui servatus fuit in Generali Concilio Lugduuensi I. sub Innocentio IV. anno MCCXLV. *Dominus Papa, Missa celebrata, locum eminentiorem ascendit; Imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alii Principes laici sederunt ad sinistram, & Diaconus Cardinalis Vicecancellarius Magister Martinus Neapolitanus cum Notariis, Auditore, & Correctore, Capellanis, Subdiaconis, & quibusdam aliis, inferius vero sic Prælati sederunt. Ex opposito tres Patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquileensis tertio*. Addunt mox ipsa Acta, de Patriarcha isto Aquileensi scandalum tunc fuisse exortum, *ex eo quod, ut alii Patriarchæ dicebant, sedere non debebat juxta eos, cum non esset de quatuor Patriarchis*. Ajunt sedem ipsam tunc fuisse destructam, *& tandem, ut evitaretur scandalum, de voluntate Domini Papæ, ut creditur*, refectam fuisse. Quicquid sit, pergunt Acta ordinem sedendi enarrare, & ita inquiunt: *In navi vero Ecclesiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales; Archiepiscopi, Episcopi post eos. In sedibus autem constitutis in navi Ecclesiæ sederunt aliqui de Episcopis, Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuncii Regum, & Imperatoris Friderici, & multi alii erant ibi*. Idem fere ordo servatus fuit in Concilio Lugdunensi Generali II. cui præfuit Gregorius Papa X. anno MCCLXXIV. ut Acta Vaticana testantur, quæ etiam nos docent, nullam tunc fuisse de locis controversiam, *cum per eundem Summum Pontificem fuerit ordinatum, quod sine præjudicio Ecclesiarum suarum sederent*.

IV. Ergo ut iterum atque iterum dictum fuit, præcedunt Cardinales Patriarchas, Patriarchæ Primates, Primates Archiepiscopos, Archiepiscopi Episcopos, inter quos passim Concilia in sedendo ordinem servandum esse voluerunt ex tempore consecrationis ipsorum, uti constat ex Concilio Milevitano II. anni CDXVI. Can. III. cui Titulus: *Ut posteriores anterioribus Episcopis non præferantur*; atque ex Bracarensi II. Concilio Can. VI. quo cautum est, *ut conservato Metropolitani Episcopi primatu, ceteri Episcoporum secundum suæ ordinationis tempus, alius alii sedendi deferat locum*. Idipsum edicit Concilium IV. Toletanum celebratum anno DCXXXIII. Can. III. *Episcopi*, inquit, *secundum ordinationis suæ tempora resideant*. Eandem disciplinam inculcarunt Summi Romani Pontifices, S. Leo Magnus, & S. Gregorius itidem Magnus, & ille quidem in Epistola V. ad Dorum Beneventanum Episcopum, ubi vel de ipsis Presbyteris statuit, ut in eo sedendi ordine permaneant, quem unicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Gregorius vero Lib. VII. Epistola CXII. de Episcopis ita ad Syagrium Episcopum scripsit: *Episcopos secundum ordinationis suæ tempus, sive ad considendum in Conciliis, sive ad subscribendum, vel qualibet alia re, attendere loca sua decernimus, & sacrorum sibi prærogativam Ordinum vindicare*: Sane in ipsa tamen Epistola tribuit Gregorius Augustodunensi Sedi, ut ejus Episcopus omnes alios Provinciæ Episcopos præcederet, & primus esset post Lugdunensem. Sic Cenomanensis

Digitized by Google

sis Episcopus, teste Goffrido Lib. III. Epistola XI. comprovincialium primus fuit, non habita ratione temporis, quo fuit ordinatus; quam prærogativam habere in sua Provincia Episcopum Catalaunensem, testatur Fulbertus in Epistola ad Deodatum Episcopum Svessionensem. Cetérum præcedunt semper Primates Archiepiscopos, & Archiepiscopi Episcopos, non habita ratione temporis suæ Ordinationis, uti ex laudato superius Concilio Milevitano constat, ubi addita est ea exceptio, quæ dicit: *Servato utique jure Primatum Numidiæ, & Mauritaniæ.* Id quod etiam quantum ad Metropolitanos, seu Archiepiscopos excepit citata Synodus Bracarensis II. Canone VI. qui mandat, *ut conservato Metropolitani Episcopi primatu, ceteri Episcopi &c.*

V. Nequa autem de tempore illo consecrationis controversia unquam oriri posset, sapientissime cautum est ex memorato Concilio Milevitano II. Can. XIV. *ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, Litteras accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.* Litteræ ipsæ jam non aliter legitimæ censebantur, nisi ubi Consul & dies fuissent appositi, uti constat ex Lege 1. Codicis Theodosiani, Titulo I. *De Constitutionibus Principum, & Edictis.* Quam Legem edidit Constantinus anno CCCXXII. uti supputat eruditissimus Gotophredus, qui etiam plura scitu digna in ipsam Legem notavit. Quod si illo anno nondum essent creati Consules, vel nulli forent, ea utebantur formula, *post Consulatum N. V. C.* ut in Fastis videre licet; decrevitque id Concilium Milevitanum Canone XX. Atque huic rei aliquid affine extat in Synodo Svessionensi apud S. Medardum anno DCCCLIII. post Caput IX. in Causa Hincmari.

VI. Quibus vero induti vestibus Patres olim Conciliis interessent, peculiari Capite, quod est XIX. explicuimus jam in Prolegomenis nostris ad Concilia nostro I. Tomo Conciliorum præfixis. Certe, ut hic Græcam Ecclesiam omittam, de qua citato loco dictum fuit, obtinuisse jamdudum in Ecclesia Latina morem, ut sacris nonnisi induti vestibus Viri Ecclesiastici Conciliis interessent, constat ex Concilio Toletano IV. Can. III. ubi expressa fit mentio Diaconi Alba induti, qui Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciabat. Alba autem olim, sicut & hodie, vestis sacra erat, diviniisque, ut docent Scriptores Liturgici, Officiis addicta. In Anglicana Synodo ab Humberto Merciorum Episcopo coacta sub Offa Rege anno DCCXCIII. Antistites memorantur convenisse Sacerdotalibus Infulis adornati. In Pontigonensi quoque, præsente Carolo Calvo, & Legatis Joannis Papæ VIII. anno, ut vult Baronius, DCCCLXXVI. sacro etiam in habitu Episcopos consedisse, testantur ejusdem Concilii Acta apud Aimonium Monachum Lib. V. *De gestis Francorum*, Cap. XXXIII. *XI. Kal. Julii Episcopis, & ceteris quibusque Clericis vestibus Ecclesiasticis indutis, & domo, ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi, & prospectu Imperialis Sedis, lectorio, superpositis sacrosanctis Evangeliis venit Dominus Imperator Carolus in habitu francisco cum Legatis Sedis Apostolicæ in Synodum.* Tum vero Actione VIII. legitur, quod *venit Imperator Græcanico more paratus deducentibus eum Apostolicæ Sedis Legatis more Romano vestitis, ad Episcopos Ecclesiasticis vestimentis indotos &c.* Eundem ritum servatum in Triburiensi Concilio anno DCCCXCV. docet ejus Concilii Præfatio his verbis: *Interim Episcoporum sacer Conventus in Basilica prædictæ Villæ post communes Orationes, & preces finitas, honorificentissime infulati, Pontificalibus sedibus suffulti, mentibus serenati, prudentia præditi, Sacrosanctum ingressi sunt Synodale Colloquium,*

VII. Post annum millesimum perspicue a Conciliis declaratum est, quo quisque cultu & habitu Synodo intersesse debeat. Concilium Budense anni MCCLXXIX. Episcopis, & Abbatibus Mitræ privilegio donatis Superpelliceum, Stolam, Pluviale, & Mitram assignat; Prælatis inferioribus Superpelliceum, Stolam, & Pluviale; Parochis, & Presbyteris ceteris Superpelliceum, & Stolam; Monachis Stolam dumtaxat. Synodus Colonienſis anni MCCLXXX. Can. XIX. Albam, Stolamque Prioribus, Archipresbyteris, & Decanis ruralibus tribuit; Parochis vero solum Superpelliceum. Synodus Nemausensis anni MCCLXXXIV. Parochis solum Superpelliceum in Synodo Paschali, Cappas rotundas in Synodo S. Lucæ præscripsit. In aliis Synodis non minus perspicuum est sacris vestibus discrimen, quibus sacri Viri in Conciliis utebantur. Sciendum tamen est, minime suspicandum esse, altioris quicquam arcani in ea diversitate latuisse, sed puram putam ipsam fuisse disciplinæ, ut in sexcentis aliis, varietatem.

VIII. Alia testimonia congerere supervacaneum est, cum ipsa sacra actio usum sacrarum vestium in Conciliis plane suadeat. Unde S. Stephanus Papa, & Martyr, qui vixit anno Christi CCL. *Vestimenta Ecclesiæ*, inquit, *in quibus Domino ministratur, cultusque divinus, cum omni honorificentia, & honestate a Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur, & sacrata esse debent, & honesta; quibus, aliis in usibus, cum Deo, ejusque servitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis.* Hujus constitutionis mentionem passim faciunt Liber Pontificalis, Beda, Ado, Alcuinus, Strabo, Gratianus, aliique complures de divinis officiis agentes. Ceterum, cum in Ecclesia celebranda sit Synodus, & in ipsa tractanda sint quæ spectant Religionem, & Fidem Catholicam, implorandaque sit gratia Spiritus Sancti, qui illuminet corda Præsulum, expedit ait Cardinalis Jacobatius Lib. I. *De Concilio*, quod Cardinales, Prælati, & illuc convenientes sint induti Pluvialibus, Planetis, & vestibus sacris, & cum Mitris albis, quæ debent esse planæ, ac sine ornamento, si sint Episcopi coram Summo Pontifice; Cardinales autem utuntur Mitris albis aliquanto auriphrygiatis, ut a ceteris Præsulibus distinguantur. Papa autem, ut subdit laudatus Auctor, debet esse indutus vestibus Pontificalibus, Pluviali scilicet rubeo, & Mitra pretiosa juxta ritum in Concilio Constantiensi servatum. Imperator tandem sedebit in habitu Imperiali, & Rex in habitu Regio. Qui plura desiderat, legere poterit quæ scripsimus nos in nostris ad Concilia Œcumenica Commentariis, ubi uniuscujusque Historiam narravimus.

Digitized by Google

§. VI.

Ordo rerum gerendarum in Conciliis.

Ordinem autem rerum agendarum ex antiquis Conciliis propter eorum vetustatem colligere non potuimus, nisi quantum ad Sessiones pertinet, in quibus discussa communiter proponebantur, & per verbum *Placet* a Patribus firmabantur. Sed quoniam novissimorum Conciliorum Constantiensis & Basileensis res gestæ diligentissime adnotatæ fuerunt, & in ordine satis inter se congruunt, modum in illis servatum perstringemus. Sed defuit in Basileensi Congregatione multitudinis in Sanctos Episcopos reverentia, & superabundavit temeritas, atque arrogantia, quando non pluris fieret sententia optimi cujusque Antistitis, quam minimi Canonici, & id quod ad Episcopos spectat, diffinire & sancire, multitudo sibi arrogaret; unde Ecclesiam Dei, quam unitam esse convenit, in diuturnam, & pernicioſam scissuram adduxit. Ordinem igitur profecto illius Concilii, & procedendi morem laudarem, si Prælatis tantum, ut prisci voluerunt, decernendi & diffiniendi potestatem permisissent. Sed abstinebunt, ut arbitror, postea horum exemplo ab hujusmodi novitate, & bene ordinata idoneis Ministris committent. Modum igitur hunc servabunt, qui, absente Pontifice, non incompetenter fortasse servari poterit, si Prælatis, ut diximus, relinquetur tantum statuendi facultas.

COMMENTARIUS.

I. VEtus est mos rogandi, ac decernendi Leges tam Civiles, quam Ecclesiasticas per verbum *Placet*, uti jam fuse ostendimus Tomo I. Conciliorum in nostris Prolegomenis ad Concilia, Cap. IV. quod inscriptum est, *De antiquitate, vi, ac usu verbi* Placuit, *quod in Apostolorum Concilio, & in aliis sequioris ævi usurpari consuevit*. Et quidem in Legibus Ecclesiasticis constituendis primi, qui ea formula usi sunt, fuerunt haud dubie Apostoli in Concilio Hierosolymitano apud Lucam in Actis Apostolicis, Cap. XV. *Tunc placuit Apostolis, & senioribus, cum omni Ecclesia &c.* Et post alia: *Placuit nobis collectis in unum &c.* Eam formulam, quam certe Ecclesia in sacris Canonibus decernendis ab Apostolis accepit, inde ortum habuisse opinor, sententiam sequens præclarissimi Auctoris Ferdinandi Mendozæ, *De Concilio Illibberritano*, Lib. II. Cap. II. quod post dissensiones, & disceptationes de re dubia positiva excitatas (in omnibus enim consentire omnes naturæ profecto est humana paulo superioris) cum post exactam disputationem pacati fuerint omnium animi, & in eandem sententiam venerint, tandem præscribendum decretum est, quæritur a singulis vel a Præside, vel a Notario Concilii, an illis placeat eam Constitutionem decerni; quibus sibi placere respondentibus, fide gestorum postea a Notario facta, & litteris consignata, verbum *Placuit* a Patribus usurpatum in principio decreti, vel Sanctionis refertur; quod, ut alia omittam, constat ex Concilio Carthaginensi I. & II. Cum enim Gratus Episcopus Carthaginensis Africanæ Ecclesiæ Primas, & Præses Concilii hæc proposuisset: *Et illud præcipue, si videtur vestræ dilectioni, cavendum est, ut Pastoris cura &c.* ad finem Canonis dicitur; *Universi dixerunt*; *Placet*. Et Canone X. cum idem Gratus proposuisset, avaritiæ cupiditatem radicem omnium malorum esse, prohibendumque inde esse, nequis alienos fines usurpet, universi dixerunt: *Placet*, *Placet*. Id ipsum aliorum Conciliorum usu receptum est passim. Recte itaque ait hic noster §. ex antiquis Conciliis, quantum ad Sessiones pertinet, illud quidem colligi, quæ in iis discussa communiter proponebantur, per verbum *Placet* a Patribus fuisse firmata.

II. Docet præterea noster §. quod licet ordo rerum agendarum in Conciliis, *ex antiquis Conciliis propter eorum vetustatem colligi* nequeat, *novissimorum tamen Conciliorum Constantiensis, & Basileensis res gestæ diligentissime annotatæ fuerunt*. Sed quicquid sit de Constantiensi Concilio, notandum hoc loco quod de ipso Concilio Basileensi mox subjicit: *Sed defuit*, inquit, *in Basileensi Congregatione multitudinis in Sanctos Episcopos reverentia, & superabundavit temeritas, atque arrogantia, quando non pluris fieret sententia optimi cujusque Antistis, quam minimi Canonici, & id quod ad Episcopos spectat, diffinire, & sancire, multitudo sibi arrogaret; unde Ecclesiam Dei, quam unitam esse convenit, in diuturnam, & pernicioſam scissuram adduxit*. Notent hæc qui Synodum ipsam Basileensem ad sydera usque extollere non erubescunt, Quanta fuerint ejus vitia, & horrenda epitheta, quibus non modo a nostratibus, sed & ab exteris Scriptoribus impetita sit, jam nos fuse diximus Tomo IV. Conciliorum, ubi ejusdem Concilii Historiam, & Sessiones enarravimus. Ut alia omittam, celebre est hanc in rem Æneæ Sllvii testimonium, qui postea fuit Pius II. Papa. Is quippe in Oratione habita anno MCDLII. adversus Australes, quam vulgavit præclarissimus Muratorius Tomo II. Anecdotorum, refert, in hac Synodo Basileensi quædam Decreta, ipsis coquis, & stabulariis perstrepentibus, facta fuisse; *Inter Episcopos, ceterosque Patres conscriptos, vidimus in Basilea coquos, & stabularios Orbis negotia judicantes*. Tum merito subdit: *Quis horum dicta, vel facta judicaverit Legis habere vigorem?*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

De Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis.

Primum omnes ad Concilium venientes, ſive ſuo, ſive alieno nomine, per Curſores præordinatos deſcribebantur; tum Patres omnes per quatuor nationes dividebant, Italicam, Germanicam, Gallicanam, & Hiſpanienſem. In Conſtantienſi tamen Synodo, quia Hiſpani cum ſuo Benedicto XIII. diu in contumacia perſiſtentes, non affuerunt, niſi in fine, Anglicana quartum locum obtinuit, quæ Baſileæ cum Gallicana eſt connumerata. Ex nationibus pari ex unaquaque numero quatuor conventus creabant, quas ſacras diſputationes vocitabant, locis, vocabulis, & poteſtate diſcretas. Nam in prima Fidei Catholicæ; ſecunda de pace populi Chriſtiani; tertia de reformatione Eccleſiæ; & in poſtrema de aliis emergentibus negotiis agitabatur. Erant cuique conventui ſeparata tribunalia, & loca, in quibus convenirent proprii Magiſtratus; Præſidens, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundum majoris partis ſententias concluderet; Promotor, qui tanquam curator publicus ingereret negotia, inſtaretque, ut abſolverentur; Scriba, qui geſta, Decretaque publicis documentis adnotaret; Nuncius deinde, ſive Apparitor, qui Patres convocaret, citaret, Edicta proponeret, & ſimilia. Conveniebant hæc Collegia ter in hebdomada iiſdem horis in propriis Prætoriis, ubi re Divina peracta, rebus gerendis operam dabant. Ex quatuor deinde ſacris deputationibus duodecim Virorum Collegium eligebatur, terni ex unoquoque conventu, & deputatione, Viri doctrina, & experientia clari. Ad hos negotia omnia primum deferebantur, qui rebus mature digeſtis, vel ea reſpuebant, vel ſi admittenda videbantur, ad Collegium, cui competerent, remittebant; eratque his poteſtas, cum aliquid grave inſtaret, convocare quatuor conventus etiam extra ordinem. Ceterum quæ a duodecim Virorum Collegio ad quempiam ex quatuor conventibus remittebantur, proponebantur per Præſidentem illius conventus, neque licebat illa die de propoſitis quicquam decernere, niſi res manifeſte celeritatem neceſſariam exigeret. Quod major deinde pars ſtatuiſſet (1) ad alios tres conventus deferebatur, eorum opinio cum rationibus & argumentationibus utriuſque partis. Quod per tres conventus approbatum erat ad Præſidentem Concilii publicis documentis deferebatur, qui ſtatuto die in generali Congregatione de ea re referebat; neque licebat, Præſidentem de aliqua re agere cum Patribus in generali conventu, niſi prius de ea deliberatum, ſive, ut ajebant, concluſum fuiſſet per quatuor, aut ſaltem per tres deputationes. Demum ubi quippiam a Patribus approbatum erat in generali Congregatione, quæ octavo quoque die frequentabatur, in formam Decreti redactum in publica Seſſione ritu ſolemni ſtatuebatur.

N O T A.

De Conſtantienſi, & Baſileenſi Conciliis, ac de ordine in eis ſervatis, videri poſſunt quæ de eiſdem fuſe diximus Tomo IV. Conciliorum, ubi prædicta Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe enarravimus.

§. VIII.

De generali Congregatione in Conciliis.

Generalis Congregatio differt a publica Seſſione, quod in illa res ſtatuendæ per quatuor deputationes diſcuſſæ approbantur hoc modo. Ubi in ſacris deputationibus aliquid decernendum cenſebatur, Præſidens illarum quiſque in ſuo conventu id firmabat his verbis: *In Nomine Sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego concludo in talem ſententiam.* Idem fiebat deinde in generali Congregatione. Ubi vero Præſidens Concilii Præſidentium deputationum vota cognoverat, concludebat nomine totius Concilii. Oportebat tamen illum concludere ſecundum Præſidentium vota. His peractis, cum res ita exigebat, publica Seſſio indicebatur. In omnibus tamen ſupradictis, ſi Papa erit præſens, ipſe erit rector, moderator, ac diſpenſator; & Deputationes, Collegia, Magiſtratus, & rerum omnium ordinem pro ſuo arbi-

(1) Poſt hæc verba in editione Romana anni 1560. addita & hæc ſunt: *& ſi ita minori parti videre etiam differebatur*, tum vero ſequitur ut in hoc §.

Digitized by Google

arbitrio constituet. Quæ ideo recensuimus, ut posteri hinc capere possint, quæ res publicæ magis expedire videbuntur.

COMMENTARIUS.

I. Docet hic primum noster §. generalem Congregationem differre a publica Sessione, *quod in illa res statuendæ per quatuor Deputationes discussæ approbantur &c.* Erat certe & hæc differentia inter ipsas generales Congregationes omnium Nationum, & Sessiones; quod hæ cum magnis solemnitatibus & Officio Divino fierent, in Congregationibus vero generalibus non modo omitterentur dictæ solemnitates, quæ requirebantur ad publicam Sessionem, sed & Officium quoque Divinum. Hinc apud Labbeum, ubi agitur de Concilio Constantiensi legitur, die xx. mensis Februarii factam fuisse Congregationem generalem, sed *sine solemnitatibus Sessionis, videlicet Officiorum Missæ, Litaniarum, & aliarum Orationum ad Sessiones Synodales* pertinentium. Porro modus in publica Sessione Conciliorum generalium, qui dicitur observatus in ipsa Generali Synodo Constantiensi, extat apud laudatum Labbeum Tomo xviii. Conciliorum. Sed nec omittendum illud, aliud esse Synodi Sessionem, aliud Actionem, cum in uno interdum consessu plures causæ vel actiones explicari soleant. In Synodo Chalcedonensi sex primæ Sessiones sex omnino actiones continent, singulæ singulas. At Sessio septima tres actiones complectitur, septimam, octavam, & nonam. Octava autem unicam actionem, nempe decimam. Denique Synodi universæ Sessiones, sive, ut Liberatus Cap. xiii. vocat, *Secretaria*, fuere duodecim, actiones vero sexdecim. Vide Sirmondum in Notis ad Facundum Lib. v, qui id pluribus explicat Cap. xiii. & xiv.

II. Ex præscripto ejusdem nostri hujus §. ubi Conciliis *Papa erit præsens, ipse erit rector, moderator, ac dispensator, & Deputationes, Collegia, Magistratus, & rerum omnium ordinem pro suo arbitrio constituet.* Ratio est, quia, ut docent Theologi passim, Summus Pontifex est supra Concilium, ideoque, uti post alios notat Fagnanus in Capite, *Ex parte, De capellis Monachorum*, etiamsi discreparent sententiæ inter Papam, & Concilium, prævaleret semper sententia Papæ. Sed & de his videri possunt, quæ diximus in Prolegomenis ad concilia.

§. IX.

De publica Sessione, & sacris precibus.

Publicæ Sessiones his ceremoniis celebrari consueverunt. Antequam prima Sessio celebretur, indicitur omnibus Conciliariis triduanum jejunium. Deinde statuta die Pontifex cum omnibus Prælatis, & aliis, qui interesse debent, ac Clero cum sacra pompa, si placet, venit ad locum Concilii, ubi per ipsum Pontificem, vel alium Prælatum, cantatur Missa de Sancto Spiritu, & fit Pontifici reverentia per Cardinales, & omnes Prælatos paratos. In aliis Sessionibus non solet semper cantari Missa solemnis ante, sed Papa, audita Missa privata, venit ad Concilium cum Pluviali rubro, & Mitra pretiosa, & facta oratione ante Altare ascendit ad Sedem suam, & similiter omnes alii sedent in sedibus prænominatis, & fit ei reverentia a Cardinalibus cum suis Cappis laneis, si prius non est facta. Deinde duo seniores Diaconi accipiunt Dalmaticas, & unus eorum Stolam, & Manipulum, quia est cantaturus Evangelium. Subdiaconus etiam paratur. Deinde accedunt ad Pontificem, & imponunt ei Sandalia, & dicitur Psalmus: *Quam dilecta*. Interim Cardinales, & alii Prælati accipiunt paramenta sibi convenientia omnes. rubri coloris, & omnibus indutis aliquantulum quiescunt. Tunc silentio facto, Diaconus a dextris surgens alta voce præfatur: *Orate*, & mox tam Pontifex super Faldistorium sibi paratum, quam alii sine Mitra in terra genuflexi diutius orant versi ad Altare. Surgens deinde Pontifex solus, aliis prostratis permanentibus, absolute dicit hanc orationem in tono competenti, videlicet: *Adsumus Domine Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in Nomine tuo specialiter adgregati. Veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende, quid efficere debeamus, ut, te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & ejus Filio Nomen possides glorioſum. Non patiaris, perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem; non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inficiat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat; sed junge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo aberremus a vero, quatenus in Nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis con-*

Digitized by Google

consequamur præmia sempiterna. Qua finita, omnes respondeant: *Amen*. Finita Oratione, Diaconus a sinistris, surgens versus ad Patres dicit: *Erigite vos*; & omnes surgunt, & Cantores cantant Antiphonas: *Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine*. Iterum Diaconus a dextris conversus ad Patres dicit: *Orate*; & similiter omnes procumbunt, & aliquantulum orant secrete. Surgens deinde Diaconus a sinistris dicit: *Erigite vos*; & omnes surgunt, & Pontifex, omnibus stantibus, detecto capite dicit orationem absolute: *Mentes nostras quæsumus Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet, & in omnem, sicut tuus promisit Filius, inducat veritatem. Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem*. Qua finita, iterum genuflectunt, & fit Litania, quæ per duos ex Cantoribus pronunciatur, & omnes respondent; & post versum illum, *Ut Domnum Apostolicum &c.* surgens Pontifex cum Mitra benedicit Synodo, dicens: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere digneris*. Et omnes respondent: *Te rogamus audi nos*. Iterum dicit: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, & regere digneris*. ℟. *Te rogamus audi nos*. Et tertio: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, regere, & conservare digneris*. ℟. *Te rogamus, audi nos*. Et procumbente iterum Pontifice, Litania perficitur. Deinde surgunt omnes, & Pontifex versus ad Altare sine Mitra dicit: *Oremus*. Diaconus a dextris: *Flectamus genua*. Et Diaconus a sinistris: *Levate*; & Pontifex: *Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, hostili nullatenus incursione perturbetur. Per &c. in unitate ejusdem &c.* Tum Diaconus petit benedictionem pro Evangelio, & imponitur a Pontifice incensum more solito, & cantatur Evangelium competens rei, de qua agitur, cum luminaribus, & ceremoniis consuetis, & in fine Pontifex osculatur Librum, & incensatur more consueto. Presbyter Cardinalis paratus cum Pluviali servit Pontifici, & de Libro, & de navicula incensi, ac si Pontifex celebraret. Finito Evangelio, omnes sedent, & Pontifex Patres hortatur verbis convenientibus ad facienda Decreta, assignans rationes, cur ita sit faciendum; deinde surgens sine Mitra, incipit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*. Omnes genuflectunt, & ipse etiam postquam incœperit, genuflectit, procumbens super Faldistorium, quousque primus versus perficiatur. Deinde omnes surgunt, & stant capitibus detectis. Cantores, & Patres, si volunt, prosequuntur Hymnum. In fine Pontifex dicit ℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*. ℟. *Et renovabis faciem terræ*. Et Pontifex: *Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.* Demum duo Cantores dicunt: *Benedicamus Domino*. ℟. *Deo gratias*. Quibus finitis, Diaconus legit Decreta facienda, & rogat Patres, an illa placeant; qui incipiendo a Summo Pontifice, respondent: *Placet*; vel, *Non placet*. Et Protonotarii Apostolici, Clerici Cameræ, & alii Tabularii rogati Decreta notant, & in publicam formam redigunt, quæ deinde Bulla, ac sigillo Apostolico muniuntur. Evangelia mutantur in Sessionibus secundum materias, de quibus tractatur. Si Romanus Pontifex non adesset, Præsidens Concilii paratus cum Sandaliis, Diacono, & Subdiacono omnia faceret, ut prædictum est, nisi ea, quæ ad Summum Pontificem tantum spectant. Decreta legeret aliquis Prælatus, & Litteræ signentur Bulla Concilii. Decretis firmatis, omnes deponunt sacras vestes, & tunc revertuntur Domum, quemadmodum venere. Si Papa est præsens, Decreta intitulantur hoc modo: *Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Sacro approbante Concilio &c.* ut in Constantiensi. Si autem abest Pontifex, sic scribitur, ut in Basileensi: *Sacrosancta Generalis Synodus Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & universalem Ecclesiam repræsentans &c.*

COMMENTARIUS.

I. PErvetusta est haud dubie Ecclesiæ disciplina, ut sacræ Synodi nonnisi ab oratione, jejunio, aliisque religiosis operibus, præsertim vero ab invocatione Spiritus Sancti inchoarentur. Id sane & nos abunde probavimus in nostris Prolegomenis nostro 1. Tomo Conciliorum præfixis, Cap. XV 1. & quidem de præmittendo jejunio (quod hic noster §. primum præscribit, ubi ait, quod, *antequam prima Sessio celebretur, indicitur omnibus Conciliariis triduanum jejunium*) testem habemus Auctorem antiquissimum Tertullianum, qui in Libro, *De jejuniis adversus Psychicos*, idest, animales (ita factus Montanista Catholicos appellitabat) hunc in modum scribentem: *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Con-*

Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur; & hoc quam dignum Fide auspicante congregari undique ad Christum. Vide, quam bonum, & quam jucundum, habitare Fratres in unum. Hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum compluribus cœnas. Conventus autem illi Stationibus prius, & jejunationibus operati. Quibus verbis docet Pamelius indicare Tertullianum optimam primitivæ Ecclesiæ in Synodorum celebratione consuetudinem, qua jejunia solebant præmitti, ejusque rei habere nos exemplum in Concilio Apostolorum Antiocheno, ubi segregati sunt a se mutuo Sancti Apostoli Paulus & Barnabas, uti legitur in Actis Apostolicis, Cap. XIII.

II. Memorant eandem jejunandi disciplinam Toletana Concilia quamfrequentissime, quorum Tertium anno DLXXXIX. celebratum hæc habet: *Admoneo pariter, & exhortor jejuniis vos, & vigiliis, atque orationibus operam dare.* Et paulo inferius: *Ad hæc autem gratias Deo agentes, & Religiosissimo Principi* (Reccaredo) *universo Concilio in laudibus acclamante, triduanum est exinde prædicatum jejunium.* Sic & Patres Concilii Remensis II. Carolo Magno Imperatore, ac Leone III. Pontifice Maximo, anno Domini DCCCXIII. ante omnia triduanum secundum consuetudinem jejunium, atque Litanias celebrarunt, quatenus Deo miserante, ea, quæ ad laudem, & gloriam sui Sancti Nominis, seu correctionem totius Christianitatis Imperii spectant, statuantur, & ordinari mereantur, quæ convenerunt illuc ordinaturi. Idipsum nos docet Concilium Moguntinum eodem anno habitum, ut liquet ex ejusdem Præfatione, quæ sic inter alia inquit: *Ibique pariter adunati primitus cum Litaniis triduanum celebravimus jejunium, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum, & actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur.* Totidem plane verbis locuti sunt Patres in Concilio alio Moguntino, quod celebratum fuit anno DCCCLVII. sub Leone IV. Papa, & Lothario Imperatore. Solemnes preces una cum triduano jejunio Cardinalibus quoque indixit Sanctus Gregorius Papa VII. in Concilio suo Romano VI. quod contra Berengarii errores anno MLXXIX. celebravit, quodque iniquis calumniis impetiit Benno pseudocardinalis, causans illum preces ipsas una cum jejunio triduano indixisse, *ut Deus ostenderet, quis rectius sentiret, Romana ne Ecclesia, an Berengarius?* Sed hanc calumniam jam confutavimus nos Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis citato Cap. XVI.

III. Ex dictis hactenus constat, ritum esse antiquum in ipsa Conciliorum celebratione, non modo triduani jejunii indictionem, sed & recitationem Litaniarum, de quibus etiam abunde diximus nostro Tomo II. Romani Pontificalis in Commentario ad §. v. Tituli v. qui inscriptus est: *Ordo ad Synodum*, in quo & Litaniæ ipsæ, Hymnus, *Veni Creator Spiritus*, Orationes, precesque aliæ recensentur, & quidem juxta veteres Cæremoniales Codices, quorum loca una cum veterum Scriptorum testimoniis in Commentariis ad memoratum Titulum descripsimus. Legendi itaque a curioso Lectore Commentarii illi, in quibus multa certe inveniet, quæ præsentem §. egregie illustrent. Possem & illis alia scitu digna hoc loco adjungere, quæ tamen omittere coactus sum, sicut & alia plurima vetera monumenta non dum edita, a nobis summo studio, ac labore conquisita, ne magis magisque ære alieno gravemur, quod pro editione hujus Operis contraximus sola in Deum fiducia, qui, ut ait in Epistola sua S. Jacobus Apostolus Cap. I. *dat omnibus affluenter, & non improperat.*

IV. Unum est quod hic omittere nullatenus licet, quod nempe in fine nostri hujus §. edicitur: *Si Papa est præsens*, inquit, *Decreta intitulantur hoc modo*: Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Sacro approbante Concilio &c. *ut in Constantiensi*. Scite docet Fagnanus in Capite, *Antigonus, De pactis*, Decreta in Concilio, cui Papa præsidet, ita demum edenda esse nomine Concilii, si Papa in hoc consentiat, alias vero secus. Hac enim ratione factum, ut multæ Constitutiones a Concilio fuerint denominatæ, quia Romani Pontifices ad imitationem B. Petri quandoque ex humilitate consenserunt, ut gesta, quæ sibi tribuenda essent, adscriberentur Concilio, uti perspicue, solideque ostendit idem Fagnanus citato loco, ubi etiam recte subjicit, extra consensum Papæ, tametsi aliter nonnulli Canones innuere videantur, qui certe nullum Successoribus Beati Petri præjudicium, ut ajunt, inferre possunt, Constitutiones sive originatas a Papa, sive a Concilio, indistincte tribui Papæ debere, & ejus nomine edi; tum quia Concilia omnia universalia congregantur, & auctoritatem accipiunt a Romano Pontifice Maximo, tum etiam quia Concilia ipsa Œcumenica ex veteri Ecclesiæ disciplina semper & constanter servata ab eodem Pontifice confirmantur, ab eaque confirmatione robur accipiunt, uti jam probavimus nostro Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. VIII. & Cap. XXXIII.

V. Præterea, cum uti in eisdem Prolegomenis Cap. XXVI. probatum est, Summus Pontifex sit absolute supra Concilium, Constitutionesque facere possit etiam absque Concilio, juxta Textum in Capite, *Ad Apostolicæ, De sententia & re judicata*, in Sexto, & receptam a Theologis passim S. Thomæ sententiam in Secunda Secundæ, Quæstione I. Articulo X. ex adverso autem Concilii Patres statuere aliquid sine auctoritate Papæ nequeant, ut idem S. Thomas docet in Opusculo, *Contra impugnantes Religionem*, quem inter alios sequitur Cardinalis Turrecremata in Summa, *De Ecclesia*, Quæstione LVI. non mirum videri debet, si a Romano Pontifice Maximo tanquam majori & digniori Constitutiones editæ in Concilio, cui ipse præest, principaliter denominari debeant. Atque hæc est complurium Canonistarum sententia; unde Glossa in dicto Capite, *Ad Apostolicæ*, ubi agitur de depositione Friderici Imperatoris, singulariter ait: *Nota quod in superscriptione dicitur*: Sacro præsente Concilio ad memoriam sempiternam. *Quod dicit de Concilio, potius est ad honestatem, quam ad necessitatem; & sine sententia, vel licentia Concilii sententia Papæ sufficeret contra Imperatorem, & quemcumque alium.* Tum paulo post: *Ibi non dicit, quod in Concilio facta fuerit depositio; ipse enim*, Papa scilicet, *habet plenitudi-*

Digitized by Google

tudinem poteſtatis &c. Vide & alia in hanc rem notata a laudato Fagnano in dicto Capite, *Antigonus*.

VI. Tandem, ut docet noſter §. ubi Pontifex non adeſſet Concilio, decreta edita in ipſo Concilio ſcriberentur ſicut in Synodo Baſileenſi hoc modo: *Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & univerſalem Eccleſiam repræſentans &c.* Ducere argumentum a Synodo Baſileenſi ſupervacaneum eſt, & inutile, fuit enim Synodus ipſa, uti ſuperius dictum eſt, Conciliabulum, *defuitque in ipſa in Sanctos Epiſcopos reverentia, & ſuperabundavit temeritas, atque arrogantia*. Porro Petrus Soave Polanus narrat in ſua de Tridentino Concilio pſeudohiſtoria, in ipſo Concilio præcipue ſub Paulo III. & Pio IV. nonnullos ex Patribus voluiſſe, ut in Decretis apponeretur inſcriptio ſignificans, quod *Tridentina Synodus repræſentet univerſalem Eccleſiam*; quæ inſcriptio non modo in Baſileenſi, ſed & in Conſtantienſi Concilio appoſita jam fuerat. Additque hiſtoricus, huic petitioni obſtitiſſe Legatos, ac reliquos omnes Patres, maxime dubitantes, ne hoc conceſſo adderentur alia verba, quæ in ipſa Conſtantienſi inſcriptione leguntur Romani Pontificis auctoritati adverſantia. Sed plane fallit falliturque hiſtoricus ipſe, & alii, qui eam Conſtantienſem inſcriptionem opponunt, ad inſinuandum, quod Concilium ſit ſupra Pontificem.

VII. Ad refellendam adverſariorum calumniam lubet hoc loco Conſtantienſem ipſam inſcriptionem referre, ejuſque ſenſum, ac vim explicare. Ergo in Seſsione IV. inſcriptio hæc fuit: *Sacroſancta Conſtantienſis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habens, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis etiam Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extinctionem Schiſmatis, & reformationem*. Scio, ex hac inſcriptione ita argumentari adverſarios. Aut hoc Concilium fuit legitimum, aut non. Si primum, ergo Concilium eſt ſupra Papam. Si ſecundum, ergo ejus acta nulla ſunt, & conſequenter depoſitio Pontificum ad extinctionem Schiſmatis, atque electio Martini V. quod nemo aſſerit. Si vere Conſtantienſis Synodus Catholicam Eccleſiam repræſentavit, & jure talem inſcriptionem appoſuit; cur non hoc debuit facere & Synodus Tridentina? Sed hæc argumentatio facile refellitur a Scipione Henrico in cenſura Petri Soave, Sectione III. Articulo IV. ubi ſcite docet, omne Concilium generale, ut in ſe eſt, Catholicam, ſeu univerſalem Eccleſiam repræſentare, ſed ſuo modo. Nam ſicut Eccleſia Catholica coſtat ex Capite, quod eſt Romanus Pontifex, & ex membris, quæ ſunt reliqui Chriſtifideles; ita Concilium, ut Eccleſiam Catholicam repræſentet, debet conſtare ex Capite, quod eſt ipſe Pontifex Romanus, & ex membris, quæ ſunt reliqui Epiſcopi. Accidit autem, quod quandoque Eccleſia eſt ſine Capite, ut Sede vacante; vel ſine certo, & indubitato Capite, ut tempore Schiſmatis, quod maxime fuit ſub Concilio Conſtantienſi. Tunc Concilium eo tempore exiſtens poteſt Catholicam Eccleſiam repræſentare, ſed ſine Capite, ut ipſa Eccleſia tum erat, unde Conſtantienſe Concilium illo tempore fuit acephalum. Repræſentavit ergo Conſtantienſe Concilium Eccleſiam Catholicam ſed ſine Capite; fuit enim pro Capite reſtituendo convocatum. Quare quoad extinctionem ſchiſmatis potuit ex ſe ipſo quæcumque facere Decreta. Quoad vero res Fidei, vel reformationis, potuit quidem ferre Decreta, quæ tamen vim non haberent, niſi poſt confirmationem Romani Pontificis, ut de facto apparet ex ipſius Concilii Actis poſt electionem Martini V. qui confirmavit Synodalia Decreta de Fide. Quare ex recitata inſcriptione Conſtantienſi non infertur, quod Concilium ſimpliciter ſit ſupra Papam; ſed quod Concilium Conſtantienſe eo tempore, quo ea inſcriptione uſum eſt, fuerit tantum ſupra illos Pontifices dubios, atque incertos eo tempore. Atque hic poteſt eſſe verus & germanus ſenſus ejus inſcriptionis.

VIII. Itaque ex dictis infertur, quare Legati, & reliqui Patres in Tridentino Concilio noluerint in Decretis ſimili inſcriptione uti, quod ſcilicet Concilium Catholicam Eccleſiam repræſentet. Primo, quia hæc inſcriptio ſatis recens erat, ac tantum ſeculo elapſo in uſu poſita. Secundo, quia Conſtantienſis Synodus, tum primum hac incriptione uſa eſt, quando cœpit judicare adverſus Joannem XXIII. Pontificem, & non ante Seſſionem IV. Ut autem oſtenderet, quo jure hoc faceret, cauſam appoſuit eo quod Catholicam Eccleſiam repræſentaret. Hoc vero neceſſe non fuit in Tridentino. Hinc patet, quod tum Conſtantienſe, tum Baſileenſe Concilium talem inſcriptionem appoſuerunt. Conſtantienſe quidem legitime, & juſte, de incertis, & dubiis Pontificibus judicare incipiens; Baſileenſe autem audens ſe extollere ſupra verum, & indubitatum Pontificem, unde ex Concilio in Conciliabulum abiit. Tridentinum vero Concilium, quia inſtitutum fuit adverſus Lutherum, & alios illius temporis hæreticos, quorum ſumma intentio & conatus ſemper fuit, ut Romani Pontificis auctoritatem infringerent, ſtatuit, rejecta Conſtantienſi inſcriptione, quæ nullius uſus eo tempore eſſe poterat, apponere ſingulis Seſſionibus, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem. His adde, quod ſicut Conſtantienſis inſcriptio vera & legitima fuit, ut patet ex ſupradictis, quia tunc Eccleſia erat ſine vero ac legitimo Capite, ad quod ſtatuendum Conſtantienſis Synodus inſtituta fuerat: ita inſcriptio Baſileenſis fuit falſa & illegitima, quia tunc Eccleſia erat ſub vero & indubitato Capite. Unde nec Concilium Tridentinum poterat hac inſcriptione uti, cum vere eſſet ſub certo & indubitato Pontifice. Quapropter & in ipſa Hiſtoria narratur, Legatos ſcripſiſſe ad Pontificem, *Si Patres voluiſſent ut in Decretis poneretur inſcriptio, quod Concilium illud Eccleſiam Catholicam repræſentet*; apponendum etiam fuiſſe; *repræſentare illam cum ſuo Capite Romano Pontifice*. Atque hoc modo talis inſcriptio poterat eſſe legitima & vera, non tamen neceſſaria, ut ex ſupradictis patet. Placuit autem de hac re, de qua alias nonnihil diximus Tomo IV. Conciliorum in enarratione Generalis Concilii Tridentini, pauca hæc notaſſe, quæ tamen fuſius explicata videri poſſunt apud Pallavicinum in ſua celeberrima Tridentini Concilii Hiſtoria.

Digitized by Google

DE MORTE ET EXEQUIIS REVERENDISSIMORUM CARDINALIUM ET PAPÆ

TITULUS XV.

I. TAmetſi in Tituli hujus inſcriptione nulla extet Papæ mentio, cum tamen ſub uno ipſo Titulo duo extent Capita, quorum primum eſt de morte, & exequiis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, alterum vero de ægrotatione, morte, & exequiis Summi Romani Pontificis, hinc eſt quod nos in ipſa Tituli inſcriptione addidimus, *& Papæ*. Hoc notato, ſit nunc.

CAPUT I.

De ægrotatione, & exequiis Reverendiſſimorum Cardinalium.

§. I.

De Cardinalium teſtamento, & ejus executoribus.

Quoniam ſacra Philoſophia eſt aſſidua meditatio mortis, quia nihil omnino certius, quamvis hora incerta ſit: decet Summos Viros ſemper paratos eſſe quoad interiorem, & exteriorem hominem, ne improviſi ab ultimo die opprimantur. Dum igitur mente, & corpore valebunt Domini Cardinales, & alii Prælati, & magni Viri Eccleſiaſtici, ſi ſapiant, rebus ſuis conſulant, & ultimam voluntatem, indulgente Pontifice, legitimo firmabunt teſtamento. Quod ſi dum ſanus erat quiſpiam neglexit, ſaltem dum corpore languet, & mortem adventare timet, id agere non prætermittat; ſed cum recte animæ ſuæ, familiæ, & ſuis hæredibus proſpexerit, id præcipue curet, ut ex numero Cardinalium exequutores eos deligat ſui teſtamenti, qui integritate, & auctoritate clari habeantur, qui familiam tueri, & legata, atque relicta teſtatoris implere velint, & poſſint.

COMMENTARIUS.

I. EPiſcopos, ceteroſque Beneficiarios de ſolo patrimonio, non autem de iis, quæ ex Eccleſiæ rebus acquiſiſſent, teſtandi habuiſſe poteſtatem, ex longo Patrum, & Conciliorum agmine Occidentis Orientiſque, docet eruditiſſimus Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. XXXVIII. & ſeqq. Sed ut nonnihil dicamus de diſciplina Seculi XII. de qua alias fuſe diximus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XV. Concilii Generalis III. Lateranenſis, ipſum quidem Concilium quod celebratum fuit anno MCLXXIX. citato Canone XV. convenienter declarat, res omnes Beneficiariorum, qui Eccleſiæ bonis, & Beneficiis ſuffarcinati, illam omni ope ſucceſſione ſua fraudare moliuntur, ad Eccleſiam ipſam devolutum iri, ſive teſtamenti aliquid ſcripſerint, ſive exceſſerint inteſtati: *Indemnitati itaque Eccleſiarum providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint, ſive aliis conferre voluerint, penes Eccleſias eadem bona præcipimus remanere*. Non diſplicet Concilio teſtamenta edi a Clericis, ſed ſive teſtantium, ſive inteſtatorum res ad Eccleſiam, ex qua derivatæ ſunt, neceſſe eſt revocari, uti obſervat idem Thomaſſinus locis citatis Cap. XLVII. Num. V.

II. Quod Cardinales ſpectat, qui electioni Eugenii IV. Papæ interfuere Cardinales, inter alia Capita, quæ antequam ad electionem Pontificis procederent, inter ſe ſtatuerunt, atque jurarunt, ut ea futurus Pontifex etiam ſervaret, illud non poſtremum fuit, ne Cardinales ſcilicet teſtari vetarentur, aut Prælati cæteri, qui in Curia diem extremum obirent, ut eos Pontifex fineret, *juxta Juris diſpoſitionem, & conſuetudinem, quæ in multis Regnis, & Regionibus ſervantur, fieri executiones juxta voluntatem decedentium, relinquendo conſcientiis eorum diſtributionem bonorum ad eos quomodolibet pertinentium*. Vide Raynaldum ad annum MCDXXXI. ubi Capitula ipſa deſcribit. Porro Paulus III. Bullam promulgavit, quam Galli *Compacti*, vocant, qua Cardinalibus copia fit teſtandi de rebus per Eccleſiam acquiſitis, per Eccleſias etiam Cathedrales; ubi vero inteſtati exceſſerint, eorum hæreditas inter hæredes, & domeſticos dividitur, judicio trium Cardinalium. At vero niſi pauperum ex grege ſint hæredes hujuſmodi, mordicus ſemper retinenda ea, qua totius rei cardo vertitur, regula, non poſſe res Eccleſiæ Deo ſemper ſacras, niſi in uſus pios effundi, ut idem Thomaſſinus notat. Hodie teſtantur, ut volunt, ſi tamen excipias ornamenta Capellæ, ſive Oratorii, quæ in propriis ædibus Cardinales habent, de quibus abunde diximus Tomo IV. Conciliorum in Commentariis ad Seſſionem IX. Concilii V. Lateranenſis. Videri autem & poſſunt ea quæ congeſſit Cohellius in ſua Cardinalatus Notitia Capite XVI. Privilegio XVIII. quod inſcriptum eſt

Digitized by Google

eſt hoc modo: *De facultate teſtandi Cardinalibus conceſſa.*

III. De Cardinalium teſtamento mandat & illud hic noſter §. ut Cardinalis teſtamentum condens *id præcipue curet, ut ex numero Cardinalium executores eos deligat ſui teſtamenti, qui integritate, & auctoritate clari habeantur, qui familiam tueri, & legata, atque relicta teſtatoris implere velint, & poſſint.* Clericos tam ſeculares, quam Regulares poſſe deputari executores ultimarum voluntatum, & quidem etiam ad non pias cauſas, docet inter alios Fagnanus in Capite, *Tua nobis*, XVII. & Capite, *Joannes Clericus*, XIX. *De teſtamentis*, ubi etiam advertit, id intelligi, dummodo per hoc non retrahantur a divinis officiis; & quoad Regulares dummodo non ſint ex Ordine Minorum Sancti Franciſci, quibus hoc officium eſt interdictum, ut in Clementina, *Exivi*, §. *verum*, *De verborum ſignificatione*; & dummodo id fiat de licentia ſuorum Prælatorum petita, & obtenta, ut habetur in Capite, *Religioſus*, *De teſtamentis*, in Sexto, & Clementina, *Religioſis*, Titulo eodem. Quodnam, & quotuplex ſit executorum ultimarum voluntatum, ſeu teſtamentorum, munus, docent Civilis æque ac Canonici Juris Conſulti. Ex præſcripto noſtri Cæremonialis in hoc præſenti Capite varia ſunt Cardinalium executorum munia, uti ex præſenti, & aliis Paragraphis ſequentibus patet.

§. II.

De Sacramentis a Cardinale ægrotante excipiendis.

Cæterum qui ægrotanti aſſiſtent, ſi ille morbo oppreſſus ejus rei non meminiſſet, curent diligenter, ut in tempore Eccleſiaſtica Sacramenta, non clam, ſed publice adminiſtrentur, & dum in extremis laborare incipit, advocent executores, qui decedentem ſolitis officiis conſolentur, & bonorum omnium deſcriptionem faciant, eaque fidis Miniſtris, & in locis tutis cuſtodienda committant. Executores in domo decedentis convenientes, quæ ad ſalutem, ſeu conſolationem animæ illius pertinent, in primis procurabunt, ordinabuntque, ut Viri Religioſi pſallentes, & orantes morientem circumſtent; adminiſtrationi, & curæ domus præficiant aliquem ex ſuis, qui cum Officialibus domus familiam gubernet pacifice, & quiete, & neceſſaria provideat; indeque ad deducendum funus quæ opportuna ſunt ſtatuant; & committant alicui docto Viro, ut orationem funebrem meditetur.

COMMENTARIUS.

I. STatutum iterum atque iterum fuit, ut, cum frequenter morbo ingraveſcente, plures ex hac vita, Sacramentali ſine Confeſſione demigrant, medici pœnam excommunicationis incurrant, ſi tertiam poſt infirmi viſitationem, ab infirmi cura non abſtinant, uſque dum ipſe Pœnitentiæ non ſuſcepſerit Sacramentum, quod Confeſſarius, relicta apud ægrotantem ſchedula ejus manu ſubſcripta teſtari teneatur. Noviſſime id quidem ſtatuit in ſuo Romano Concilio anni MDCCXXV. ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. ſequutus ſanctionem de ea re edita a S. Pio Papa V. in Conſtitutione, quæ incipit: *Super gregem Dominicum*, edita anno MDLXVI. & Canonem XXII. Concilii Œcumenici IV. Lateranenſis ſub Innocentio Papa III. anno MCCXV. quem Canonem jam nos fuſe enarravimus Tomo noſtro III. Conciliorum. Ex præſenti noſtro §. cautum plane eſt, ut *qui ægrotanti*, Cardinali, *aſſiſtent, ſi ille morbo oppreſſus ejus rei non meminiſſet, curent diligenter, ut in tempore Eccleſiaſtica Sacramenta, non clam, ſed publice adminiſtrentur*. Sed parum fidendum Cardinalium ægrotantium Familiaribus, quos in ſuo teſtamento, quod legitur in Additionibus ad Ciaconium Tomo II. col. 1062. & ſeq. ita depingit Jacobus Cardinalis Papienſis: *Circumſtantium eſt moleſta cupiditas, qui ſua, non noſtra quærentes, ab animæ cura ad terrena nos revocant, cogentes ſæpe perturbationibus ſuis eum mori, qui vel moriturus non erat, vel certe tam cito non moriturus.*

II. Notanda præſertim ſunt ea §. noſtri verba, quibus dicitur, diligenter curandum, *ut in tempore Eccleſiaſtica Sacramenta, non clam, ſed publice adminiſtrentur*. Neque decet, quod alias cum Magnatibus infirmis obſervari hodieque non ſine abuſu, & Chriſtiani populi ſcandalo videmus, qui ex conſecrata Euchariſtia in Miſſa, quæ in eorum domeſtico, privatoque Oratorio celebratur, communicant. Quod quidem eſt contra Conciliorum, & Pontificum Maximorum decreta, quibus expreſſe edicitur, Euchariſtiam ad infirmum *publice* eſſe deferendam. Certe, ut alios omittam, Honorius III. in Capite, *Sane*, X. *De celebratione Miſſarum*, diſerte Sacerdoti mandat, ut ipſam Euchariſtiam *in decenti habitu, ſuperpoſito velamine ferat, & referat manifeſte, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes Fides, & devotio augeatur*. Id ipſum præſcribunt Synodi paſſim, ac Rituales Codices, uti notat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo IV. Capite IV. Num. XVI. ubi etiam verba Paſtoralis Mechlinenſis refert, quæ ſunt hujuſmodi: *Non enim toleranda eſt eorum licentia, & abuſus, qui ſine gravi neceſſitate ſub clamide occulte ſine lumine & honore illud*, Euchariſtiæ ſcilicet Sacramentum, *deferunt*.

III. Juxta noſtri §. præſcriptum, quo edicitur, diligenter curandum, ut Cardinali ægrotanti *in tempore Eccleſiaſtica ſacramenta, non*

Digitized by Google

clam, sed publice administrentur, jam non modo Eucharistia, sed & extrema quoque unctio publice ad eum est deferenda, & ministranda juxta ritum nempe antiquum, quem præscriptum passim legimus in priscis æque ac recentioribus Ritualibus libris, longo agmine ab erudito Edmundo Martene allatis Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo III. Ordine I. & sequentibus; ex quibus addiscimus, solemni olim cum apparatu consuevisse deferri extremam unctionem ad infirmos. Sed ut omittamus hoc loco hunc ritum de quo plene dicemus in nostris ad Rituale Romanum Commentariis, quos brevi edituri sumus in lucem, curandum etiam diligenter, ut in domum Cardinalis morientis Sacri ac Religiosi Viri convenientes, ei assistant, animamque Deo religiosis precibus commendent. Præcipua hæc cura esse Parochi debet ex Concilio Agathensi anni DVI. cui adhærens Sanctus Carolus in suo Provinciali v. Mediolanensi Concilio, Capite inscripto, *Quæ pertinent ad Sacramentum extremæ unctionis*, inter alia statuit, ut nempe quod ipso Concilio Agathensi cautum est, *id unusquisque Parochus præstare curet, ut Missæ Sacrificio peracto, si quos in Parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeo quotidie, quantum per alias suæ curæ Parochialis occupationes potest, invisat, atque eisdem præstet, quæ sunt solicitudinis muneris que Parochialis officia, prout opus esse viderit*. Sed & de hac quoque re opportunius dicemus in citatis nostris Commentariis ad Rituale Romanum.

IV. Edicit tandem noster §. ut Executores a Cardinale moriente delecti, *administrationi & curæ domus*, ipsius scilicet Cardinalis morientis, *præficiant aliquem ex suis, qui cum officialibus domus familiam gubernet pacifice, & quiete, & necessaria provideat*. Hic fuit mos veterum Cardinalium, ut ex eorum testamentis liquet.

§. III.

De curando Cardinalis Cadavere in ejus domo.

Cum autem languens spiritum Creatori reddiderit, Ministri, deposito ex lecto post morulam Cadavere, illud calida aqua lavent, barbam radant, mundetur, & ita curent opportunis remediis, ut corpus sine fœtore usque ad præstitutum tempus reservari possit. Significent executoribus horam transitus, ut illi de hora funeris deliberare valeant; quam deinde per Cursores aliis Cardinalibus, Prælatis, & Curialibus, atque etiam Collegiis, & Conventibus Clericorum, ac Religiosorum, quos funeri interesse voluerint, intimabunt. Sed nota, quod ante Sixti IV. tempora Cardinales non consueverunt ire ad domum Cardinalis defuncti, nisi executores tantum; mittebant autem familias suas; post ea vero tempora fere omnes intersunt, quando Vigiliæ dicuntur, non tamen sequuntur funus. Quid magis deceat, alii viderint. Ministri Cardinalis defuncti, ut corpus mundaverint, illud vestiant omnibus quotidianis indumentis usque ad Rochetum inclusive; deinde ornent eum sacris vestibus, ac si Missam esset celebraturus. Si est Presbyter, aut Episcopus Cardinalis, imponant Sandalia, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, Manipulum, Tunicellam, Dalmaticem, Chirothecas, Planetam, Mitram simplicem, & Anulos. Si vero esset Diaconus, super Stolam transversam, Dalmaticam tantum imponerent, & Mitram simplicem in capite, ea scilicet ornamenta, quibus uteretur, si Evangelium esset dicturus; & ita indutum deponant in terra super aliquem pannum, sive tapetum cum cereis ardentibus a capite, & a pedibus. Ponent super ejus pectus Crucem aliquam, quam manibus teneat. Interea tota domus nudetur ornamentis omnibus. In majori Aula domus quasi in medio paretur lectica ex tabulis, quæ a terra distet circa sex palmis, latitudine decem, longitudine duodecim palmorum, aut circa; & super eam ponatur lectus ex lana sive pluma cum cervicali longo, & magno panno aliquo cooperiatur lectus, & lectica circa a lateribus. Hinc inde parentur scamna cum foraminibus, ut ibi ponantur sexdecim, aut viginti intorticia. Ad pedes lecti erit mensula cum mappa munda, & super eam duo candelabra cum luminaribus, Superpelliceum unum, una Stola cum Pluviali nigri coloris; item vas cum aqua benedicta, & asperforium, & thuribulum cum navicella incensi, & libellus pro dicendis orationibus. Circum circa per totam Aulam ponantur sedilia pro Cardinalibus, Prælatis, & aliis Curialibus, qui veniunt ad honorandum defunctum. Familiares in istis Vigiliis, & in deducendo funere non intersunt, quia non sunt adhuc induti veste lugubri; habebunt tamen singuli nigrum biretum expensis defuncti. Cum aderit hora præstituta, corpus defuncti ita ornatum, ut diximus, ponetur super lectum in Aula, & accendentur intorticia. Cardinales, Prælati, & alii, qui venerunt, sedebunt circum circa. Religiosi per singula Collegia, sive per singulos Conventus incipient Vigilias, & primi dicent Invitatorium cum primo Nocturno, & post Responsorium tertiæ Lectionis dignior ex eis indutus Superpelliceo, Stola, & Pluviali, stans apud mensam ad pedes lecti dicit: *Pater noster*; asperget, & incensabit per circulum; & deinde sequitur.

Et

Digitized by Google

Et ne nos inducas, cum Verſiculis, & Orationibus conſuetis. Cum incipient cantare, diſtribuentur cantantibus aliquæ candelæ; cum primi finierint, aliqui ſequentur ſecundum, & deinde tertium Nocturnum, & deinde Laudes, & digniores, qui aderunt, incipient. Et ſi eſſent plura Collegia, ſive plures Conventus, poterunt duo ſimul cantare unum Nocturnum. Paretur interim feretrum ad portandum corpus, & quinquaginta, aut ſexaginta intorticia, quæ ante corpus per ſtabularios deferantur.

COMMENTARIUS.

I. QUæ obſequia exhiberentur defunctis ſtatim poſt obitum ipſorum, jam nos alias explicuimus, præſertim vero Tomo II. Commentariorum in partem alteram Cæremonialis Epiſcoporum, in Librum ſcilicet ſecundum Cap. XXXVIII. Illa nos in hoc Commentario notabimus quæ ad hunc §. ſpectant, in quo illud primum edicitur, ut mortuo Cardinale, *miniſtri, depoſito ex lecto poſt morulam cadavere, illud calida aqua lavent &c.* Fuit hic plane antiquus mos ad noſtra hæc uſque tempora uſitatus, ut omnis a recens mortuis immunditia, quam ex diutina infirmitate, aut aliunde contrahere potuerunt, lotione extergeretur. Hanc conſuetudinem ſtatim ab initio accepit a Judæis Eccleſia; nam Acta Apoſtolorum Tabithæ religioſæ feminæ mortem Cap. IX. ſic exprimunt: *Factum eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum laviſſent, poſuerunt illam in cœnaculo.* Jam non modo lavari cadavera conſueviſſe, verum etiam variis unguentis, & aromatibus ad arcendum fœtorem condiri, pluribus exemplis oſtendit eruditus Martene Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XII. Num. II. & ſeqq.

II. Loto cadavere, induitur mox illud veſtibus, quæ cuique mortuo propriæ ſunt: *Miniſtri Cardinalis defuncti*, ait noſter §. *ut corpus mundaverint, illud veſtiant omnibus quotidianis indumentis uſque ad Rochetum incluſive; deinde ornent eum ſacris veſtibus, ac ſi Miſſam eſſet celebraturus &c.* Eſt hic plane antiquus ritus, cujus meminit Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio Cap. CLXVI. quod inſcriptum eſt, *De exequiis Cardinalium*, ubi ſic inter alia inquit: *Cardinalis vero, ſi eſt Epiſcopus, debet eſſe totaliter indutus de veſtibus ſacris coloris nigri, aut violacei totaliter, ut Pontifex, cum Mitra alba, chirothecas, & Sandalia cum anulo Pontificali.* Tum vero mox: *Item ſi ſit Presbyter, eodem modo. Si Diaconus, eodem modo, ſed in habitu Diaconi, & non cum Planeta, nec chirothecis, nec cum anulis Pontificalibus, ſed cum aliis tunicis, & parvis chirothecis, & parvo Anulo.* Contra Cæremonialis hujus præſcriptum jam non violaceus, aut niger fuit color veſtium, quibus indutum fuit ſtatim poſt ejus obitum S. Caroli corpus, ſed album, ut teſtatur Auctor illius Vitæ Libro VI. Cap. IX. *Collocatum poſtremo eſt in Palatii Sacello, veſtitum Pontificiis indumentis albi coloris.*

III. Spectant & ad hunc noſtrum §. quæ varii Auctores de ſepulturæ ritibus tradunt apud laudatum Martene citato Cap. XII. ſed præ ceteris audiendus hanc in rem Auctor Anonymus Turonenſis, qui in ſuo ms. Codice ejus Eccleſiæ plura de antiquo ritu nos docet, quæ nonnihil faciunt ad ejuſdem noſtri §. explicationem: *Sigillum cereum*, inquit, *in modum Crucis compactum, & aquam benedictam continens ſuper caput defuncti ponimus, quod eſt ſignum baptiſmi, & Chriſtianitatis ſuæ, & teſtimonium, quod ipſe Fidem Chriſti habuit in mente. Clerici vero ordinati cum illis indumentis, in quibus fuerunt ordinati, debent & ſepeliri, & Sacerdos cum illis, cum quibus aſſiſtit Altari.* Tum paulo poſt: *Epiſcopus debet habere anulum, quia Sponſus eſt. Ceteri Sacerdotes non, quia Sponſi non ſunt, ſed amici Sponſi. Item capilli debent Clerico tonderi, corona fieri, barba radi.* Eſt itaque & antiquus mos ille radendi barbam recens defuncto, cui plane adhærens noſter §. inter alia edixit, ut miniſtri defuncti Cardinalis, ejus *barbam radant*. De Cruce ponenda ſuper defuncti pectus, cum qua etiam Chriſtianorum cadavera ſepeliri conſueverunt, teſtes habemus antiquos Scriptores, inter quos Odo Foſſatenſis in Vita Burchardi Comitis ſic inquit: *Illa autem tabula ſepulchri ipſius ab anteceſſoribus noſtris optime operata, ac decorata fuit; ſuper pectus ejus Crux deaurata cum litteris A & Ω ſuperpoſita fuit.* Teſte Durando in Rationali Divinorum Officiorum Libro VII. Cap. XXXV. *in quocumque loco extra Cœmeterium Chriſtianus ſepeliatur, ſemper Crux capiti illius apponi debet, ad notandum, illum Chriſtianum fuiſſe, quia hoc ſignum diabolus valde veretur, & timet accedere ad locum Crucis ſignaculo inſignitum.*

IV. Quicquid autem de hiſce ritibus ſit, docet præterea hic noſter §. *quod ante Sixti IV. tempora Cardinales non conſueverunt ire ad domum Cardinalis defuncti, niſi executores tantum; mittebant autem familias ſuas.* Addit mox, quod *poſt ea vero tempora fere omnes interſunt, quando Vigiliæ dicuntur, non tamen ſequuntur funus.* Introducti recens moris poſt Sixtum IV. ut nempe Cardinales convenirent in domum Cardinalis defuncti, ubi Vigiliæ a Religioſis dicebantur, varia exempla habemus apud Apoſtolicos Cæremoniarios ejus temporis. Teſte Burchardo in ſuo ms. Diario, *anno* MCDXCVIII. *die* XVIII. *Septembris R. in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Joannes Baptiſta S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis de Sabellis vulgariter nuncupatus, in Caſtro ſuo Gandulpho diem clauſit extremum. Portatum fuit corpus, ſive cadaver ſuum in nocte immediate ſequenti Romam in Palatium habitationis & reſidentiæ ſuæ, poſitum ibidem in Aula cum intorticiis, & aliis more ſolito.* Notandum autem potiſſimum, quod ſtatim idem Auctor ſubjicit: *Die Mercurii XIX. immediate ſequente convenerunt Cardinales in eodem Palatio cum Prælatis, & aliis ad honorandum funus, & Fratres per Conventus dixerunt Veſperas, & Matutinas defunctorum; quibus finitis, portatum fuit funus ad Eccleſiam B. Mariæ in Ara Cœli.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Cadaveris delatione ad Eccleſiam, & quæ in ipſa præparanda.

Finitis Vigiliis, ponitur corpus ſuper feretrum, & Religioſi ſuo ordine præcedunt, deinde luminaria, poſtea corpus, quod per Religioſos defertur, poſtremo ſequuntur Prælati, & Curiales; & cum pervenerint ad Eccleſiam, ubi ſepelitur, finito officio, omnes deſcendunt, qüiſque ad ſuam habitationem. Hæc funeris deductio ſæpe intermittitur propter varias cauſas, & tunc factis Vigiliis in domo defuncti, diſcedunt omnes, & in nocte portatur corpus ad Eccleſiam per familiam cum aliquibus Religioſis. Poſt hæc executores ſtatuunt diem, in quo exequiæ inchoentur, & interim diſtribuunt pannum nigrum familiæ, Prælatis quinque cannas, Capellanis quatuor; ſcutiferis tres, ſtabulariis duas cum dimidia. Ordinant, ut fiat pallium aureum pro lecto ſub campana, ſive caſtro doloris, quod fiet ipſum Caſtrum doloris cum lectica, ſcamnis pro intorticiis, & banchis, in quibus ſedeat familia. Item pingantur arma, ſuſpendanturque circa Eccleſiam, Altare, & Caſtrum doloris. Fiet cera ad ſufficientiam. Conſueverunt eſſe ad ſex, vel octo millia librarum ceræ. Suſpenduntur intorticia circum circa in Eccleſia unius lanceæ ſpatio inter ſe diſtantia. A lateribus lecti hinc inde ſuper ſcamnis ponantur duodecim, aut ſexdecim intorticia in quolibet latere. Præficiantur aliqui, qui teneant computum ceræ, & qui illam ſubminiſtrent diſtributoribus. Alii, qui curent, ut Miſſæ vere, & ſuo ordine legantur, & dent eleemoſynam celebrantibus. Ordinent, qui Cardinalis primam, & qui ultimam Miſſam ſit celebraturus; qui Prælati intra Novenam celebrent, & aliæ Miſſæ legantur; quod Cantores cum Capella, cum paramentis, & libris opportunis ex Palatio Apoſtolico adſint; quod ibidem ſint quinque Pluvialia nigra cum ſuis Stolis; quod committatur quatuor Cardinalibus, ut cum celebrante in fine Miſſæ apud Caſtrum doloris abſolvant, ut inferius dicemus; quod parentur quatuor ſcabella apud primas & poſtremas columnas Caſtri, & alia neceſſaria.

COMMENTARIUS.

I. INdicta ad ſepeliendum defuncti cadaver die, juxta veterem ritum omnes, qui funeri intereſſe debebant, ad illius domum conveniebant, unde ad Eccleſiam, & ad ſepulturam illud efferebant. Hoc certe in uſu olim poſitum fuit, ut, teſte erudito Martine Lib. II. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Num. I. corpus parentis a filiis, cognatorum a conſanguineis, Imperatorum a Principibus Senatus, ad tumulum deportaretur. Id ipſum ſatis indicat S. Ambroſius Lib. I. de exceſſu fratris ſui Satyri, ubi ſibi ipſi ita exclamat. *O dura cervix, quæ tam lugubre onus, conſolabili licet obſequio geſtare potuiſti!* In funere S. Macrinæ feretrum ſuſtinuit S. Gregorius Nyſſenus illius frater cum Araxio Epiſcopo, *poſteriores vero feretri partes ſubjecerunt alii duo de Clero inſignes Viri*, ut ipſe teſtatur in ejuſdem S. Macrinæ Vita, Cap. XXIV. Teſte S. Hieronymo in Epitaphio Paulæ Matronæ Romanæ, ipſa Paula *translata Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii Pontifices lampades, cereoſque præferrent, alii choros pſallentium ducerent, in medio Eccleſiæ Speluncæ Salvatoris eſt poſita*. Corpus vero S. Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi a Regibus, Comitibus, & Principibus ad Eccleſiam delatum legitur apud Matthæum Pariſium in Anglicana Hiſtoria ad annum MCC. De feretri bajulis ſui temporis conſuetudinem ita exprimit Auctor Anonymus Turonenſis in ſuo ms. ſpeculo Eccleſiæ: *Debet autem corpus perferri ad tumulum a conſimilibus, ut ſi fuerit Diaconus a Diaconis, ſi Sacerdos a Sacerdotibus, ſi miles a militibus, alicujus fraternitatis confrater a confratribus*.

II. Feretrum præibat Clerus & populus faces, ſeu cereos geſtantes, idque comprobari multis exemplis poſſet, quorum aliqua recenſet Martene citato loco, Num. II. Quod Cardinalium funus ſpectat, juxta præſcriptum noſtri §. *ponitur corpus ſuper feretrum, & Religioſi ſuo ordine præcedunt, deinde luminaria, poſtea corpus, quod per Religioſos defertur*, per illos nempe, ad quorum Eccleſiam effertur cadaver ſepeliendum. Fuit hæc quidem Cardinalium prærogativa, ut eorum cadavera deferrentur ad Eccleſiam per Viros Religioſos, id quod etiam manifeſtum fit ex Diario Burchardi Cæremoniarii Apoſtolici, ubi enarrat Pontificatum Alexandri VI. Papæ. Sic enim interalia inquit ad annum MCDXCIII. *Feria II. XI. Martii circa horam XI. portatum fuit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Aracœli ſepeliendum ibidem corpus quondam Dominici de Mari Januenſis patrui Reverendiſſimi Domini Cardinalis Beneventani, qui obiit nocte præterita Romæ in domo habitationis ſuæ ſitæ inter Eccleſiam Minervæ, & domum Magdalenorum, per ſervitores, & domeſticos ſuos, quia Fratres Aracœli noluerunt illud portare, aſſerentes, ſe non eſſe facchinos, & Cardinales dumtaxat portare*. Teſte eodem Burchardo, mortuo Romæ anno MCDXCIV. die XX. Septembris Nicolao Conrado de Comitibus electo in Archiepiſcopum Compſanum, *deportatum fuit funus per decem Presbytereros ſeculares ad hoc per nos ordinatos, quia Fratres Ara-*

Digitized by Google

Aracæli, ad quorum Ecclesiam portandum erat, noluerunt illud portare, dicentes, id apud eos non esse consuetum.

III. Invaluit autem mos, ut Cardinales ipsi & Principes Romæ defuncti non quidem feretro hominum humeris vecto, sed magno curru tracto ab equis hora secunda noctis ad Ecclesiam deferantur, comitantibus nonnullis ex familia, intorticia accensa gestantibus. Cautum est quidem ex hoc nostro §. ut in deductione funeris *quinquaginta, aut sexaginta intorticia per stabularios* ferrentur. Ex præscripto autem Ordinis XV. Romani, Cap. CLXVI. quod est de exequiis Cardinalium, deferri centum intorticia debebant. Præter hanc ceram multa alia opus erat pro Castro, ut ajunt, doloris, de quo mox infra, & pro illis, quibus ea occasione in magna copia dispensabatur: *Consueverunt esse ad sex, vel octo millia librarum ceræ*, ait hic noster §. Magna tunc erat impensa funeris, quam quidem in suo testamento moderatus est Jacobus Cardinalis Papiensis, ubi ita inter alia statuit: *Impendia funeris, quæ adhiberi ad solamen superstitum magis, quam defunctorum levamen solent, summam mille ducatorum aureorum veto excedere, in qua includatur etiam vestitus familiæ. Quanto hæc exhibebuntur parcius, tanto erit plenius, unde & illi bene fiat, & meæ animæ consulatur. Supervacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent. Transit, brevi memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc Patrum nostrorum magis sunt attendenda, quam nostra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine illustrari volebant sepulchra. Quicquid amplius sumetur, quicquid plus erogabitur, piaculum executoris sit, non sobria statuentis.*

IV. Addit mox alia Papiensis in memorato suo Testamento, quæ hoc loco referre satis profecto erunt ad ea multa explicanda, quæ in hoc nostro §. de Castro doloris, de apparatu Ecclesiæ, de cera, de lecto, super quo collocandum est Cardinalis cadaver, de panno familiæ distribuendo, de Missarum celebratione, ac de aliis statuuntur: *Castrum doloris*, inquit, *cubito angustius in circuitu sit, quam nostratia solent; ipse etiam lectus ad proportionem angustior; stratum vero lecti, quod pallium dicitur, ad vetus exemplum ex simplici damasceno violaceo sit sine ullo omnino auro, vel argento, fimbrias laterum habens ex simplici item damasceno cæleſtini coloris, in quibus latera singula, singula tantum insignia familiæ habeant. Veto in circuitu Ecclesiæ appendi tot insignium depicta lintea, ludis meo judicio aptiora, quam funeri; pendeant tantum super Altari, in quo Missa major cantabitur, & in circuitu Castri, & in edito laterum Ecclesiæ, quantum Castrum ipsum porrigitur. Eandem volo esse collationem funalium, quam & insignium, ardere ea tot in locis sine sacrorum necessitate, quem habeant usum non video. Legem in his executori do, ne honoris sui causa exempla magis, quam ad seipsum cogatur respicere.*

V. Pergit Papiensis, abusumque sui ævi reprehendit, quo magna ea occasione funeris fieri solita erat cereorum dissipatio: *Cereorum quotidiana, & promiscua dispersio magis, quam dispensatio multum auget impensam; nec fructum qui proponitur, habet; averitiæ in his studeri videtur, non orationi. Ad eos rapiendos concurritur undique ex tota Ecclesia, pugnatur, clamatur, sacra omnia perturbantur, quodque indignius Ecclesia est, ad hos compescendos tumultus, publici vindices adhibentur, hastis, gladiisque in domo Domini perstrepentes. Ea ne accidant, preces, non rixæ, meum celebrent funus; nolo, nisi considentibus ad orationem, & divina canentibus illos distribui. Per pietatem, quæ debetur mortuis, id non negligat executor funeris.* De Missis legendis, canendisve, earumque eleemosyna ita deinde subdit: *Quaque die in salutem animæ meæ legantur per devotos Christi Sacerdotes XXX. Missæ tantum, cum iis una cantetur; qui cantaverit, & Prælatus futurus est, ferat in eleemosyna carlinos quatuor in singulis Missis; unum, qui legerit; & his solvendis fidelis adhibeatur Minister, qui seipsum, & pauperes, & animam meam non fraudet.* De panno denique familiæ distribuendo ita cavit: *Solent mortuis Cardinalibus familiares non veri ad accipiendas familiarium verorum vestes accurrere, instare, ut dentur; si non dantur, indignari, ac lamentari: ut error non sit, eos vestiri volo, qui in notula manu mea subscripta, vel anulo meo signata, præsentique Testamento inclusa invententur appositi; & Capellanis quatuor cannæ; Scutiferis, inter quos Parafrenarios, & primum coquum, & cellarium, & dispensatorem nomino, primæ sortis tres; reliquis dimidiam cannam minus; sed secundæ sortis jubeo dari, ita tamen, ut diebus funeris ad orationem omnes conveniant, & pro me deprecentur.*

VI. Legi integrum Papiensis testamentum potest apud continuatores Ciaconii in ejus Vita, ubi & hæc inter alia leguntur verba: *Ad funus de more celebrandum prædiola, & domus vendita.* Ut ea se res habuerit, vel ex nostro Cæremoniali addiscimus, magnam fuisse impensam funeris Cardinalium, tum præsertim quod novem diebus peragi tunc temporis debebat. Ex præscripto Romani Ordinis XV. Cardinales, & Patriarchæ, quilibet habebat *tortitiam ad minus de quatuor libris; alii vero de libra, aut de duabus libris*, sicut placebat executoribus. Fieri quoque debebat *Castrum doloris cum candelis; circumquaque* debebant *etiam esse ad minus centum tortitiæ, & plus secundum voluntatem executorum.* Sed nec omittendum quod de ipso Castro doloris, & feretro laudatus Ordo XV. Romanus edicit: *Subtus Castrum doloris*, inquit, *sedent familiares; item in feretro debent esse magnum, & longum pulvinar subtus caput Cardinalis de nigro*, colore scilicet, *item unum aliud ad pedes, super quo stant duo Pilei Cardinalis.* Atque hæc satis nos docent, ritus in nostro §. descriptos, jam non fuisse ab Augustino Patricio inventos, sed eo antiquiores; præcessit enim Amelius memorati Ordinis XV. Auctor Patricium hujus nostri Cæremonialis ordinatorem sub Innocentio Papa VIII. Videsis apud Ciaconii continuatores Tomo II. col. 511. & seqq. testamentum Nicolai S. R. E. Cardinalis Capocci, qui obiit anno MCCCLXVIII. in quo testamento multa curiosus Lector inveniet, quæ hoc caput de exequiis Cardinalium illustrant. Inter alia autem mandavit, ut ejus *sepultura esset in terra sine aliquo ædificio, & quod nullus ejus familiaris induatur de nigro.*

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De exequiis celebrandis Cardinali defuncto ac primum de Missa, & Oratione funebri.

Omnibus opportune disposítis, vesperi ante statutam diem per Cursores faciunt intimari Cardinalibus, Prælatis, Oratoribus, & Officialibus Curiæ, quod in tali loco cras incipientur exequiæ bonæ memoriæ Reverendissimi Domini Cardinalis N. & Reverendissimus Dominus A. celebrabit, & Dominus, vel Magister B. faciet orationem. Mane deinde hora competenti Reverendissimi Domini Cardinales conveniunt ad Ecclesiam, sedebunt prope Altare majus in sedilibus pro eis præparatis, nudis tamen, & sine aliquo panno. Prælati, & alii Curiales sedebunt in locis suis. Familiares defuncti Cardinalis summo mane omnes nigris vestimentis induti simul bini & bini ex domo defuncti venient ad Ecclesiam. Duo Cursores eos præcedent, & sedebunt in banchis circa Castrum doloris pro eis locatis. Supra lectum, qui erit sub Castro doloris, erit pannus aureus cum insignibus defuncti, & duo cervicalia nigra. Ad caput lecti, & ad pedes duo Pilei rubri ipsius defuncti. Hinc inde astabunt duo Parafrenarii mortui Cardinalis, qui cum duobus flabellis factis cum insignibus Cardinalis ex serico nigro videantur abigere muscas, etiamsi sit tempus hyemale, qui sedulo flabella placide movent. Omnibus paratis incipitur Missa pro defunctis, & cum fuerit dicta prima Collecta, Clerici Cæremoniarum incipiunt distribuere ceram Dominis Cardinalibus primum, tum Oratoribus, & Prælatis, inde Familiæ defuncti, deinde Officialibus Curiæ, demum ceteris præsentibus, tam mulieribus, quam Viris. Quæ profecto dispensatio ceræ, sive potius dissipatio, est valde importuna, & tumultuosa, & meo judicio satis inconveniens; nam ob strepitum, & clamorem petentium, & rapientium candelas, divinum Officium, & funebris oratio admodum conturbatur. Antequam incipiatur Evangelium, accenduntur dictæ candelæ, & per Ministros tenentur accensæ usque ad finem Missæ. Finita Missa, post *Requiescant in pace*, fit Sermo in laudem defuncti; & Cardinalis, qui celebravit, dimissa Planeta, accipit Pluviale, & sedet cum Mitra alba, dum fit Sermo.

COMMENTARIUS.

I. CElebrari consueviſſe jam olim mortuorum exequias mane, principemque locum tenuiſſe incruentum Missæ Sacrificium, docent nos passim antiqui Codices Rituales, & vetera exempla, quorum nonnulla recenset Martene in citato toties Opere, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Lib. III. Cap. XIV. Una cum Missa haberi etiam solita fuit oratio funebris, saltem in personarum illustrium funere, ad eos scilicet qui convenerant, vel in defuncti laudem, vel ad excitandos fideles, ut instantes ad Deum preces funderent pro ipsius animæ requie. Ita Rodulfus Abbas S. Vitoni, ut legitur apud Hugonem Flaviniacensem, *Missa dicta, Sermone dato, terræ redditus est*. Ita in funere S. Udalrici Episcopi Wolfangus, qui exequiis præerat, *publica Missa expleta, omnes in commune, sobrio, & cauto sermone admonuit, ut pro illa sancta anima, intima intentione cordis devote exorent, ut ab omni vinculo delictorum absoluta, Deo donante, perenni gaudio in ævum cum Sanctis, & electis Dei perfrui mereretur*. Ita etiam in S. Bonaventuræ S. R. E. Cardinalis exequiis, ut Auctor ejus Vitæ scribit apud Surium die XIV. Julii, *primam Missam celebravit Frater Petrus Tarentasiensis Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Sermonem habuit proposito themate*, nempe, *Doleo super te mi Frater Jonata*; qui totus fuit in ejusdem Sancti laudem. Juxta præscriptum Ordinis XV. Romani Cap. CIXVI. *in exequiis Cardinalium semper unus Cardinalis debet dicere Missam. Sermonem facit aliquis Magister in theologia, qui debet fieri post Missam*. Vide quæ de utroque ritu diximus nos Parte II. Cæremonialis Episcoporum in Commentariis ad Cap. XXXVIII. Ceterum quamvis olim orationes funebres passim & quidem plures fierent in exequiis Cardinalium, ut ex eorum Vitis addiscimus, jam Romæ invaluit mos, ut in ipsis Cardinalium exequiis, quæ uno tantum die celebrantur, nulla prorsus funebris oratio habeatur.

II. Notandus est nunc alius abusus, qui contra præscriptum hujus Cæremonialis, imo contra pervetustam, laudabilem, ac generalem Ecclesiæ disciplinam invaluerat, quemque iccirco merito correxit primum sanctæ memoriæ Benedictus XIII. ac novissime iterum feliciter regnans Summus Pontifex BENEDICTUS XIV, qui etiam Constitutionem de ea re edidit anno MDCCXLI. qua præscribitur forma, & solemnitas in exequiis S. R. E. Cardinalium servanda, estque hujusmodi.

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Præcipuum intimi amoris nostri, & sinceræ in Christo caritatis erga Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos in Apostolicæ nostræ sollicitudinis partem su-

Digitized by Google

ſuperna cæleſtis Patrisfamilias evocat diſpoſitio, a Nobis exigit ſtudium, ut quemadmodum omnia & ſingula, eis viventibus, eorumque ſublimi dignitati debita privilegia, quantum in Domino poſſumus, firmo conſtantique animo tuemur, ita & eorumdem ex hac mortali vita decedentium curam geramus, ut & ipſorum funera a Nobis, Romaniſque Pontificibus Succeſſoribus noſtris, & ipſorum Cardinalium ſuperſtitum cœtu ſtabili, ac ſolemni, etſi lugubri, decorentur honore, & ipſorum animæ incruento Altaris Sacrificio, Eccleſiaſticis precibus, ac ſupplicationibus juventur, quibus adjutæ, omni macula diluta, quam in terreno hujus Sæculi pulvere contraxerunt, per merita Salvatoris noſtri Chriſti Domini cæleſtem patriam ingrediantur, ibique apud Patrem miſericordiarum pro Nobis intercedant, Divinamque opem Nobis implorent in graviſſimo Apoſtolici hujus miniſterii onere ferendo, ut in fine diei repromiſſum laborantibus in Vinea ſua æternæ beatitudinis denarium a Domino recipere mereamur.

Cum itaque, ſicut accepimus, poſtquam piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. Prædeceſſor noſter pie provideque attendens, quod ab aliquo tempore, & ante ejus Pontificatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium pro tempore in Romana Curia decedentium exequiæ, quæ olim, & veteribus temporibus, multifarie, ſed auguſta ſemper, & decenti pompa celebratæ fuerunt, tunc vero cum aſſiſtentia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuperſtitum cœtus, decantatis in eiſdem exequiis a Regularibus ex Ordinibus Mendicantium tribus nocturnis Defunctorum Officii, ut plurimum de Veſpere, & ſi aliquando de mane, aliqua ſic ſuadente cauſa, habitæ fuerant, numquam cum ſolemni Defunctorum Miſſæ celebratione, præſente defuncti Cardinalis corpore, peragebantur; propterea, ut in exequiis celebrandis hujuſmodi ſolemnis Miſſa prædicta ſemper, prout exigit pia Eccleſiæ conſuetudo, præſente defuncti Cardinalis cadavere, celebraretur, Cardinalibus ab onere interveniendi de veſpere recitationi Officii Defunctorum, non autem Fratribus ex Ordinibus Mendicantium a decantandi Nocturnos Officii prædicti obligatione exemptis, laudabilem perſonaliter una cum omnibus & ſingulis Ordinibus Capellas Pontificias conſtituentibus ad exequias prædictas de mane celebrandas, in quibus præfata Miſſa ſolemnis a Cardinale reliquorum Cardinalium cœtus Camerario pro tempore exiſtente ſolemniter celebrabatur, conferendi ſe ipſum, & in exequiarum hujuſmodi fine, ſupra defuncti Cardinalis corpus per ſe Abſolutionem impertiendi introduxerat morem, quem, uſquequo in hac terrena peregrinatione permanſit, religioſe ſervavit; felicis recordationis Clemens Papa XII. ſimiliter Prædeceſſor noſter provida animi conſideratione ſecum perpendens, quod ad peragendas de mane & veſpere exequias prædictas, pro duplici videlicet uno & altero lugubribus apparatibus, celebratio hujuſmodi majores exigebat ſumptus, gravioribus diſpendiis parcere cupiens, exequias ipſas ad primævum ſtatum redegerit.

Nos igitur animo noſtro attente ac diligenter conſiderantes, quod antiquitus, ſicut ex veteribus ſacrarum Cæremoniarum libris compertum eſt, in more Romanæ Eccleſiæ fuit, ut, adſiſtente Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio, Miſſa, præſente Cardinalis defuncti cadavere, celebraretur, & pro ejus anima offerretur Deo ſalutare immaculatæ Hoſtiæ Sacrificium, quemadmodum nunc in omnibus, etiam infimi Ordinis perſonarum exequiis pie, ſancteque ſervari ſolet; cupienteſque antiquam, & laudabilem conſuetudinem in uſum revocare; & inſuper rationi congruum, maximeque conveniens exiſtimantes, ut Romanus Pontifex pro tempore exiſtens eis, qui ſibi in oneroſo Pontificii regimine adjutores extiterunt, ultimum debitumque ſui amoris, ſuæque pietatis perſolvat officium, abſque eo tamen, quod eorum patrimonia majori expenſarum onere graventur, præſenti hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, motu proprio, ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate, de conſenſu etiam Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quibuſcum deliberationem noſtram in Conſiſtorio noſtro ſecreto communicavimus, decernimus, & ſtatuimus, quod in poſterum Cardinalium in Romana Curia decedentium exequiæ ſemper de mane, nunquam vero de veſpere celebrentur, & celebrari debeant, infraſcripta forma ſervata, videlicet, quod Fratres ex Ordinibus Mendicantium de mane diluculo ad Eccleſiam, in qua defuncti Cardinalis corpus expoſitum reperitur, pro inibi prædictis tribus Officii defunctorum Nocturnis de more decantandis, ſollicite accedant; quibus quidem Nocturnis decantatis, eodem mane abſque ulla lugubris apparatus mutatione, vel aliarum expenſarum augumento Capella Pontificia, intervenientibus Romano Pontifice, ac Sacro Cardinalium cœtu, necnon omnibus & ſingulis Capellam Pontificiam conſtituentibus, habeatur, & in ea Sacrum Miſſæ Defunctorum Sacrificium a prædicto Cardinale Cardinalium Cœtus pro tempore Camerario exiſtente, eoque impedito, ab altero Cardinale ab eodem Cardinale Camerario delegato, ſolemniter celebretur, quodque ſupra defuncti Cardinalis corpus Abſolutio ab eodem Pontifice præſente, eoque abſente, a dicto Cardinale Camerario, ſeu eo pariter abſente, a Cardinale, ut præfertur, delegato impertiatur.

Quocirca Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, Sacrumque nunc & pro tempore etiam exiſtentem prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cœtum enixe obſecramus, ut in celebratione exequiarum Cardinalium in Curia decedentium, omnia & ſingula a Nobis per præſentes perpetuo ſtatuta & decreta debitæ executioni demandari, eaque ſemper, & inviolabiliter ſervari ſtudeant, qua de re minime dubitamus, ſed certa ſpe in Domino confidimus, quod quiſque Romanorum Pontificum Succeſſorum noſtrorum memor erit, ſe vicem gerere in terris Cœleſtis æternique Pontificis, qui in morte Lazari amici ſui lacrymatus eſt adeo, ut mirarentur Judæi, & dicerent: *Ecce quomodo amabat eum*; ita & ipſe exemplo Chriſti Domini eoſdem Cardinales ſibi Coadjutores a Domino datos in viſceribus caritatis complectens, in eorum ab hac luce diſceſſu, ſupremis paterni amoris officiis, & ſolemni Pontificalium exequiarum, ac propitiatorii Miſſæ Sacrificii cele-

Digitized by Google

bratione, aliisque piarum orationum subsidiis prosequi libenter curabit, ut & defunctorum animæ ob eorum Apostolatus munus laudabiliter expletum una cum Beatis Apostolis manere mereantur in Cælis, & erga sublimem Cardinalatus dignitatem ex solemni celebratione hujusmodi populorum obsequium, & veneratio in terris augeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, exhortationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem nono Calendas Decembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri Anno Secundo.

III. Nunc ut explicemus reliqua, quæ in hoc nostro §. statuuntur, mandat hic quidem, ut supra lectum sit *pannus aureus cum insignibus defuncti, & duo cervicalia nigra; ad caput lecti, & ad pedes duo Pilei rubri ipsius defuncti*. Fuit is antiquus mos, cujus etiam testem habemus Petrum Amelium in Romano XV. Ordine, Cap. CLXVI. ubi sic inter alia inquit: *Item in feretro debet esse magnum, & longum pulvinar subtus caput Cardinalis de nigro; item unum aliud ad pedes, super quo stant duo Pilei Cardinalis*. Jam non duo, sed unus tantum Pileus poni hodie solet ad pedes Cardinalis defuncti, qui deinde ex antiquo instituto in ea appendi solet Ecclesia, vel Capella, ubi sepultus fuit, uti videre est passim in Ecclesiis Urbis. Porro quod fuit antiqui ritus, servatur hodieque in exequiis Papæ, ad cujus pedes duo Pilei ponuntur, uti non semel vidimus nos, & quidem primum in funere Benedicti XIII. & deinde in Clementis XII. exequiis, ab initio enim Pontificatus ipsius Benedicti usque ad præsentem diem Romæ commorati sumus.

IV. Ex præscripto quoque nostri §. in Cardinalium exequiis, *hinc inde adstabunt duo Parafrenarii mortui Cardinalis, qui cum duobus flabellis factis cum insignibus Cardinalis ex serico nigro videantur abigere muscas, etiamsi sit tempus hyemale, qui sedulo flabella placide movent*. Est & hic antiquus ritus servatus in Papæ funere, in quo tamen non duo, sed quatuor adstare soliti erant ad Castrum doloris, tenentes flabella, muscasque expellentes, quæ etiam aliquando non aderant. Meminit fane ejus cæremoniæ Æneas Sylvius in sua ad Fridericum III. oratione, ubi etiam cæremoniam ipsam deridet: *Media hyeme sub Pyra, quam doloris Castrum appellant, quatuor lugubribus induti vestibus flabellis, quæ non adsunt, muscas expellunt, ventulumque non præsenti Pontifici faciunt &c.* Carpit mox ipsam cæremoniam, sed addit tamen, *concedendum esse aliquid consuetudini*. Sane Joannes Mabillonius in suo Itinere Italico ad annum MDCLXXXVI. non sine admiratione refert pag. 133. quod, *cum Basilicam, quæ Aracæli voeatur*, adiisset, *expositio illic magna cum pompa Cardinalis Savelli recens mortui cadavere, quatuor famuli* (non duo, ut præscribit noster §.) *in quatuor funeris angulis amplissima flabella movebant ad abigendas muscas, quæ per id tempus non admodum infestæ erant. Sed ita præcipiunt cæremoniarum leges*; & ita quidem, nam, ut inquit hic noster §. adhibenda sunt ipsa flabella in Cardinalium funere cum eorum insignibus, & ita placide movenda, *ut videantur abigere muscas, etiamsi sit tempus hyemale*.

§. VI.

De ritu, & Officio Absolutionis circa Castrum doloris.

Illo finito, iterum accenduntur candelæ, & quatuor alii Cardinales, si mortuus erat Episcopus Cardinalis, Episcopi Cardinales, si tot numero fuerint præsentes, & si deficiat numerus, Præsbyteri supplent. Si vero mortuus erat Presbyter, sive Diaconus, quatuor Presbyteri Cardinales capiunt Superpelliceum, Amictum, Stolam, Pluviale nigrum, & Mitram albam in capite, & simul cum Celebrante vadunt ad Castrum doloris hoc ordine. Primo procedunt duo ex Capellanis Celebrantis cum Superpelliceis, unus defert thuribulum, & navicellam, alius vas aquæ benedictæ cum aspersorio; deinde duo alii cum candelabris, & luminaribus. Inde Subdiaconus paratus cum Cruce. Deinde duo Cardinales juniores parati; tum duo seniores parati; ultimo Cardinalis, qui celebravit, & post eum Diaconus paratus, & alii sui Capellani cum Superpelliceis. Unusquisque Cardinalis habet secum unum Capellanum cum Superpelliceo, qui servit ei de Mitra, & aliquos Scutiferos, qui ei assistunt, quorum unus defert cereum accensum. Cum pervenerint ad Castrum doloris, Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferariis ponit se ad pedes lecti in medio, extra Castrum tamen. Post eum sunt Cantores. Ad Caput lecti ponitur in medio contra Crucem Faldistorium Celebrantis, super quod ille sedet, & apud eum stat Diaconus Evangelii, qui defert incensum, & aquam benedictam, & alii Capellani; senior Cardinalis ponit se juxta columnam ad humerum dextrum, secundus in dignitate juxta columnam ad pedem sinistrum, tertius Cardinalis ad humerum sinistrum, ultimus ad pedem dextrum, & ibi aliquantulum quiescunt. Caput lecti figitur proximior pars Altari, & pedes pars propinquior portæ Ecclesiæ. Post morulam surgunt omnes deposita Mitra, & tenente Librum uno ex Capellanis, Celebrans cum Diacono incipit Absolutionem:

Digitized by Google

nem: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio: non eum ergo quæſumus Domine tua judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio Fidei Chriſtianæ commendet; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur judicium evadere ultionis æternæ, qui dum viveret, inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Finita Oratione, Cardinales omnes ſedent cum Mitra, & Cantores cantant primum Reſponſorium: *Subvenite &c.* Antequam finiatur Reſponſorium, Diaconus cum deferentibus incenſum & aquam benedictam accedit ad ſeniorem Cardinalem ad humerum dextrum ſedentem; & cum cantatur, *Requiem æternam*, Clericus Cæremoniarum accipit thuribulum, & navicellam, & accedit ad ipſum ſeniorem Cardinalem, & offert thuribulum, Diacono vero navicellam. Cardinalis imponit incenſum in thuribulo dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Deinde cum Cantores cantant *Kyrie eleiſon*, ſurgunt omnes ſine Mitra, & ipſe primus Cardinalis dicit voce competenti: *Pater noſter*, & mox capit aſperſorium de manu Diaconi, & circuit lectum, aſpergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat a manu dextra fimbriam Pluvialis. Cum vero Cardinalis tranſit ante alios Cardinales ibi aſtantes, facit unicuique reverentiam inclinando caput, & idem etiam facit Cruci; Diaconus vero, qui ſimul pergit, genuflectit. Facto circuitu, reddit aſperſorium Diacono, & de ejus manu capit thuribulum, & ſimili modo incenſat circum circa, inclinando ſe Cardinalibus, & Cruci. Ut autem complevit gyrum, reddit thuribulum Diacono, & revertitur ad locum ſuum. Diaconus quando dat aliquid Cardinali, vel recipit ab eo, oſculatur ejus manum. Cardinalis ſtans in loco ſuo, voce competenti, tenente Librum ante ipſum Diacono, dicit: *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius: te ſupplices deprecamur, ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui N. per manus Sanctorum Angelorum deducendam in ſinum Amici tui Abrahæ Patriarchæ, reſuſcitandum in noviſſimo judicii magni die; & quicquid vitiorum fallente diabolo contraxit, Tu pius & miſericors abluas indulgendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Finita Oratione, Cardinales ſedent, & Chorus cantat Reſponſorium: *Qui Lazarum reſuſcitaſti a monumento fœtidum, tu ei Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.* ℣. *Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem. Tu ei Domine &c. Requiem æternam &c. Tu ei &c. Kyrie eleiſon.* Diaconus interim cum portantibus incenſum & aquam benedictam accedit ad ſecundum Cardinalem apud ſiniſtrum pedem; & cum dicitur, *Requiem*, imponitur incenſum. Ad *Kyrie eleiſon* ſurgunt omnes; & deinde ipſe ſecundus Cardinalis dicit: *Pater noſter*, aſpergit, & incenſat, ut primus, & reverſus ad locum ſuum dicit: *Et ne nos &c.* ℟. *Sed libera &c.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Fac quæſumus Domine hanc cum famulo tuo miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut ſicut hic eum vera Fides junxit Fidelium turmis, ita eum illic aſſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Finita Oratione, ſedent Cardinales cum Mitra, & Chorus cantat Reſponſorium: *Domine quando veneris judicare terram, ubi me abſcondam a vultu iræ tuæ? Quia peccavi nimis in vita mea.* ℣. *Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi &c. Requiem &c. Quia peccavi &c. Kyrie eleiſon*, ter. Interim Diaconus cum ſociis accedit ad tertium Cardinalem apud ſiniſtrum humerum ſedentem, & in tempore ponitur incenſum, & ad *Kyrie eleiſon* omnes ſurgunt, ut ſupra, & ipſe tertius Cardinalis dicit: *Pater noſter*, aſpergit, & incenſat, ut alii, & reverſus ad locum ſuum dicit: *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animam ejus.* ℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* *Oremus.*

Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices de-

deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oratione completa, ſedent Cardinales. Chorus cantat Reſponſorium: *Ne recorderis Domine peccata mea, dum veneris judicare ſeculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam. Dum veneris &c. Requiem &c. Dum veneris &c. Kyrie eleiſon. Chriſte. Kyrie.* Interim Diaconus cum ſociis accedit ad ultimum Cardinalem apud dextrum pedem, & in tempore imponitur incenſum. Surgunt ad *Kyrie eleiſon*; & ipſe Cardinalis quartus dicit: *Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Abſolve quæſumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

His finitis, ſedent, & Chorus cantat: *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando Cæli movendi ſunt & terra: dum veneris judicare ſeculum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Quando Cæli &c. ℣. Dies illa dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris &c. Requiem æternam &c. Libera &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.* Interim Diaconus cum Sociis accedit ad Cardinalem, qui celebravit, ſedentem ad caput, & in tempore imponitur incenſum. Ad *Kyrie eleiſon* ſurgunt Cardinales ſine Mitra, & qui celebravit, dicit: *Pater noſter*, aſpergit, & incenſat, ut fecerunt alii quatuor, & reverſus ad locum ſuum, ſtans dicit: *Et ne nos &c. ℟. Sed libera &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam ejus. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Abſolve quæſumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus ſeculo, tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis tuæ abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Deinde, dicit idem Cardinalis: *Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei.* Et in fine duo Cantores dicunt: *Requieſcat in pace. ℟. Amen.* His completis, omnes ordine, quo venerant, revertantur ad loca, ubi acceperunt paramenta, & exuant ſacras veſtes. Alii autem Cardinales, & Prælati, dum hæc fiunt circa Caſtrum doloris, remanent ſedentes in locis ſuis, expectantes finem. Demum omnes diſcedunt ad ſuas habitationes.

COMMENTARIUS.

I. CElebrata Miſſa, & quidem per unum Cardinalem, ut ait Romanus Ordo XV. Cap. CLXVI. factoque Sermone, *qui*, ut idem Ordo inquit, *debet fieri poſt Miſſam, & ante Abſolutionem*; ex præſcripto citati Ordinis, cui & alii antiqui Cæremoniales Libri concinunt, *quatuor Cardinales Presbyteri antiquiores induunt ſe ſuper Alba, Amictu, albo Cinctorio, Orarium, & Pluviale cum anulis, & ſine Chirothecis, & Sandaliis.* Pergit idem Ordo, ritumque abſolutionis fieri olim ſolitum in funere Cardinalis hunc in modum refert: *Tunc ille, qui dixit Miſſam, antecedit, & alii tres ſequuntur; vadunt prope Caſtrum doloris, & Cantores cantant:* Libera me Domine. *Quo cantato, qui dixit Miſſam, aſpergit Corpus, vel Feretrum, aqua benedicta, & thurificat, dicendo:* Pater noſter &c. *& facit primam Abſolutionem; deinde alii tres eodem modo juxta ordinem ſuum, prout in Libro continetur. Cardinales vero alii, & totus Clerus remanet in Choro.*

II. Sed audiamus quid mox de ipſo Abſolutionis officio, & ritu idem Romanus Ordo citato loco ſubjicit: *Finita Miſſa*, ait, *qui facit Officium, depoſita Planeta, cum Miniſtris, cum thuribulo, & aqua benedicta accedat prope caput defuncti extra Caſtrum, & abſolute incipit, Mitra depoſita*: Non iutres in judicium &c. *Oratione facta, vel finita, Cantores cantant*; Subvenite Sancti &c. *Quo cantato, dicit*: Kyrie eleiſon, *& thurificat, & aſpergit funus aqua benedicta, prout in Oruinario continetur. Tunc adſunt quatuor Presbyteri Cardinales induti cum Pluvialibus, & Mitris albis, & Stolis; & cantato*, Ne recorderis, *antiquior dicit Orationem, quam ſibi placet poſt* Pater noſter, *ut ſupra, & thurificat &c. Poſtea cantatur*: Memento mei Deus; *quo dicto, alius Cardinalis, qui eſt penultimus, eodem modo thurificat, & dicit aliam orationem. Conſequenter immediate alius Cardinalis, qui ſtat ab alio latere, qui ſecundo loco dicit Orationem, ſimiliter thurificat, prout alii fecerunt, & dixerunt, & orationem*, dicit, *quam ſibi placet. Deinde ultimus Cardinalis ſimiliter facit; quibus finitis, cantatur*: Libera me Domine; *quo cantato, ille, qui facit Officium, ſimiliter, ut prius thu-*

Digitized by Google

thurificat, & dicit ultimam orationem, scilicet: Absolve &c. *& tunc quilibet recedit; & fit Sermo*. Ita laudatus Ordo Romanus, qui paulo superius de Sermone habendo in exequiis Cardinalium, tradit, fieri consueviſſe ipsum Sermonem, vel ante Absolutionem, vel Absolutione facta, imo alicubi post Evangelium.

III. De ipsa Absolutione ad Castrum doloris fieri a quatuor Sacerdotibus paratis solita jam diximus nos Tomo II. Cæremonialis Episcoporum, sed non putamus hoc loco omittendum exemplum ejus Absolutionis factæ anno MCDXXXIV. in funere Cardinalis Novariensis juxta relationem Petri Amelii in citato Romano Ordine XV. Cap. CLXVI. ubi ita inquit: Anno MCDXXXIII. in exequiis Domini Cardinalis Novariensis celebravit Missam Dominus Cardinalis Sancti Marci, & dicta Missa, immediate fuit Sermo. Facto Sermone Dominus Cardinalis de Ursinis, Dominus Cardinalis Sancti Marcelli, Dominus Venetiarum, Dominus Cardinalis Sancti Marci, induti Pluvialibus venerunt ad feretrum; & primo antecedebant duo Presbyteri Cardinales, videlicet, Dominus Sancti Marcelli, & Dominus Venetiarum; deinde Dominus de Ursinis, & Dominus Sancti Marci Presbyter Cardinalis, qui celebraverat illo mane; & duo ipsorum steterunt ad unum latus feretri, & duo in altero latere. Primam autem Orationem dixit Dominus Sancti Marci, qui celebraverat, videlicet: *Non intres in judicio*; & Cantores, dicta illa Oratione, dixerunt cantando: *Subvenite*; & dicto per eos *Kyrie eleison*, Dominus de Ursinis dixit: *Pater noster*; & asperſit aquam benedictam, & incensavit, & dixit secundam Orationem: *Deus, cui omnia vivunt*; & dicta oratione, Cantores dixerunt: *Ne recorderis*; & dicto *Kyrie eleiſon*, Dominus Cardinalis Sancti Marcelli ab alio latere asperſit, & incensavit, & dixit Orationem tertiam, videlicet: *Inclina Domine*, quæ oratio est in Missali; & dicta Oratione, Cantores dixerunt: *Qui Lazarum*, idem Dominus Cardinalis Sancti Marci, qui celebraverat Missam, qui erat in alio latere, ut supra, loco unius Presbyteri Cardinalis, qui deficiebat, asperſit, & incensavit, & dixit Orationem: *Fac quæſumus Domine hanc cum ſervo &c.* qua Oratione dicta, Cantores dixerunt: *Memento mei Deus*; & dicto *Kyrie eleiſon*, Dominus Cardinalis Venetiarum dixit, *Pater noſter*, & asperſit, & incensavit, & dixit Orationem: *Abſolve quæſumus Domine animam famuli tui*; quæ Oratio est in Missali; qua Oratione dicta, Cantores dixerunt: *Libera me Domine de morte &c.* & dicto *Kyrie eleiſon*, non fuit incensatum; sed Dominus Cardinalis Sancti Marci in fine dixit Orationem, videlicet: *Abſolve*, quæ oratio est in Officio Mortuorum.

IV. Hactenus Romanus Ordo XV. aliaque multa afferri possent exempla exequiarum tum veterum, tum recentiorum S. R. E. Cardinalium, quæ passim legi in mss. Diariis Apostolicorum Cæremoniariorum, quæ etiam aliqua notatu digna continent, sed ne gravaremur majori impensa in editione hujus Operis, consulto illa, & alia multa omittimus; tum præsertim quod de exequiis defunctorum, & ritibus in iis servatis jam aliis locis dixerimus, potissimum vero in Commentariis ad Cæremoniale.

§. VII.

De Novendialibus Cardinali defuncto celebrandis, & quibus ritibus.

In prima, & nona die, quæ est ultima, in quibus fiunt eædem cæremoniæ, nisi quod in ultima non fit Sermo, consueverunt legi in Ecclesia, ubi fiunt exequiæ, centum quinquaginta Missæ, & datur pro eleemosyna cuique celebranti unus grossus Papalis, & duæ parvæ candelæ. Aliis septem diebus intra Novenam dicuntur centum Missæ quolibet die; & hora competenti cantatur Missa pro defunctis per aliquem Episcopum, & familia defuncti adest sedens in loco suo. Intorticia non accenduntur circa Ecclesiam, sed super scamnis a lateribus lecti, & novem supra Castrum doloris sine aliis candelis. Cardinales non veniunt; distribuitur cera Celebranti, & Ministris, Clericis, sive Religiosis illius Ecclesiæ, familiæ defuncti, & aliis, qui adsunt. Apud sepulchrum vero, ubi jacet Corpus, quotidie ponuntur duo intorticia, quæ ardent, dum Divina celebrantur. Finita Missa inter Novenam, Prælatus, qui celebrabit, deponit Planetam, & accipit Pluviale, & Mitram, & præcedente Subdiacono cum Cruce, Ceroferariis, incenso, & aqua benedicta, vadit ad Castrum doloris. Eum sequuntur Diaconus, & alii Ministri Altaris; Religiosi autem, sive Clerici Ecclesiæ disponunt se circa Castrum. Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferariis ad pedes. Prælatus vero stans ad caput in medio sine Mitra absolute incipit: *Non intres in judicium*, ut supra; & in fine Chorus cantat primum Responsorium; & post *Kyrie eleiſon*, Prælatus sine Mitra dicit: *Pater noſter*; aspergit, & incensat per circuitum, ut supra diximus de Cardinalibus, & deinde stans in loco suo dicit: *Et ne nos inducas &c.* cum aliis versiculis, & prima oratione, in fine cujus dicit: *Requiem æternam dona ei Domine*. ℟. *Et lux perpetua luceat ei*. Et Chorus dicit: *Requieſcat in pace*. Et sic revertitur ad se exuendum. In secunda die dicitur secundum Responsorium, & secunda oratio, & sic deinceps, & cum finierint, reincipitur a primo. In nona die fit omnino, ut in prima, nisi quod non fit Sermo. Cantatur Missa per Cardinalem, & per Cardinales fit Absolutio apud Castrum doloris. A die vero, quo sepul-

Digitized by Google

pultum est corpus, usquequo incipiantur exequiæ, consueverunt in ea Ecclesia celebrari aliquot Missæ pro defunctis, non tamen per Prælatos, & fiunt ad partem ibi aliquot eleemosyne propter hoc.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. edicitur, fuisse quidem videtur ritus paulo ante nostri hujus Cæremonialis editionem institutus, nulla enim de Novendialibus mentio in exequiis Cardinalium celebrandis in Romano Ordine xv. Petri Amelii, Cap. CLXVI. ubi de ipsis Cardinalium exequiis agit. Mentionem certe ejus moris facit in suo Testamento Jacobus Papiensis, quem inter Cardinales retulit Pius Papa II. anno MCDLXI. Invaluit autem non multo post Augustinum Patricium Auctorem nostri hujus Cæremonialis mos, uti ipsæ Cardinalium exequiæ una tantum die absolvantur, isque est hodiernus ritus, ad evitandam forte ingentem impensam, præsertim cereæ, quæ in memoratis Novendialibus solita erit distribui, sive, ut ajunt Cæremoniales antiqui Codices, & mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diaria dispergi, & rapi. Queritur de hac rapina Grassus passim *in* suo ms. Diario.

§. VIII.

De muneranda defuncti Cardinalis familia.

Familia vero defuncti solet per quadraginta dies sustentari in ejus domo, & tandem unicuique redditur aliquod præmium, vel secundum taxationem a Domino factam, vel, ut exequutores censuerint, habita ratione servitii, temporis, & qualitatis.

COMMENTARIUS.

I. REfert Durandus in suo Rationali divinorum Officiorum Libro VII. Capite XXXV. quosdam ad tertiam diem, alios ad septimam, nonnullos ad nonam, rursus alios ad trigesimam, alios ad quadragesimam, quosdam ad quinquagesimam, non paucos ad sexagesimam, & plures ad centesimam diem funeris solemnia protelasse. Verum in Cardinalibus licet Novendialia, de quibus superius dictum fuit, in desuetudinem abierint, unoque die Cardinalis defuncti exequiæ solemnes celebrentur, viget tamen adhuc ea consuetudo munerandæ familiæ Cardinalis defuncti. Sane solitum olim fuit distribui pannus iis, qui ipsi Cardinali inservierant, ejusque moris meminit Jacobus Cardinalis Papiensis sic in suo Testamento inter alia inquiens: *Solent mortuis Cardinalibus familiares non veri ad accipiendas familiarium verorum vestes accurrere, instare, ut dentur; si non dantur, indignari, ac lamentari. Ut error non sit, eos vestiri volo, quos in notula manu mea subscripta, vel annulo meo signata, præsentique testamento inclusa invenientur appositi, & Capellanis quatuor cannæ, scutiferis, inter quos Parafrenarios, & primum coquum, & cellarium, & dispensatorem nomino, primæ sortis tres, reliquis dimidiam cannam minus, sed secundæ sortis jubeo dari; ita tamen, ut ad orationem omnes conveniant, & pro me deprecentur.*

II. Omissis aliis, quæ dici ad hunc §. possent, operæ pretium puto describere hoc loco novam BENEDICTI XIV. regnantis Pontificis Maximi Constitutionem, quæ incipit, *In eminenti*, editam die XV. Julii anni MDCCL. ubi proponitur ratio secernendi honorarios a veris Familiaribus S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum Romanæ Curiæ. Multa enim in ipsa Constitutione decernit Sapientissimus Pontifex, quibus hic noster §. egregie illustratur. Certe multum debet Christiana, & Litteraria Respublica ipsi Pontifici, quippe qui, & sacros Ritus, & Quæstiones Theologicas, & controversias Juris, & siquid est obscurum, intricatumque, stupenda eruditione, & mirabili perspicuitate explicavit, atque dilucidavit. Legenda aurea ipsius Opera iterum atque iterum typis commissa, in quibus res omnes miro ordine digestas invenies, & sua ab origine repetitas. Nota hæc omnibus sunt, constantque vel ex memorata Constitione, *In eminenti*, quæ est hujusmodi.

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

In eminenti supremi Principatus celsitudine, Dei voluntate, constitutos, ea nos inter alias cura sollicitat, ut forensium litium, & controversiarum germina, quantum fas est, succidamus, earumque potissimum, quæ nec sine bonæ fidei detrimento intentari, nec sine injustæ vexationis damno, & immeriti dispendii periculo sustineri, neque demum sine publicæ tranquillitatis perturbatione agitari consueverunt.

Neminem latet, antiquam esse in hac Romana Urbe, & Curia consuetudinem, ut plures plurесque inter Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non ipsius Curiæ Prælatorum Familiares quoquo modo adnumerari contendant, eisque operam suam, atque servitia, vel tamquam Aulici nobiles, aut studiorum Adjutores, sive Familiæ medici, aut Causarum, quas forte in Tribunalibus pendentes habeant, Sollicitatores, Patroni, Advocati, vel, si ab Urbe recedant, tamquam negociorum gestores, sive ad alia Officia eorum Personis, ac Dignitatibus congruentia, sponte profiteantur, & exhibeant, nullius quidem stipendii, aut mercedis conditione, sed eorum favo-

Digitized by Google

favoris, & gratiæ ſibi unice, ut ajunt, propoſito præmio, quod tamen ſatis apparet a ſpe alicujus utilitatis ex eorundem Patrocinio percipiendæ ſejunctum non eſſe.

Et quidem pluribus ſæpe contingit, ut hujuſmodi ſpei fructus optatos conſequantur, pluribus etiam contraria ſors cadit. Verum tam ex his, quam ex illis non pauci deinde inveniuntur, qui extincto Cardinale, vel Prælato, cui ſupradictum ſervitium præſtiterunt, non dubitant ab hæredibus complurium annorum cumulata ſalaria petere, atque, etiam allatis probationibus ſuper hujuſmodi ſervitio defunctis præſtito, hæredes ipſos in jus, & judicium vocare; unde hi, quum plerumque ignari ſint conditionum, quibus auctores ſui cum illis convenerant, ancipitis judicii difficultatibus incommodiſque vexantur; quemadmodum Nobis, in Romana Curia ab ineunte ætate verſatis, & in hujus quoque generis litibus non ſemel Judicis officio functis, certo deprehendere licuit.

Et illorum quidem actioni Romanæ Urbis conſuetudo adſtipulatur, ſecundum quam ſalarium, licet non expreſſe conventum, cuilibet famulatum impendenti debetur. Quod ſi hæredes a prædictis conventi, ea exceptione ſe tueantur, quod & auctorum ſuorum mens fuerit, & adverſarii ipſi in animo habuerint, ab hujuſmodi conſuetudine in eorum caſu diſcedere; hinc ſtatim ingredi neceſſe eſt immenſam, implicitamque conjecturarum ſylvam; quarum plures a dictis hæredibus colliguntur, ut oſtendant, tum auctorum ſuorum, tum eorum qui ipſis famulati ſunt, mutuum conſenſum fuiſſe, ut a præfata conſuetudine recederetur. Contra vero plures aliæ afferuntur ab iis, qui præſtiti ſervitii mercedem poſtulant, ut Judici perſuadeant, mutuum hujuſmodi conſenſum nunquam inter eos, eorumque defunctos Patronos interceſſiſſe; atque ita multiplices diuturnæque lites in Tribunalibus agitantur, diverſoque exitu finiuntur, quemadmodum fert earum controverſiarum natura, quarum deciſio ex conjecturis potiſſimum pendet; dum ex his aliæ unius Judicis intellectui magis validæ apparent, alteri vero aliæ majoris momenti videntur.

Ad hæc incommoda præcavenda, quibus civilis ſocietas non parum perturbatur, promptum, ac tutum remedium id eſſet, ut præfati Cardinales, atque Prælati, nullius opera, ſervitioque ullo modo uterentur, præterquam eorum, quos juſtis menſtruis, diurniſque ſtipendiis remunerari ſtatuerunt, excluſis aliis, qui licet ipſis gratuita obſequia, ac ſervitia liberaliter polliceantur, nihilominus eos tam in vita, quam in morte, ac etiam poſt mortem multis modis vexare non omittunt. Nam, & viventibus importuni ſunt, dum novas quotidie rationes comminiſcuntur, quibus præſtitam illis operam, per eorum patrocinii favorem, compenſari poſtulent; & morientibus moleſti eſſe non verentur, tam inſtanter, quam audacter, ut aliquando Nobiſmetipſis videre contigit, petentes, Eccleſiaſticarum Penſionum, ſi quas iidem Cardinales, atque Prælati transferre poſſunt, participes fieri; & iis defunctis, plura controverſiarum capita, etiam judicialiter adverſus hæredes, & reliquam familiam excitare ſolent, non ſolum pro conſequendis retroacti temporis ſalariis, de quibus ſupra diximus, ſed etiam pro conſueto quadraginta dierum proxime decurrendorum ſtipendio, pro veſtibus ad luctum comparandis, ac pro virili portione capienda cum aliis Familiaribus, quibus Cardinales prædicti certam pecuniarum ſummam, pro rata, & pro qualitate ſervitii præſtiti, inter eos dividendam, legare conſueverunt. Sed quoniam nimis difficile fore cognoſcimus eorum obſequia penitus rejicere, qui Procerum hujuſmodi favorem, & gratiam, cum eorum Familiaritatis nomine, ambiunt; idcirco aliam rationem proponere decrevimus, qua ſervata, æque certum publicæ utilitatis, & quietis fructum feliciter obventurum non dubitamus.

Quum ſcilicet ab antiquo tempore tam Cardinalibus, quam etiam Prælatis in more poſitum fuerit, Familiarium ſuorum nomina Indiculo quodam, quem *Rotulum* vocant, propria ipſorum manu ſubſcripto comprehendere; id etiam in poſterum ab ipſis ſervetur; vel ſi ab eorum aliquo prætermiſſum fuerit, quamprimum fiat; & hujuſmodi Rotulo inſcribantur omnes, & ſinguli, quos propriis ſervitiis addictos retinent cum præſtatione conſueti ſalarii, illius nimirum, quod vel Romanæ Aulæ ſtylus fert, vel ſingulorum mos, eorumve Domus conſuetudo definiit. Æquum eſt autem, ut ſalarium hujuſmodi debitis temporibus unicuique Familiari ſolvatur. Quod ſi quis ex deſcriptis in prædicto Rotulo, vivente Domino, ſtipendia non acceperit, integrum ipſi erit poſt illius mortem actionem contra ejus hæreditatem promovere, dummodo intra annum a die obitus ipſius Domini computandum, eam judicialiter intentet; ſciatque, ſe nonniſi duorum annorum ſtipendia, defuncto Domino, petere poſſe; qua de re extat felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Pauli Papæ III. Conſtitutio, quæ incipit *Sicut Nobis*, eaque jam pridem a recolendæ memoriæ Sancto Pio Papa V. in ſua, cujus initium eſt, *Cupientes*, innovata, & confirmata; quam Nos ipſi, præſentium tenore, & pari Apoſtolica auctoritate ſimiliter confirmamus, & innovamus. Præterea iiſdem Familiaribus ſub conſueti ſalarii conditione in Familiam adſcitis, & in Rotulo præfato deſcriptis, reliqua omnia iiſdem competentia jura ſalva & integra eſſe volumus, tam pro veſtibus atris, certique temporis ſtipendio poſt Dominorum mortem fruendo, quam pro rata portione capienda inter alios Familiares certæ pecuniarum ſummæ legato conjunctim remuneratos.

Hi autem qui non mercede conducti, ſed honoris tantum cauſa, Cardinalibus, atque Prælatis ſervitia præſtare conſentiunt, vel in eodem Rotulo, cum expreſſa honorariorum denominatione deſcribantur, vel in alium Indicem a Patronis ſimiliter ſubſcribendum ſeorſim referantur; ſciantque, ſe cum hujuſmodi diſtinctione deſcriptos, tam de jure, quam hujus Noſtræ Conſtitutionis vigore, nihil in poſterum ex defuncti Patroni Bonis petere, aut conſequi poſſe, ſive per viam actionis, ſive compenſationis, aut retentionis, quantumvis, diuturna magnique momenti ſervitia eidem præſtiterint, & quamvis ille nihil vivens in eorum utilitatem egiſſet, vel etiam agendo, nihil forte pro ipſis obtinuiſſet. Præterea nullam iiſdem competere volumus actionem pro quadragenorum dierum, ut ajunt, ſtipendio, ſive pro atris veſtibus, aut

Digitized by Google

aut pro conſequenda portione cujuſque ſummæ inter alios Familiares mercede conductos, ut ſupra, dividendæ; ſed præter honorem, quem ex defuncti familiaritate conſequuti ſunt, aliaſque utilitates, ſi quas illius gratia, & auctoritate jam perceperunt, nil aliud ipſis ſperandum relinquimus, quam quod vel Defunctus ipſe, grati animi ergo, eiſdem nominatim teſtamento legaverit; vel Patroni hæredes, ſine præjudicio aliorum Familiarium, qui conſueti Salarii conditione illi miniſtrarunt, ac ſine ulla diminutione earum rerum, quas his præſervatas fore decrevimus, eiſdem Honorariis ſponte largiri voluerint.

Videant itaque quicumque Magnatum prædictorum favorem, gratuitam operam ipſis exhibendo, aucupantur, qua lege, & conditione deinceps in eorundem honorariorum Familiarium numerum cooptabuntur, ſuaſque rationes ſubducant, perpenſa præſentis Conſtitutionis diſpoſitione; quam quidem ab ipſius publicationis die vim legis habere ſtatuimus; ſed nullo modo extendi volumus ad caſus antea definitos ſive in favorem Familiarium honorariorum hujuſmodi, ſive adverſus eos, circa quos præcedentia judicata omnino attendi, & ſervari debere decernimus.

Cæterum nos prædictis Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque præmiſſis, hujuſmodi conſilium proponimus, tamquam æquum, & ad eorum utilitatem, & quietem, Noſtro, aliorumque in rebus agendis expertorum Virorum judicio, ſatis efficax, eadem prorſus ratione, qua Juſtinianus Imperator Defunctorum hæredibus ſuaſit, ut Inventarium bonorum hæreditariorum conficerent, ne ſua ipſorum propria bona creditoribus defuncti, vel Legatariis, aut ulterioribus vocatis obnoxia relinquerent; eodemque pacto, quo Epiſcopis ad Eccleſiarum regimen proficiſcentibus utile conſilium datur, ut per Inventarii ſimilis confectionem, res ſuas, quas Domo ſecum deferunt, ab aliis ſecernant, quas deinceps acquiſituri ſunt, quaſque, tamquam ex Eccleſiæ redditibus, & proventibus comparatas, ſub lege Spolii poſt eorum mortem caſuras non ignorant. Quod ſi ex præmiſſis aliqui novum hoc Rotuli Familiarium ſiſthema amplecti noluerint, non ſane Nobis in animo eſt illos ad id compellere. Verum eos admonitos volumus, quod, non ſervata per eos præſentis Conſtitutionis lege, eorum hæredes ejuſdem præſentis Conſtitutionis beneficio minime juvabuntur, ſed omnibus litium incommodis, & controverſiarum ambiguitatibus expoſiti remanebunt, quas per præſentes de medio tollere ac removere Nobis propoſitum fuit; non ſecus ac hæredes illi, qui Inventarium rite conficere negligunt, actionum confuſioni ſubjecti remanent, ac propriorum quoque bonorum diminutionem pati periclitantur; iique Epiſcopi, qui omittunt deſcriptionem facere earum rerum, quas ſecum ad Eccleſias afferunt, has ipſas deinde Spoliorum Collectoribus cum aliis in unum redigendas plerumque relinquunt.

Denique has ipſas præſentes Litteras perpetuæ legis vim obtinere decernimus, ac ſecundum eas, & non aliter, in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, in poſterum judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis Pauli III. & Pii V. aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non dictæ Almæ Urbis Statutis, Uſibus, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, aliiſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, definitionis, confirmationis, innovationis, Statuti, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo, Idibus Julii, Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Atque hæc ſatis ſint ad noſtri §. eruditionem.

CAPUT II.

De ægrotatione, morte, & exequiis Romani Pontificis.

§. I.

De Sacramentis excipiendis, & de concione habenda ad Cardinales.

Romanus Pontifex etſi mortales omnes dignitate, & auctoritate præcellit, omniaque in terris ligare, & ſolvere queat, fati tamen extremam neceſſitatem ſolvere nequaquam poteſt. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec Servus major Domino ſuo. Filio ſuo non pepercit Deus, quem mori voluit, ut hominem a perpetua morte liberaret; utque omnes agnoſcerent, neminem a corporali morte omnino eſſe immunem. Cogitet Summus Pontifex, etſi omnium ſit maximus, ſe tamen eſſe mortalem, & elogium illud, quod inter ſolemnia Coronationis ſuæ decantari ſolet, ſedulo memoria repetat: *Pater Sancte, ſic tranſit gloria Mundi. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos agri.* Sit igitur ſemper Pontifex paratus, ut bonus Paſtor, ſolertiſſimus Vicarius, & diligentiſſimus villicus rationem reddere Domino ſuæ adminiſtrationis; & cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, cum Martino Turonenſi cla-

Digitized by Google

clamet: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*. Curetque eo majori studio, quo ceteris omnibus præest, ut ultimum actum, quo solo coronari electi solent, cum laude perficiat. Quod si forte non agnosceret, dum ægrotat morbi periculum, Medici, qui illius curam gerunt, cum de ejus salute dubitare cœperint, prudentibus verbis eum admoneant, semotis arbitris, hortenturque ad ea peragenda, quæ ad animæ suæ salutem pertinent. Polliceantur, se omni studio curaturos quæ spectant ad corporis sanitatem; aperiant idem Confessori Pontificis, qui verbis apertioribus, secrete tamen, & cum summa reverentia, & charitate moneat Pontificem, in quo sit discrimine; hortetur, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat; cogitat quem locum teneat; oportereque, ut alios Principes verbo, & exemplo ad viam salutis deducat. Pontifex sua sponte, quod melius erit, vel saltem his monitionibus excitatus, cum ultimum diem appropinquare cognoverit, primum peccata sua Confessori diligentissime confiteatur, petatque ab eo plenariam Indulgentiam. Deinde tempore congruo jubeat ad se vocari Prælatos domesticos, & principales Familiæ suæ, & præsente Sacratissimo Christi Corpore, primum confiteatur, & Catholicam Fidem, quam affirmet, se semper inconcusse, & firmiter tenuisse, & in ea velle vivere, & mori, cum Deo placuerit. Tum petat veniam ab omnibus, siquem forte injuste offenderit; largiatur eis aliquas gratias spirituales; roget, ut orent Deum pro anima sua, & petat a Sacrista, vel ab aliis Prælatis, ut tunc Sacratissimum Viaticum recipiat, ut cum tempus eis videbitur, alia Ecclesiæ Sacramenta sibi administrent. Convocet post hæc, dum adhuc sensus integri sunt, Sacrum Cardinalium Senatum; profiteatur iterum Catholicam Fidem, petat veniam, si in sua administratione quempiam injuste offenderit. Roget, ut orent pro anima sua, commendet eis Ecclesiam Dei, & hortetur, ut in electione Successoris diligentes sint, & unanimes, & talem eligant, qui Christianos uberius, quam ipse paverit, qui pasci noverit; & si ei videbitur, nominet unum, vel plures, quos suo judicio magis idoneos arbitretur. Aperiat etiam eis debita, & credita, siqua sunt; & similiter scripturas, pecunias, & gemmas, ac pretiosa quæque manifestet. Condat testamentum suum, si vult, & eligat sepulturam. Demum commendet Senatui Familiam, & attinentes suos, & gratias spirituales, quas voluerint, eis largiatur, eosque cum sua benedictione dimittat. Hujusmodi ultimum cum Fratribus suis sermonem, ut audivimus, Nicolaus V. nostro tempore habuit, & quod ipsi vidimus, Pius II. Hic enim in Vigilia Assumtionis Beatæ Virginis, cum pridie de Sacramento Altaris communicatus fuisset, & cum domesticis, inter quos minimus eram, quæ superius convenire diximus, peregisset, Sacrum Collegium ad se post Vesperas convocari jussit, Patresque longo, & dulci sermone quamquam morti proximus, nam secunda noctis hora expiravit, alloquutus est. Vidimus Cardinales omnes abunde lacrymantes cubiculo languentis exire; & ultra supradicta, omni studio hortatus est Senatum, ut expeditionem contra Turcas, ob quam rem ipse Anconam se contulerat, prosequerentur.

COMMENTARIUS.

I. QUod in hoc §. edicitur, antiquum est institutum, qud ita enarrat Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Capite CXLIII. *Sciendum est, quod iste modus consuerit observari in Romana Curia Romano Pontifice ægrotante. Medici, qui curam ejus habent, dum sciunt appropinquare mortem, & ipsum non posse evadere, tenentur sibi secrete dicere, quod ad omnem eventum cogitet de anima, primo de factis suis, & ipsi quantum poterunt, cogitabunt de sanitate corporis. Deinde tenentur secrete revelare Confessori suo, quatenus ipsum dirigat, ut cogitet de salute animæ suæ, exhortando, & monendo ipsum in generali, & in speciali, juxta scientiam, & discretionem Confessoris; maxime quomodo ipse est lumen totius universi, ideo debet dare exemplum omnibus Regibus, & Principibus, laicis, & Clericis, qui in infirmitatibus ad Deum recurrunt, & ordinant de conscientiis suis, ita ipse debet facere, qui est caput totius Christianitatis, & quomodo tenetur confiteri, & recipere Corpus Dominicum, & petere Indulgentiam in mortis articulo, quam idem Confessor sibi dare debet; omnibus indulgere familiaribus, & eis dimittere male ablata, & furta, usque ad summam centum florenorum, prout Sanctitati suæ placebit, sicut Dominus Gregorius Papa usque ad sexcentos Florenos dimisit.*

II. Pergit Amelius, aliaque tradit, quibus noster hic §. concinit: *Item debet omnibus familiaribus suis concedere Indulgentiam in mortis articulo super sigillo alicujus Prælati de domo sua. Demum debet idem Papa, vel Camerarius ejus convocare suos Cardinales ante mortem suam per duos, vel por tres dies ante quam loquelam amittat, & in præsentia ipsorum debet condere testamentum, & eligere sepulchrum. Item debet protestari, quomodo ipse moritur, & mori vult in unitate Fidei, & quomodo credit unam Ecclesiam Catholicam, & omnes articulos Fidei, pro quibus paratus est mori.*

Digitized by Google

Item quomodo non bene se gessit in regimine Papatus, & quod in nonnullis offendit, & ipsi Cardinales parcant sibi, & omnes, quos indebite, vel injuste, si quos offendit. Item debet eis recommendare omnes suos familiares. Item debet eis revelare debita per eum contracta pro Ecclesia Dei, ut ejus Successor illis satisfaciat. Item etiam, qui sunt creditores, & quibus tenentur sibi, & Ecclesiæ Romanæ, & ubi sunt thesauri, jocalia, & bona sua, & Ecclesiæ. Item debet Cardinalibus aliquas gratias concedere in Foro conscientiæ. Item debet eis recommendare Ecclesiam, & quod provideant de bono Pastore in pace, & in tranquillitate, & quod si eis videretur bonum, talis, vel tales essent boni pro regimine juxta conscientiam suam. Ultimo dat eis benedictionem, & quod vadant in pace. Manu recentiori in hunc locum apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici hæc in margine adscripta leguntur: *Fecit Papa Nicolaus V. ita quod omnes Cardinales exiverunt lacrimantes.* Id ipsum tradit Jannottus Menettus in Vita ejusdem Nicolai V. apud Muratorium Tomo III. *Rerum Italicarum*, Parte II. & ex eo Georgius in ipsius Pontificis Vita anno MCDLXV. Num. VI. sic inquiens: *Sacramentorum præsidio se muniit. Cardinales ad se accivit, ut ex more cuncta perageret, atque de Pontificatus regimine rationem redderet; siquid offendisset, veniam a sacris Senatoribus peteret, longam ideo ad eos orationem habuit, quam Testamentum appellant, Quicquid in Pontificatu gessit, ordine retulit, atque ita Cardinales commovit, ut omnes e cubiculo collacrymantes exiisse dicantur.*

II. Dicta hactenus probari possent & aliorum Pontificum exemplis, sed celeberrimum omnium est exemplum Pii II. quod noster hic §. memorat; hanc enim ille, ut refert Jacobus Cardinalis Papiensis Lib. 1. Commentariorum, supremam ad S. R. E. Cardinales in suum Cubiculum convocatos habuit concionem: *Fratres dilectissimi videtis quo adductus sum. Hora mea jam venit. Deus hinc nos evocat. Morimur in Fide Catholica, in qua & viximus, nihil habentes a Romana Sede diversum, pro ovibus creditis egimus in hanc diem quod potuimus. Non pepercimus laboribus ullis, atque periculis. Bis caput nostrum obtulimus ad communem salutem. Perficere quod ultimum cœpi, potestas ultro non est. Reliqua vestra sunt. Curate vos opus hoc Dei*, expeditionem scilicet in Turcas, *nec sinite per negligentiam labi Christianæ Fidei causam. Ideo vocati in Ecclesiam estis, ut suis temporibus illi opem feratis. Mementote officii vestri, & Deum attendite, qui contemplator est omnium, retribuitque secundum opera nostra. Fideli ministerio, & crevit, & progressa est dignitas vestra. Utique per fideles ministerium est retinenda. Quærentes quæ vestra sunt, non quæ Jesu Christi, illam retinere diu haudquaquam potestis. Sumite quoque ex hac hora patrimonii curam, videteque, ne detrimentum accipiat. Studium hoc omne, patre decedente, filiorum esse oportet: nostrum dum licuit fuit. Porro autem Fratres in Cardinalatu nostro ante, post in Præsulatu, ad quem nos elegistis, conversati vobiscum annos plures sumus. Conversatio nostra sine peccato esse non potuit; ex carne enim sumus. Offensus nimirum aliquando Deus est, offensa & charitas vestra. Pro iis quæ in Deum peccavimus, ipse qui pius, qui omnipotens est, nostri misericordiam habeat. Pro iis vero, quæ in vos, rogamus, dilectissimi nostri, ut placatis animis, morienti sit venia. Eos autem, qui vel famulati sunt nobis, vel nostri sunt generis, si se dignos præstiterint, commendatos habete. Valete jam. Pax Dei, & cælestis gratia vobiscum sit.*

IV. Eodem teste Auctore, his ægre & cum lacrymis a Pio II. Pontifice moribundo enunciatis, tantus subito Cardinalium, qui lectum circumstabant, coortus est fletus, ut diu præ gemitu loqui verbum nemo posset, atque ora singulorum lacrymantia cernerentur. Tandem Bessarion Cardinalium primus pro omnibus verba fecit. Indoluit casum in quem erat adductus non sui tantum causa, quem lacrymabile erat deficere, sed magis Christiani populi, qui tantum salutis auctorem amitteret. Laudavit Pontificem, & præclara ejus in Præsulatu opera; agens identidem gratias, quod etiam suprema hora salutaribus monitis communem rem adjuvaret. Orare se Deum dixit Patrem misericordiarum, ut sic affecto, & jacenti salutem tribueret: verum, si propter peccata superstitis populi esset migrandum, mansura in illorum animis ejus præcepta; daturosque operam filios, ut nec publicæ Christianorum res, neve privatæ Romanæ Ecclesiæ detrimentum acciperent: quam autem veniam popoposcisset, humilitatis suæ, non erratorum esse confessionem: benigne omnes, atque indulgenter habitos semper, nec querelam adversus eum extare: suorum quoque, quos commendasset, gratam apud omnes futuram memoriam dixit, docens, quam charus esse deberet, vel sanguis, vel contubernium ejus, qui tantum de Christianis, & de Romana Sede meritus esset: postulare autem singulos Fratrum, ut postremum piumque benedictionis suæ munus mansuris relinqueret. Post hoc Cardinalis Bessarionis responsum, iterum consurrexit fletus, & contristatio cordium multa. Pontifex, ut idem Cardinalis Papiensis narrat, manu paululum elevata, osculandam eam omnibus præbuit, flens ipse, & flentes alios intuens. Illi manu apprehensa, atque ante lectulum procumbentes ac flentes, sigillatim veniam erratorum suorum precabantur, supremumque osculum Patris capiebant. Quibus ille: *Misericors ignoscat Deus, & spiritum rectum confirmet.* Ac simul benedicens omnibus, dimisit eos a se.

V. Dicta huc usque satis profecto sunt ad nostrum hunc §. explicandum; sed lubet nihilominus ad ipsum magis magisque illustrandum ea referre quæ de ejusdem Pii II. Pontificis pietate in recipiendis Sacramentis laudatus Cardinalis Papiensis citato loco subjicit: *Biduo ante admonitus a medicis, in omnem casum vitæ, vel obitus habendam suprema rationem animæ esse, Domini Sacramentum, quod celebribus semper diebus valens sumebat, etiam tunc magna mentis religione accepit, tundens pectus ad singula, & flens, & peccatorem se confitens indignum communicatione tanti mysterii.* Idem & de aliis multis Pontificibus legitur, uti videre apud Auctores, qui eorum Vitas scripsere. Sancta etiam fuit hoc ævo mors recentiorum Pontificum Benedicti XIII. & Clementis XII.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Cardinalium cura, Pontifice in extremis laborante.

Poſt hæc Cardinales ut cognoverint, Pontificem in extremis laborare, tres delegabunt ex Collegio, unum videlicet de quolibet Ordine, qui ſimul cum Camerario inventarium faciant de omnibus bonis, quæ ſunt in Palatio Apoſtolico, & illa reponant in loco tuto ſub bona cuſtodia. Quæ vero ad Sacriſtam pertinent, revideant, & dimittant apud Sacriſtam, quoniam eſt officium perpetuum. Deinde provideant Cardinales, ſi in Urbe moritur Pontifex, ne tumultus aliquis concitentur. Advocent, & intromittant confidenter, & in tempore Eccleſiaſticam militiam, & eam diſponant per Civitatem in locis opportunis. Provideant etiam Provinciis Eccleſiæ, mittendo Commiſſarios Viros graves, & prudentes. Pontifice vero pro anima agonizante, aliquis ex Prælatis domeſticis ei adſtet, & Crucem inſpiciendam, oſculandamque illi crebro offerat, redigatque ei ad memoriam Paſſionem Chriſti. Cubicularii adſtent cum diligentia miniſtrantes neceſſaria. Sacriſta in tempore extremam Unctionem, & commendationem animæ faciat, prout in Ordinario. Pœnitentiarii vero circumſtent, legant Pſalmos Pœnitentiales, Paſſionem Chriſti, & alias devotas orationes, dum adhuc expirat.

COMMENTARIUS.

I. SUnt & hi antiqui ritus, quos longe ante editionem noſtri hujus Cæremonialis ab Auguſtino Patricio ordinati deſcripſit in ſuo Romano Ordine XV. Petrus Amelius Cap. CXLIII. ubi ita inquit: *Dum approximat ad mortem*, Papa ſcilicet, *debent eſſe parati Cubicularii ſemper ad ſervitium ſuum, & debent vocare Confeſſorem ſuum, & Prælatos domus, qui ſibi adminiſtrent Sacramenta Eccleſiaſtica, quæ debent dari juxta formam, quæ eſt in Polyptico, & in Pontificali Romano, & poſt fiat recommendatio animæ, prout in dicto Pontificali continetur. Ipſo vero agonizante, unus Prælatus, vel Sacerdos teneat ſibi Crucem Conſiſtorialem ſine cauda, vel baculo ante ejus oculos, & frequenter ſibi oſculari faciat, ſemper ſibi ad memoriam reducendo Paſſionem Chriſti. Tunc Camerarius ſit aviſatus, quatenus recolligi faciat omnia bona Papæ ad certum locum, & ſecurum, propter inſultum; & omnes Officiales ea quæ habent ſub cuſtodia, ſibi tradant, & aſſignent, & etiam Cubicularii illa, quæ erant ſub cuſtodia eorum; & etiam Sacriſta penes ſe retineat, quoniam Officium perpetuum eſt, & rationem reddet Sede vacante tribus prioribus Cardinalibus, & iterum ab ipſis tribus prioribus recognoſcere, & ab ipſis tenere.* Huc uſque Romanus Ordo XV. ubi etiam quædam pene ad verbum referuntur, quæ in hoc præſenti noſtro §. ſtatuta ſunt.

II. Jam plura eſſent in §. ipſum notanda, ſed aliis omiſſis, huc ſpectant, quæ de Pii II. ſummo agone narrat ejus oculatus teſtis Jacobus Cardinalis Papienſis Lib. 1. Commentariorum, pagina 360. *Ecce inclinante jam ſole, inclinare & ipſe admodum cæpit, ut non procul a morte judicaretur abeſſe. Confeſtim itaque Sacramenta reliqua perſolvuntur morientibus debita, ſenſu adhuc integriore, quam lingua. Nox ad primam uſque horam proceſſerat, Cardinaleſque, qui eo convenerant, domos quiſque ſuas diſceſſerant. Reſtiteram ego ſolus ex omni Collegio, voleus quam Patri pietatem debebam, etiam ſuprema hora perſolvere. Mecum erant Præſules tres ex Pontificis familia, & ex ſorore filius Andreas, & Lollius conſobrinus Frater, cæterique, qui ad interius miniſterium Cubiculi ſerviebant. Circumſtabamus omnes deficientem ſenem lacrymantes, & mœſti, famulabamurque morienti in eo, quod ultimum poteramus. Intuens vero ille in me, oculo innuit, ut accederem propius. Acceſſi ſtatim. Voce itaque jam conſumta, quæ auribus admotis audiri vix poterat,* Ora, *inquit,* pro me fili, peccator etenim ſum. *Simulque ad Crucem converſus, quæ collocata ante oculos erat, non ſine ſuſpiriis iterabat:* Miſerere mei Deus, miſerere mei. Et tu Virgo Mater ſervum deficientem non deſere. Per miſericordiam Filii ſuſcipe animam excedentem. *Paulula deinde intermiſſa mora, rurſus in me dirigens oculos,* Continuationem, *inquit,* ſancti propoſiti memora Fratribus, & adjuva tu quoad potes. Propinquant ſupplicia, ſi Dei opus deſeritis. *Cum reſpondere tentarem multa, nec poſſem præ gemitu, dexteram manum, quæ elevata in cubitum erat, demittens ſupra collum,* Benefac, *inquit,* Fili, orationemque offer Deo pro me. *Hoc illi ultimum verbum fuit, loqui ultra non valuit ob flemmam profluentem, qua pectus jam, & fauces erant completæ. Legebantur ſine intermiſſione precationes Eccleſiæ, quibus expiari decedentium animæ ſolent.* Alia in hanc rem exempla, tum veterum, tum recentiorum Pontificum ſupervacaneum eſt, videri poſſunt Auctores, qui illorum vitas ſcripſeret.

§. III.

De obitu Pontificis, & de curando ejus corpore, ac de vigiliis perſolvendis.

Poſtquam vero ſpiritum Creatori reddiderit, legant Officium mortuorum. Cardinales

Digitized by Google

vero debent mox intrare, & ſinguli abſolvere defunctum Pontificem, dicentes unum Reſponſorium cum ſuis Verſiculis, & orationem pro defunctis, videlicet: *Deus, qui inter Apoſtolicos &c.* & ut quiſque abſolvit, diſcedit. Cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis, & Fratres Plumbatores lavent ejus corpus, tonſor vero radat barbam. Interim lavetur corpus cum optimo vino albo aromatizato, & calido, & loca ſpumantia impleantur aromatibus, mirrha, thure, & aloe. Nares, & aures impleantur muſco, & demum bene fricentur manus, & totum corpus balſamo, quod Cubicularii, & Sacriſta ſubminiſtrabunt. Poſt hæc Pœnitentiarii induant eum communes veſtes uſque ad Rochetum, deinde ſacras, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo a Sandaliis uſque ad Mitram ſimplicem; tum & Anulo cum Fanone, Pallio, ſpinulis, & omnibus ornamentis. Paramenta erunt rubei coloris, & ponent inde corpus ita ornatum ſuper feretrum, ſive lecticam coopertam aureo panno cum Pontificis, & Eccleſiæ armis, & ſubtus caput cervical ex panno aureo, & ad pedes duo alii, ſuper quibus erunt duo Pilei Pontificales. Corpus lavabitur, & ornabitur in Camera ſecreta, & ornatum ponetur in lectica, ſive feretro in Camera papagalli; & ibi uſque ad diem, ſi Pontifex in nocte morietur, Pœnitentiarii vigilantes, & pſallentes cuſtodient corpus, & habebunt expenſas, & omnia neceſſaria a Palatio. Deinde hora competenti, præcedente Subdiacono Apoſtolico cum Cruce, & cum Cappa ſua obſcuri coloris, videlicet violacea, Cantores Capellæ cantabunt *Subvenite*; & Pœnitentiarii portabunt corpus ad Capellam majorem. Portabuntur ante corpus viginti ſex, aut viginti octo intorticia accenſa per Scutiferos defuncti. Reliquum familiæ ſequetur. Cantores, & Pœnitentiarii cantabunt Veſperas, & Vigilias pro defunctis, quouſque venient alii Religioſi. Et nota, quod Camerarius, ſi non eſt Cardinalis, debet omnibus, dum fiunt, perſonaliter intereſſe. Si vero eſt Cardinalis, non ipſe, ſed Vicecamerarius intererit. Collegia Clericorum, & Conventus Religioſorum, ut venerint, cantant Vigilias, aſpergunt, & incenſant corpus, & abſolvunt, ut in exequiis Cardinalium diximus.

COMMENTARIUS.

I. DEſumſit & hæc quoque Patricius hujus Cæremonialis ordinator ex antiquis Romanæ Eccleſiæ ritibus, quos in ſuo Romano Ordine XV. Capite CXLIV. quod inſcriptum eſt, *De Papa jam mortuo*, jam longe fuſius deſcripſit Petrus Amelius, qui ita inquit: *Papa vero mortuo, vel eo agonizante, quod eſt melius, ſtatim vocantur Pœnitentiarii, & legunt ante eum Officium Mortuorum, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & illa, quæ in Libro ipſorum continetur, & interim cum illis Fratribus de Bulla, ſi fuerint, vel de Pignotta, cum aqua, & cum bonis herbis, quam Cubicularii parare debent, lavent corpus bene; & barbitonſor radat ſibi caput, & barbam; & ſic loto, Apothecarius, & dicti Fratres de Bulla obturent ſibi bene omnia foramina cum bumbaſio, vel ſtupa, anum, os, aures, nares cum myrrha, thure, & aloe, ſi poſſint haberi. Lavetur etiam corpus cum vino albo, & calefacto cum herbis odoriferis, & cum bona vernagia, quæ Cubicularii, vel boticularii Papæ debent dictis lavatoribus adminiſtrare. Guttur vero de aromatibus impletur, & ſpeciebus cum bombaſio, & etiam nares cum muſqueto. Ultimo etiam vultus fricetur, & ungatur cum balſamo bono, & etiam manus. Camerarius, vel Cubicularii, qui cuſtodiunt balſamum, vel Sacriſta, ſi habent, tradent.* Ita Amelius, qui etiam inferius eum ritum recenſet Abſolutionis faciendæ a Cardinalibus Pontifici defuncto, antequam ſcilicet curetur corpus, ac ſacris veſtibus induatur: *Sed notandum*, inquit, *quod antequam lavetur, & induatur, Domini Cardinales, unus poſt alium, vel omnes ſimul debent eum viſitare, & quilibet abſolvit eum, prout veniunt, & ſtatim recedant.*

II. Facta Abſolutione, poſt lectum nempe Mortuorum Officium, ut ait noſter §. & loto corpore, *Pœnitentiarii*, ut ait Amelius *inducunt ipſum braquam, camiſiam, caligas, & tunicam &c.* Defuiſſe aliquando & has veſtes defuncto Pontifici, ſicut & alia ad curandum ejus corpus neceſſaria, ob familiarium avaritiam, qui omnia quæ erant Pontificis rapiebant, docet Burchardus in ſuo Cæremoniali, ubi enarrat exequias Sixti Papæ IV. qui obiit anno Chriſti MCDLXXXIV. *Abbas S. Sebaſtiani Sacriſta habuit lectum cum fornimentis, licet ad officium potius noſtrum pertineret; alia omnia, quam primum defunctus ex Camera portatus fuit, unico momento, ut ita dicam, ſublata ſunt. Nam ab hora ſexta uſque ad illam horam, omni diligentia per me facta, non potui habere unum bacile, unum linteum, vel aliquod vas, in quo vinum & aqua cum herbis odoriferis pro lavando defuncto ordinaretur, neque bracas, & camiſiam mundam pro defuncto induendo, licet pluries hoc a Cardinale Parmenſi, Petro Mantuano, Accurtio, Gregorio, & Bartholomæo de Ruvere, Georgio ſcopatore ſecreto, & Andrea barbitonſore ſuo, qui omnes ſui ſecreti Cubicularii, & domeſtici fuerunt, & quibus optime fecerat, petiviſſem. Tandem..... raminum, in qua aquam pro ſcutellis lavandis calefacere ſolebat, cum aqua calida mihi miniſtravit, & præfatus Andreas barbitonſor bacile de apotheca ſua portari fecit. Lotus ſic fuit Pontifex, & cum non eſſet linteum, quo tergeretur, camiſia ſua, in qua mortuus eſt, in duas partes diviſa, eum tergi feci. Bracas, in quibus mortuus eſt, & lotus, ſibi mutare non potuit, cum non eſſent aliæ.* Ita plane & aliis nonnullis Pontificibus accidit.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De funeris deductione, & exequiis celebrandis in Basilica S. Petri, & de panni distributione.

Postquam omnes absolverint, deducunt funus ad Ecclesiam S. Petri, & ibi ponitur Corpus in medio Ecclesiæ; præferuntur multa intorticia, & Familia sequitur. Finito Officio, remanet ibi Corpus per biduum, aut triduum, ut populus possit illum visitare, & osculari manum. In nocte reponitur in Capella majori, & tandem noctu sepelitur. Interdum Vigiliæ per Collegia, & Conventus non cantantur, sed per Canonicos Beati Petri defertur Corpus ad Ecclesiam cum Capitulo, & Familia. Interim parantur exequiæ, erigitur Castrum doloris cum lecto, & alia fiunt, quæ in exequiis Cardinalium supra notavimus; sed largius, & abundantius Familiares Papæ, Officiales Curiæ, & Urbis Officiales, si Romæ fit, vestiuntur panno nigro, ut in Libris Cameræ Apostolicæ plenius apparet, ad quos vos remittimus. Fiunt largæ eleemosynæ pro anima Pontificis Religiosis Viris, & mulieribus per Camerarium, & Thesaurarium & maxime si Camera est dives. In prima die exequiarum leguntur ducentæ Missæ cum eleemosyna. Missam solemnem cantabit Prior Episcoporum Cardinalium. Fit Sermo de laudibus Pontificis, & in fine fiunt Absolutiones a senioribus, ut in exequiis Cardinalium scriptum est. Accenduntur hac die intorticia multa circumcirca in Ecclesia, & candelæ super Castrum doloris, & idem fit in die nono. Missam tunc cantat Subprior Episcoporum Cardinalium.

COMMENTARIUS.

I. SOlemnis olim fuit deductio defuncti Pontificis ad Ecclesiam S. Petri, si scilicet Romæ diem suum obiisset extremum: *Dominus Camerarius*, ait Romanus Ordo XV. Cap. CXLV. *sit avisatus cum Thesaurario, quod nigri panni habeantur in magna copia, & bona bora, ita quod Familiares sint induti, antequam funus exeat de Palatio; & in illa Processione semper Subdiaconus Papæ bajulet Crucem ante Feretrum, & omnes processionaliter bini & bini post corpus vadant.* Teste Burchardo in suo Cæremoniali, ubi funus Sixti Papæ IV. enarrat, *præcedentibus Cruce, & Cantoribus, Pœnitentiarii, & Cubicularii portaverunt defunctum.* Tum vero paulo inferius subdit: *Scutiferi defuncti portaverunt viginti intorticia ante funus, quod sequebantur septem Cardinales, videlicet S. Petri ad Vincula, Novariensis, Amalphitanensis, Rachanatensis, & quidam alii. Post eos Prælati, & alii Legati.* Sed non semper idem servatus est mos, ut enim ait hic noster §. *per Canonicos B. Petri defertur Corpus ad Ecclesiam cum Capitulo, & Familia.* Invaluit mos, ut si Papa in Quirinali Palatio moriatur, circa secundum noctis horam, præcedentibus Pœnitentiariis sacra veste indutis, ac defuncti Familiaribus, aliisque subsequentibus vehatur lectica Corpus ad ipsam S. Petri Basilicam, ritumque deductionis istius funeris legere est in mss. Apostolicorum Cæremoniariorum Diariis, atque hic est recentissimus ritus, nam alias consueviſſe olim Cardinales ipsos, atque Prælatos deducere defuncti Papæ cadaver ad Ecclesiam, docet nos exemplum Innocentii IV. qui obiit Neapoli die VII. Decembris anni MCCLIV. elegitque sepulturam in Ecclesia Cathedrali: *Mane sequenti*, inquit in ejus Vita Nicolaus de Curbio Cap. XLII. *Domini Cardinales & Prælati pariter universi ..... ipsum detulerunt ad majorem Ecclesiam tumulandum, apud quam elegerat sepulturam.*

II. Pergit noster §. aitque, interim parari debere exequias, & erigi Castrum doloris cum lecto, & alia fieri, quæ in exequiis Cardinalium supra annotavimus; sed largius, & abundantius Familiares Papæ, Officiales Curiæ, & Urbis Officiales, si Romæ fit, vestiri panno nigro debere, & fieri largas eleemosynas pro anima Pontificis Religiosis Viris, & mulieribus per Camerarium, & Thesaurarium, maxime si Camera est dives. De panno distribuendo post mortem Papæ loquitur quidem Romanus Ordo XV. Cap. CXLVII. *De pannis distribuendis iste modus consuevit observari. Primo Camerarius, si non sit Cardinalis, cum duobus Capellanis, & duobus Scutiferis; item Thesaurarius, item Confessor, si sit Prælatus; isti tres Domini de eodem panno bono & nobili. Item Referendarii de eodem panno, item Cubicularii de alio panno minori, & Clerici Cameræ. Item Medici cum Scutiferis Papæ de simili panno Cubiculariorum. Item magistri buticulariæ, panetariæ, aquæ falleriæ, ceræ, coquinæ, de alio panno minori. Item ostiarii, janitores, Clerici Capellæ, Cæremoniarum, omnes de consimili panno magistrorum buticulariæ, & servientes armorum. Juxta voluntatem Domini Camerarii omnes induantur, totum stat in sua voluntate. Item duo coqui Papæ de eodem panno Officialium. Item de prima porta, & secunda, de eodem & consimili panno. Item Cursores, famuli de Palefrenario, de panetaria, de buticularia, de cera, & coquina, omnes de uno panno minori, ad minus de quolibet officio duo; sed Palefrenarii secundum numerum ipsorum, & etiam Cursores juxta voluntatem Domini Camerarii; item Marescallus Curiæ, & Advocatus Pauperum, & Magister Sacri Palatii, Procurator Fiscalis, Advocatus Papæ, omnes de uno panno; item emtor, guardaveſſalla, guardia major, ideſt custos cibariorum, custos Sacræ Capellæ, qui*

Digitized by Google

est sub potestate Sacristæ, omnes de eodem panno; item Campanarius, scopator Cameræ Papæ, & scopator Palatii de alio panno; item si Papa moriatur Romæ, sex Banderenses, tres rectores, duo consiliarii consueverunt petere; item capita regionum, & manipularii etiam consueverunt petere vestes nigras, & habuerunt in morte Urbani VI. omnes isti Officiales Urbis, qui si petierint, sunt sub beneplacito Domini Camerarii, si eis dare vult, vel non. Senator Urbis propter officium non utitur, nec vestitur, nisi vellet facere per se amore Papæ. Hactenus de panno distribuendo laudatus Ordo Romanus, xv. qui etiam mox subjicit, dari tres cannas de panno unicuique.

III. Sed audiendus iterum Ordo idem Romanus de eleemosynis distribuendis, quarum hic noster §. meminit: *Item*, ait ille, *fiunt magnæ eleemosynæ pro anima Papæ per Thesaurium de mandato Camerarii, primo quatuor Ordinibus Mendicantibus æqualiter quinquaginta florenos, vel viginti quinque, ad minus decem, panem, vinum, carnes pro una die; deinde Hospitalibus, & aliis pauperibus juxta voluntatem Camerarii, & secundum quod Camera est potens.* Sane dolent passim Cæremoniarii Apostolici de parsimonia in exequiis Summorum Pontificum adhibita, testaturque in suo Cæremoniali Burchardus, *cum magna difficultate* circa horam decimam quartam potuisse se obtinere intorticia *numero viginti tantum*, quibus deferri ad Ecclesiam posset Corpus Sixti IV. Papæ. Queritur & de ea parsimonia Grassus in suo ms. Diario, ubi recenset exequias Leonis Papæ X. *quæ*, ut ait, *pauciſſimæ in omnibus factæ sunt, tum quia Camera, & Sedes Apostolica dicitur exhausta, & indebitata in summa* 8000. *ducatorum, & ultra, tum etiam ob rapinam Officialium deputatorum a Cardinali Armellino, & aliis deputatis, nam quasi omnes Officiales isti fuerunt mercatores Florentini acutissimi.* Certe ut idem Apostolicus Cæremoniarius refert loco citato, *cera data est Cardinalibus, & Prælatis præsentibus cum miseria, & pauciſſimi vestiti fuerunt*, de panno scilicet, quod solitum tunc erat distribui.

IV. De Missis, quas vocant privatas, seu planas, celebrandis in exequiis Pontificis, & de eleemosynis illas celebrantibus largiendis, jam ante hunc nostrum §. meminit memoratus Ordo Romanus xv. Cap. CXLV. ubi etiam mandat, ut *dentur cuilibet Sacerdoti celebranti V. grossi Papales pro anima sua per Thesaurarium.* De solemni Missa, & Sermone, peragendis prima die exequiarum Pontificis, ritus quidem qui ante editionem nostri hujus Cæremonialis servabatur, ita refertur a Petro Amelio in citato Romano Ordine xv. Capite CXLVI. *Est etiam sciendum, quod prima die Prior Episcoporum Cardinalium debet dicere primam Missam, & facere Sermonem, vel committere Sermonem alicui Prælato, vel Magistro in Theologia: Missam vero non debet committere, quia si non posset celebrare, debet eam dicere secundus Episcopus Cardinalis, vel tertius, & sic deinceps*, Morem esse antiquum, ut in magnorum Virorum funere Oratio funebris haberetur, jam alibi fuse notavimus. Consuevisse etiam Cardinales in exequiis Papæ sermonem habere, testatur Æneas Sylvius in Oratione ad Fridericum III. quæ extat inter miscellanea Baluzii Tomo VII. pag. 548. ubi diserte ait, Cardinalem Bononiensem, qui fuit postea Nicolaus V. ultima exequiarum Eugenii IV. die gravem, elegantemque Orationem habuisse, cujus meminit in Vita memorati Nicolai V. Pontificis Maximi eruditus Georgius anno MCDXLVII. pag. 2. ubi etiam ita subjicit: *Mirum sane aliquibus videri poterit, si nostri temporis ritum cum iis metiamur, hujusmodi orationem a S. R. E. Cardinale habitam, quod hodie, & jam diu in usu non est. At moris erat interdum, ut non duæ tantum, sed etiam plures novendialium tempore conciones de Pontificis laudibus a Cardinalibus, qui Missas de illius obitu ordinatim celebraturi erant, post Missam recitarentur, nisi eas alicui Prælato, seu Theologo demandarent; at nona die ab eodem Cardinale, qui Missam celebraret, seu cui ille commisisset, de Pontificis laudibus, deque alio eligendo Oratio habenda erant.*

V. Quod scribit hucusque Georgius, probatur profecto auctoritate Romani Ordinis xv. auctore Petro Amelio, Cap. CXLVI. in fine, ubi ita ait: *Sciendum tamen, quod omni die debet esse Missa, quæ debet dici per Cardinales juxta ordinem suum, & Sermo per eosdem, nisi committant Prælatis, vel Magistris in Theologia, aliis non.* Invaluit autem mos, ut solum in prima, & postrema die Novendialium duo habeantur Sermones, quorum primus est de laudibus Papæ defuncti, ultimus vero de eligendo futuro Pontifice. Atque hic ritus servatus fuit anno MCDXLVII. in exequiis Eugenii IV. teste Æneа Sylvio in citata ad Fridericum III. oratione, ubi sic ait: *Eugenio duo Sermones facti sunt. Alterum Malatesta quidem ex genere Auditorum, alterum Cardinalis Bononiensis fecit*, Thomas scilicet de Sarzana Tituli S. Susannæ Presbyter Cardinalis, qui deinde Nicolaus V. dictus est. *Ille Vitam Eugenii commendavit, hic obitum. Ille, qualis fuerit Eugenius, enarravit; hic, qualis eligi deberet Successor, edocuit.*

§. V.

De Novendialibus Papæ defuncto celebrandis.

Intra Novenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo a senioribus post Subpriorem Episcoporum, & leguntur centum Missæ. Intorticia circa Ecclesiam, & candelæ supra Castrum doloris non accenduntur; reliqua fiunt, ut in primo, & nono die. Distributio ceræ fit quotidie Cardinalibus, Prælatis, Familiæ, Curialibus, & aliis, qui aderunt, & quotidie fiunt Absolutiones a Cardinalibus in fine Missæ circa Castrum doloris. Quotidie post Missam conveniunt Cardinales in loco congruo

Digitized by Google

gruo, consulentes de rebus Ecclesiæ, & ordinantes Conclave. Nona die post Missam de Defunctis cantatur Missa de Spiritu Sancto, & fit Sermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

COMMENTARIUS.

I. NOvendialia, seu Novena, preces sunt, seu Missæ per novem dies continentes celebrandæ, uti docet Dufresne in suo Glossario, verbo, *Novena*. In exequiis Papæ non ita antiqui sunt instituti. Teste siquidem Cencio in Ordine Romano XII. labente Seculo XII. exarato, Cap. XLVIII. is erat ritus, qui in Papæ Funere servabatur: *Mortuo*, inquit, *Romano Pontifice, & sepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur, secundum antiquam consuetudinem. Secunda vero die conveniunt in Ecclesia, & Missa mortuorum cantata, omnes similiter secundum consuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in Ecclesia congregati, Missa Sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione &c.* Novendialia in Pontificum Funere tametsi instituta videantur a Gregorio Papa X. qui, ut alibi dictum est, primus legem de Conclavi edidit in electione Summi Pontificis, non tamen statim servata fuerunt; nam Martino IV. die XXVIII. Martii anno MCCLXXXV. mortuo, exequiæ ejus per tres tantum dies celebratæ fuere, dieque prima Aprilis ejusdem anni Cardinales *libere, nulla inclusionis coactione præambula*, convenerunt de Successoris electione tractaturi, & *tandem in crastinum, Scrutinii via electa*, concorditer elegerunt Jacobum Isabellum Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Cosmedin, ut ipsemet efferit in Litteris encyclicis de sua electione datis, quæ extant apud Raynaldum ad prædictum annum; Num. XVII. & seqq.

II. Sane juxta Gregorii X. Constitutionem de inclusione Cardinalium in Conclavi Pontifice obeunte Romano, quam a quibusdam Pontificibus suspensam, vel revocatam Cælestinus V. & Bonifacius VIII. novo robore munierunt, ut diximus supra in Commentariis ad Titulum I. Bonifacio ipso VIII. die XI. mensis Octobris anno MCCCIII. e vivis erepto, Cardinales, Novendialibus prius expletis, Sacrisque die X. nempe XXI. ejusdem mensis, rite Sancto Spiritui celebratis juxta prædictam Constitutionem, de qua nos citato loco abunde diximus, Romæ in Palatio Vaticano, in quo Bonifacius obierat, Conclave ingressi, postridie, scilicet die XXII. ejusdem mensis Nicolaum Boccasinum Ordinis Prædicatorum, Cardinalem Episcopum Ostiensem in Summum Pontificem elegerunt, *unico facto, ac publicato Scrutinio*, fuitque B. Benedictus XI. ut idemmet asserit in suis encyclicis Litteris de sua electione datis Kalendis Novembris, ut legere est in ejus Vita apud Pagium, qui etiam passim in sequiorum Pontificum Vitis, tradit, electos fuisse ipsos Pontifices, Novendialibus prius defuncto Papæ expletis.

III. Venio nunc ad nostrum §. quo edicitur, *ut intra Novenam quotidie aliquis Cardinalium celebret, incipiendo a senioribus post Subpriorem Episcoporum, & legantur centum Missæ*. Est & hic antiquus ritus, cujus meminit Romanus Ordo XV. Cap. CXLVII. sic dicens: *Item Camerarius caveat bene, ne ordo in dicendis Missis interrumpatur; quoniam omni die unus Cardinalis debet dicere Missam de mortuis, & faciat ibidem Sermonem; quod si nolit facere, det uni Prælato, vel alicui Magistro in Theologia, quia si ordo interrumpatur, non posset reintegrari. Non enim licitum, & honestum esset, quod per Prælatum, vel Episcopum diceretur Missa; sed si aliquis de Cardinalibus infirmaretur, vel non posset Missam celebrare, alter Cardinalis eam dicet; & sic successive per ordinem usque ad finem.* Loquitur hic citatus Ordo Romanus de Missa solemni pro defuncto Pontifice celebranda quotidie toto ipso tempore Novendialium.

IV. Quod attinet Missas, quas planas, seu lectas appellant, quæ Novendialium tempore quotidie pro defuncto Pontifice celebrari debent juxta nostri hujus §. præscriptum, de ejus ritu jam diximus supra in Commentario ad §. IV. De cera ut hoc loco dicamus in hujusmodi exequiis adhibenda, audiendus est Ordo Romanus XV. Cap. CXLV. sic inquiens: *In die prima sepulturæ ad minus debent esse* cc. *torticiæ, quælibet de sex libris ceræ, & in Castro doloris in quatuor angulis unum de dictis brandonibus, & in medio superius unum aliud, & circumquaque abundantia candelarum, quæ debent accendi, antequam Missa incipiatur.* Tum vero paulo post: *Item debent dare cuilibet Cardinali unam tortitiam ad minus quatuor librarum de cera in dicta Missa, quam tenere debet ante eos unus Scutifer eorum; & hoc idem de Prælatis; sed tortitiæ aliorum Prælatorum sunt de tribus libris ceræ; Pœnitentiariorum vero, & aliorum nobilium de una libra ceræ; sed Canonicorum, & aliorum Presbyterorum de quarta parte libræ, prout placebit dicto Camerario.* Subdit mox etiam sic: *Advertat tamen, quod omni die ad minus sint XL. torticiæ circa Feretrum, seu Castrum doloris; desuper vero non debent esse candelæ, nisi prima die.* Sed nec omittenda, quæ & de ceræ distributione ait idem Ordo Romanus sequenti Cap. CXLVI. *Omni die*, inquit, *dantur candelæ Prælatis indutis de nigro, prout in prima die, quas si volunt, secum reportant &c.* Porro docent passim antiqui Apostolici Cæremoniarii in suis ms. Diariis, summam ea occasione fieri consueviſse ceræ distributionem, seu potius dissipationem, ut iidem loquuntur. Cetera, quæ in nostro §. statuuntur, jam alias explicata a nobis fuere, ac præsertim in nostris ad Titulum I. Commentariis.

V. Unum est, quod hic enarremus, quod ait scilicet & hic noster §. ut nempe toto Novendialium tempore *quotidie fiant Absolutiones a Cardinalibus in fine Missæ*, solemnis scilicet, *circa Castrum doloris*. Huc faciunt quæ scripsimus jam nos secundo Tomo Commentariorum Cæremonialis Episcoporum, in Commentariis ad Caput XI. Sed notanda, quæ scribit Paris de Grassis in suo ms. Diario, de exequiis Leonis Papæ X. quas ipse direxerat: *Quotidie*, inquit, *habita est Missa exequialis cum Absolutione per Pres-*

Digitized by Google

Presbyteros Presbytero celebrante, & per Episcopos Episcopo celebrante. Paridi Grassο concinunt & alii sequioris ævi Apostolicarum Cæremoniarum Præfecti in mss. suis Diariis.

§. VI.

De significatione mortis Papæ per Collegium, & de stylo scribendi.

Mortuo Pontifice, Collegium id Litteris suis Principibus, & Maximis Prælatis significat. Utitur in scribendo stylo Apostolico, Filios, & Fratres illos appellans, quos Pontifex ita vocat, & singulares singulariter salutat, & alloquitur.

COMMENTARIUS.

I. EX Libro Diurno Romanorum Pontificum, quem eruditus Joannes Garnerius ex antiquissimo Codice ms. Parisiis edidit anno MDCLXXX. Cap. II. Titulo 1. formulam Litterarum habemus, quæ de transitu Pontificis ad Exarchum mitti olim solebant, ab Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum, qui servabant locum Apostolicæ Sedis vacantis: *Quamvis non sine gravi gemitu, & vere flebili voce a Deo servatæ Excellentiæ Domini nostri per has nostras innotescimus humiles syllabas, Dei judicio, cujus dispensatione universus regitur Orbis, ab hac luce fuisse subtractum Dominum Ill. Sanctissimum Dominum nostrum Pontificem, cujus cuncti vere, & si dicendum est, etiam lapides ipsi fleverunt exitum. Die enim Ill. instantis mensis obiit, pro cujus consternati, ut diximus, funere omnes grandi tristitiæ premimur mole, ad solam Christi Dei nostri cordis oculos miserationem attollentes, ut ipse dignetur subvenire disperatis, & suum providere dignum Rectorem Ecclesiæ, a quo fundata est; qui etiam est pollicitus, non ei prævalere portas inferi. Post divinum auxilium ad vestram excellentiam Domine Ill. excellentissime, & a Deo nobis multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. Ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad nostram consolationem humanam alibi non habemus confugium*. Cur hujusmodi Litteræ ad Exarchum mitterentur, & qui essent ii, qui servantes locum dicuntur Apostolicæ Sedis, jam a nobis explicatum alias fuit, nempe superius in Commentariis nostris ad Titulum 1.

II. Quod proprie hunc nostrum §. spectat, ritus est plane antiquus, occurritque apud Raynaldum in continuatione Annalium Cardinalis Baronii passim, ut mortuo Pontifice Cardinalium Collegium illius obitum Litteris suis Principibus, & maximis Prælatis, ac præsertim Cardinalibus absentibus significaret. Testatur sane in suo ms. Diario Grassus, ubi enarrat ritus servatos post Leonis X. mortem, se inter alia feciſse, *quod eligerentur duo Secretarii, qui nomine Collegii significarent Cardinalibus absentibus obitum Papæ, sicut de more erat*. At vero placuit tunc Sacro Collegio, quod duo Clerici Collegii hoc facerent; & cum replicasset Grassus, qui Apostolicus erat Cæremoniarius, rituſque omnes dirigebat, *Clericos Collegii non esse consuetos hoc exercitium facere, sed quod omnino eligerentur duo Secretarii*, placuit, ut idem Cæremoniarius refert, *quod ipsi duo Clerici Collegii sufficerent, attenta eorum sufficientia, & casu, quo isti non sufficerent, adderetur alter sufficiens*. Certe utitur tunc in scribendo Collegium, ut ait noster §. *stylo Apostolico, Filios, & Fratres illos appellans, quos Pontifex ita vocat, & singulares singulariter salutat, & alloquitur*. Ratio hunc in modum scribendi est ipsa summa Cardinalium dignitas, ac potestas Sede vacante Pontificiæ dignitatis, atque auctoritatis imaginem repræsentantium, de qua superius non uno in loco diximus.

§. VII.

De Bullis Plumbatorum per Vicecancellarium frangendis.

Vicecancellarius, ut primum Pontifex expiravit, Bullas, quibus Litteræ Apostolicæ signari consueverunt, a Plumbatoribus accipit, & partem illam, in qua Litteræ cum nomine Pontificis inscriptæ sunt, publice, & coram pluribus per ipsos Plumbatores frangit, & ad signandum omnino ineptas reddit. Aliam vero partem, in qua Apostolorum Capita sunt sculpta, lineo panniculo involutam, alligatam, & sigillo suo signatam Camerario tradit, & diligentissime curat, ne aliquæ Litteræ signar possint post Pontificis obitum.

COMMENTARIUS.

I. VEtera monumenta nos docent, Bullis plumbeis jam olim usos fuisse Romanos Pontifices. Polydorus Virgilius est ejus quidem opinionis, Agathonem Papam, qui ad S. Petri Cathedram evectus fuit anno MDCLXXVIII. in cera anulo impressisse sigilla, verum postea cum Summus Pontifex multa irrogaret privilegia, ut Diplomata diuturniora

Digitized by Google

niora forent, placuiſſe Stephano III. & Adriano I. quorum primus anno DCCLXVIII. alter DCCLXXII. creatus Pontifex fuit, tabulas apoſtolicas plumbo obſignari, nec antiquius ſigillum publicum reperiri opinatur. Sed vetuſtiora diplomata Summorum Pontificum, inquit Dominicus Raynaldus Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, non vidit Polydorus. Nam tempore S. Silveſtri, qui initio Seculi IV. regebat Eccleſiam, & in cujus Pontificatu Eccleſia Romana ab immaniſſimo tyranno diu oppreſſa reſpirare cœpit, Litteræ Apoſtolicæ plumbo obſignatæ fuerunt; ejuſque Bulla plumbea Aretii reperitur. Afferuntur præterea, eodem teſte Auctore, in Archivo Caſtri S. Angeli vetuſtiſſima in papyro ex frutice confecta diplomata plumbo obſignata Summorum Pontificum Leonis I. Gregorii Magni, ac Sergii. His conſentanea habet Bromptonus, qui tamen ait, *a tempore Gregorii Magni Bullas fuiſſe, & adhuc in Romana Eccleſia aliqua ipſius privilegia bullata ſervari*. De ſequiorum Summorum Pontificum Bullis hæc habet Luitprandus, Lib. VI. Cap. VI. *Hæc Dominum Papam nullis narrantibus feciſſe crederemus, niſi Litteræ fidem admitterent, quæ plumbo ſignatæ, ejus nominis characteres moſtrant*. Bullis præterea plumbeis uſos etiam Epiſcopos, liquet ex Concilio Cabilonenſi II. anni DCCCXIII. Can. XLI. *Litteras etiam habebit, in quibus ſint nomina Epiſcopi & Civitatis plumbo impreſſa*. Sed & teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad Octavam Synodum, omnia illius Acta *in quinque Codicibus ſcripta, ſive compacta, & omnium ſubſcriptionibus roborata, ſed & ipſos Codices plumbea Bulla munitos, atque ſigillatim loci ſervatoribus traditos Patriarchalibus Sedibus deferendos*. Quin & Abbatis Bulla plumbea memoratur a Mabillonio Lib. II. *De re Diplomatica*, Cap. XV. Num. III.

II. Quicquid de aliis ſit, duo ſunt quidem ſigilla, quibus etiam nunc Romani Pontifices utuntur; uno in publicis juſſionibus, & expeditionibus, quas Bullas vocant, idque plumbeum eſt, habetque ex una parte Imagines Apoſtolorum Petri & Pauli, ex altera nomen Pontificis pro tempore exiſtentis; altero in privatis ad quoſcumque Litteris, & gratiis conceſſis, quas *Brevia* appellant, habetque effigiem S. Petri in navicula poſiti, & retia laxantis, utpote qui prius piſcium piſcator, factus fuit poſtea a Chriſto piſcator hominum. Porro ut de primo aliquid fuſius dicamus, obſervat laudatus Raynaldus Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos, in plumbo Diplomatum vetuſtiſſimorum Pontificum non impreſſas fuiſſe Imagines Petri & Pauli, ſed tantum illius Pontificis nomen, cujus Litteræ obſignabantur, quod tantum hodie obſervatur, & a modernioribus Pontificibus introductum, & in uſu poſitum eſt. Vetuſtiorem quippe uſque adhuc Bullam cum Imaginibus Petri & Pauli non ſe reperiſſe ait, quam ſub Adriano IV. qui electus Romanus Pontifex fuit anno MCLIV. Verum ſub Paſchali II. ad Summum Pontificatum evecto anno MLXXXXIX. hunc morem cœpiſſe, docet Doubletus pag. CDLXXV. at cur in Bullis Summorum Pontificum, S. Pauli Imago dextram, S. Petri ſiniſtram partem occupet, quædam tradit Matthæus Pariſius anno MCCXXXVII. pluribus vero differit Leo Allatius, Libro I. *De conſenſu utriuſque Eccleſiæ*, Cap. VI. & Nicolaus Alemanus in Libro, *De læva, & dextra*. Sed & nequid omittamus ad eandem rem ſpectans, primus Clemens VI. Domus ſuæ inſignia ſuis Bullis impreſſit, ut teſtatur Albertus Argentinenſis ad annum MCCCXLII. ſic de ipſo Clemente inquiens: *Hic Papa, cum arma progeniei ſuæ haberent quinque roſas, contra morem anteceſſorum totidem roſas poni fecit in Bullis*.

III. Hæc notanda cenſui, quo facilius noſter hic §. intelligi poſſit, ex cujus præſcripto *Vicecancellarius, ut primum Pontifex expiravit, Bullas, quibus Litteræ Apoſtolicæ ſignari conſueverunt, a Plumbatoribus accipit, & partem illam, in qua Litteræ cum nomine Pontificis inſcriptæ ſunt, publice, & coram pluribus per ipſos Plumbatores frangit &c.* Porro ait Graſſus Cæremoniarius Apoſtolicus in ſuo ms. Diario, ubi enarrrat ritus ſervatos poſt Leonis Papæ X. obitum, ſe inter alia feciſſe, *quod rumperetur plumbum, & Anulus Piſcatoris, prout in præſentia Collegii plumbum ruptum fuit, & ſimiliter Anulus Piſcatoris*. Ipſum Piſcatoris Anulum qui uſui fuit Pontifici defuncto, adhibitum aliquando fuiſſe ab illius Succeſſore novo Pontifice, jam diximus ſupra in Commentariis ad Titulum I. Porro præter antiquos Bullarum Plumbatores inſtitutos & alios complures fuiſſe ab Innocentio Papa VIII. legere eſt apud Ciaconium Tomo III. col. XCV. ubi de eodem Pontifice Auctor agens, ſic inter alia ſcribit: *Eraria exhauſto, Pontifex Sixti IV. exemplum ſequutus, quo pecuniam colligeret, quinquaginta duos Viros inſtituit, quos Plumbatores Bullarum Apoſtolicarum vocavit, eiſque certos Eccleſiæ proventus in perpetuum conceſſit; ex qua inſtitutione ad viginti ſex millia aureorum recepit. Venierę ſingula quingentis aureis*.

IV. Cum tandem ex noſtro §. illud cautum ſit, ut Vicecancellarius ſtatim defuncto Pontifice Bullas quibus ſignari Apoſtolicæ Litteræ conſueverunt, a Plumbatoribus accipiat, & per eoſdem publice, & coram pluribus frangat; notandum aliquid in calce noſtri hujus Commentarii de ipſo S. R. E. Vicecancellario cenſui. Et ſane qui Vicecancellarii eminentiſſimæ dignitatis originem ex antiquis hiſtoriarum monumentis diſquiſierunt, teſte Joanne Chokier, tradunt, illam demum poſt tempora Innocentii Papæ III. inventam, & erectam fuiſſe, eamque etiam exercuiſſe privatæ ſortis homines, ſed probitate, & eruditione ſpectatiſſimos; poſtea ſub Bonifacio VIII. dignitatem hanc uni ex Cardinalibus tributam, idque ex congruentia rationis, & quoniam juſtitiæ regimen penes Vicecancellarium reſidebat, par erat munus iſtud commendare perſonis illuſtribus, in quibus ipſi Cardinales maxime excellunt. Ita plane laudatus Chokier, cujus locum deſcripſit etiam Vaneſpen, Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo XXIII. Cap. I. Varia de Vicecancellarii origine, ejuſque muniis in Eccleſia Romana, commenti ſunt quidem nonnulli Scriptores, quos refellit Cardinalis de Luca Parte II. *Relationis Curiæ Romanæ*, Diſcurſu X. nec enim omnino conſtat, quando Vicecancellarii munus ad eam pervenerit eminentiam, & prærogativam, in qua hodie in Romana Curia conſpicitur.

V. At puto equidem, eos omnino Auctores labi, qui tradunt, poſt Innocentii Papæ III. tem-

Digitized by Google

tempora Cancellarii dignitatem in Romana Ecclesia inventam, & erectam, ac non nisi sub Bonifacio VIII. dignitatem ipsam uni ex Cardinalibus tributam, cum constet, jam longe ante laudatos Pontifices, Innocentium III. & Bonifacium VIII. Cancellarii dignitatem fuisse summæ existimationis, & a Cardinalibus insignioribus exercitam. Certe Alexandrum III. fuisse primum ex Subdiacono Apostolico S. R. E. Cardinalem, & Cancellarium ab Eugenio Papa III. renunciatum, legere est apud Baronium ad annum MCLIX. quo creatus ipse Summus Pontifex fuit, & apud Panvinium, Ciaconium, Pagium, aliosque Auctores passim, qui de Romanorum Pontificum Vitis scripsere; qui etiam & illud uno ore testantur, fuisse ipsum Alexandrum ante Pontificatum, Apostolicæ Sedis Cancellarium prudentissimum, & omnibus virtutibus ornatissimum, divinis humanisque litteris instructissimum, pariter & eloquentissimum, quem inter alios S. Bernardus egregie laudasse reperitur, cum ab Eugenio III. Pontifice Cancellarius esset electus. Sed & legimus apud Baronium ad annum MLIV. jam ante Alexandrum III. Federicum Zoffredi Hetruriæ Ducis fratrem, a Leone IX. Archidiaconum, & Cancellarium S. R. E. declaratum fuisse, atque ad Summum Pontificatum deinde assumtum, Stephanum X. appellatum. Fuit electus hic Stephanus Pontifex Maximus anno MLVIII. ut testatur idem Baronius.

VI. Siquis autem roget, cur hodie Cardinalis, qui Cancellarii munere fungitur, non dicitur Cancellarius, sed Vicecancellarius appellatur, quasi vices dumtaxat Cancellarii agat? Varii quoque varia commenti sunt, ut memoratus Cardinalis de Luca refert loco citato. Verisimilius autem censet hic Auctor, Vicecancellarium dici cœpisse, cum dignitas Cardinalitia ad tantum fastigium evecta est, ut non videretur dignitati huic Cardinalitiæ congruere, assumere officium inferius, sive Prælatitium; quod tamen provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari non sit incongruum, quemadmodum & in munere Datarii praxis docet. Si enim Cardinalis eo munere fungatur, non vocatur Datarius, sed Prodatarius. Illud itaque adjectum *vice*, quod partes vicarias docet, uti memorati de Luca & Vanespen observant, non statum inferiorem, sed potius digniorem significat, ubi scilicet Cardinales S. R. E. eo officio funguntur.

VII. At vero omissis hujusmodi indagationibus, habet Vicecancellarius suum Titulum Cardinalitium, eumque admodum conspicuum, & illustrem, nempe Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii in Damaso, hicque commodam, & amplam habitationem in insigni, vereque regio Palatio, quod Cancellariæ dicitur, in quo ipsa Cancellaria tanquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliæque functiones publicæ peraguntur. Magna est profecto hujus Vicecancellarii prærogativa, quia scilicet primaria, & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica, & solemnia, qualia sunt Acta Consistorialia, ac etiam aliarum Apostolicarum provisionum Litteræ solemnes in forma Bullarum sub antiquo Sigillo plumbi, de quo superius nonnihil diximus, per ejus manus transeunt; adeo ut cum quadam proportione dicendus sit Cancellarius Papæ eo modo, quo in singulis Diœcesibus quilibet Episcopus habet Notarium, & Cancellarium majorem, qui Acta synodalia, & Judicialia, ac etiam Pontificalia conscribit, & authenticat, ut notat idem Cardinalis de Luca, & post eum Vanespen, qui etiam varios ejusdem Vicecancellarii Officiales recensent.

VIII. Nom omittendum denique hoc loco quod in Libro de rebus Lateranensibus observat eruditus Panvinius, Vicecancellarium scilicet Ecclesiæ Romanæ, ejusdem semper fuisse Bibliothecarium, & postremum, qui functus est utroque Officio sub Bonifacio VIII. Benedicto XI. & Clemente V. fuisse Papinianum Episcopum Parmensem; additque mox idem Panvinius, post ipsum Papinianum, nullum Vicecancellarium præfuisse Ecclesiæ Lateranensi, sed Romana Curia trans Alpes in Gallias a Clemente V. Pontifice traducta, novaque Bibliotheca Pontificia Avenione constituta, Vicecancellarii munus a Bibliothecario distinctum esse, factumque esse novum Bibliothecarium, qui Vicecancellarius non esset. Sed et Sixtus demum IV. nova in Vaticano Bibliotheca constructa, Officium Bibliothecarii a Sacristæ munere distinxit, ut idem Panvinius docet. Atque hæc de Vicecancellario dixisse sufficiat ob mentionem de eo factam in nostro hoc §. ac de illius officio, defuncto Summo Romano Pontifice. Qui autem de ipso plura scire desiderat, legere poterit, quæ citato loco scripsit Cardinalis de Luca, &, ut alios omittam, Cohellius in sua Cardinalatus notitia.

§. VIII.

Officium Missæ Apostolica Sede vacante.

Introitus.

Sciscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam fuerit, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. *Versus.* Ut sedeat cum Principibus, & gloriæ solium teneat, Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem. Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Oratio.

Supplici Domine humilitate deposcimus, ut Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ concedat Pontificem illum tua immensa pietas, qui & pio in nos studio semper tibi placitus, & tuo populo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam tui Nominis venerandus. Per Dominum nostrum &c.

Le-

Digitized by Google

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Fratres adeamus ad Thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & cum fiducia gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis; qui condolere possit his, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, ut quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron; sicutque Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quemadmodum & in alio loco: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit eum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sui reverentia.

Graduale.

Pontifex Sacerdos Magnus inter Fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestituſque est sanctis vestibus, debuit per omnia Fratribus assimilari ℣. Ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret debita populi. Alleluja, Alleluja. Sacerdos sit Sanctus, sicut ego sum Dominus, qui sanctifico vos, Alleluja.

Tractus in Septuagesima.

Erunt Filii Jacob sicut a principio, & cœtus ejus coram me permanebit. ℣. Et erit Dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur. ℣. Et applicabo eum, & accedet ad me. ℣. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, & appropinquet mihi, ait Dominus. ℣. Et eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum.

Evangelium secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis. Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos; adhuc modicum, & mundus jam me non videt. Vos autem videbitis me, quia ego vivo, & vos vivetis.

Offertorium.

Non participentur Sancta, donec exurgat Pontifex in ostensione, & veritate.

Secreta.

Tuæ nobis Domine abundantia pietatis indulgeat, ut per sacra munera, quæ Tibi reverenter offerimus, gratum Majestati tuæ Pontificem Sanctæ Matris Ecclesiæ regimini præesse gaudeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Communio.

Veste sancta utetur Pontifex, qui fuerit constitutus, & qui ingredietur Tabernaculum testimonii, ut ministret in Sanctuario.

Oratio post Communionem.

Pretiosi Corporis, & Sanguinis tui nos Domine Sacramento refectos mirifica tuæ gratia Majestatis, de illius Summi Pontificis assumptione lætificet, qui & plebem tuam virtutibus instruat, & fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENTARIUS.

1. CAutum jam inter alia fuit ex Concilio Œcumenico Lugdunensi II. Can. II. in fine, *ut in omnibus Civitatibus, ceteriſque locis insignibus, ubi primum de Pontificis obitu certitudo claruerit, a Clero, & populo solemnibus pro eo exequiis celebratis, singulis diebus, donec de ipsius Ecclesiæ provisione indubitatus rumor pertulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, & apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorundem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod provisio celer, concors, & utilis, prout animarum salus exigit, & totius requirit Orbis utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur.* Vult itaque & illud hoc Canone Gregorius X. ut jam in illius Commentario notavimus Tomo IV. Conciliorum, monetque Christifideles omnes, ut statim ac audierint mortem Summi Romani Pontificis, non modo ejus exequias celebrent, sed & quotidie Deum rogent pro celeri, concordi, atque utili provisione Ecclesiæ Romanæ, quæ est omnium mater, magistra, & caput. Præcipit tum etiam districte Ecclesiarum Prælatis, ac ceteris sacris hominibus, quibus concessum est Verbum Dei prædicare, ut in suis Con-

Digitized by Google

Concionibus subditos suos, auditoresque ad hoc hortentur, eisque frequentiam orationum, & observantiam jejuniorum indicant.

II. Sunt plane & hi veteres Ecclesiæ Catholicæ Ritus vel in electionibus ceterorum Episcoporum usitati, uti jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis in nostris Commentariis ad Titulum XIII. Et quidem ritum esse antiquum, ut preces publicæ fierent, ubi destituta suo Pastore Ecclesia, novus esset eligendus Episcopus, varia Sanctorum Episcoporum Acta nos docent, ac præsertim Acta S. Bassiani Laudensis Episcopi apud Bollandum die XIX. Januarii, his verbis: *Per idem tempus Laudensis populus Pastore proprio destitutus, rogationes publicas triduo indixerat, quatenus Præsulem futurum Ecclesiæ suæ idoneum præsidere, divina pietas innotesceret.* Triduanum consuevisse indici jejunium, constat ex Actis S. Salvii Ambianensis Episcopi apud eundem Bollandum ad diem XI. ejusdem mensis Januarii: *Omnes Ecclesiastici Viri triduanum indixerunt jejunium, quatenus divina gratia ostendere dignaretur, quis eorum vocaretur Episcopus.* Atque, ut alia omittam, quæ citat Martene Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. VIII. Articulo X. Num. III. mentionem quoque ejus ritus faciunt Acta S. Conradi Episcopi Constantiensis apud Surium die XXVI. Novembris, in quibus dicitur, quod S. Udalricus Augustanus Episcopus, *cum erga viduatam Ecclesiam*, Constantiensem scilicet obitu Notingi ejus Ecclesiæ Episcopi, *in eligendo Episcopo pro cæsti duceretur oraculo, triduanum jejunium toti Clero indixit, & populo.*

III. Una cum orationibus celebratas quoque fuisse & Missas pro electione celeri Summi Pontificis, haberi pro certo debet, tametsi de ipsa Missa in hoc nostro §. descripta nullum apud antiquiores Auctores monumentum invenerim. Sed videri plane possunt quæ diximus supra in Commentariis ad Titulum I. ubi de Conclavi agitur; in ipsis enim jam fuse loquuti fuimus, de quotidiana Cleri secularis, & aliorum Religiosorum processione ad ipsum Conclave, & de Missis, quæ quotidie mane cantari solent in uno ex atriis Vaticani Palatii, ubi ex antiquo instituto, si Romæ scilicet Pontifex diem suum extremum obit, Conclave construitur, cantari per Capellæ Pontificiæ musicos solent. Ceterum Missa ipsa in nostro hoc §. descripta legitur in omnibus Romanis Missalibus, hac præfixa Rubrica: *Missa pro eligendo Summo Pontifice Sede vacante, dicitur de Spiritu Sancto, vel ut sequitur.* Introitus, *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem &c.* Legitur ea quidem Rubrica vel in Missali Romano Lugduni edito anno Domini MDLXXVIII. ubi etiam ad calcem ipsius Missæ hæc notantur: *In die creationis, & Coronationis Papæ, & ejusdem diei anniversario dicitur Missa ut in Cathedra Beati Petri, cum oratione*, Deus omnium fidelium, *omissis orationibus Sanctorum Petri & Pauli.* Sane recte notat Gavantus in suo Sacrorum Rituum thesauro Parte IV. Titulo XVII. ubi agit de Rubricis Missarum votivarum, quæ extant in fine Missalis, recte constitutam fuisse eam Missam pro eligendo Summo Pontifice, cum jam ex antiquo ritu pro eodem in Canone semper orandum sit distincte, & in collectis etiam oratio pro Papa sit satis frequens, & in solemnioribus anni temporibus.

IV. Ergo quod Romanus Pontifex Maximus, Christi vices in terris gerit, & universæ est Ecclesiæ Caput, recte instituta est hæc Missa, rectèque etiam statuit S. Gregorius VIII. in suo Dictatu Can. X. *Quod Papæ solius nomen in Ecclesiis recitetur*, in omnibus scilicet ubique, nam in peculiaribus Diœcesibus etiam ex antiquo ritu illarum Episcoporum nomina recitantur. Neque enim laudatus Gregorius avitam ipsam, quæ Episcoporum nomina recitavit semper in omnibus eorum Ecclesiis, damnat aut proscribit. Porro sensus descripti Canonis addisci potest ex Rescripto S. Leonis IX. in Epistola VI. ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum: *Scripsisti nobis*, inquit, *quoniam si una Ecclesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum.* A schismate recessurus Michael petit nomen suum rescribi Romanis tabulis, spoponditque Papæ nomen omnium suarum Ecclesiarum tabulis reddendum, a quibus fuerat expunctum. Sed Leo noluit ei annuere. Mutua enim Patriarchalium nominum recitatio, ut notat Lupus in recitatum Canonem S. Gregorii VII. viguit in solis æqualibus, & consororibus orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Hæc enim Orientalium non tantum soror, sed etiam Caput est, & Mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi, nomen unquam recitavit. Sicut itaque nullus Metropolita suos Provinciales, nullusque unquam Primas, aut Patriarcha subjectos sibi Metropolitas, ita Papa, aut Romana Ecclesia nullum unquam recitavit Patriarcham.

VI. Justum itaque est, ut pro Summo Romano Pontifice universæ Ecclesiæ Præsule ab omni sub Cælo Ecclesia oretur, exemplo primorum Fidelium, qui, uti legitur Cap. XII. Actuum Apostolorum, pro S. Petro, qui primus Summus Pontifex fuit, inique ab hærode vexato jugiter suas ad Deum preces fundebant: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Si autem & pro omnibus Romanis Pontificibus ex pervetusto Ecclesiæ instituto a cunctis Fidelibus orandum, orandum certe potissimum est pro regnante Summo Pontifice BENEDICTO VIX. qui sanctissime universam Ecclesiam regit, quotidieque non cessat pro ea ad Deum orare, quotidie summa Urbis, & Peregrinorum confluentium ædificatione, ad Ecclesias pergens, in quibus publicæ fidelium veneration expositum est Venerabile Divinæ Eucharistiæ Sacramentum. Orandum profecto pro eo est, ut Christus Dominus, cujus ille, pie fideliterque vices gerit in terris, nobis, Ecclesiæque universæ incolumem servet quamdiutissime.

FINIS.

Digitized by Google